denſi: creatus Medicus Doctor Patavii 1622, Profeſſor verò & Collega Patris ſui factus biennio poſt, anno nempe 1624. Botanices etiam provinciam, defuncto proximè ſequente anno, Patre, in eadem Academiâ nactus, Commentarium adhuc ineditum ſcripſit in Theophraſtum Ereſium, Philoſophiæ Botanicæ Scriptorem, admirandum penè, in quo innumera aliis prætervisa obſervavit, annotavit, & emendavit. Obiit ibidem 1663 ætatis ſuæ 66.

Catalogus Plantarum Horti Academici Lugduno-Batavi; quibus is inſtructus erat 1642. *Accedit Index Plantarum indigenarum, quæ prope Lugdunum in Batavis naſcuntur.* Lugduni Batavorum apud Elzevirios, 1643 in 24.

Recognitio Verſionis Johannis Opſopœi Aphoriſmorum Hippocratis. Lugduni Batav. apud Elzevirios, 1643 in 32. Ibidem, apud Gaesbekios, ſine expreſſione anni, quo excuſa fuit, in 32. Huic Editioni compendioſiſſimæ & elegantiſſimæ acceſſerunt loca parallela ex ipſo Hippocrate ut & Celſo petita; itemque index luculentus.

Vide plura de Adolpho Vorſtio ejuſque ſcriptis in libro gallico P. Niceron, cui tit. Notitia virorum illuſtrium, Tomo XXII. pag. 100.

ADRIANUS ADRIANI,

Antverpianus, Societatis Jeſu, primos inter Lovanii fuit, vir pius & eruditus, comis & ſuavis in converſatione; quem propriùs conſpicatus B. Ignatius inter Socios Angelum nominare non dubitavit, indicium hujus rei facienteImagine primi Sæculi ejuſdem Societatis lib. 6 cap. 5. Scripſit idiomate vernaculo opuſcula varia aſcetica, hoc eſt ſpiritualium exercitationum: è quibus Latinè reddidit Gerardus Brunelius, Canonicus Daventrienſis,

De *Divinis Inſpirationibus*, & *de Confeſſione* libellum. Coloniæ, Typis Birckmanni, 1601. 12.

Flandricè verò circumferuntur, Lovanii excuſa,

Mons ſpiritalis.

De vita activa lib. III.

De bonis temporalibus.

De operibus miſericordiæ.

De tribus Votis monaſticis.

De origine & progreſſu vitæ Clauſtralis.

Orationis Dominicæ explicatio, aliaque, omnia à Catholicis in Batavia ſub uno volumine anno 1570 vulgata, addito & Hieronymi Wellæi, qui Lovanii excuderat, nomine.

Obiit Lovanii, anno 1581 die S. Lucæ ſacro.

ADRIANUS AMEROTIUS,

Vulgo Amaurii, Sueſſionenſis, J. C. à puero in Belgio educatus, Lovanii inter Magiſtros Artium primus è Pædagogio Lilienſi promotus anno 1516, ingenio ſuo ſic emerſit, ut Nobilium adoleſcentum (in his etiam *Antonii Perenoti*, Cardinalis poſt Granvellani) pueritiæ formandæ præfuerit. Docuit & Græcas litteras in Collegio Lilienſi ac Trilingui Buſlidiano, ac per biennium Dominicis diebus apud Auguſtinianos ad Clerum conciones Latinas habuit: Vir, *præter exactam utriuſque litteraturæ peritiam, & Philoſophiæ gnarus, & Juris Cæſarei non ignarus, moribus mirè candidis*, Eraſmi teſtimonio lib. 18 Epiſt. 12.

Obiit anno 1560. Edidit

Compendium Grammatices Linguæ *Græcæ* Lovanii, typis Theodorici Martini 1520. 4.

ADRIANUS BALTIN,

J. C. Franconatium apud Brugenſes Penſionarius & Actuarius, vitâfunctus

anno 1623 ætatis 78. Edidit Gandavi, typis Guillelmi Lapidani,

Orationem in funere Sereniſſimi Alberti Auſtriaci, Principis Belgarum, Brugis habitam.

ADRIANUS BARLANDUS,

Natus è Baarlandia, vico inſigni Zuyt-Bevelandiæ Zelandorum inſulæ; prima in ſtudiis litterarum tirocinia Gandavi fecit: Philoſophicis hinc diſciplinis datâ operâ Lovanii, Artium ibidem inſignia accepit; primuſque in Collegio Trilingui Buſlidiano Latinam linguam docuit. Mox Angliam petiit, datus itineris comes ac Pædonomus Antonio Grimbergæ Domino, Principis Bergani filio. Reverſus *Joanni Paludano* Rhetori publico Lovanii ſufficitur: multoſque raræ & caſtæ eruditionis diſcipulos habuit. Scripſit verò Latinè ac terſè

Dialogos, ad juventutem linguamque formandam.

Epiſtolam de ratione Studii, ad Guilielmum Zagarum juventutis Ziriczæanæ moderatorem.

De Chriſtiani hominis Inſtitutione Aphoriſmos.

Inſtitutionem artis Oratoriæ, compendio ſcriptam.

Jocorum veterum ac recentium, libros III.

Scholia in ſelectas Plinii Secundi Epiſtolas.

Scholia in Menandri carmina ſive dicta.

Argumenta & Commentarium in P. Terentii Comœdias. Francof. 1537. & Pariſ. fol. 1552.

Enarrationes in IV. *libros priores Æneidos Virgilianæ*, è vetuſto Codice deſumptas, & Additionibus auctas. Antv. apud Mich. Hillenium, 1529. & 1535 in 4.

In primam Ciceronis Catilinariam, & Philippicam IX.

Proverbiales quoque verſus *è Virgilio* collegit & explanavit. Baſileæ, 8.

Item *Eliſii Calentii Epiſtolas* recognovit & argumentis auxit. Lovanii apud Theodoricum Aloſtenſem, 1515. 4.

Præterea concinnavit, Eraſmo ipſo laudante atque approbante,

Epitomen Chiliadum Adagiorum. Coloniæ, 1524. 8. & *Epiſtolarum* ejuſdem.

Hiſtoriæ verò cùm externæ tum patriæ in primis ſuæ dedit iſta:

Chronologiam brevem, ac Hiſtoriam ab orbe condito ad annum 1532.

De litteratis urbis Romæ Principibus.

De Ducibus Venetis.

De Comitibus Hollandiæ. fol. Lugd. Bat. 1584.

De Epiſcopis Ultrajectinis. fol. Lugd. 1584.

De rebus geſtis Ducum Brabantiæ. 12. Bruxel. apud Franc. Foppens 1665.

De Urbibus inferioris Germaniæ.

Quæ omnia ſeorſim variis in locis primùm ſunt edita, partim etiam cum Iconibus ac Notis; ſimul vero collecta edidit Coloniæ Bern. Gualterus, 1603. 8.

Obiit Lovanii circa annum 1542. Plura in libello Clariſſimi Valerii Andreæ de Collegio Trilingui Buſlidiano. Et ipſe *Adr. Barlandus* ad Joannem Borſalum, Gentilem ſuum, de Vita ſua ac ſcriptis Epiſtolam ſcripſit.

ADRIANUS BLICT,

S. P. Q. Antverpienſi ab actis, primus eo munere ibidem functus, ſucceſſorem anno 1510 nactus fuit Petrum Ægidium. Lecta fuit, eo authore

Collatio moralis ſuper his vulgaribus verbis, Tiry miry, boff, in 8. excuſam.

ADRIANUS BURCHIUS,

Vide infrà ADRIANUS VANDER-BURCHIUS.

ADRIANUS BLYENBURGIUS,

Patricius ac Prætor Dordracenus, varia luſit Poëmata, in quibus ſunt *Parentalia*, *Odæ*, *Elegiæ & Adoptivorum* liber unus. Lugd. Batavor. 1588. 8. Moritur in patria anno 1599 (alibi lego 1630) conditus in primaria urbis Eccleſia.

ADRIANUS DE BOULOGNE,

Tornacenſis, Societatis Jeſu, pluribus in ea annis litteras humaniores profeſſus, Rector Collegii fuit Bethunienſis. Mortuus Tornaci 10 Octobris 1655 ætatis 68 anno. Edidit

Epigrammatum libros III. ab acuta brevitate commendatos. Tornaci, typis Adriani Quinquè, 1642. 16.

ADRIANUS BUTIUS,

Vulgo *de Budt*, Hulſtenſis Flander, S. T. B. Pariſienſis, Monachus Abbatiæ Dunenſis Ordinis Ciſtercienſis, floruit circa annum Dom. 1468. & accenſetur illius temporis Hiſtoricis à Jacobo Mejero, in Flandriæ Annalibus. Reliquit

Supplementum Chronici. Magiſtri Ægidii de Roya, Religioſi Dunenſis, ab anno 1463 uſque ad annum 1478. editum Francofurti anno 1620, cum Chronico Ægidii.

Hiſtoriam Monaſterii Dunenſis, ad ſua uſque tempora.

Geſta quædam Comitum Flandriæ, ab anno 1465 ad annum 1478.

Tractatum pro Immaculata Conceptione B. M. V.

Epiſtolas varias. Quæ omnia Brugis apud Dunenſes MSS. adſervantur.

Obiit Butſius anno 1488. Vitam ejus typis edidit anno 1655 *Carolus de Viſch*, Monachus Dunenſis, Brugis, in 8. Qui & citat ſequens illius Epitaphium.

Longam quiſquis amas vitam, ne temne doceri,
Quot vitæ humanæ mors parat inſidias.
En tantis titulis ADRIANUS BUDT *redimitus,*
Non potuit meritis vincere jura necis.
Orator magnus, Vates, Artiſta, meatus
Aſtrorum pollens, Flandrigenum acta notans.
Carmineis ſcriptis declaravit Genitricem
Virgineam intactam crimine origineo.
Omnia quid memorem? potuit quæcumque, minuto
(Præter virtutem) marmore tecta jacent.

ADRIANUS CHILIUS,

Maldeghemius, Flander, Brugis ad D. Donatianum ludi primùm litterarii magiſter, poſt Parœcus, Græcè Latinèque in primis peritus, verſu Latino feliciter reddidit

Ariſtophanis Plutum. Item *Luciani podagram poſteriorem.* Antver. apud Hillenium. Tranſlatum, ſeu potiùs Paraphraſis in illud, legitur Brugis in Cœnobio Dunenſi, Ordinis Ciſtercienſis.

ADRIANUS DAVID,

S. T. Licentiatus in Abbatia Duacena, nec non in Abbatia Viconienſi prope Valencenas Canonicus Regularis Præmonſtratenſis, edidit

Treſor ſacré de pluſieurs belles & precieuſes Reliques conſervées & honorées en l'Abbaie de Vicoigne de l'Ordre de Premonſtré: avec une Chronique abregée de la Fondation de la même Abbaie. Valencenis anno 1634.

ADRIANUS COOLS,

Goudanus Batavus, Societatis Jeſu Theologus, Rector Collegiorum Bru-

genſis, Mechlinienſis ac Bruxellenſis, Præpoſitus Domûs Profeſſæ Antverpiæ, nec non Superior Miſſionis Hollandiæ. Bruxellis die 17 Novembris 1662 diem clauſit extremum. Parentavit Manibus Reverendiſſ. D. *Joannis Malderi*, Antverpienſium Epiſcopi, *Apprecatione funebri*, dictâ in Oratorio Sodalitatis Marianæ. Adheret Commentario poſtumo ejuſdem Malderi in primam Partem D. Thomæ Aquinatis.

ADRIANUS CROMMIUS,

Oorſchotanus Brabantus, litteras humaniores Antverpiæ didicit; curſuque Philoſophiæ Duaci in Collegio Aquicinctino S. J. abſoluto, anno 1609 eidem Societati nomen dedit, & ſacras litteras Lovanii pluribus annis interpretatus eſt; Theſibuſque publicè propoſitis, *Pſalmos Davidicos* compendioſâ paraphraſi expoſuit typis, 1628. 4. Lovanii, dein Antv. 1652 in 8.

Item *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros & Deuteronomium*. Lov. 1630. 4.

Ad hæc *Joſue*, *Judices*, *Ruth*, *Libros Regum & Paralipom.* 1631. 4; ac denique *Jobi Hiſtoriam*, *& libros Tobiæ*, *Judith*, *Eſther*, *Eſdræ ac Nehemiæ* 1632. 4 Eodemque anno IV. *Evangelia Hiſtorico ordine Concordiæ in modum digeſta.*

Vernaculo idiomate, ſub nomine anagrammatico *Caſimiri Dourinam*, edidit Tractatum *De S Petri Primatu, ſive prærogativa Sedis Apoſtolicæ*, adverſus calumnias *Jacobi Triglandii*, verbi Calviniani apud Amſtelodamenſes Miniſtri. Antver. typis Joannis Cnobbari, in 12. Amſtel. in 8.

Obiit P. Crommius 11 Maii an. 1651.

ADRIANUS CRUCIUS,

Societatis Jeſu, Gandavi natus anno 1578. Litteras humaniores, Græcamque Linguam docuit, & Latinè reddidit, ediditque

Litteras Annuas Rerum in Regno Sinarum anno 1620 à S. I. geſtarum.

Item *Rerum memorabilium annis 1619 & tribus ſeqq. in Japoniæ Regno geſtarum.* Antver. typis Verduſſii 1625.

Moritur Antverpiæ anno 1629 die 23 Octobris, procurandæ ſaluti peſte infectorum inſerviens.

ADRIANUS DAMANTIUS,

Limbergius, Flander, Gandavi humaniores docuit litteras, Græce in primis eruditus. Leguntur illius *Elegiæ* aliquot, à Jacobo Sluperio unà cum Poëmatibus ſuis editæ. Itemque *Carmen gratulatorium Franciſco, Andium Duci, ad capiendum Flandriæ Comitatum accerſito*, anno 1582 typis Plantini excuſum. Fertur & heroico verſu *Bartaſi Septimanam*, opus inter Rythmicos Gallicanos præſtantiſſimum, reddidiſſe. Accercitus in Scotiam à Georgio Buchanano ad nobilem juventutem bonis litteris imbuendam, aliam vitam moreſque induit, & Calviniano ſtigmate ac dogmate infame nomen fecit.

ADRIANUS DULLAERT

Brabantus, natus in Weerdenſi vico anno 1411, Philoſophiam arteſque liberales toto quadriennio Pariſiis didicit; annoſque hinc aliquot operam Juri utrique dedit Lovanii, ac demùm Urbi Bruxellenſi fuit à Secretis. Deſcripta ab eo fuit *Origo Cartuſiæ*, ad muros ejuſdem urbis olim ſitæ, hodie intra ipſos muros conſpicuæ.

ADRIANUS FABER,

Atrebas, S. T. L. Cathedr. Eccleſiæ Audomarenſis Canonicus, edidit anno

1600 à ſe habitam *Orationem in funere Ill. D. Joannis de Vernois* Audomarenſis Epiſcopi.

ADRIANUS DE FLERON,

Eburo, Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis Canonicus ac Vice-Decanus, nec non Eccleſię Collegiatæ S. Petri Malbodienſis in Hannonia Præpoſitus, edidit *Promulſidem Elogii Tilliani*, 1630. 4.

ADRIANUS FLORENTII,

Vide inf. ADRIANUS VI. PONT. MAX.

ADRIANUS HECQUETIUS,

Atrebas, Ordinis Carmelitani Doctor Theologus Colonienſis (Sorbonicus Ferreolo Locrio) poëticæ tamen potiſſimùm addictus : edidit

Peripetaſma argumentorum inſignium, nimirum de immortalitate, æternaque felicitate, de Evangelii ſemine, Funera illuſtria, potiſſimùm doctorum virorum, de crapulæ vitio, jocos & ſales, Epigrammata & Carmina miſcellanea, &c. Lovanii, typis Joannis Bogardi, 1564. 4.

Scenam rerum inverſam, verſu heroico & proſâ, editam in 8.

Enarrationem ſive *Homilias in Evangelia Quadrageſimalia* Pariſiis apud Sonnium, 1570. 8.

Revocationem hæreticorum à Lutheraniſmo, reliquiſque hæreſum generibus ad Evangelicam, & verè Catholicam Eccleſiæ fidem. Antver. 1557. 8. apud Bellerum.

Denique Gallico idiomate ſcripſit de proprietatibus quatuor anni temporum, deque hiſtoriis ac materiis dierum feſtorum per annum occurrentium, libros 4. quos inſcripſit *Le Chariot d'Année*. Lovanii apud Joan. de Winghe, 1555. 12.

Quo pacto verus Chriſtianus debeat requieſcere in ſuo Creatore, &c. cui titulum dedit *l'Arreſt du Cours*. Antver apud Guilielmum Simonis, 1557. 16.

De perfecta pœnitentia & modo pœnitendi Ibid. & Lugd. 1569. 16.

Inſtructiones Parochiarum, ſive Conciones familiares in Epiſtolas & Evangelia Dominicalia per annum Antver. typis Plant. 16. & Lugd. 1574.

Ordinarium (*L'ordinaire*) *veri Chriſtiani orandi Deum* &c. Pariſ. 1576. 16.

ADRIANUS HOFFERUS,

Natione Zelandus, domo & ſtirpe Ziriczæus, naſcitur anno Dom. 1589. 9. Kal. Junii, patre *Rocho Hoffero*, octies Conſulari. Poſt varias functiones, etiam Conſulatûs, in Republica Ziriczæana obitas, Quæſturâ Regalium ſeu Domaniorum Zelandiæ, ad Orientem Schaldis, ab Ordinibus ejuſdem Provinciæ donatus eſt : nec interim in dignitate iſta Muſis valedixit. Carmina varia luſit, ſparſim edita ; è quibus

Proteum, ſive *Dyſticha ſynonyma, in inſolitam nec auditam à multo retrò tempore anni* 1615 *ficcitatem*, excudit Ziriczeæ eodem anno Joannes Hellenius, & auctiùs Lugduni Batavorum Baſſonus, 1623. 4. prodiit & Ultrajecti 1670.

Paraphraſim Poëticam Epiſtolæ S. Jacobi Apoſtoli, Hardervici Nic. à Wieringhen, 1634. 4.

Dedit & *Poemata Belgica*, Amſtelodami, 1635. 4.

Item *Epigrammata in Urbes Zelandicas*, & alia quædam, quæ nuper in ſua Zelandia Litterata evulgavit Vir Clariſſ. Petrus De la Ruc.

Obiit Hofferus 21 Maii 1644 ætatis 55 annorum, relicto è conjuge ſua Magdalena de Jonghe, filio Rocho Hoffero, Toparcha de Bommenede, patriæ ſuæ Ziriczeæ Theſaurario & etiam Conſule. De cujus ſcriptis vide inferiùs Parte II.

ADRIANUS HOFSTADIUS,

Lovanienſis, Ordinis FF. Minorum Theologus & Eccleſiaſtes, Vir ob ſuaviſſimam converſationem, ſingularemque eruditionem, cujus ſpecimen plurimis annis in S. Theologiæ publica apud ſuos Profeſſione cum omnium laude Lovanii & Coloniæ non vulgare exhibuit, omnibus gratus & laudatus: tum verò Conciones frequentes & fructuoſæ cum in Brabantia, tum Ultrajecti, tum etiam Amſtelodami utiliter habitæ & auditæ omnium in ſe benevolentiam conciliabant. Statuerat ipſe doctrinæ ſuæ monumenta in lucem edere, verùm pios ejus conatus invida eluſit mors, quâ præventus Trajecti ad Moſam diem clauſit extremum, anno 1598. inter ſuos ibidem ſepultus, cum ſequenti Epitaphio. A morte auctoris editi ſunt,

Sermones Euchariſtici 49. Antver. typis Joachimi Trogneſii 1608. 8. & Coloniæ.

Extitit ejuſdem luculenta & docta *Symboli Apoſtolici Explicatio*: quæ utinam Ordinis ſui & auctoritate aliquando lucem videat

D. O. M.
Reverendo admodum Patri,
P. ADRIANO HOFSTADIO,
hujus & aliorum Conventuum Guardiano meritiſſimo,
S. Theol. Prælectori,
ac divini Verbi Præconi famoſiſſ.
Obiit XXII. Novemb. M. D. XCVIII.
HOFSTADIUS, *ſacro jacet hîc, Franciſce, tuorum*
De numero, magnis notus ubique, Viris.
Ingenii cujus vires Brabantia paſſim
Senſerat & Batavi gens generoſa ſoli.
Lovanium genuit, quem Verbi deinde Miniſtrum
Lectoremque ſtupens audiit eximium.
Hoc, multis tandem fractus ſudoribus antro
Conditus, ætherei vivat in arce poli.

ADRIANUS HOGERBEETS,

Ultrajectinus, filius Rumoldi, viri inter Batavos celeberrimi (de quo plura inferius) J. U. D. verſibus Elegiacis luſit atque exhibuit *Carmen Panegyricum R. D. Huberto à Suetendael*, S. Theol. Licentiato, Monaſterii S. Trudonis in Hasbania Abbati &c. de anniverſario inaugurationis die poſtrid. S. Urſulæ 1639. Ultrajecti 1640 in fol.

Ejuſdem *Elegia ſupplex ex perſona Atrebatenſium ad Ludovicum XIII. Galliarum & Navarræ Regem* &c. Ibid. eod. anno.

ADRIANUS HUBERTI,

Ex Ordine FF. Minorum, evulgavit *Hiſtoriam de ortu, progreſſu & gloria miraculoſæ Imaginis B. M. V. Brevis-Sylvæ, vulgò Cortenboſch dictæ Leodienſis Diœceſis.* anno 1642.

ADRIANUS JUNIUS,

Petri de Jonghe, Viri Conſularis Filius, Hornæ apud Batavos anno 1512 ipſis Julii Kalendis natus, pueritiæ ſuæ formatorem laudat *Nicolaum Galium*, ferreâ, ut ſcribit, memoriâ. Ipſe vero non minus quoque memoriâ valuit, quippe Doctor Medicus, Hiſtoricus, Philologus, Poëta; linguarumque, præter vernaculam, Italicę, Gallicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, & Anglicæ (quas juvenis ditiones obierat) ad hæc Latinæ, Græcæque in paucis peritus; quo nomine doctorum omnium admirationem laudemque meruit, atque ingenii tam varii, variis editis monumentis, æternam ſibi memoriam comparavit. Videre autem contigit ſequentia:

De fungo Pballi, in ſabuletis Hollan-

Digitized by Google

diæ naſcente. Delphis, 1564. 4. apud Herm. Schinckelium.

De Anno & Menſibus, Commentarium. Item *Faſtorum* librum, ſive Ἡμερολόγιον. Baſileæ, 1556. 8. apud Henricum Petri.

Emblematum & *Ænigmatum* libellum, typis Plant. 1565. in 8, & 16, cum luculentis Scholiis.

Nomenclatorem: in quo rerum omnium nomina ſeptem diverſis linguis explicantur, typis Plantin. 1567 & 1577 Francofurti & alibi, illuſtrante *Hermanno Germbergio*, 1599.

Animadverſorum libros VI. omnigenæ lectionis theſaurum.

Item *De Coma* Commentarium. Baſil. 1558. 8. atque iterum Roterodami 1708.

Adagiorum poſt Eraſmum *Centurias* VIII. Baſil. 1558. 8.

Philippeidem, ſeu Carmen heroicum in nuptias *Philippi II.* Principis Hiſpaniarum, ac *Mariæ* Reginæ Angliæ. Londini, 1554. 4.

A morte *Junii* poſtumus prodiit fœtus *Batavia*, Lugduni Batavorum 1588. 4. item Dordraci 1652; ubi diſſeritur, quę fuerit vetus Batavium, & quæ genuinæ Francorum ſedes: ſed duriore ſtilo, atque agreſtiore venâ, cenſente Ponto Heutero, lib. 11. de Veterum Belgio cap. 25. quia lineam adhibere ultimam auctori morte prævento non licuerat.

Poëmata Junii, pleraque ſacra, etiam à morte auctoris, Antverp. 1599. 8. Plantini typis ſunt excuſa.

Atque hæc quidem proprio Marte atque induſtriâ à *Junio* conſcripta. Veterum quoque ſcripta aliquot è Græcis Latina fecit, Latinèque ſcripta emendavit, illuſtravitque.

Plutarchi Sympoſiacῶν ſeu *Convivalium Problematum* Decades V. Lugduni apud Gryphium, 8. cum Scholiis brevibus.

Caſſii Iatroſophiſtæ Medicas Queſtiones: cum Græci exemplaris caſtigationibus. Pariſ. 1541. 4. apud Wechelum.

Heſychium de iis, qui eruditionis famâ claruerunt.

Et, *Eunapium De Vitis Sophiſtarum.* Typis Plantini 1572. 8. & alibi.

Præterea ex vaſtis illis *Euſtathii* in Homerum Commentariis utiliſſima quæque in volumen unum coëgit, & Κέρας ἀμαλθίας, ſive *Cornu-copiæ* inſcripſit. Baſil. fol. 1558. typis Frobenianis.

Lexicon Græco-latinum multis quoque vocibus auxit. Baſil. 1548 fol.

In L. Annæi Senecæ Ludum Claudii Cæſaris (quem ἀποκολοκύνθωσιν inſcribi debere primus ipſe animadverterat) Scholia ſcripſit. Item

Nonium Marcellum, & *Fulgentium Placiadem*, *de priſco ſermone*, ope veterum Codicum reſtituit. Apud Plantin. 1565 8.

Denique *Joannis Raviſii Epithetorum Epitomen* recognovit, auxitque, ibidem & Lugduni Batav. apud Raphelengium.

Poſteaquam Harlemi Medicinam cum laude exercuiſſet, & ludum litterarium quibuſdam aperuiſſet, Harlemo bellico furore depulſus, Arnemudam in Zelandia ſeceſſit, ubi præ mœrore, imprimis ex relictæ Harlemi Bibliothecæ ſuæ ruina concepto, è vivis exceſſit anno 1575 ætatis 63. Menſis Junii die 16.

Sepultus eſt Middelburgi in famoſa quondam Præmonſtratenſium Abbatia; ubi Epitaphium patri, Academiæ tum ibidem naſcentis deſignato Profeſſori, poſuit Petrus filius, Medicus & ipſe.

D. O. M. S.
ADRIANO JUNIO, HORNANO,
Philoſopho, Medico, Poetæ celeberr.
Bataviæ Hiſtorico fideli.
Cujus in omni diſciplarum genere
Exquiſita eruditio,
Singularis induſtria,

Multiplex linguarum ſcientia,
Pari conjuncta comitate,
Doctorum omnium admirationem laudemque meruit.
Poſt varia incomparabilis ingenii Monumenta,
Quibus æternam ſibi memoriam comparavit,
Sub hoc marmore condito,
Patri optimè de ſe merito
PETRUS JUNIUS
Mœſtiſſimus pietatis ergo P. C.
Vixit ann. LXIII. obiit XVI. ſibi cognomine Menſis,
Anno ſalutis Chriſtianæ M. D. LXXV.

Plura de Adriano Junio & ſcriptis ejus vide in libro Lindenii de Scriptoribus Medicis, & in Notitia Virorum illuſtrium P. Niceroni Tomo VII. p. 399.

ADRIANUS VAN LYERE,

Antverpienſis, Societatis Jeſu Theologus atque Eccleſiaſtes inſignis, mortuus eſt 5 Septembris 1661 ætatis 73. Edidit linguâ vernaculâ

Tractatum aſceticum de religione ac cultu SS. Nominis MARIÆ. 12. Bruxellis typis Joannis Mommartii, 1638. Eumdem alii Gallicè, Hiſpanicè, Anglicè reddiderunt.

Edidit etiam *Triſagion Marianum, quod eſt Trium mundi Ordinum, cœleſtium terreſtrium & infernorum, cultus & pietas & adoratio erga S. Nomen Mariæ* fol. Antv. 1655.

De Imitatione Jeſu Patientis. fol. Antv. 1655.

Viam cœli per Roſaria. Flandricè Bruxellis 1645.

Apophtegmata Sacra S. Ignatii de Loyola. fol. Antv. 1662.

ADRIANUS MANGOTIUS,

Gaudæ apud Hollandos anno 1554 natus, Philoſophiæ ac Theologiæ operam in Academia dedit Lovanienſi. Paſtorali dein munere annos aliquot functus, ſæculo valere juſſo, Societatis Jeſu Religionem, anno 1585 ipſis Kal. Octobribus profeſſus fuit, ſæpiuſque Lovanii & Antverpiæ ad Parthenios Sodales populumque verba fecit (*Monita ſacra* & MARIANA ipſe nuncupat) è Sacris litteris & SS. Patribus potiſſimùm deprompta; Tomis IV. edita Antverpiæ, typis Hieronimi Verduſſii, 1613 & 1614. 8.

Vivere deſiit Antverpiæ plenus dierum, anno 1629 ætatis 79.

ADRIANUS MARIUS NICOLAUS,

Nicolai Everardi Filius, Mechlinienſis, frater germanus Joannis Secundi ac Nicolai Grudii, Gelriæ Zutphaniæque Cancellarius; fratrum exemplo Juriſprudentiam cum poëtica connexuit, luſitque *Elegiarum* libros II. *Epigrammatum* lib. 1. *Epiſtolarum* lib. 1. *Satyram* unam, & *Næniam in mortem Joannis Secundi*, cum ejuſdem fratris ſui operibus vulgata.

Præterea *Dialogos Luciani* aliquot metro reddidit, & proſâ oratione libellum ejuſdem *De calumnia.*

Deceſſit vitæ atque aulæ ſatur Bruxellis, anno 1568. 13 Kal. Aprileis. Corpus Mechliniam tranſlatum, & ad patris fratriſque Præſidum tumulos in D. Mariæ depoſitum. Parentavit fratri Nicolaus Grudius, Elegiâ, quæ in Poëmatibus illius legitur. Cur verò nomen *Hadriani*, & cognomen *Marii* ei adhæſerit, ipſe ad Guilielmum Diemenum J. C. hoc Epigrammate ſuo docet:

Unde vocer MARIUS, *Romanæ nomine gentis,*
Belgarum extremis barbarus ortus agris,
Quando ſcire cupis pro conſuetudine noſtra,
Magna ſodalitii pars, Diemine, *mei:*
Nec

by Google

Nec gentile mihi eſt, nec ſic dixere parentes,
Cùm tenerum ſacro rore caput madui.
Nomine de Divi nomen poſuere HADRIANI,
Quod ſacra lux illi, lux mihi prima fuit.
Hæc eſt Septembres bis tertia quæ præit Idus,
Cùm jam ſub pedibus pinguia muſta fluunt.
At cùm lux eadem MARIÆ *quoque Virginis ortum*
Signet, & hinc latè nomen in orbe ferat,
Adjeci MARIUS, *ne Divo ſcilicet uni,*
Quàm Divûm Dominæ plus tribuiſſe ferar.

ADRIANUS MEERBECANUS,

Vulgo VAN MEERBEECK Scholaſter in Oppido Aloſtenſi, ſcripſit idiomate patrio, in Belgarum potiſſimùm Catholicorum gratiam

Chronicon rerum toto orbe geſtarum: ea potiſſimùm accuratè fideliterque recenſendo, quæ à Caroli V. ortu ad hæc uſque tempora in Belgio contigerunt, quo è manibus excutiantur Emmanuelis Meterani, ceterorumque id genus Memoriæ atque Hiſtoriæ; qui partibus plus æquo favent, in Eccleſiam Romanam Principeſque Catholicos plurimùm maledici. Edidit Antverpiæ Verduſſius, 1620. fol.

Item *Funus* ALBERTI, Belgarum Principis, Latinè, Gallicè ac Flandricè conſcripſit, anno 1622. 8. Bruxellæ excuſum.

ADRIANUS METIUS,

Alcmarianus Batavus, Medicinæ & Matheſeos Profeſſor Franekeræ apud Friſios: primò in Germania vixit, ſtudiiſque dans operam, tum privatim tum publicè Aſtronomiam quoque inter alia ibi docuit. Edidit

Doctrinæ Sphæricæ libros V. Francofurti 1591. 8.

Aſtronomiæ univerſæ Inſtitutionem, libris III. quorum I. *Sphæræ* diſciplinam tradit: II. *Fabricam Planiſphærii & Trigonometriam Aſtronomicam*: III. *Hiſtoriam Aſtronomicam*, aſtrorum ſitum ac motum. Franekeræ, 1605. 8. typis Radæi.

Arithmeticæ & Geometricæ Practicam. Ibid. 1611. 4.

Geometrices per uſum Circini novam Praxin. Amſtel. 1623. 8.

De gemino uſu utriuſque Globi. Ibid. 1611. 4.

Primum Mobile, Aſtronomicè, Sciographicè, Geometricè & Hydrographicè explicatum. Ibid. in 4.

Calendarium perpetuum, articulis digitorum computandum, vernaculo idiomate. Roterodami, 1627. 8.

Extat in majore Eccleſia Franekerana, hocce Epitaphium Metii.

„ D. M. S. & Adriano Metio,
„ Alcmariano Med. Doctori & Ma-
„ thematico celeberrimo, qui cum
„ per annos XXXVIII. eaſdem Artes
„ in hac Academia cum laude docuiſ-
„ ſet, acutâ febre correptus vivere de-
„ ſiit. Corpus terræ, famam orbi,
„ mentem cælo repoſuit XV. Kal.
„ Oct. anno 1635. Uxor mœr. Marito
„ opt. & deſideratiſſ. piet. teſt. C. H.
„ Mon. P. C.

Nobilis Hypparchos ſolertes Græcia laudet
Obſcuris lucem reddere ſyderibus.
Doctaque ſe extollat Ptolomæo nomine Memphis,
Alphonſum toto veſpere fama canat.
Et pandant celebres rerum miracula Tuſci,
Dania Tychonis floreat ingenio.
Illuſirem hoc uno ſe jactat Friſia Cive,
Gaudet & antiquis Belga tuliſſe parem.
Quid METY *quæris tumulum? quæcumque notavit*
Viſibus, hæc ſedi vendicet aſtra ſuæ.

Fratrem habuit *Jacobum Metium*, qui primus perſpicillum adinvenit, quo turrim vel corpus quodlibet, tribus quatuorve milliaribus diſſitum, velut

pede collato & ad oculum dimetiri licet exactiſſimè.

ADRIANUS MOERBECIUS,

Dieſtenſis, Brabantus, Canonicus Regularis ac Religioſus Norbertinus in Averbodio, ultra annos 34 Paſtor in Vorſt, talenti ſibi crediti, functioniſque Paſtoralis, plenus jam dierum ac meritorum, rationem redditurus, edidit de Paſſione Dominica Collationes, ſeu multiplicem Expoſitionem, quam *Scalam purpuream* inſcripſit, *in VI. Gradus diviſam:* cui præmiſit *Baſim & Apparatum ejuſdem Scalæ*; ſubjecitque *Introductiones & Notas, quibus materia moralis, quæ ſparſim in primo Scalæ purpureæ Tomo legitur, Dominicis & Feſtis applicatur.* Excudit primum hunc Tomum (Scalas nimirum tres) Antverpiæ Verduſſius, 1634. fol.

ADRIANUS DE POIRTRES,

Ooſterwicanus Brabantus, Soc. Jeſu adſcriptus anno 1625 ætatis 19, Litteras humaniores docuit Mechliniæ & Trajecti ad Moſam, egitque Eccleſiaſten Lovanii. Carmen luſit rithmis ſeu modulis Belgicis mirâ facilitate, ſuavitate atque elegantiâ. Mortuus eſt 6 Julii 1674 ætatis 68. Illius ſunt, quamvis nomen adcuſum non habeant, Carmina pleraque in Imagine primi Sæculi Societ. Jeſu, Flandrico idiomate vulgata.

Item *Carmen de victoria Sereniſſ. Principis Cardinali* FERDINANDI *ad Caloam*, anno 1638 die 21 Junii, ſæpiùs recuſum: & aliud *de victoria in Morinis* eodem anno.

Item metro vernaculo libellus poëticus, jocis & ſale plenus, tit. *Mundi Larva detracta*, vulgo *het Masker van de Weirelt*, ut minus duodecies variis in locis excuſus.

Vitam S. Franciſci de Borgia, edidit latinè 8. anno 1671.

ADRIANUS DE PROOST,

Gandenſis, J. U. Doctor in Academia Lovanienſi renunciatus anno 1613. Eccleſiæ D. Petri ibidem Canonicus, & Canonum Profeſſor extraordinarius, D. THOMÆ *Aquinati*, ex Ordine Prædicatorum Doctori Angelico, *Panegyricum* Bruxellis recitavit, & Lovanii edidit, 1620. 4. Dormalii typis.

Moritur Madriti in Hiſpania, quò negotiorum cauſâ conceſſerat, anno 1623. 15. Kal. Octobris.

ADRIANUS ROMANUS,

Lovanienſis, natus anno 1561 die 29 Septembris, Eques auratus, ac Medicus Cæſareus, interque ſui ævi Mathematicos facilè princeps, prima Matheſeos, ut reliquarum Philoſophiæ partium, rudimenta Coloniæ à Societatis Jeſu Patribus accepit. Medicinæ initia ibidem & Lovanii fecit; perfecit verò in Italia.

Ingenio fuit acri & perſpicaci, judicio ſummo, quod in Mathematico utrumque ſingulare atque adeò ſummum ſit neceſſe eſt. Ob quas animi doctrinæque dotes anno 1593. Lovanio in Germaniam atque Herbipolim à loci illius Principe & Epiſcopo, evocatus, primus in novello ibidem ſtudio Medicinam ac Matheſin publicè docuit; atque elatâ uxore *Annâ Steeghiâ*, Amerfortiâ, (*Godefridi*, Medici Cæſarei, è fratre nepte) vitam ſacram amplexus, Canonicum in Æde *D. Joanni* ſacra Beneficium obtinuit.

Varias Europæ partes obivit; & Germaniam, Poloniamque vidit ferè univerſam, Joannis Samoſcii, Cancellarii Regni Poloniæ, biennio toto domeſticus, à quo Zamoſcium (quæ

Digitized by Google

nova Regni illius civitas eſt, à conditore ſuo nomen ſortita) invitatus, anno 1610 pridie S. Bartholomæi publicam ibidem Matheſeos Profeſſionem auſpicatus fuit.

Scripſit varia, ex quibus viſa ſequentia:

Ouranographia, de Cœlorum numero & ordine. Lovanii, 1591. 4. apud Maſium.

Ideæ Mathematicæ prior pars, ſive *Methodus Polygonorum*; quæ eſt de laterum, perimetrorum, & arearum polygoni inveſtigandarum ratione; deque circuli quadratura. Lovanii, 1593. 4. typis Maſii.

Speculum Mathematicum, ſive organum formâ mappæ expreſſum, de motibus in primo cœlo ac mobili ſpectari ſolitis. Ibid. 1606. 4.

Idea Matheſeos univerſæ: De Mathematicæ natura, præſtantia & uſu. Herbipoli, 1602. 8. Eamdem poſtea auxit & inſcripſit

Matheſin Polemicam: quâ primò tractat de ſcientiis & artibus Duci neceſſariis. II. proponit Lemmatibus aliquot rationem dimetiendi loca inacceſſibilia. III. tradit Propoſita militaria Matheſin requirentia. Francofurti 1605 in 8.

Theatrum Urbium, in quo Urbium præcipuarum per orbem univerſum brevis eſt deſcriptio. Ibidem, 1595. 4.

Supputatio Eccleſiaſtica, juxta novam veteremque Calendarii rationem: cum *Theoria Calendariorum.* Wirceburgi, 1595. 4.

Theoria Ventorum, quam diſputandam publicè propoſuit. Ibid. 1596. 4.

Expoſitio & Analyſis in Archimedis Circuli dimenſionem.

Apologia pro Archimede, ad Joſephum Scaligerum.

Exercitaciones Cyclicæ, contra Scaligerum, Orontium Finæum & Raymarum Urſinum, in X. Dialogos tributę. Simul excuſa, ibid. 1597. fol.

Pyrotechnia, ſive de ignibus feſtivis, jocoſis & artificialibus, libri duo. Francofurti 1611. 4.

Canon Triangulorum Sphæricorum. Moguntiæ, 1609. 4.

Canon Triangulorum rectangulorum, tam ſphæricorum quam rectilineorum; excuſus uno quaternione.

Problema Apolloniacum, quo datis tribus circulis quæritur quartus eos contingens. Herbipoli, 1596. 4.

Arithmeticæ IV. *Inſtrumenta*, novâ methodo ac formâ patente exhibita. Ibid. 1603. in fol. patente.

Methodus exprimendi numeros quantumvis maximos, cifris vulgaribus notatos, juxta gentium ferè omnium conſuetudinem. Lovanii, 1607. in fol. patente.

Mathematicæ Analyſeos Triumphus: in quo Enneagoni circulo inſcripti ad ipſum circulum exhibetor ratio. Ibid. 1607. in fol. expanſo.

In Mathumedis Arabis Algebram, in fol. opus imperfectum, ut & pleraque alia partim ſcribi, partim excudi cœpta: legunturque Lovanii in Bibliotheca Academica.

Cæterum ROMANUS, dum in Belgium cogitat, ad Spadanas aquas curando morbo inſtitutâ profectione, Moguntiæ moritur, anno Domini 1615. 4. Nonas Majas, in ſinu *Jacobi* filii, qui patri per Poloniam, Pruſſiam, Bohemiam, Hungariam, Germaniam, Belgiumque comes fuit.

ADRIANUS ROULERIUS,

Inſulenſis, Poëticen in Collegio Marchianenſi Duaci tradidit: luſitque

Stuartam Tragœdiam, ſeu de martyrio Mariæ Scotorum Reginę, ibidem exhibitam; editamque typis Boſcardi, 1593.

In patria dein vixit, & D. Petri Se-

minario præfuit. Obiit ibidem, Paſtor in D. Salvatoris.

ADRIANUS SCHOLASTICUS,

Vulgo SCHOLIERS, Antverpienſis, ludum aperuit Antverpiæ. Illius ſunt *Carmina Saturnalitia de amicitia*; ſtrenæ loco data, & dicata S. P. Q. Antverpienſi, anno 1566 typis Plantini. Sepultum credo Antverpiæ ad D. Michaëlis, in periſtylio, ubi Epitaphium legitur uxoris, mortuæ anno 1563. 16. Kal. Sextiles.

ADRIANUS SCRIECKIUS,

Rodornius, natus Brugis anno Domini 1560. 5. Kalendas Januarias, juvenis in Galliam profectus, Philoſophię ac Juri Lutetiæ operam dedit, adhæſitque viris ibi claris Errico Memmio, Fornerio, Pithæis fratribus, aliiſque. Ad ſuos reverſus, Gerardo Hornano Baſſinii, & Nicolao Montmorancæio Stegrę, Comitibus, mox innotuit; & Caſletanam, Stegrenſem, Baſſeanam ac Locrenſem Prætoras geſſit. Poſt Ipris in otio egit litterato, ac negotio publico, eidem Urbi ac Sereniſſimis Principibus à conſiliis.

Edidit opus varium ac novum *Originum Celticarum ac Belgicarum libros* XXIII. linguâ Belgicâ, cum duplici Indice: quo docere ac perſuadere conatur, Linguam Celticam (quam & Japheticam, Theutonicam, Cymbricam, Scythicam vocat) Latinâ, Grecâ, Chaldęâque antiquiorem eſſe: adeoque has ex illa ortas; Celticam verò ab Hebraicâ, linguâ primogeniâ, ſecundam eſſe, & ſolâ dialecto diſtare.

Atque huic paradoxo ſuo firmando *Monita ſecunda*, ſive *Europam redivivam* libris V. & *Adverſaria* ſcripſit, omnia Ipris edita, Franciſci Belleri typis, auctoris curâ & impenſis.

Obiit Ipris Flandrorum, anno 1621. die XXVI. Decembris, apoplexi correptus. *Juſtus Rycquius*, Cathedralis Gandenſis Canonicus, hoc ei Epitaphium pio affectu ſcripſit.

D. O. M.

Si quis Belgica perſonare verba
Primævâ cupis inſtitutione,
Et quæ myſtica denotent, quibuſve
Sint affinia vocibus Syrorum,
Chaldæaque & Hebraicæ loquelæ,
Et Graiæ, Schyticæque, Celticæque,
Et quam priſci Aborigines ſonabant,
Et lunâ populi ſati priores,
Et quam Barbarus aut Latinus orbis,
Mirandos cape SCRIECKII *libellos.*
Lingua totius hîc pateſcit orbis;
Hunc jam plurima talia inchoantem,
Aures qui ſibi credulas pararet,
Et famam ſtrueret perenniorem:
Strinxit livida mors, Viroque in uno
Tot Myſteria, tot bona interemit.
Luge quiſquis es, undecumque lector;
Lingua totius hîc fileſcit orbis.

ADRIANUS SCHORELIUS,

Batavus, è vico de Schoreel, ſcripſit *Poëmata* varia, Antverpiæ typis Plant. 1566. 16. cum *Cornelii Valerii Triumphis*, Carolo V. Cæſari Aug. Ultrajecti exhibitis; in quibus *Elegiæ*, *Eclogæ*, *Epigrammata*, ętatis adhuc florentis ac creſcentis imaginem exprimentia.

Præmaturè enim è vita abiit, & velut in herba extinctus fuit, cum annum ætatis triceſimum nondum attigiſſet, rediiſſetque Schoreliam in patriam,

Lustrata Auſonii poſt culmina ſacra
Quirini,
Regnaque ſollicito Gallica trita pede.

Vide Bataviam Adriani Junii cap. XVI. in quo de Hollandię agit ingeniis, ſtudiis & moribus, meminitque & *Schorelii*, uti mollis, arguti ac feſtivi in Poëmatiis.

Digitized by Google

diæ naſcente. Delphis, 1564. 4. apud Herm. Schinckelium.

De Anno & Menſibus, Commentarium. Item *Faſtorum* librum, ſive Ἡμερολόγιον. Baſileæ, 1556. 8. apud Henricum Petri.

Emblematum & *Ænigmatum* libellum, typis Plant. 1565. in 8, & 16, cum luculentis Scholiis.

Nomenclatorem: in quo rerum omnium nomina ſeptem diverſis linguis explicantur, typis Plantin. 1567 & 1577 Francofurti & alibi, illuſtrante *Hermanno Germbergio*, 1599.

Animadverſorum libros VI. omnigenæ lectionis theſaurum.

Item *De Coma* Commentarium. Baſil. 1558. 8. atque iterum Roterodami 1708.

Adagiorum poſt Eraſmum *Centurias* VIII. Baſil. 1558. 8.

Philippeidem, ſeu Carmen heroicum in nuptias *Philippi II.* Principis Hiſpaniarum, ac *Mariæ* Reginæ Angliæ. Londini, 1554. 4.

A morte *Junii* poſtumus prodiit fœtus *Batavia*, Lugduni Batavorum 1588. 4. item Dordraci 1652; ubi diſſeritur, quę fuerit vetus Batavium, & quæ genuinæ Francorum ſedes: ſed duriore ſtilo, atque agreſtiore venâ, cenſente Ponto Heutero, lib. 11. de Veterum Belgio cap. 25. quia lineam adhibere ultimam auctori morte prævento non licuerat.

Poëmata Junii, pleraque ſacra, etiam à morte auctoris, Antverp. 1599. 8. Plantini typis ſunt excuſa.

Atque hæc quidem proprio Marte atque induſtriâ à *Junio* conſcripta. Veterum quoque ſcripta aliquot è Græcis Latina fecit, Latinèque ſcripta emendavit, illuſtravitque.

Plutarchi Sympoſiacῶν ſeu *Convivalium Problematum* Decades V. Lugduni apud Gryphium, 8. cum Scholiis brevibus.

Caſſii Iatroſophiſtæ Medicas Queſtiones: cum Græci exemplaris caſtigationibus. Pariſ. 1541. 4. apud Wechelum.

Heſychium de iis, qui eruditionis famâ claruerunt.

Et, *Eunapium De Vitis Sophiſtarum.* Typis Plantini 1572. 8. & alibi.

Præterea ex vaſtis illis *Euſtathii* in Homerum Commentariis utiliſſima quæque in volumen unum coëgit, & Κέρας ἀμαλθίας, ſive *Cornu-copiæ* inſcripſit. Baſil. fol. 1558. typis Frobenianis.

Lexicon Græco-latinum multis quoque vocibus auxit. Baſil. 1548 fol.

In L. Annæi Senecæ Ludum Claudii Cæſaris (quem ἀποκολοκύνθωσιν inſcribi debere primus ipſe animadverterat) Scholia ſcripſit. Item

Nonium Marcellum, & *Fulgentium Placiadem*, *de priſco ſermone*, ope veterum Codicum reſtituit. Apud Plantin. 1565 8.

Denique *Joannis Raviſii Epithetorum Epitomen* recognovit, auxitque, ibidem & Lugduni Batav. apud Raphelengium.

Poſteaquam Harlemi Medicinam cum laude exercuiſſet, & ludum litterarium quibuſdam aperuiſſet, Harlemo bellico furore depulſus, Arnemudam in Zelandia ſeceſſit, ubi præ mœrore, imprimis ex relictæ Harlemi Bibliothecæ ſuæ ruina concepto, è vivis exceſſit anno 1575 ætatis 63. Menſis Junii die 16.

Sepultus eſt Middelburgi in famoſa quondam Præmonſtratenſium Abbatia; ubi Epitaphium patri, Academiæ tum ibidem naſcentis deſignato Profeſſori, poſuit Petrus filius, Medicus & ipſe.

D. O. M. S.
ADRIANO JUNIO, HORNANO,
Philoſopho, Medico, Poetæ celeberr.
Bataviæ Hiſtorico fideli.
Cujus in omni diſciplarum genere
Exquiſita eruditio,
Singularis induſtria,

ADRIANUS VANDER BURCHIUS,

Brugenſis, Flander, Concilii Provincialis Ultrajectini Actuarius ſeu Graphæus ab anno 1572, Poëta, ut ſcripta indicant, non infelix, certè ſtili non difficilis, deſiit vivere Ultrajecti, anno 1606. die 24. Decembris; ſepultus ad S. Mariam Majorem.

Patrem habuit cognominem, Regiorum primùm Ultrajecti, dein Gandavi, Senatuum Præſidem, Senatoremque Concilii Status; fratres *Joannem & Lambertum*: illum Concilii ſanctioris Præſidem, hunc Ultrajecti in Divæ Virginis Canonicum & Decanum, de quo dicetur ſuo loco inferiùs. *Adriani* leguntur iſta:

Laudes Hieronymæ Columnæ, *Aſcanii Columnæ &c.* Antverpiæ 1582. 4.

Epigrammatum ſacrorum Centuriæ II. Lugduni Batavor. 1589.

Epigrammatum Centuriæ III. Ibid. 1590. 8.

Hymnus Paſchalis, De Vita, Morte & Reſurrectione Chriſti: Item

Farrago piarum Similitudinum. Ibid. 1598. 8.

Charites, ſive *Silvæ piorum Amorum.* Ibid. 1595. 8.

Fides ac *Spes.* 1597. 8.

Pia Decaſticha, ſeu Sententiarum & Exemplorum Centuriæ III. 1599. in 8.

Oculi & Oſcula.

Item *Funerum & Triſtium* liber. Ultrajecti, 1600. 4.

Pia Solatia. Ibid. 1602. 4.

Piorum Hexaſticōn Centuriæ IV. Lug. Batavor. 1603. 8.

Hortulus Precum, ad Magiſtratum Ultrajectinum.

Denique *Petri Apollonii*, Presbyteris Novarienſis, *De excidio Jeroſolymitano* libros IV. recenſuit.

ADRIANUS DE VETERI BUSCO,

Brabantus, forte è loco dicto, *den Ondenboſch*, prope Bredam; fuit Religioſus Monaſterii S. Laurentii Leodii. Scripſit *Chronicon Leodienſe* ab anno 1449 quo Joannes Stabulanus ejuſdem loci Monachus deſiit, ad annum 1483. ſub Epiſcopis Joanne Heinsbergio & Ludovico Borbonio.

Brevem Hiſtoriam Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Aicurienſis, ad Parochialem Eccleſiam S. Jacobi Lovanium tranſlatæ.

Item *Hiſtoriam Monaſterii ſui S. Laurentii*, continuavit.

Hæc omnia hactenus inedita primum evulgata ſunt per PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri Pariſiis 1729. Tomo IV. Collectionis noviſſimæ Veterum Monumentorum.

ADRIANUS VI. PONT. MAX.

Antea ADRIANUS FLORENTII, parentis nomine, Batavæ gentis more, dictus (patre enim *Florentio*, cognomento *Boyens*, naupego, matre *Gertrude*, civibus Ultrajectinis, perquam probis & religioſis, anno Dom. 1459. natus fuit; ut planè ridiculi ſint, qui in ſuis ad Alfonſi Ciacconii Hiſtoriam Additionibus natales *Adriani* majoreſve Italiæ vindicant:) Puer partim Ultrajecti, partim Swollæ, ea, quæ ad linguæ Latinæ rudimenta pertinent, feliciter abſolvit.

Inde Lovanium ablegatus, in Pædagogio, quod vulgò Porci ſeu Porcenſe nuncupant, Dialecticos ac Philoſophos inter principem locum anno 1478. obtinuit: pariterque in Theologia, Collegii S. Spiritûs alumnus, ceteris facilè palmam præripuit. Cumque per annos aliquot Philoſophiam in

Pædagogio Falconis docuiſſet, donatus fuit pileo laureâque Doctorali anno 1491. die 21. Junii, Margaretâ Caroli Audacis, Burgundiæ ac Brabantiæ Ducis viduâ, impenſas ſuppeditante. Neque multò poſt in D. Petri Canonicus, eoque titulo S. Theologiæ Profeſſor, ob incomparabilem ſacrarum diſciplinarum ſcientiam, ac propè divinam caſtiſſimi animi moderationem, communibus Canonicorum ſuffragiis pronuntiatus eſt anno 1497. Decanus, & Academiæ eo nomine Pro-Cancellarius.

Fuit quoque Antverpiæ ad D. Virginem Decanus; Ultrajecti ad S. Mariam Majorem Canonicus & Theſaurarius, ibidemque ad S. Salvatorem Præpoſitus; in Collegiata S. Petri Anderlechtenſi juxta Bruxellam Canonicus, nec non (uti conſtat ex Actis Capituli S. Petri Lovanii) aliquamdiu Paſtor Majoris Begginagii Lovanienſis.

Eumdem *Maxæmilianus* I. Imperator Lovanio accitum CAROLI V. nepotis ſui, pueri ſeptennis, ſtudiis moribuſque formandis præpoſuit. Ferdinandus, Aragoniæ Rex (Carolo nepote procurante) Epiſcopum Dertuſenſem nominavit. Ipſeque poſtea CAROLUS Regnorum ſuorum moderationi adhibuit, atque Hiſpanici (Ferdinando humanis exempto) Pro-Regem conſtituit; Cardinalemque tit. SS. Joannis & Pauli à Leone X. Pont. Max. renuntiatum, ac demùm anno 1522. omnium Cardinalium ſuffragiis, unico excepto, ſummum electum Pontificem, uti parentem, optimumque & ſupremum in Eccleſia Paſtorem, ſemper eſt veneratus.

Quanta enim inter duos hoſce Principes viros animorum fideique fuerit conſenſio, vel maximè illæ Adriani Pontificis ad Fridericum Saxoniæ Ducem teſtantur litteræ, anno 1522. ſcriptæ, quibus in hæc verba Ducem alloquitur: *Vivunt unà Pontifex* ADRIANUS, *& Religioſiſſimus Imperator* CAROLUS, *meus cariſſimus in Chriſto filius & alumnus: cujus tu Edictum verè Chriſtianum adverſus Lutheranam perfidiam, & quod talem decebat Imperatorem, non ſine gravi offenſâ & vili-penſione Cæſareæ Majeſtatis violare non erubuiſti. Non committemus, ut quos* MAGNUS CAROLUS *&* ADRIANUS *Pontifex in Chriſto genuerunt, nunc* ADRIANUS *Pontifex &* CAROLUS *Imperator ſub ſchiſmatico & hæretico tyranno, hæreſum ac ſchiſmatum finamus interire contagione. &c.*

Staturâ *Adrianus* fuit proceriori, corpore neque obeſo plus ſatis neque gracili, fronte aliquantum depreſſâ, oculis lucidis lætiſque, naſo nonnihil adunco, aliiſque corporis dotibus præditus, quas in eo deprædicat Gerardus Moringus. Ædes ſuas Lovanii in celebre Theologorum Collegium, Pontificium inde dictum, convertit; quod tamen prius ex bonis ante Pontificatum acquiſitis, dotaverat. *Vide Faſtos Academicos Valerii Andreæ.*

Edidit Theologus Lovanienſis

Quodlibeticas Queſtiones XII. varii argumenti, Lovanii 1515. 8. Pariſiis 1516. fol. & alibi.

Quæſtiones & Expoſitiones in IV. *Sententiarum:* quibus Eccleſiæ Sacramenta explicantur, & dubia circa ea diſcutiuntur. Pariſiis 1512. & 1516. fol. 1527. 8. & alibi.

Reſponſa ejuſdem ad innumeras quæſtiones, quas ad eum varii variis ex regionibus conſilii gratiâ tranſmittere ſolent, in archivis Collegii ab eo Lovanii fundati, lecta fuêre: ut & *Commentaria in Proverbia Salomonis*, teſte Moringo in vita.

Cardinalis verò & Epiſcopus Dertuſenſis in Hiſpaniis ſcripſit

Computum hominis agonizantis, ad Adrianum ab Helweghen, Conſilia-

rium & Quæſtorem Ducis Brabantiæ Lovanii.

Item *De ſæculo pertuſo*, ſive de ſuperbia Sermonem. Antverpiæ 1520. curante *Alardo Amſtelredamo*.

Pontifex denique Maximus *Regulas* publicavit *Cancellariæ Apoſtolicæ*, ibidem typis Mich. Hillenii 1523. editas.

Miſit & Breve luculentum, ſive *Epiſtolam ad Germaniæ Principes*: quâ eos ad concordiam hortatur, Coloniæ 1535. cum Conc. Baſil. editam.

Ejuſdem *Epiſtolæ ad* CAROLUM V. *Cæſarem alioſque Principes & Miniſtros, eorumque Epiſtolæ reſponſoriæ ad* ADRIANUM VI. extant alicubi in Codice Madriti in Hiſpania: unde copiam nactus fuerat Clariſſ. Vir *Gisbertus Cuperus* Vir Conſularis apud Batavos.

Epiſtolas item ſive Brevia Apoſtolica, *ad Fridericum Saxoniæ Ducem: ad Germaniæ Principes: ad Senatum Bambergenſem: ad Deſiderium Eraſmum Roterodamum, quibus cum Romam evocat, hortaturque ut ſtylum in Lutherum ſtringat.* Extant in magno Bullario Romano Tomo I.

Inſtructionem ad Franciſcum Cheregatum, Epiſcopum Interamnenſem: quâ ea continentur, quę cunctis Romani Imperii Principibus tum proponenda videbantur.

Epiſtolæ Adriani reſponſoriæ tres, ad Magiſtratum Ultrajectinum, ad Capitula quinque Eccleſiarum, & ad Decanum Eccleſię majoris (qui antea gratulati erant jam Pontifici electo) dein fuerunt editę in Hiſtoria Epiſcopatuum fœderati Belgii fol. Tomo I. pag. 121. item apud Burmannum in Analectis.

Obiit Romę, anno Domini 1523. 18. Kalendas Octobris, qui dies exaltatæ Cruci tum feſtus erat, annos natus LXIV. menſes ſex, dies ſedecim; ſeditque menſes 20. dies 6. ſibi ſemper ſuiſque parcus, ſed in populi ſibi creditiſ & in communem Reipublicę utilitatem profuſus. Ita ut (teſte Cardinale Pallavicino) poſt hujus Pontificis mortem, in vacuâ arcâ nullam pecuniam hęredes ejus, prętter 3000. Imperialium, ſibi repoſitam & relictam mirarentur.

Vitam illius fuſiùs deſcripſêre *Paulus Jovius*, *Onuphrius Panvinius*, *& Gerardus Moringus*, Theologus Lovanienſis.

Itinerarium ejuſdem ex Hiſpania Romam, & Pontificatûs ipſius eventum, auctore *Blaſio Ortizio*, Canonico Toletano, & Adriano à Sacris domeſticis, excuſum fuit Toleti anno 1548. 8. Et extat inter Miſcellanea Baluſii Tom. III. p. 351.

Elogia item ſua ab hoc auſpicatus eſt *Aubertus Miræus*. In funere dixit *Conradus Veccrius*. Ac noviſſimè Clariſſ. Vir *Gaſpar Burmannus*, Ultrajectenſis, pro ſuo in concivem affectu evulgavit *Analecta Hiſtorica de Adriano VI. Trajectino, Papa Romano*. Ultraj. anno 1727. in 4.

Denique *Guilielmus Enckefortius*, *Adriani* benignitate & auſpiciis tit. SS. Joannis & Pauli Presbyter Cardinalis, (ſolus & unus creatus) & Dertuſenſis in Hiſpania Epiſcopus, corpus in Vaticano depoſitum duos inter Pios II. & III. ad S. MARIAM DE ANIMA Germanorum, tranſtulit, & in auguſtiſſimum Mauſoleum intulit, cum hoc Epitaphio.

ADRIANUS VI. PONT. MAX.

Trajecto inſignis Inferioris Germaniæ
Urbe oriundus,
Dum humanarum rerum
Maximè averſatur ſplendorem,
Ultro à proceribus
Ob incomparabilem ſacrarum diſciplinarum Scientiam,
Ac prope divinam caſtiſſimi animi
Moderationem,

CA-

CAROLO V. CÆSARI AUGUSTO
Præceptor,
Eccleſiæ Derthuſenſi Antiſtes,
Sacri Senatûs Patribus Collega,
Hiſpaniarum Regnis Præſes,
Reipublicæ denique Chriſtianæ
Divinitus PONTIFEX
Abſens adſcitus,
Vixit Ann. LXIV. Menſes VI. dies XIII.
Deceſſit XVIII. Kal. Octob.
Anno à partu Virginis CIↃ. IↃ. XXIII.
Pontificatûs ſui anno II.
GUILIELMUS ENCKEVORTIUS
Illius benignitate & auſpiciis
Tit. SS. Joannis & Pauli Presbyter
Cardinalis
Et Dertuſenſis Epiſcopus
Faciendum cur.

❖ ❖ ❖

Ante, corporis tranſlationem in Vaticano legebantur hi verſus.

Quo Romanorum ſextus Pater atque Sacerdos,
Hoc etiam PIETAS *conditur in tumulo.*
Proh dolor: quantum refert, in quæ tempora optimi cujuſque virtus incidat!

Aliud.

ADRIANUS VI. hîc ſitus eſt,
Qui nihil ſibi infelicius
In vita,
Quam quod imperaret
Duxit.

ADRIANUS VLACCUS,

Gandavus, celebris Mathematicus, dedit *Trigonometriam artificialem*, ſive Magnum Canonem Triangulorum logarithmeticum, ad decades ſecundorum ſcrupulorum conſtructum; Francofurti in fol. editum.

ADRIANUS WIELANDIUS,

Scripſit *Res Brabantiæ.* Meminit Mejerus in Annalibus Flandriæ ad annum 1247.

ADRIANUS DE WITTE,

Antverpienſis, inter primos è Societate Jeſu Lovanii, dum illa nondum ibi vel Collegium vel domum certam haberet, confeſſionibus ſacris audiendis, aliiſque piis exercitiis operam dedit, non minus re quàm nomine CANDIDUS. Libellum, cui titulus *Trajectus in cœlum*, à morte auctoris *Adrianus Adriani* ex eadem Societate publici juris fecit.

Obiit Lovanii anno 1558. Idib. Januarii, depoſitus in Monaſterio ad S. Claram. Conciones habuerat frequentiſſimas in Eccleſiis D. Petri ac D. Michaëlis ibidem.

ADULPHUS HAPPART,

Monachus Benedictinus Abbatiæ Andaginenſis ſeu Sti. Huberti in Arduenna, *Hiſtoriam Monaſterii ſui* contexuit diligentiſſimè ſub annum 1535, hactenus MS.

ÆGIDIUS AFHACKERIUS,

Natus in Vreeſwyck prope Ultrajectum, S. Theologiæ Profeſſor Coloniæ, edidit ſub nomine *Salomonis Theodoti*, apud Ubios SS. Theol. ſtudioſi, libellum elegantem, hoc titulo: *Ενοτικὸν diſſecti Belgii*, id eſt Hiſtorica relatio originis & progreſſûs diſſidiorum, quæ in fœderati Belgii Provinciis Remonſtrantes & Contra-Remonſtrantes annis ſuperioribus inter ſe exagitarunt. Urſellis, 1618. 8.

ÆGIDIUS AVRIFABER,

Cartuſianus in Monte Sion, apud Ziriczæam Zelandiæ opidum, *vir tum doctus tum devotus, aurea fabricatus eſt opuſcula*, ut loquitur Petrus Sutor libro II. Vitæ Cartuſianæ, C. VII.

...ing the eye, and the other to the object. The eye-piece is a lens of short focus, and the object-glass is a lens of long focus. The object-glass forms an image of the object, and the eye-piece magnifies this image. The magnifying power of the instrument is the product of the magnifying powers of the two lenses.

...ing the eye, and the other to the object. The eye-piece is a lens of short focus, and the object-glass is a lens of long focus. The object-glass forms an image of the object, and the eye-piece magnifies this image. The magnifying power of the instrument is the product of the magnifying powers of the two lenses.

primum quoque Priorem tunc agebat, anno 1424 die 15. Octobris.

Leguntur *Gerardi Magni* ad *Ægidium* Epiſtolæ. Scripſitque & ipſe luculentas aliquot *Epiſtolas.*

Item *Tractatum de quinque punctis*, ex dictis potiſſimùm S. Joannis Chryſoſtomi. Legi hæc ſolent in dicto Septem-Fontium Monaſterio.

Ad hujus Venerabilis Viri ſepulchrum, leguntur in Canonica Silvæ Iſaacanæ uſque hodie verſus ſequentes, juxta illius ævi ſtylum exarati.

Hic Pater ÆGIDIUS BREEDYCKIUS
eſt tumulatus,
Qui Septem-Fontes fundaverat; hic
quoque Fratres;
Anno milleno, C. quater, bis duodeno,
Sub Galli feſto, mundo migravit ab iſto.

ÆGIDIUS BUCHERIUS,

Vulgo BOUCHIER, Atrebas, Societatis Jeſu Theologus & Hiſtoricus, multæ vir lectionis, in annorum temporumque calculis ſubducendis verſatiſſimus. Mortuus eſt Tornaci 8. Martii 1665. ætatis 89. Evulgavit.

Diſputationem Hiſtoricam de primis Tungrorum ſeu Leodienſium Epiſcopis; unà cum

Chronologia Hiſtoriæ Leodienſis, ad annum 1243. Leodii. Extant cum Scriptoribus Leodienſibus à Chapeavillio editis.

Annotatio de Chronologia Regum Francorum Merovædeorum, apud eundem Chapeavillium, Tom. I.

De doctrina Temporum Commentarium in *Victorem Aquitanum*, alioſque *Canonum Paſchalium* Scriptores; typis Plantinianis 1634. fol.

Gregorium præterea *Turonenſem* uberioribus Notis illuſtravit. Extat MS. in Bibliotheca Jeſuitarum Tornacenſium.

Belgium Romanum, Eccleſiaſticum & Civile, complectens Hiſtoriam à fine Commentariorum Cæſaris ad mortem Clodovæi I. anno 511, in quâ Francici in Gallis Regni ſucceſſio continetur. fol. Leodii per Hovium 1655.

Ejuſdem *Belgium Gallicum, uſque ad Carolum Calvum.* in folio, poſt mortem authoris anno 1665. remanſit Manuſcriptum, conſervaturque Tornaci in Bibliotheca Novitiatûs PP. Societatis Jeſu.

ÆGIDIUS BURGUNDIUS,

Gandavenſis Patricius, J. C. Nicolai frater, & in ſupremo Flandriæ Dicaſterio Cauſſarum Fiſcalium Patronus, edidit librum, cui titulus,

Ad Epicheremata Politica, ſive *animantium hominumque certamina liteſque & & luſus Λ'παρτησις, ſive appendix.*

Fani D. Bavonis incendium. Gandavi 1642. in 4. Etenim anno præcedente Kalendis Junii, primâ die Nundinarum, elegans hæc Baſilica incendio fortuito conflagraverat: ſed paulo poſt, Reverendiſſimi D. Epiſcopi Antonii Trieſt ac DD. de Capitulo, ære proprio reſtaurata extitit.

Carmen in Conſecrationem D. Nicolai Haudion VIII. Brugenſium Epiſcopi, anno 1642. 4 Gandavi.

ÆGIDIUS CARLERIUS,

Decanus Eccleſiæ Cameracenſis, S. Doctor Theologus ac Profeſſor Pariſiis de Domo Navarræa, in Concilio Baſileenſi clarus, ubi per quatriduum reſpondit ad ſecundum Bohemorum Articulum, *De peccatis publicè corrigendis.*

Extat Oratio ea Tomo IV. Conciliorum, & emendatior Tomo III. Antiqq. Lectionum Henrici Caniſii. Item in Conciliis generalibus P. Harduini Tomo VIII.

Digitized by Google

Scripsit & diversas *Casuum*, ut vocant, *Consultationes*, duobus voluminibus comprehensas. Priori titulum dedit *Sportæ Fragmentorum*, posterius *Sportulam Fragmentorum* inscripsit. Visum fuit opus utrumque Bruxellis editum anno 1478. & 1479. fol. Atque in Sporta quidem hæc continentur, de multis.

De conservatione bonorum Ecclesiæ.
Defensorium Ecclesiæ.
De Communione sub utraque specie.
De perpetua Virginitate B. MARIÆ.
Contra Iconomachos.
Pro cælibatu, præsertim Ecclesiasticorum &c.

In Sportulam verò retulit Tractatus sequentes:

De electione Judæ proditoris.
De Hierarchia Ecclesiastica.
De Reditibus ad vitam.
Pro Decimis. De imaginibus.
De integritate Confessionis, & potestate Papæ.
De non esu carnium, apud Benedictinos.
Contra calculatores consummati sæculi.
De vitanda Missa Presbyteri Concubinarii.
De Clausura Religiosarum Ordinis S. Dominici, &c.
Narratio ejus de morte Juliani Cæsarini Cardinalis extat in Miscellaneis Baluzii Tom. III. pag. 301.

Ab eodem *Carlerio* scriptum alterum *Scutum Veritatis*, Lovanii extitit in Valle Martiniana, Canonicorum Regularium Cœnobio.

Sed & *Commentarium in libros IV. Sententiarum* scripsisse, lectumque fuisse Bruxellæ atque Insulis apud Dominicanos, habetur ex Joannis Bunderii Indice.

ÆGIDIUS COLLEY,

Honestâ apud Eburones familiâ natus, post absolutum apud suos humaniorum, ut vocant, studiorum cursum, multis etiam Galliæ lustratis Academiis, Gallica juvenili consilio secutus arma, iis dein, caussæ diffisus, militiæque pertæsus humanæ, piissimus adolescens valedixit, atque Ordini S. Crucis in Collegio Leodiensi nomen dedit, fratrem suum majorem natu *Servatium*, ejusdem Ordinis apud Huienses Religiosum, secutus. Poëma lusit

De quatuor hominis Novissimis, Leodii excusum, 1630. 8. Pluraque conceperat, sed invida mors piis conatibus obstitit.

ÆGIDIUS DE CONINCK,

Sive REGIUS, Belliolanus, Flander, Societatis Jesu Theologus, Theologiam, ut vocant, Scholasticam Lovanii annos plures apud suos cum laude docuit, ediditque Antverpiæ Nutii typis,

Commentariorum ac Disputationum in universam D. THOMÆ doctrinam *de Sacramentis ac Censuris* Tomos II. 1616. & 1619. fol.

Item *De Moralitate, Natura & Effectibus Actuum supernaturalium: & De Fide, Spe, Charitate*, typis ejusdem, 1623. fol.

Respondit & ad *Disputationem, impugnantem absolutionem moribundi, sensibus destituti.*

Reliquit & opus posthumum, *de Deo Trino & Incarnato* fol. Antverpiæ 1645. apud Meursios.

Moritur Lovanii anno 1633. pridie Kalendas Junii.

ÆGIDIUS DE LA COULTURE,

Insulensis, è Calviniſmo ad Ecclesiam Romanam & Orthodoxam redux, edidit Gallicè *Apologeticon*, contra Antonium l'Escaillet, in Anglia Mini-

niſtrum Gallum. *De viſibilitate* ECCLESIÆ, *ejuſque perpetuitate.* Antverpiæ typis Plant. 1588. 8.

ÆGIDIUS DE DAMMIS,

Flander, Dunenſis Cœnobii Monachus Ordinis Ciſtercienſis, S. T. B. in Academia Pariſienſi, vir pius & eruditus, *Martyrologium Sanctorum*, (primus, vel ſaltem inter primos) ex pluribus codicibus manuſcriptis recenſuit, auxit & locupletavit: ſed morte præpeditus opus ſuum in lucem non edidit.

Scripſit quoque *Lecturam ſuper omnes Pſalmos, & in Epiſtolas Pauli.*

Directorium Originalium SS. Hieronymi, Ambroſii, Gregorii, Bernardi, aliaque plura, quæ olim in Bibliotheca Dunenſi Brugis viſa fuêre Manuſcripta; teſte *Carolo de Viſch* in Bibliotheca Scriptorum ſui Ordinis.

Obiit autem *Ægidius* anno Domini 1463.

ÆGIDIUS DELPHUS,

S. Theologiæ Profeſſor, multâ eruditione præditus, & mirâ in pangendis carminibus facilitate, ſed non magnâ cum re, inquit Lilius Gregorius Gyraldus, libro de Poëtis ſui ſæculi: & Eraſmus, in Ciceroniano, virum vocat eruditionis variæ, verſificatorem non malum, ſi facilitati nervos addidiſſet. Vertit *Delphus* carmine,

Epiſtolam PAULI *ad Romanos.* Baſileæ 1562. & cum Annotationibus *Gilb. Cognati* Tomo II. operum illius: itemque Pariſiis apud Badium, 1507. cui adhæret

Defenſio pro Cleri Flandriæ libertate: cùm Brugis peteretur ſubſidium, Rege Caſtellæ Hiſpanias cogitante.

Pſalmos VII. *Pœnitentiales*; ac *Litanias* verſu reddidit, ſecundùm in 4. abſque anno & loco editas.

Commentarius ejuſdem in Ovidium de Remedio amoris, excuſus eſt Pariſ. 1495. in 4.

ÆGIDIUS DIEPENBORRIUS,

Brabantus, Religioſus Monaſterii Septem-Fontium, Canonicorum Regularium, juxta Bruxellas, obiit anno 1451. Scripſit

Exercitium de quinque Vulneribus Chriſti, lib. 1. *Quicumque cupit &c.*

De incarceratione D. Petri, lib. 1. *Cogitanti mihi &c.*

Invectivam in malos Presbyteros, carmine: *Fœdior heu portus &c.* Omnia olim MSS. in dicto Monaſterio.

ÆGIDIUS EVERARDUS,

Aliàs GERARDUS, Bergenſis ad Zomam Brabantus, Medicus Antverpienſis, ſcripſit

Commentarium de Herba Panacea: quam alii *Tabacum*, *alii Petum*, aut *Nicotianam* vocant. Antverpiæ 1583. 16. apud Bellerum.

Compendioſa narratio de uſu & praxi radicis Mechoacanæ, ex Hiſpania nova Indiæ Occidentalis nuper allatæ. Apud eundem Bellerum, eodem anno.

ÆGIDIUS FABER,

Vulgo DE SMEDT, Bruxellenſis, Carmelita & Doctor Theologus Lovanienſis, Matriculæ Univerſitatis inſcriptus anno 1468.

Plurimùm, dum vixit, apud Maximilianum I. Imperatorem gratiâ & auctoritate valuit; nec diſertiorem eo aut eloquentiorem ætas illa Eccleſiaſten vidit. Scripſit, Joanne Trithemio recenſente.

Chronicon Ordinis ſui.
Hiſtoriam Brabantiæ
In Magiſtrum Sententiarum.
Contra Proprietarios.
De teſtamento Chriſti in Cruce.

Digitized by Google

De ortu Religionum.

Commentarios in Ruth, Job, & Epistolam ad Romanos; & alia.

Obiit Bruxellæ, anno 1506. ejusdem Conventûs olim Prior ac benefactor eximius.

ÆGIDIUS A GANDAVO,

Theologus ac Philosophus, reliquit *Quodlibeta* XXXIV. MSS. Lovanii, ad S. Martinum. Tractat Quæstiones varias, Logicas, Physicas, Metaphysicas ac Morales.

ÆGIDIUS GUILLION,

Leodiensis, apud Collegiatam S. Martini Sacerdos, & in suburbano ad S. Margaretam Pastor, ac demùm Granfæi in Burgundia oppidi Decanus, parvæ quidem vir staturæ, sed ingenii maximi, Theologus & Mathematicus in primis excellens. Hic jactis in patria litterarum fundamentis, Romæ annos plures egit, & studuit. Scripsit Gallico idiomate,

Institutiones Arithmeticas, mercatoribus ad subducendas cretâ calculisque rationes utilissimas. Quibus constitutis quasi fundamentis arithmeticis, adjunctisque solidissimis argumentis Theologicis, Calvinianam, ceterasque id genus sectas destruit ac profligat. Leodii, 1604. 8.

De invocatione & intercessione Sanctorum; unà cùm *Vita S. Leonardi.* Ibid. 1605. 8.

Præterea *Algebram Christophori Clavii* fecit Gallicam, ipsoque probante Clavio, cui Romæ familiarissimus vixit, illustravit. Ibid. 1612. 4.

Pluribus incumbentem mors ætate mediâ Granfæi oppressit, maximo Comitis ejus loci, liberorumque, quos in Mathematicis instruebat, mœrore. Reliquit *Aylodera*,

Theoricam & Practicam condendarum & muniendarum Urbium, arciumque.

Epitomen Arithmetices, per terminos, ut scribit, abbreviatos.

Opticen, & hujus Arithmeticas demonstrationes.

Astronomiam vulgarem, cum Cyclis solaribus & lunaribus &c. omnia Gallicè.

ÆGIDIUS DE HERTOGHE,

Medicus, scripsit ad Matthiam Cornarium

Epistolam De Gestatione fœtûs mortui per XIII. annos, Historiam memorabilem. Extat cum Enchiridio Medicæ Consultationis Matth. Cornacii 8. Basileæ 1564: item cum Remberti Dodonæi Medicinalium exemplis variis.

ÆGIDIUS LEODICENSIS,

(A loco natali cognominatus) Aureæ Vallis in Ducatu Lucemburgensi, Ordinis Cistercienſis Monachus, & Historicus, pro ratione ævi sui non ineloquens, floruit annis 1230 & 1251. Scripsit fusè, ad Mauritium Canonicum Regularem Novi Monasterii, apud Huium opidum,

Historiam Episcoporum Tungrensium, & Leodicensium, à S. Materno, primo Tungrorum Episcopo, ad annum salutis 1251. Eruit eam è tenebris lucique asseruit Joannes Chapeavillius, cum aliis id genus Scriptoribus, Herigero, Anselmo, Hocsemio, qui *Ægidii* scriptionem excepit, & continuavit usque ad annum 1348. Leodici, 1613. 4.

Vitam & Martyrium S. Alberti Cardinalis & Episcopi Leodiensis, authore hoc Ægidio Aureæ Vallis Monacho, publicavit anno 1612 Aubertus Miræus Antverpiæ, typis Davidis Martinii. Quæ dein etiam in linguam Hispanicam translata fuit per *P. Andream à*

Soto, Sereniſſimæ Iſabellæ Hiſpaniæ Infantis Confeſſarium.

ÆGIDIUS A LESSINIA,

Flander, (vel Hanno potiùs, à Leſſinia, ditionis illius opido) Ordinis fuit Prædicatorum inſignis Theologus, ſcripſitque

In libros I. *&* II. *Sententiarum.*
De Uſuris.
Flores Caſuum.
Quæſtiones Theologicas.
De concordiis temporum.
De Geometria.
De Cometis.

Et alia; quæ Valencenis ac Tornaci apud Franciſcanos, itemque Bruxellæ in Carthuſia olim fuiſſe lecta, teſtatur Joannes Bunderius, Indice librorum manuſcriptorum per Belgium.

PP. Quetif & Echard Collectores Scriptorum Ordinis Prædicatorum, aſſerunt Tomo I. pag. 370, *Ægidium* hunc floruiſſe Pariſiis tempore S. Thomæ Aquinatis, ac ſpecialem amicum B. Alberti Magni, ad quem ſcripſit anno 1263. Epiſtolam de erroribus Averroïs.

Addunt quoque ejus operibus *Tractatum de unitate formæ*, anno 1278. completum. Extat MSS. Pariſiis apud Prædicatores.

Tractatum autem illius *de Uſuris*, eumdem eſſe dicunt, qui inter Opuſcula S. Thomæ enumeratur. Unde reſtituendus eſt authori ſuo *Ægidio de Leſſinia.*

ÆGIDIUS DE LOVANIO,

Canonicus Regularis ſancti Auguſtini, reliquit *Sermones per annum:* qui viſi ſunt Lovanii ad S. Martinum, in pergameno ſcripti.

ÆGIDIUS DU MONIN,

Canonicus Cathedralis Eccleſiæ ad S. Albanum Namurci, poſtea ingreſſus Societatem Jeſu, edidit libellum, cui titulus.

Sacrarium Comitatûs Namurcenſis. 8. Leodii 1619. In quo Antiſtites, Sancti, Collegia Canonicorum, Abbatiæ, Monaſteria &c. breviter, at dilucidè exhibentur.

ÆGIDIUS COGNOMENTO MUCIDUS,

Gallicè Muisis, Tornaco oriundus, Abbas XVII. Cœnobii Benedictini ad ſanctum Martinum, in eadem urbe Tornacenſi, reliquit *Chronicon*, à CHRISTO nato ad annum 1348. quo vixit.

Multa ille memorat, jam inde à S. Ludovici Galliæ Regis temporibus, ad res Gallicas, atque etiam Belgicas ſpectantia; itemque ad Epiſcoporum Tornacenſium Vitas. Extat Manuſcriptum in dicto D. Martini Cœnobio; ubi & alia ejuſdem *Muiſii* opuſcula, Latinè & Gallicè ſcripta, adſervantur, quatuor Tomis comprehenſa. Latinè quidem,

Tractatus *De his, quæ temporibus ſuis, ante & poſt promotionem ſuam in dicto Cœnobio Martiniano, acciderunt.*

Tractatus *De conſuetudinibus approbatis, antiquitus in eodem Cœnobio obſervari ſolitis.*

De Rebus geſtis ann. 1349. 1350. 1351. & 1352. quo continetur prolixa Narratio *De deſtructione Judæorum, de Secta Flagellantium &c.*

Gallico verò metro ſive rythmo conſcripta ſunt,

Liber Lamentationum, in quo ſuas plangit offenſas.

Tractatus *De quolibet hominum ſtatu, tam ſæculari, quàm Eccleſiaſtico aut regulari.*

Catalogus Antiſtitum Cœnobii Martiniani, ad ſua uſque tempora, rythmo Latino & Gallico.

De Pontificibus Rom. qui ſuo tempore præfuerunt.

De vita & obitu Andreæ de Florentia & Joannis de Pratis, Epiſcoporum Tornacenſium.

Inter mortales eſſe deſiit laudatiſſimus Præſul, & de Eccleſia ſua optimè meritus, anno Domini 1353. ætatis ſuæ 83. Monachatûs 64. regiminis 22.

ÆGIDIUS NETTELET,

S. Theologiæ Doctor Pariſienſis, anno 1472. poſt obitum Ægidii Carlerii, electus Eccleſiæ Cameracenſis Decanus; Vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & ſæcularis litteraturæ non ignarus; edidit, Trithemio teſte, opus celeberrimum, omni ſtatui neceſſarium, mirâ induſtriâ ex D. Hieronymi Epiſtolis collectum, libris IV. diſtinctum.

Floruit anno 1494. Trithemio æqualis. Elogium ejus ſepulchrale legitur marmori inciſum ſub turri Eccleſiæ Cameracenſis.

ÆGIDIUS PAESMANS NOBENUS,

Haſſeleti, opido ditionis ac Diœceſis Leodienſis, anno Domini 1541. 15. Auguſti, natus, primos pueritiæ annos ſub *Andrea Aleno*, inſigni ingeniorum formatore, egit, Muſicę in primis addictus, cujus exprimentum aliquando Viennæ fecit, Carolo V. Cæſ. Aug. audiente.

Poſt obitas deinde pleraſque Europæ Provincias, ſacris cùm ſtudiis tum vivendi rationi animum adjecit, Laureâque S. Theologiæ Lovanii donatus, non uno in loco ſeduli Paſtoris officio functus fuit. Tandem mutato vitæ inſtituto, plenus licet dierum, tertiam D. Franciſci Regulam, Congregationis Zepperenſis, amplexus, celebratoque ſacerdotii ſui jubilæo anno 1621. 15. Junii, paucos annos ſupervixit. Scripſit

Tractatum *Catechiſticum de VII. Sacramentis.*

Elucidationem Catechiſticam Symboli Apoſtolici, Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ: quæ rurſum prodiit in 4. Bruxellis 1685.

Conciones XV. De Paſſione Dominica.

Defenſionem brevem *pro* SALVE REGINA & AVE MARIA, vernaculo ſermone. Bruxellæ, 1622.

ÆGIDIUS PERIANDER,

Bruxellenſis, Præceptorem Vilvordiæ nactus *Antonium Silvium*, non vulgaris doctrinæ virum, ad Poëſin potiſſimùm animum adjecit, luſitque Erotica, aliaque extemporanea. Veriſimile eſt, cum circa annum 1560. hæſiſſe Moguntię in Germania, ibique Beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinuiſſe.

Noctuæ Speculum ex Germanico Latinitate donavit. Francofurti 1567. 8.

Germaniam, elogia ſcilicet judiciaque doctiſſimorum Virorum, è variis auctoribus ſelegit. Ibidem eod. anno, typis Petri Fabricii.

Nobilitatem Moguntinæ Diœceſis Metropolitanæque Eccleſiæ Capitularis, libello deſcripſit Moguntiæ 1568. Prodiit iterum Tomo III. Annalium ac Scriptorum Mogunt. 1727.

ÆGIDIUS RASIRIUS,

Vulgo de RASYR, Protonotarius Apoſtolicus & Canonicus ad S. Paulum Leodii, homo variè doctus & citra reprehenſionem omnem facetiſſimus, niſi quod arthritide laborare plurimùm ſoleret; unde & libellum ſcripſit verſu heroïco, cui titulum fecit,

Carmen Paradoxon, ſive *Podagra Tabaci*

laci uſu curata &c. Leodii 1633. & Lovanii 1634. 4.

Scripſit & inſignem libellum Gallicè, cui titulus, *Paradiſus terreſtris*, ſeu *Vera felicitas humana*, opus morale, varium & doctum. Leodii 1633. 4.

ÆGIDIUS DE ROYA.

Natione Gallus, ex Oppido Roiæ apud Picardos veriſimiliter oriundus. Adoleſcens Ciſtercii Monaſticen profeſſus, & hinc Pariſios ſtudiorum cauſſâ miſſus, Magiſtralem lauream S. Theologiæ conſecutus eſt; quam etiam ibidem in Collegio S. Bernardi, ſummâ cum laude ac fructu, annis 19. prælegit. Dein à Monachis Regii Montis in Gallia, in Abbatem expetitus, ſexennio iiſdem præfuit. Tum dignitati renuncians, Dunas in Flandriam venit, ibique Venerabili Viro Joanni ejuſdem Monaſterii Abbati obedientiam & ſtabilitatem vovit, ac per annos XVIII. humilitatis ac Religionis ſpeculum ſeſe præbuit.

Eo tempore *Opus vaſtum Chronodromi ſeu Chronici ab origine mundi uſque ad annum* 1414. *authore Joanne Brandone S. T. D. ac Religioſo Dunenſi, in compendium redegit ac proſecutus eſt ab anno* 1431. *uſque ad* 1463. Extat typis excuſum Francofurti anno 1620, apud Aubrios, in fol. curis *Franciſci Sweertii*, unà cum continuatione *Adriani de Budt*, de quo ſupra. Aſſervatur etiam MS. Brugis & Ciſtercii.

Obiit cum fama & indiciis ſanctitatis, anno 1478, Brugis in Refugio Dunenſi, ſepultuſque fuit in Abbatia Monialium de Sparmalia ejuſdem Ordinis, tunc extra, nunc intra mœnia civitatis Brugenſis. Hæc & plura de eo refert *Carolus de Viſch* in Bibliotheca Ciſtercienſi.

ÆGIDIUS SCHONDONCHUS,

Brugenſis, Societatis Jeſu Theologus, *Sicam Tragicam*, Comiti Mauritio, à Jeſuitis (ut Calviniſtę mentiuntur) Leidæ intentatam, à *Franciſco Coſtero* Belgico idiomate ſcriptam, Latinam fecit, 1599. 8. Antverpię typis Trogneſii.

Admiranda hujus ſæculi dudum moliebatur; ſed videre illa per mortem non licuit.

Obdormivit in Domino die 29. Januarii 1617.

ÆGIDIUS DE SMIDT,

Antverpienſis, è Societate Jeſu, vitâ functus Antverpiæ, 5. Maii 1670. ætatis 86. Plures libellos aſceticos vernaculè edidit, puta *de IV. Noviſſimis*, *de Anima Patiente*, *de Tragico exitu Amani* &c. Antverpię apud Cnobbartium. Plures quoque ex Italico & Gallico vertit in vernaculum, ut

Meditationes de Paſſione Domini. 8. Antv. 1644.

Hiſtoriam Martyrum Japonenſium anno 1624.

Regulas Societatis Jeſu & Bullas Pontificum Antv. 1647. &c.

ÆGIDIUS STALINS,

Gandavenſis J. U. L. Eques Auratus, primùm in Senatu Provinciali Flandriæ, dein à 23 Martii 1628 in ſupremo Mechlinienſi Senatu Conſiliarius. Vixit ibidem uſque ad annum 1654, quo filium ſuum Joannem Baptiſtam Stalins in eadem Senatoria dignitate Mechliniæ Succeſſorem habuit. Compilavit evulgavitque, unà cum Collega ſuo *Joanne de Bloys*, Edicta Flandriæ, edita primùm Gandavi anno 1630.

Vide infra de *Joanne de Blois.*

ÆGIDIUS SYNEGORUS,

Limburgenſis, docuit in Gymnaſio Duſſeldorpiano apud Clivios, ſcholę Rectorem & Collegam nactus Joannem Monhemium, circa annum 1548. quo anno edidit in 8. Coloniæ,

Proverbia Salomonis, verſu Elegiaco expreſſa.

ÆGIDIUS TOPIARIUS,

Aſpelarienſis, Flander, ex Ordine S. Dominici Antverpiæ, Eccleſiaſtes celebris & hîc & in Belgio alibi: dedit poſteris

Enarrationem Euangeliorum & Epiſtolarum anni totius de *Tempore & Sanctis*, è tabulis potiſſimùm *Laur. Villavicentii*, aliiſque concinnatam. Pariſiis 1565. & 1566. 8. apud Sonnium.

Homilias Quadrageſimales in Euangelia & Epiſtolas, è tabulis *Jac. Veldii*. Ibid. 1567 & Antv. apud Plantin. 1573. 8.

Homilias ſive *Conciones per annum*, Plantinus, 1569. & Tilenius, 1573. 8. Antverpiæ excuderunt.

Cathechiſmum ad hæc formandę juventuti, inſertis precibus, idiomate patrio conſcripſit.

Obiit Antverpiæ die 4 Maii 1579, grandęvus, ac in Ordine quinquagenario major, turbatis illis temporibus, quibus hæretici (ſignanter Antverpiæ) Religioſos Conventibus ſuis exturbabant; & ipſe interim ſaluti Catholicorum clanculo invigilabat. Plura de ipſo ſcriptiſque ejus vide in Belgio Dominicano P. de Jonghe, pag. 217.

ÆGIDIUS VOECHTIUS,

Canonicus Regularis Prędmonſtratenſis, in Abbatia Averbodienſi in Campinia, Antiquitatum peritiſſimus & poly-hiſtor, deſcripſit

Hiſtoriam Epiſcopatuum totius mundi.

Comitatum Loſſenſem & Genealogiam Comitum Loſſenſium.

Commentarium de Jure Abbatum: quę omnia extant Manuſcripta in Bibliotheca Abbatiæ Averbodienſis.

ÆGIDIUS WALLIUS,

Vulgo Van de Walle, Brugenſis Flander, in Schola Bogardica (quę ſingulariter ac fructuoſè ibidem viget) educatus, ejuſque impenſis ad altiora ſtudia promotus; fuit Canonicus in D. Petri Lovanii, Præſes Collegii Minoris Theologorum, ibique etiam creatus S. T. Doctor anno 1581. die 9. Maii; ac ſimul Profeſſor Ordinarius.

Scripſit, *Pareneſin Antiquitatis, contra novorum Dogmatum ſectatores.* 4. Lovanii. 1595.

Item *Orationem de vera Eccleſiæ poſteritate.* Ibidem 4. 1599.

Vivere deſiit Lovanii anno 1603. die 28. Octobris, peculio univerſo in alimentum S. Theologiæ ſtudioſorum relicto, in præfato Minori Collegio; præferentiam tamen annuens iis, qui ex laudata Schola Bogardicâ Brugis mitterentur. Sepultus in Eccleſia D. Petri.

ÆGIDIUS WAULDE,

Bavacenſis, Hanno S. Theologiæ Licentiatus, quondam Lovanii anno 1614. è Pœdagogio Caſtri primus in Scholis Artium, dein Canonicus & Paſtor opidi Binchienſis, atque ejuſdem Diſtrictûs Archipresbyter, nec non Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. Ivodienſis in Ducatu Luxemburgenſi Decanus; poſtremò in Metropolitana Eccleſia Cameracenſi Canonicus.

Deſcripſit vernaculo ſermone

Vitas S. Urſmari & VII. aliorum Sanctorum Lobienſium, *Ermini, Theo-*

dulphi, Abelis, Hydulphi, Amelbergis, &c.

Accedit *Chronologica deſcriptio ejuſdem Monaſterii*, Diplomatibus corroborata. Montibus. 1628. 4.

Item *Funebri Oratione Virtutes* expreſſit *Iſabellæ Claræ Eugeniæ*, Belgarum Principis. Ibid. Gallicè 1634. 4.

ÆGIDIUS WYTSIUS, I. C.

Brugenſis, urbis Syndicus (Penſionarium vulgus vocat,) indeque Concilii Provincialis Flandriæ Aſſeſſor, emiſit Antverpiæ apud Silvium, anno 1562. 8. *Conſilium de continendis & alendis domi Pauperibus.* Quod argumentum ad Senatum Brugenſem tractarat jam antè *Joan. Lud. Vives* & Ipris *Jac. Papæus*, carmine; idemque Conſilium anno 1530. approbavit Sorbona Pariſienſis, teſte Marchantio in ſua Flandriæ Deſcriptione.

Verùm *Witſium* refellit *Laur. Villavicentius*, Ordinis S. Auguſtini Doctor Theologus, Cœnobii Brugenſis: conſultaque Facultas Theologica Lovanienſis, quid de editis hujuſmodi libellis judicaret, reſcripſit: ſeſe probare ſcopum *Villavicentii*, *Witſii* autem improbare.

Reſtituit & *Witſius* auctori ſuo, *Andreæ Dominico Flocco*, libellum *de Magiſtratibus Romanorum*, falsò hactenus *Feneſtellæ* adſcriptum; typis Plantini 1561. 8. Quem tamen Franciſcus Robortellius *Jacobo Poggio* adſcribere maluit.

Legitur præterea *Witſii* ad Hubertum Goltzium Carmen, contra illud Philippi Beroaldi ſenioris: *Veras eſſe imagines ex litteris; vanas & otioſas ex Numiſmatis*; cum Goltzii Cæſare editum, Brugis anno 1563. fol.

ÆLIUS EVERARDUS VORSTIUS,

Natus Ruræmundæ in Gelria, anno 1565. die 25. Julii, factis Coloniæ in Medicinæ ſtudio initiis, Italiam ferè obivit univerſam, & præſtantiſſimos artis medicæ Profeſſores Patavii atque Bononiæ audivit. Triennium vixit apud Nicolaum Granam, Epiſcopum Anglonenſem, in Magna Græcia: biennium apud Fabricium Pigmatellum, Querceti Marchionem. Ab annorum 14. peregrinatione in Belgium reverſus, anno 1598. ad Profeſſionem publicam Lugdunum Batavorum evocatus eſt. Scripſit,

Commentariolum *de Annulorum origine*; præfixum Dactyliothecæ Abrahami Gorlæi.

Orationem in funere Caroli Cluſii, Lugduni editam anno 1609. Item alteram, *honori & memoriæ Petri Pauwii dictam.* Ibid. 1617. 4.

Meditabatur *Notas ad Corn. Celſum de Re Medica.*

Obſervationum rerumque memorabilium per magnam Græciam, Japygiam, Lucaniam, Brutios, adjacenteſque Regiones, Commentarium Hodœporicum.

Item *de Bataviæ piſcibus.* Quę omnia morte pręventus edere non poſuit.

Obiit Lugduni Batavorum anno 1625, ætatis 59. Profeſſionis 26. die Octobris 22. Defunctum funebri laudatione proſecutus fuit *Petrus Cunæus*, J. U. D. & Profeſſor, & Academiæ Rector.

Arnoldus Buchelius J. C.
Affini cariſſ. mœſtus P.

VORSTIUS *en jacet hîc, cum quo Medicina ſaluſque*
Atque ſilent Coi dogmata ſancta Senis.
Delicium Phœbi, Batavi decus atque Lycæi,
Eſt ſolitus magnæ qui dare jura ſcholæ.
Heu jacet! in proprio quem luxit funere Leyda,
Cuique dedit lacrymas turba Novena ſuas.
Reſtat, ut in natis genitoris imago reſurgat:
Sic cum ſol abiit, ſydera clara micant.

ÆLIUS FRANCISCUS VANDER WILIUS,

Hagienſis, Batavus, ſcripſit *De Naturalium rerum ſcientia* librum, Lugduni Batavorum typis Plantini, 1592. 8.

Item *Erotica*, ibidem edita.

ÆLSIUS EDUARDUS LEON,

Friſius, vixit Viglio Zuichemo familiaris, cui inſcripſit *Friſiam* ſuam, verſu heroico deſcriptam.

Luſit & *Carmen gratulatorium in Inaugurationem Franciſci Valeſii, Ducis Andium &c.* Antverpiæ, 1582. 4.

ALANUS,

Inſulis Gallo-Flandriæ opido oriundus, primùm Monachus Claravallenſis ſub S. Bernardo, dein primus Abbas Ripatorii, in Diœceſi Trecenſi, ac demùm anno 1151 Epiſcopus Autiſidiorenſis creatus; poſtquam annos ſedecim Cathedram tenuiſſet, veteris ſolitudinis deſiderio tactus, anno 1167. Epiſcopatum ſuum dimiſit, Alexandro III. Pont. permittente, & reliquum vitæ in Claravalle piiſſimè tranſegit: obiitque circa annum 1184. die 14. Octobris. Hodie monumentum ſepulcrale viſitur, & Teſtamentum *Alani*, anno 1182. ſcriptum, adſervari dicitur, teſte Nicolao Camuzæo in Notis marginalibus ad Roberti Chronicon Autiſiodorenſe. Scripſit verò *Alanus*

Vitam S. Bernardi, cum Operibus excuſam per Domnum Mabillonium Ordinis S. Benedicti, in editione prima anni 1667. Tom. II. Exſtitit etiam MS. Atrebati apud Vedaſtinos.

B. ALANUS DE INSULIS,

S. Theologiæ Doctor, Pariſiis Scholæ Eccleſiaſticæ plures annos præfuit, & ab omnigena eruditione, divina humanaque, *Doctor univerſalis* meruit appellari, Trithemio teſte. De eodem jactari ſolet proverbium, *Suffitiat vobis vidiſſe* ALANUM, teſte Antonio Verdierio in ſua Bibliotheca Gallica. Sed & inter ævi ſui Poëtas facilè familiam duxit.

Tandem, divinâ revelatione excitatus, Ciſtercium adiens, habitum ibidem Converſorum, ſeu Laïcorum Fratrum induit, oves pavit, aliiſque abjectiſſimis occupationibus ſe exercens, diu manſit ignotus; donec Romæ coram ipſo Pontifice diſputans, divinâ diſpoſitione cognitus fuit. Hiſtoriam narrant Buzelinus in Gallo-Flandria, Henriquez in Menologio ſuo ad diem 30. Januarii, ac alii plures.

Scripſit *Super Sententias* libros IV. ſive *Opus quadripartitum*, uti illud Thomas Waldenſis Tomo II. cap. penultimo indigetat.

In Pentateuchum, ſive libros V. Moyſis.

In Cantica Canticorum lib. 1. MS. Tornaci, ad S. Martinum, Pariſiis 1540. 8.

Oculum ſacræ Scripturæ, ſive *Compendium utriuſque Teſtamenti*, lib. 1. *Reverendiſſimo Patri &c.* MS. Brugis in Cœnobio Dunenſi, Ordinis Ciſtertienſis.

De Maximis ſeu Regulis Theologiæ, lib. 1. *Omnis ſcientia ſuis utitur regulis*, MS. ibid. & Tornaci ad S. Martinum.

Summam de Arte prædicandi. Ibid.

Terminos ſacræ Scripturæ. MSS. in Bibliotheca Ultrajectina.

De æquivocis myſticis lib. 1. *Vidit Jacob ſcalam &c.*

De ſex alis Cherubim lib. 1. Legitur inter opera S. Bonaventuræ, in appendice ad Tomum VII. ſed incorrectè excuſus.

De Parabolis Philoſophiæ, ſive *Do-*

Digitized by Google

Alrinale altum, verſu elegiaco. Daventriæ 1492. & Lipſiæ 1516. 4. cum exponibilibus ſententiis, ſive Expoſitione barbarâ : & rythmis Gallicis Pariſiis non expreſſo anno, ſimiliter cum Commentariis.

Anti-Claudianum, ſeu de Viro optimo & in omnibus perfectiſſimo libros IX. Baſil. 1536. 8. ἀνώνυμον & ἀνέρμαλον. Verùm *Alanum* illius auctorem facit Henricus à Gandavo, & Codd. MSS. omnes, verſibus, notis & auctoris nomine præfationeque auctiores : edituſque eſt Antverpiæ 1621. 8. typis Joachimi Trogneſii.

De planctu Naturæ liber, contra Sodomiæ vitium, partim metrò, partim ſolutâ oratione. MS. Oxoniæ in Bibliotheca Balliolenſi, & Bruxellæ apud L. Torrium, meminitque Robertus Holcot, ex Ordine Prædicatorum S. R. E. Cardinalis in cap. x. Sapientiæ Salomonis Lect. 128. & *Alanum Magnum de Inſula* nuncupat.

Denique *Alani* hujus *Rythmum* elegantem *de Chriſti Incarnatione*, quo divinum id opus omnes artium liberalium regulas aſpernatum fuiſſe perquam ingenioſè cecinit, exhibet Joannes Buzelinus, in ſua Gallo-Flandriæ Deſcriptione libro 1. cap. VII.

Neque illud hîc omittendum, quod notat Interpres *Alani*, in procœmio Parabolis ejus præfixo (verba recitat dicto loco Buzelinus) quod vulgò tribuitur D. Auguſtino, de SS. Trinitate ſcribenti, & puero aquam è fluvio haurienti atque in foveam effundenti, idem contigiſſe huic noſtro *Alano:* quem ſcribit dicto factoque pueri motum, in Burgundiam profectum fuiſſe, Converſumque, laici inſtar, in Cœnobio Ciſtertienſi vitam egiſſe.

Obiit anno 1294. (error enim eſt Trithemii ſcribentis anno 1300. claruiſſe:) Sepulcrum ejus marmoreum apud Ciſtercienſes, exeuntibus ex Oratorio etiamnum oſtenditur, hac inſcriptione.

Alanum *brevis hora brevi tumulo ſepelivit,*
Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſcivit,
Scire ſuum moriens dare vel retinere nequivit.
Labentis ſæcli contemptis rebus egens ſit,
Intus Converſus, gregibus commiſſus alendis,
Mille ducenteno nonageno quoque quarto
Chriſto devotus mortales exuit artus.

Opera ejus omnia curis diligentibus conquiſita, *Carolus de Viſch*, Monaſterii B. M. V. de Dunis Ordinis Ciſtercienſis Brugis Prior, evulgavit ſimul collecta in fol. Antverpiæ typis Guillielmi Leſtenii, anno 1653. Vide plura de eodem *Alano* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis ejuſdem *Caroli de Viſch.*

B. ALANUS DE RUPE,

Vulgo *de la Roche* (Batavis perperam à Valerio Andrea aliiſque adſcriptus) natus eſt anno 1428, aut circiter, in minore Britannia; ab ineunte ætate Ordini FF. Prædicatorum in Conventu Dinanenſi apud Britannos adſcriptus fuit; in eoque ſtudiis Philoſophicis ac Theologicis diligenter incumbens, eximiam ſibi eruditionem comparavit; jamque emeritus Magiſtralem Lauream S. Theologiæ anno 1453. in Academia Roſtochienſi conſecutus eſt.

Multa egit præclarè, tum in Galliis, tum etiam Belgio, ac ſignanter Inſulis Flandrorum, Gandavi, & Zwollis apud Batavos: quę fuſius enarrarunt PP. Collectores Scriptorum Prædicatorii Ordinis Tom. I. pag. 849.

Ejus ſe diſcipulum Colonię fuiſſe fatetur in Quodlibeto de Roſario Michaël Franciſci ab Inſulis, vir eruditione eximius, & Salubrienſis poſtmodum Epiſcopus.

Alanus autem pleraque Belgii loca

ALARDVS AMSTELREDAMVS BATAVVS
THEOLOGVS ET PHILOLOGVS.

Totum te ſtudijs impendis Alarde iuuandis,
Sollicitatque tuas Hæresis orta manus.
Et, ſi quid Logicâ eſt præcellere in arte, Rudolphum
Agricolam æqualis gloria, teque manet.

33.

Ant. Morus.

Digitized by Google

Digitized by Google

tiones de Paſſione Chriſti, è SS. Patribus, aliiſque collectæ.

Item *Panegyris Carolo V. Cæſari* verſu heroïco ſcripta, cùm SS. Euchariſtiam, in flammis Amſtelodami repertam, & à multis retrò ſæculis miraculis coruſcantem, inviſiſſet. Coloniæ 1561. 8. apud Quentelium.

Ritum edendi Agnum Paſchalem, cum *decem plagis Ægypti*, carmine heroïco. Amſtelodami 1523.

Baptiſmum Chriſtianum, & *Matrimonium*, juxta locos communes Rudolphi deſcriptum.

Orationem de Matrimonio. Lovanii apud Reſcium 1542. 8.

Diſſertatiunculas III. adverſus hæreticos. I. De *Peccato originali.* II. De *Juſtificatione per Chriſtum.* III. De *Juſtorum operibus ac meritis.* Antverpiæ 1541. 8. typis Antonii Dumæi, ubi præfando plura *Alardi* ſcripta Ruardus Tapperus recenſet.

Præconium D. Nicolai. Ultrajecti 1543. 8.

Gallinæ Encomium, in gratiam, ut videtur, *Franciſci Birchmanni* Senatoris Antverpiani, cujus inſignia gentilitia Gallinam referebant. Præfando teſtatur ſe *S. Auguſtini Commentarios de Civitate Dei*, cum Bibliothecæ Vaticanæ Codice vetuſtiſſimo contuliſſe, multaque hactenus ex eo adjeciſſe.

Encomium Hoſpitalitatis Abrahæ, verſu expreſſum.

Paræneſin de Eleemoſyna.

Silvulam Concionum pœnitentialium.

Matthæi Philadelphienſis Precationes latinitate donavit.

Hiſtoriam & Miracula Venerabilis Sacramenti miraculoſi, Bruxellis frequentati, è Flandrico Latinè interpretatus eſt, in 8.

Hęc ferè Theologica. Philologiam ac Philoſophiam ſpectant,

Rodolphi Agricolæ Opera. Scholiis aucta. Coloniæ, 1539. 4.

Inſtitutionum Dialecticarum Rodolphi Epitome. Ibid. 1542. 8. apud Gymnicum, Lovanii apud Reſcium, & alibi.

Commentarius in Progymnaſmata Aphthonii. Col. 1532. 8.

Scholia in Eraſmi Carmen Bucolicon, cui tit. *Pamphilus*: additâ *Theſi*, ſive *Loco communi, de vitando pernitioſo aſpectu.*

Mulier, ſive *Uxor*, juxta Inventionis Dialecticæ locos explicata. Ibid. ſimul edita. 1539.

Hippocratis Coi Epiſtola ad Damagetum de atra bile, paraphraſi Latinâ reddit. Salingiaci, 1539. 8. apud Soterem.

Marbodæus de Gemmis Lapidibuſque, Scholiis illuſtratus, Coloniæ 1539. 8. ab Alopecio editus.

Obiit Lovanii, anno 1544. legatâ orphanis Amſtelodamenſibus Bibliothecâ, ſcriptoque hoc ſibi Epitaphio:

TOTA TEGIT TELLUS, QUI TELLUS TOTA VOCATUR;

alludens ad vernaculum, *Al-aert.* Conditus eſt in Ædę ſacra Ordinis S. Franciſci.

ALARDUS AULETIUS,

Leovardienſis Medicus, ſcripſit ad Ordines Friſiæ

Monitionem de reformanda praxi Medica. 4. Franekeræ 1603.

ALARDUS GAZÆUS,

Atrebas, Angelini Societatis Jeſu & Nicolai Ordinis Minorum frater natu major, Ordinis D. Benedicti Monachus Vedaſtinus, & ad S. Michaëlem juxta Atrebatum Præpoſitus, multæ ac variæ accuratæque eruditionis vir,

Caſſiani Opera recenſuit, *Notis* & *Cenſuris* auxit atque illuſtravit. Duaci 1617. 8. Tomis II. Atrebati 1628. fol. & Pariſiis 1642. apud Cottereau. Quæ editio Commentariis ipſis tertiâ parte auctioribus, novoque inſuper *Commen-*

Abstract.—The Hebrew Scriptures are the only ancient literature which has come down to us in a single language and in a single text. The Septuagint is a translation, and the Samaritan Pentateuch is a recension. The Hebrew Scriptures are the only ancient literature which has come down to us in a single language and in a single text. The Septuagint is a translation, and the Samaritan Pentateuch is a recension.

I. THE HEBREW TEXT.

The Hebrew Scriptures are the only ancient literature which has come down to us in a single language and in a single text. The Septuagint is a translation, and the Samaritan Pentateuch is a recension. The Hebrew Scriptures are the only ancient literature which has come down to us in a single language and in a single text. The Septuagint is a translation, and the Samaritan Pentateuch is a recension.

1. The Consonantal Text.

The Hebrew Scriptures are the only ancient literature which has come down to us in a single language and in a single text. The Septuagint is a translation, and the Samaritan Pentateuch is a recension. The Hebrew Scriptures are the only ancient literature which has come down to us in a single language and in a single text. The Septuagint is a translation, and the Samaritan Pentateuch is a recension.

Digitized by Google

tulus *Geſta Dei per Francos*, Hanoviæ typis Wechelianis anno 1611. curâ & ſtudio Jacobi Bongartii.

ALBERTUS EUFRENIUS,

Georgiades, Amſtelo-Batavus, Medicus & Poëta, edidit juvenis admodum,
Erotica, *Baſia*, *Comam & Silvam*. Lugduni Batavorum 1601. 8.

ALBERTUS HERLEMANNUS,

Dieſtenſis Brabantus, dedit
Inſtitutiones Grammaticas, Tabulis contractas, typis Plantinianis in 8.

ALBERTUS HERMANNUS,

Gaudanus, Batavus, Paſtor Baerdtwicanus, circa initia tumultuum Belgicorum vixit & floruit, ad Poëſin pronus. Scripſit

Sanctæ Matris Eccleſiæ Querelam, carmine Elegiaco, inſcriptam Nobili Viro Jacobo de Jonghe, Curiæ Hollandiæ à Secretis.

Poëmatum Miſcellaneorum volumen ingens, inſcriptum Nobili Viro Cornelio de Jonghe, Baerdtwici Domino.

Manuale D. Auguſtini, ſeu libellum *de Contemplatione Chriſti*, quo ſopita cæleſtis deſiderii memoria renovetur, carmine heroïco. Legebantur hæc omnia MSS. Lugduni Batavorum apud Marcum Zuerium Boxhornium.

ALBERTUS HERO,

Snecanus, Friſius, fuit ex primis Collegii Vigliani alumnis Lovanii, abſolutoque Theologiæ ſtadio, lauream ejuſdem Coloniæ accepit, & Philoſophiam in Gymnaſio Laurentiano docuit. Paſtor deinde in Gerritshemio juxta Duſſeldorpium, ante diem ex hac vita ſublatus eſt, annos plus minùs natus XL. anno 1589. VI. Idus Martii. Scripſit

Epigrammata diverſa, Latinè, Græcè, & Hebraicè.

De Providentia Dei libros V. Coloniæ 1532. 8. apud Cholinum.

Cenſura ejuſdem *de tribus Lutheranorum agendis* legitur apud Cornelium Schultingium Tomo 4. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ p. 77.

Plura Suffridus Petri Decade XIV. de Scriptoribus Friſiæ.

ALBERTUS JOANNIS,

Harlemius Batavus, Ordinis FF. Carmelitarum, Doctor S. Theol. Lovanii promotus circa annum 1471. ſcripſit

Quæſtiones in Magiſtrum Sententiarum.
Lecturam in Eccleſiaſticum.
In Canonicam Joannis primam.
Sermones. Et alia, typis nondum edita.

Obiit Mechliniæ, anno 1496.

ALBERTUS LEONIUS,

Vulgo VAN LEEUWEN, A GROENEWOUDE, Ultrajectinus, domi nobilis, Juris Doctor, & Matheſeos non vulgariter eruditus, ſcripſit

De vera quantitate anni Tropici.

De ratione reſtituendi annum civilem; ad Gregorium XIII. P. M. Coloniæ, 1578. 8.

Commentarium in doctrinam præceſſionis Æquinoctiorum & obliquitatis Zodiaci.

Contra Genethliacos. Antverpiæ, typis Plantinianis in 4.

Comœdiam moralem de reducenda pace. Baſileæ. 1589.

Vivere deſiit Ultrajecti anno 1614. die 30. Maii, ſepultus ad S. Mariam minorem.

ALBERTUS A LYMBORGH,

Leodienſis, J. U. Doctor Ingolſta-

Ecclesiastical History, Ancient and Modern, from the Birth of Christ to the Beginning of the Present Century, in which the Rise, Progress, Variations, and Present State of All the Religious Denominations, Sects, and Societies in the World, are Impartially Related and Candidly Examined. By the Rev. John Lawrence Mosheim, D.D. Abridged and Continued to the Present Time. By the Rev. Charles Coote, LL.D. Illustrated with Maps. 8vo. 12s. bds. Longman and Co. 1810.

Ecclesiastical History, Ancient and Modern, from the Birth of Christ to the Beginning of the Present Century, in which the Rise, Progress, Variations, and Present State of All the Religious Denominations, Sects, and Societies in the World, are Impartially Related and Candidly Examined. By the Rev. John Lawrence Mosheim, D.D. Abridged and Continued to the Present Time. By the Rev. Charles Coote, LL.D. Illustrated with Maps. 8vo. 12s. bds. Longman and Co. 1810.

Aſſertionem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ad Paulum III. Pont. Max. Coloniæ, 1574. folio.

Apologiam indicti à Paulo III. Concilii. Ibid. 1538.

Rationem componendorum diſſidiorum, & ſarciendæ in Religione concordiæ. Ibid. 1542. 4.

De Miſſæ Officio, contra Lutheranos.

De libero hominis arbitrio, & divina gratia, libros X. contra Calvinum.

Explicationem Controverſiarum præcipuarum, quibus hodie potiſſimum exagitatur Chriſti fides & religio, & de quibus tunc in Comitiis Ratisbonæ habitis, tractatum fuit. Quibus ſubjicitur

Quæſtio de Divortiatorum novis conjugiis & uxorum pluralitate ſub lege Euangelica.

Item *Diatriba de Actis VI. & VII. Synodi.* Ibid. 1541. fol.

Apologiam contra Buceri calumnias. Moguntiæ, 1543. 4.

Denique *adverſus Græcorum errores* ſcripſit; quem librum Romæ in Bibliotheca Sfortiana extare teſtis eſt in ſua Antonius Poſſevinus.

Exſtat & *Pighii* nomine *de Moſcovia* liber Venetiis anno 1543. typis evulgatus; quem credo tamen non eſſe *Pighii* noſtri laborem.

Obiit ſenex Ultrajecti, 7. Kalendas Januarii, anni ineuntis 1543. ad S. Joannem in medio templi conditus. Adſculpta ſunt inſignia, cum ſigno ſacri calicis, & ſuper his mæandri, ſive gyri & flexus repræſentantes hunc verſiculum.

PIGGIUS ALBERTUS PRÆPOSITUS HIC REQUIESCIT.

Fortè ibidem & Epitaphium ſive Elogium hoc aliquando lectum fuit, Iconoclaſtarum rabie in iſtis Belgicis ſeceſſionibus delctum:

Hic dormit ille PIGHIUS, *mirè ſagax*
Mirèque felix nactus ingenium, ſtatim
Multis & amplis exercens ſe dotibus.
Lovanii primùm, dein Pariſiis
Variis politus artibus, ac his optimis,
Romæ HADRIANI *factus aſſiduus Papæ*
Comes eſt, amatus, nemo quantum amabitur,
In Urbe Roma Pontifici ter maximo
PAULO, *ſupremo tunc Dei Vicario;*
Meritò efferendus pluribus præconiis,
Quod peſtilentes vindicavit hæreſes,
Quibus Lutherus ſe, ſuoſque perdidit
Factos rebelles Principes Germaniæ:
Quòd & paratas negligens inſidias,
Catholicorum ſancta dogmata,
Eccleſiæque aſſeruit perſtrenuè.
Falſas Buceri dum parat calumnias
Paucis, ſed aptis, gnaviter convellere,
Vix abſolutis operis primordiis,
Aquâ gravatus obrutuſque intercute,
Scribendo ſummum finiit vitæ diem.

Scripſere eidem Elogium Paulus Jovius, Aubertus Miræus, & Joannes Guntherus.

Obſervet porrò Lector, quædam *Pighii* Theologis doctioribus diſplicere, ut de Peccato Originis, de Prædeſtinatione Dei ac Gratiâ Chriſti; in quibus à D. Auguſtini doctrina, quam Eccleſia Catholica ſequitur, videtur receſſiſſe. Vide Antonii Poſſevini Apparatum ſacrum.

Aliud Epitaphium ALBERTI PIGHII, à Jacobo Latomo ſcriptum, & olim in choro S. Joannis Ultrajecti penſile, refert Swertius in Athenis Belgicis.

Ne turba tumulum, Viator, iſtum:
Sed adſta reverenter & ſaluta
Sacratum cinerem Viri ſacrati.
Ille eſt PIGHIUS *hoc loco ſepultus,*
Aures qui Batavas ita expolivit,
Ut dicas ſapere Atticos lepores.
Quare tam bene dormiat, precare,
Quam doctè nitideque & elegantèr
Defendit Latiæ decus Tiaræ,
Et morem ſtatuit pium ſacrorum:
Utro ut nomine debeant Latini
Plus illi addubitent; utroque certe
Ingens adhibitum Viri fatentur.

Digitized by Google

ALBERTUS VERLANIUS,

Hornanus, Adriani Junii è filia nepos, edidit

Poëmata, fertilis & eruditæ venæ ſpecimen.

Moritur anno 1606. annos natus 28.

ALEXANDER CANDIDUS,

Vulgò BLANCKART, Gandenſis, Ordinis Carmelitani S. Theol. Licentiatus Colonienſis, *Biblia ſacra* idiomatis partium Germaniæ inferioris pluribus locis emendatiora ac correctiora edidit Coloniæ, typis Gaſparis Gennepæi, 1547 dicata *Georgio Egmondano*, Epiſcopo Ultrajectino, cui erat à Sacris. Commendata eſt hæc verſio à Theologis Colonienſibus.

Judicium Joannis Calvini de Sanctorum reliquiis, collatum cum Orthodoxorum Eccleſiæ Catholicæ Patrum ſententia, eodem *Candido* auctore.

Item *Oratio de Retributione juſtorum ſtatim à morte.* typis ejuſdem 1551. 8.

ALEXANDER CAROLUS DE TROGNEY,

Seu Trogneſius, Antverpienſis, Bibliopolarum ibidem filius & frater, J. U. Doctor anno ætatis 25. renunciatus, Sacriſque initiatus. Tum Protonotarius Apoſtolicus, Eques Ordinis militaris N. D. de Redemptione Captivorum, Præpoſitus titularis Eccleſiæ Collegiatæ S. Werenfridi Elſtenſis in Gelria: Romæ quoque ab Urbano VIII. obtinuit Canonicatum in Metropolitana Ultrajectenſi & Archidiaconatum inibi majorem. Dum autem eo titulo juriſdictionem in Clerum Batavicum exercere molitur, diſſidiorum ibi magnam cauſam dedit, & anno 1619 à Nuncio Bruxellenſi ulterioribus functionibus interdictus fuit. Vide Bataviam ſacram p. 158.

Edidit juvenis, à ſe collectas *Comparationes vett. Poëtarum*; typis Trogneſii, 1610. 8.

Item *Lexicon Flandrico-Latinum.* Ibid.

ALEXANDER GRAPHÆUS,

Cornelii filius, Antverpianus, S.P.Q. ibidem à Secretis, Poëta non inelegans, uti teſtantur Carmina ſparſim edita: è quibus eſt amplum, & libelli inſtar, præfixum Tabulis Urbium, Georgio Bruno auctore, quo & ipſe Graphæus *de præcipuis Urbibus*, & libri illius epigraphe colloquium inſtituit, interlocutoribus *Thaumaſte* & *Panopte*. Coloniæ, 1572. fol.

ALEXANDER,

Ex Priore Abbas Aquicinctinus, Ordinis ſancti Benedicti, altero à Duaco lapide, obiit anno 1174. Scripſerat

Vitam B Goſuini, prædeceſſoris ſui, quę ibidem MS. legitur, typiſque vulgata eſt, curante *Richardo Gibbono*, Societatis Jeſu Duaci 1620 8. Meminit Molanus ad Uſuardum 6. Octobris, qui *Alexandrum* eo nomine ſecundum Abbatem Aquicinctinum nominat, quem primum fuiſſe invenio, ordine ſeptimum. Vitæ quoque B. Goſuini ſcriptor ſub Simone Abbate vixit, qui Alexandro ſucceſſit; ut meritò dubites, an *Alexander* auctor illius ſit.

ALEXANDER HEGIUS,

Cognomen à loco natali ditionis Monaſterienſis retinuit. Fuit per annos 30 Gymnaſiarcha Daventrienſis apud Tranſiſalanos, (unde Daventrienſem eum facit Geſnerus) primuſque Græcas in Belgio litteras excitavit (ut vel ideò quoque Belgis accenſendus veniat) exemplo Rodolphi Agricolæ, præceptoris ſui, qui Germaniæ eaſdem reſtituerat.

Multi illo doctore gloriati ſunt, teſte Hermanno Hamelmanno libro III. de Viris Illuſtribus Weſtphaliæ. Scribitque Eraſmus, ſe admodum adhuc puerum fuiſſe uſum præceptore *Hegio*, in Daventrienſi ludo, quem ille moderabatur. Vir, inquit, tam inculpatæ vitæ, quàm doctrinæ non trivialis: in quo unum illud vel Momus ipſe calumniari fortaſſe potuiſſet, quòd famæ plus æquo negligens, nullam poſteritatis haberet rationem. Proinde ſi qua ſcripſit, ita ſcripſit, ut rem ludicram, haud ſeriam egiſſe videatur. Quamquam vel ſic ſcripta ſunt ejuſmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promereantur. Ita Eraſmus Adag. *Quid cani & balneo?*

Idem in Dialogo, quem Ciceronianum indigetat: Weſtphalia, inquit, nobis dedit *Alexandrum Hegium*, virum eruditum, ſanctum & facundum, ſed qui gloriæ contemptu nihil magni eſt molitus.

Quod verò *Hegius* præſtitit in Grammaticis, ut, explosâ barbarie, ſuum in ſcholis & apud litteratos lingua Latina & nomen & dignitatem conſequeretur, idem neque in ceteris artibus pro modulo ſuo inſtaurandis atque illuſtrandis intactum reliquit; ut vel ex *Dialogis* liquet, qui eo vel ignorante vel invito prodierunt, videlicet *de Scientia*, *& eo, quod ſcitur*, contra Academicos: *de tribus animæ generibus: de Phyſica*: Ἠθικά ἀφορισμικα: *de Rhetorica: de Arte & inertia: de Natali Servatoris noſtri &c.*

Item *Carmina*, pleraque ſacra, veluti *de utilitate linguæ Græcæ*: Item *Elegia de Aurea mediocritate*, *Hymni varii*, aliaque. Daventriæ 1501. & 1503. 4.

ALEXANDER MAJOR,

Cathedralis Eccleſiæ Atrebatenſis Canonicus, ſcripſit *Hiſtoriam Mannæ*, ſive lanæ, quæ anno 363 è cœlo pluviæ mixta defluxit; ut teſtatur D. Hieronymus in Chronico, adſervaturque in Eccleſia Cathedrali feretro argenteo inaurato incluſa. Extat MS. ibid.

ALEXANDER SYLVANUS,

Vulgò Van den Bossche, Flander, vixit in Gallia, regnante Henrico III. cujus fuit domeſticus, ſcripſitque gallicè,

Poëmata & anagrammata varia, de Principibus, Nobilibus & Fæminis illuſtribus Galliæ. Pariſiis 1576. 4. apud Guilielmum Julianum.

Ænigmata quinquaginta. Ibid. 1582. 8. apud Ægidium Beys.

Arithmeticam militarem. Ibid 1572. 4. apud Ægidium Gourbinum.

Deſcriptionem diei & judicii noviſſimi. Ibid. 1575. apud Nicolaum Bouſons.

Proceſſus Tragicos, ſive *Hiſtorias* LV. *Tragicas*. Ibid. 1576. 16.

Epitomen centum Hiſtoriarum Tragicarum. Ibid 1581. 8.

Collectionem Fœminarum virtute illuſtrium. Ibid. 1576. 16.

ALGERUS,

Leodienſis, primùm in Eccleſia Collegiata S. Bartholomæi ibidem profeſſione & habitu Clericus, gradu Diaconus, officio Scholaſticus: procedente vero tempore in majorem Eccleſiam S. Lamberti ab Oberto Epiſcopo honorabiliter tranſlatus, per annos fere viginti pro Eccleſiaſticis negotiis ad diverſas perſonas & Eccleſias multas inſignes conſcripſit Epiſtolas, quæ à pleriſque ſummo conſervantur & leguntur ſtudio. Antiquam dignitatem Leodienſis Eccleſiæ relatione & ſcriptis majorum adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam (ad ſubſidium memoriæ ſcriptam) poſteritati reliquerit: ne quorundam Clericorum ſeditionibus, qui novis rebus ſtudent,

aliquando labefactaretur. &c.

Post obitum Frederici Episcopi, cum rebus abundaret, & firmo corpore & integris sensibus valeret, ordinatis rebus suis, nudum Christum nudus sequens, arctiorem vitam sub S. Benedicti Regula aggressus est in Cluniacensi Cœnobio, ibique claruit usque ad annum circiter 1130. Ita de *Algero* præfatur Nicolaus Leodiensis Canonicus, ad ejus

Librum de Misericordia & justitia; quem è variis MSS. excerptum primùm edidêre anno 1717. Parisiis Tomo V. Thesauri novi Anecdotorum pag. 1020. Domni *Martene* & *Durand*, Congregationis S. Mauri Benedictini.

Scripsit præterea *de Gratia & libero arbitrio*.

Item doctissimè contra Berengarium Hęreticum, *De veritate Corporis & Sanguinis* DOMINI *in Eucharistia* libros III. excusos primùm Antverpiæ, ex Erasmi recognitione, post Lovanii, 1561. 8. cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus, recensente Joanne Vlimmerio, & Tomo VI. Bibliothecæ Patrum.

De eo ita Chronicon Cluniacense: ALGERUS *ab infantia totum se litterarum studio tradens, sub clarissimis viris quorum scientiâ & honestate morum tunc temporis Leodiensis fulgebat Ecclesia, & Francia illustrabatur, nobiliter floruit; adeo ut nulla Christianæ fidei regula eidem credatur incognita.* Meminit & Petrus Cluniacensis, libro II. contra Henricianos de Sacrificio Missę; & scripsisse ait *optimè, plenissimè, perfectissimè*; Lanfrancum verò *bene, plene, perfecte*; Guitmundum, *melius, plenius, perfectius.* Guitmundus *acrior est & ardentior*, inquit Erasmus *ac plus habet spiritûs Rhetorici*; Algerus *sedatior est & religiosior. Uterque tum Dialectices, tum reliquæ Philosophiæ bellè peritus: uterque in Canonicis scripturis ac priscis illis Doctoribus studiosè versatus: uterque tantum habet eloquentiæ quantum à Theologo requirere par est &c.*

Observet tamen pius Lector, quædam cautè in opere isto, alioqui valde bono, legenda: ut cum libro II. cap. 1. scribit, species sacramentales non posse corrumpi, vel rodi à muribus; & cap. X. esse de jure divino, ut Sacrificium Missę celebretur in azymo: quod verum non esse, monet Robertus Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis sub Sæculo XII.

ALOYSIUS A LYMBORGH,

Leodius, non minus nobilitate quàm doctrinâ insignis, ad S. Ægidium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini apud Leodienses Abbas ab anno 1617, virorum doctorum fautor, & ipse doctissimus, atque in egenos peregrinosque maxime liberalis & hospitalis; descripsit patrio sermone,

Vitam S. Ægidii, Abbatis Arelatensis, patroni sui. Leodii 1637. 8.

Scripsitque carmine Elegiaco (quale vel Ovidius ipse, si surgat ab inferis, agnoscat suum esse) *Apprecationem parænetican R. D. Erasmo à Xencheval*, Novi-Monasterii apud Hujum Abbati.

In fata concessit anno 1636.

ALUINUS FRISIUS,

Rector Scholæ Snecanę, post Reipublicæ suę à Secretis, vixit circa annum 1400. Scripsit rythmo vernaculo

Compendium Historiæ Frisonicæ, ab exordio gentis ad Caroli Magni tempora. Cujus epitomen libro de Scriptoribus Frisiæ recitat Suffridus Petrus: quo loco de fide auctoritateque Scriptoris illius agit.

ALULFUS,

Tornacensis patriâ, Clericus primùm

Digitized by Google

in D. Virginis, poſt Cœnobii Martiniani, Ordinis S. Benedicti, intra muros ejuſdem urbis, Religioſus, annis 47. officio Cantoris functus fuit. Odonis Abbatis hortatu, univerſas tam Veteris quam Novi Teſtamenti ſententias, à *D. Gregorio Magno* expoſitas, ex operibus illius excerpſit, imitatus in eo Paterium; treſque inde Codices compoſuit, & quartum de diverſis ſententiis ipſe ſuperaddidit, quod vocavit *Opus Exceptionum*, eique *Gregorialis* nomen indidit; editum Pariſiis in 4. & Argentinæ 1516. adſervaturque Tornaci manuſcriptum Tomis IV. in quorum poſtremo duo ſequentes verſus ad calcem leguntur.

Hæc de Gregorii qui traxit opuſcula libris,
Gregorii precibus in pace quieſcat
ALULFUS.

Claruit ab anno 1098. obiit que Converſionis ſuæ anno XLVIII. Vide Herimanum Abbatem in Annalibus ejuſdem Cœnobii.

AMANDUS DE CASTELLO,

Ex Canonico Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis, primum Cœnobii Martiniani eadem in urbe Monachus, dein Prior Aquicinctinus, poſtremò Abbas Marchianenſis circa annum 1120.

Eccleſiam illam, Herimanno teſte, penè deſtructam, tam interius in religione, quam exterius in divitiis renovando correxit, prout fuſius proſequitur ex antiquis ejuſdem loci munimentis in ſua Gallo-Flandria Joannes Buzelinus.

Scripſit *Amandus*, Aquicincti degens, *Epiſtolam de Vita & obitu venerabilis Odonis*, Cameracenſis Epiſcopi, qui anno 1119. Aquicincti exul deceſſit. MSS. ibidem olim & ad S. Martinum Tornaci, quam dein integram inſeruit Arnoldus Raiſſius ſuæ Belgicæ Chriſtianæ pag. 116.

AMANDUS FABIUS,

Vulgo BOONE, Lovanienſis, Guilielmi filius, S. Theologiæ Licentiatus, vulgavit Coloniæ, à ſe ibidem pronuntiatum, nomine Fraternitatis S. Gertrudis,

Epicedium Alberti Pii, Belgarum Principis.

Præterea *Epiſtolam* benè longam *de præcipuis myſteriis Fidei Catholicæ*, è gallico latinam fecit.

AMANDUS GILSELIUS,

Condruſius, Eccleſiæ Collegiatæ S. Crucis apud Leodienſes Sacerdos, & Scholæ litterariæ moderator, Grammaticus optimus, græcè latinèque doctus, & mirus in Acroaſticis Poëta, ſibi licet pænè in omnibus præceptor; memoriam ſui apud poſteros reliquit hiſce ingenii monumentis, pluries Leodii cuſis & recuſis,

Deductione pueri ad linguæ latinæ venuſtatem.

Commercio linguæ latinæ.

Compendio Orthographiæ.

Vocabulario minore, ad imitationem Nomenclatoris Adriani Junii.

Edidit & *Panegyricon Poëmation Boccholztiani culminis*, imparibus numeris. Leodii, 1620. 4.

Item *Onomatopœniam pro* S. IGNATIO, Societatis Jeſu Fundatore, dum à Gregorio XV. Pont. Max. Sanctorum albo ſolemniter adſcriberetur. Ibid. 1622. 4.

Meditabatur Commentarium *de Nolis, Campanis ac Tintinnabulis.*

AMANDUS ZIERIXEENSIS,

Ordinis Minorum Sacerdos, Prædicator zeloſus, Theologus & Lector inſignis Lovanii, poſtea Miniſter

Provincialis, multùm adlaboravit pro reformatione Provinciæ sibi creditæ. Ministerii curſu exacto, Lectoris denuò officium amplexus fuit, in eoque, quoad vixit, perſeveravit.

Vir artium variarum, linguarumque non ignarus: quippe qui græcam, hebraicam ac chaldaicam calleret linguas, cùm vix typi earum in Belgio noti eſſent. Congeſſit ex probatis auctoribus, ut titulus habet, atque eruditâ brevitate digeſſit

Chronicon, à mundi exordio ad annum 1534. quo in vivis eſſe deſiit, libris VI. quod *Scrutinium* vel *Venationem Veritatis Hiſtoricæ* vocabat. Antverpiæ 1534. 8. apud Simonem Cocum. Adhæret ejuſdem liber,

De LXX. Hebdomadibus Danielis. Præfatur Franciſcus Titelmannus de Auctoris Vita ac ſcriptis; & has inſuper laudat *Amandi* lucubrationes,

Commentarios in Geneſin, *Jobum*, & *Eccleſiaſten.*

Dominicæ Paſſionis Hiſtoriam.

Spiritualis Militiæ XII. Horas, libr. I.

De XL. Manſionibus.

De S. Annæ conjugio &c.

De Sophi Rege Perſarum, *hoſte Turcarum.* MS. Lovanii.

Deceſſit Lovanii, anno, ut dixi, 1534. die 8. Junii. Sepultus in choro FF. Minorum.

AMBROSIUS A GANDAVO,

Natione quidem Flander, at Monaſticâ Ciſtercienſis Ordinis Profeſſione Religioſus Abbatiæ de Spina, in Regno Caſtellæ veteris apud Hiſpanos. Vir fuit ſubtilis ingenii & ſtudii indefeſſi, præſertim in ſcientiis Mathematicis, quibus ſe totum dedit. Hinc apud Carolum V. Cæſarem, ejuſque filium Philippum II. Regem honoratus, ac familiari ſæpe colloquio gaviſus eſt.

Varia ingenii ſui monumenta reliquit, quorum pleraque adhuc in Bibliothecis Hiſpaniæ latent MSS. Impreſſa tamen extant ſequentia.

Repertorio de los tiempos, id eſt, *de Supputatione temporum.* 8. Burgis, item Compluti.

De variis Aſtrorum influxibus. Compluti & Valliſoleti.

AMBROSIUS PONTANUS,

Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini in Septem-Fontibus, juxta Bruxellam, edidit

Epitomen Cæremoniarum Romanæ Eccleſiæ. Sed ignoratur tempus quo hæc ſcripſit.

AMBROSIUS DE WOESTINE,

Brugis nobili familiâ natus, Pariſiis anno 1497. Decretorum ac Juris Pontificii Laureâ decoratus, Ordiniſque D. Benedicti Religioſus, & Tornaci ad ſanctum Martinum Prior, *Jus Canonicum* verſibus complexus eſt, hoc initio:

A Jove Principium Muſæ &c. quòd opus aliquando lectum fuit in Monaſterio VII. Fontium, juxta Bruxellas. Viſitur Tornaci in periſtylio monumentum illius, hiſce verſibus ęri inciſis exornatum.

Ambroſius *quondam noto cognomine dictus*

Woeſtine, *eximius virtute & Pallade clarus*,

Brugenſis quem terra tulit, dum viveret, hujus

Cœnobii Prior, hic fato tumulatur acerbo.

Obiit anno 1514. die 8. Septembris.

AMELGARDUS,

Presbyter Leodienſis, Carolo VII. Francorum Regi familiaris, cujus vitam ac filii ejus Ludovici XI., eleganti

Digitized by Google

ganti ſtylo, unà cum funeſtis Patriæ ſuæ eventibus, oculatus teſtis, litteris conſignavit. Hæc hactenus MSS. è Codice Bibliothecæ Regiæ, Pariſiis evulgarunt PP. Benedictini Congregationis S. Mauri anno 1729. Tomo IV. Collectionis ampliſſimæ Veterum Monumentorum, pag. 741.

AMILIUS BURANUS,

Batavus, Congregationis Fratrum D. Hieronymi, Gerardi Magni æqualis, reliquit

Exhortationem de mutua caritate ſervanda.
Epiſtolam de felici obitu Mgri. Luberti.

Leguntur hæc apud Thomam Campenſem, in Vita Diſcipulorum Florentii.

Obiit Daventriæ, 10. Junii 1404.

AMILIUS STOOCKE,

Vulgariter *Melis-Stoke*, Clericus Trajectenſis ad Rhenum, Florentii V. Hollandiæ Comitis Sacellanus, Hiſtoriæ Batavorum author per-antiquus claruit anno 1300. Lingua ſuâ vernaculâ, ſtylo rythmico, *Chronicon Comitum Hollandiæ, à Theoderico I. continuatâ ſerie ad Guilielmum III.* ſeu ad annum Chriſti 1305. conſcripſit; quod ab antiquariis magnoperè æſtimatur.

Prodiit illud primùm è MSS. Cœnobii Egmundani (cujus Monachum fuiſſe hunc Amilium conjectura non levis eſt) anno 1591. Amſtelodami apud Bernardum Adriani, curis Jani Douzæ, Viri ſanguine & ingenio nobilis. Dein correctius Hagę-Comitis 1620. curis Petri Scriverii; ac tandem tertiò Lugduni Batav. 1699. in fol. apud Joannem du Vivier.

ANASTASIUS COCHELET,

Maſerienſis (quod Regni Galliæ opidum eſt ad Moſam fluvium) Ordinis Carmelitarum Doctor Theologus Pariſienſis, Eccleſiaſtes mirè facundus; vixit & devixit Antverpiæ, circa annum 1614. Scripſit pro *Juſto Lipſio* adverſus Diſſertationem mentiti Idoli Hallenſis, hoc titulo

Palæſtrita Honoris D. Virginis Hallenſis pro I. Lipſio &c. Antverpiæ 1607. 8.

Item *Calvini Infernum*. Ibid. 1608. typis Plantinianis.

Cœmeterium Calvini, adverſus Joannem Polyandrum Miniſtrum Calvinianum. Ibid. 1612. 8.

ANATOLIUS DE BARRES,

Vir Nobilis, Salinarum opido apud Burgundos oriundus, ſtudiorum cauſſâ Lovanium profectus, anno 1545. ibidem, nec-dum annum ætatis ſuæ decimum octavum prętergreſſus, edidit

Arithmeticæ Practicæ libros IV. typis Jacobi Bathenii, in 4.

Poſtea in familiam adſcitus Nobilium domeſticorum Caroli V. Imperatoris, eundem mortuum funebri laudatione proſecutus eſt, cui titulum fecit: Carolus V. *cœlo donatus*. Lovanii, 1559. 12.

ANDREAS ÆGIDIANUS;

Societatis Jeſu, Gandavi apud ſuos Rhetoricam cum laude docuit, ſcripſit heroïco carmine *Panegyricum* Carolo Masio *Gandenſium V. Epiſcopo*, anno 1609.

Pòſt in Indiam Occidentalem profectus eſt, Religionis orthodoxæ propagandæ gratiâ, laboribuſque fractus, ſoluto communi mortalium debito, illic humari voluit. *Ita Swertius in Athenis Belgicis.*

ANDREAS ALENUS,

Weſt-Herckenſis, in finibus Eburonum, quà Dieſthemium via ducit, Ludi literarii in patria Præfectus, quem & Haſſeleti ad Demeram multis annis fuit moderatus, luſit verſu Elegiaco

Sacrarum Heroidum libros III. Lovanii typis Velpii, 1574. 8. editos.

ANDREAS DE BOYE,

Furnenſis, Flander, Societatis Jeſu, Winoci-Bergenſe Collegium annis VIII. aliaque alibi adminiſtravit. Scripſit ediditque vernaculâ linguâ

Vitas Sanctorum conjugatorum. Antverpiæ typis Cnobbartianis 1631.

Gloriam magnorum Patriarcharum Joachimi & Annæ. Ibid. 1636.

Hiſtorias & Vitas Patriarcharum, Prophetarum, Judicum & Regum Veteris Teſtamenti. 4. Flandricè, ſæpius ſeditas.

Devotum Patrem-Familias. 8. Antverpiæ 1645.

Quæ vero ex latina aut hiſpanica lingua in Belgicam tranſtulit, hîc ſtudio omitto.

Obiit Antverpiæ die 22. Januarii 1650, prope octuagenarius.

ANDREAS CATULLIUS,

Tornacenſis, J. U. L. Rhethoricen Lovanii in Collegio Vaulxiano (olim ante erectum novum Gymnaſium celebri) per annos aliquot docuit; hinc anno 1620 Canonicus in Eccleſia Cathedrali Brugenſi, ac paulò poſt Tornaci Nerviorum Canonicus & Officialis ſive Judex in Conſiſtorio Epiſcopali; magni nominis Juriſperitus. Demum Archidiaconus Major ac Vicarius Generalis Tornacenſis, & anno 1663. Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ S. Hermetis Rothnaci. Diem extremum obiit 27. Septembris 1667. Ejus hæc Scripta leguntur.

Prometheus, ſive *de Origine ſcientiarum Drama*: Urbis & Academiæ Lovanienſis encomium; typis Philippi Dormalii, 1613. 4.

Septuplex gladius, de VII. B. M. V. doloribus Elegiæ totidem, ibidem editæ 1613. 4.

Septuplex Triumphus, ſive Gaudia Virginis Dei-paræ, Tornaci, 1614. 4. apud Carolum Martinum.

Lacrimæ, ſive Amores caſti. Ibid. 1614. 8.

Tornacum Civitas Metropolis & Cathedra Nerviorum 4. Bruxellis apud Joannis Mommart. 1652.

Extat etiam ejus *Diſſertatio pro Præcedentia Abbatis S. Joannis Valencenis, & aliorum Canonicorum Regularium, ante Abbatem S. Salvii, & alios Monachos Benedictinos*, typis edita anno 1631.

ANDREAS CORNELIUS;

Stavrienſis, Friſo, Hiſtoricus, obiit Harlingæ, ubi & organis præfectus erat, anno 1589. Scripſit

Chronicon Friſiæ, à Suffrido Petro laudatum: cujus hic eſt titulus vernaculus.

Kronyke ende waerachtige Beſchryvinge van Vrieſland, beginnende na des Weirelds ſcheppinge 3070, *en durende voords tot na de geborte van Chriſtus*, 1565 *eerſt door* Okkam Scarlenſis; *andermael door* Joh. Vlitarp *weder vernieuwt ende verbetert*; *ten derdenmael door* Andreas Kornelius Stavrienſis &c. *verdeelt in XII. boecken.* fol. Leovardiæ 1597.

Verumtamen hocce Chronicon Ubbo Emmius, libro de origine atque antiquitate Friſiorum, fabulis & narrationum portentis adornatum ſcribit. Recenſet & alios rerum Friſicarum Scriptores Suffridus: de quibus idem doctiorum judicium eſt, cùm ne nomina quidem vindicari ab oblivione potuerint.

ANDREAS COUVREUR,

Aliàs DE TECTO, Audomarenſis, Ordinis S. Franciſci S. Theologiæ Profeſſor & Eccleſiaſtes celebris, edidit, vernaculo ſermone,

Divini Amoris ſive SS. Euchariſtiæ Faculam. Duaci, 1619. 8. typis Belleri.

Philoſophiam ſacram, ſive *Meditationem mortis.* Ibid.

Obiit in Conventu Aveſnenſi an. 1625.

ANDREAS ELIGIUS BACCHERIUS,

Poperinganus, Flander, J.U. Doctor, primùm in ſuprema Flandriæ Curia Advocatus, poſtea in Bituricenſi Galliæ Academia Profeſſor Juris, collegas nactus *Jacobum Cujacium* & *Antonium Contium*, primi nominis Juriſconſultos; edidit ibidem anno 1560. apud Joannem Gamerium.

Theſes CCIX. *de Jure, Perſonis & Rebus extra contractum acquirendis*; ad Michaelem Hoſpitalium, Galliæ Cancellarium.

Obiit Biturigis anno 1562, ductâ ibidem uxore gallicâ.

ANDREAS CROCQUETIUS,

Duacenſis, Monaſterii Haſnonienſis Ordinis S. Benedicti apud Hannones Prior, ac inter primos S. Theologiæ Doctor renunciatus in patria, reliquit poſteris

Catecheſes Chriſtianas, potiſſimùm ex Homiliis Catecheticis Matthæi Galeni S.T.D., præceptoris ſui. Duaci, 1575. 4. typis Ludovici de Winde.

Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Romanos. Ibid. 1577. 8. apud Bogardum.

Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Hebræos. Ibid 1578. 8.

Paraphraſin ſive *Conciones* 39. *in VII. Pſalmos Pœnitentiales*, gallicè. Ibid. 8. 1579.

Obiit Valencenis anno 1580. peſte abreptus.

ANDREAS DENYS,

Atrebas, filius Artheſiæ Præſidis, Societati Jeſu adſcriptus anno 1608; demum in patrio ſolo octuagenarius denatus eſt die 30. Julii 1670. Edidit verſu gallico *Poeſin ſacram, ſive illecebras divini Amoris, ex Chriſti patientis* (ut vocant) *ſtationibus.* 4. Atrebati 1639.

Sapientiæ Muſæum, carmine elegiaco. Rhedonibus 1650.

ANDREAS FABRICIUS,

Hodegiç municipio Leodienſi natus, Philoſophiam & Theologiam à *Gothefrido* fratre (de quo libro de Ingolſtadienſis Academiæ Profeſſoribus Valentinus Rotmarus) aliiſque didicit, & Lovanii ad S. Gertrudem docuit. Poſtea ab Othone Cardinale Auguſtano evocatus, Romę per ſexennium Oratorem egit Pio V. Pont. Max. atque in conſilium adſcitus ab Alberto, ejuſque filio Erneſto, Catholicis Bojorum Ducibus, ab iiſdem ampliſſimâ Eccleſiæ Collegiatæ Præpoſiturâ apud veterem Oetingam donatus fuit. Scripſit

Harmoniam Confeſſionis Auguſtinianæ: opus inſigne; doctrinę Euangelicæ conſenſum pulcrè declarans. Coloniæ apud Cholinum 1573. 1587. fol.

Cathechiſmum Romanum Notationibus atque Interrogationibus illuſtravit. Antverpiæ typis Plantinianis. 1600. 8. & aliàs.

Carmen quoque pangebat, nec infeliciter, nec inamœnè. Exemplo ſunt piæ & huic ævo accommodatæ, *Tragœdiæ* tres I. *Jeroboam rebellans*, ex libris Regum & Paralipomenon, quâ ſucceſſus & fructus miſerandi ſchiſmatum & hæreſeon hujus temporis proponuntur. Ingolſtadii, 1585. 8. II. *Religio patiens:* quâ ſæculi noſtri exhibentur calamitates. Coloniæ, 1566. 8. III. *Samſon*, ex Judicum Hiſtoria. Ibid 1569. 8.

Diem ſupremum obiit anno 1581.

ANDREAS GAILL,

Colonienſis, Lovanii ſtudio Juris utriuſque navatâ operâ, ductâque hîc uxore ad ſuos reverſus, tam conſtan-

Digitized by Google

ti labore deinceps ejuſdem ſtudii forenſibus diſceptationibus incubuit, ut inter reliquos Germaniæ Juriſconſultos, alii eum in communi foro experientiſſimum, illuſtrem Pragmaticum, & Conſuetudinum Germaniæ peritiſſimum; alii Praxeos Cameræ Imperialis diligentiſſimum Obſervatorem; alii Germaniæ Papinianum nuncupent; alii aliis titulis atque elogiis celebrent.

Fuit ſupremi S. R. Imperii Tribunalis in Camera Spirenſi Adſeſſor annos XI. Conſiliarius & Referendarius Aulicus ſub Maxæmiliano II. & Rodolpho II. Imperatoribus annos 15. multis Legationibus clarus; quique ad reſtituendam afflicto per hæreſes ac rebelliones Belgio tranquillitatem præ cæteris allaboravit; ANTIQUÆ VIRTUTIS ET SAPIENTIÆ Vir, & Religionis Catholicæ zelator. Scripſit

Practicarum Obſervationum libros II.

De Pace publica, & Proſcriptis ſive Bannitis Imperii libros II.

De Pignorationibus librum ſingularem.

De manuum injectionibus ſive Arreſtis Imperii: Omnia ſimul ſæpiùs excuſa, & poſtremò ex recognitione Gualteri Gymnici J. C. Agrippinatis Coloniæ 1621. 4. typis Antonii Hierati, ac rurſus Amſtelodami 1663, apud Joannem Stammium.

Multis laboribus morbiſque exercitatus, in Chriſtiana pace quievit, anno 1587. die 11. Decembris, ætatis 61. Sepultus Coloniæ in Choro Cœnobii S. Brigittæ, appoſito hoc Epitaphio.

D. O. M.
Viator quiſquis es, ſiſte gradum,
Quod ſcriptum eſt lege.
Hoc is, cujus cauſſa ſcriptum,
ANDREÆ GAILIO
Fieri rogat,
Agrippinati, Philippi filio,
Juriſconſulto toto orbe celeberr.
Antiquæ Virtutis & Sapientiæ Viro
Qui exquiſitorum in Jure Civili
Operum auctor,
Supremi Sacri Romani Imperii Tribunalis in Camera Spirenſi Adſeſſor ann. XI.
MAXÆMILIANI SECUNDI VIII.
RUDOLPHI SECUNDI IMPP. VII.
Aulicus Conſiliarius & Referendarius
Multis laboribus & difficillimis
Legationibus Romę
Politiæ conſervandę cauſâ
Morbiſque defatigatus,
Anno ſalutis M. D. LXXXVII.
XI. Decemb. ætat LXI.
Vitam exercitam & laborioſam placitâ tandem & quietâ in Chriſtum Pace mutavit.
ANNA KLAWENS &
CHRISTIANA KANNENGIESSERA,
II. Uxor & heredes cariſſ. ac B. M.
Conjugi gementes ac mœrentes poſſ.
M. D. XC.

ANDREAS GENNEPIUS,

Ex Balen Campiniæ Brabantinæ Municipio, Linguæ Hebraïcæ Profeſſor in Collegio Trilingui Buſlidiano Lovanii, (cujus linguæ, ac potiſſimùm rei Grammaticæ myſteria Rabbinis propè ipſis callebat accuratiùs) fuit & Medicinæ ſtudio & ſingulari herbarum rerumque ſimplicium cognitione excellens.

Fertur quædam meditatus fuiſſe *de Conſenſu Editionis Vulgatæ Bibliorum cum Hebraïca veritate*; nihil tamen eorum vidiſſe contigit hactenus. In Analectis rerum Lovanienſium, manu *Joannis Molani* Doctoris Theologiæ exaratis dicit ille, audiviſſe aliquando ſe ex ore *Baleni*, ſuam eſſe Grammaticam illam, quam ſuo nomine *Joannes Iſaacus* edidit, ſeque eam *Iſaaco* dictaſſe.

Obiit anno 1568. ætatis 84. Profeſſionis 36. IV. Idus Februarii, ſepultus in D. Petri Lovanii, cum hoc Epitaphio.

Digitized by Google

„ Doctiſſ. Viro M. ANDREÆ A „ GENNEP Baleno, qui Linguam He„ braïcam in Collegio Trilingui Buſ„ lidiano XXXVI. ann. publicè pro„ feſſus, obiit IV. Id. Februarii, ann. „ M. D. LXVIII. natus ann. LXX „ XIIII. adjunctus uxori ſuæ Ro„ BERTÆ A DOERNE, quæ ſupe„ rioris anni XVI. Kal. Jan. obierat.

Migravit octogeſimo quarto ſenex
Ætatis anno functus integerrimè,
Sex atque triginta per annos publicè
Sacras Hebræorum profeſſus Litteras,
Linguamque callens optimè Sanctiſſimam;
Buſlidiano gloriam Collegio,
Sibique favorem comparavit omnium:
Dum conſulens benigne ægrotantibus,
Ope medicâ multis ſalutem contulit.
Nunc liberatus omnibus moleſtiis,
Fruitur beato cœlitum conſortio,
Nomine relicto poſteris laudabili.

ANDREAS GERARDUS HYPERIUS,

Flander, Iprenſi opido oriundus, Ordinis Prædicatorum Theologus fuit, poſtea damnatus apoſtata; multaque ſcripſit, Tiguri, Baſileæ atque alibi excuſa, verùm à Tridentinis Patribus in prima claſſe notata.

Quicquid verò boni habent ejuſdem *De formandis ſacris Concionibus* libri duo, *Deque rectè formando ſtudio Theologico* libri IV. id in ſuos ſimilis argumenti libros tranſtulit Laurentius à Villavicentio, ex Ordine Auguſtiniano Doctor Theologus Lovanienſis.

Ceterùm *Hyperii Rhetorica*, *Dialectica*, *Phyſica & in Ariſtot. Ethica Nicomachica Annotationes* nihil fellis habent: ut neque liber *de Coſmographia*, Haganoæ anno 1532. 4. editus.

Moritur Marpurgi anno 1560. ſepultus ibidem juxta Gerardum Geldenaurium, de quo infra.

ANDREAS HELMONDANUS,

A Gravia, Brabantus, ſcripſit *Commentaria in Invectivas Orationes Ciceronis & Saluſtii*, apud Oporinum, in volumine Commentariorum in Orationes Ciceronis.

ANDREAS HERBIUS,

Brugenſis, Canonicus Cathedralis Atrebatenſis, edidit.

Vitas SS. Luglii & Lugliani.

ANDREAS HOYUS,

Brugenſis, primùm Seminario Mariano in civitate Atrebatenſi, hinc Scholæ Bethunienſi præfectus; indeque in Academia Duacena Græcarum Litterarum, Eloquentiæ atque Hiſtoriæ Profeſſor Regius (quem biennio ferè toto cùm græcas tum latinas docentem litteras libenter audiviſſe ſe teſtatus eſt Valerius Andreas:) Vir fuit ingenio ac judicio præſtans, animo candidus, moribus tractabilis, verſu, præſertim Catulliano, amœnus. Sermo illi in utroque ſcribendi genere purus; oratio aſſurgens, nec humi repens, ut liquet ex iis, quæ hactenus publica fecit. Ejuſmodi ſunt,

Orationes III. in Quodlibeticis Duaci Quæſtionibus pronuntiatæ, *I. De nova apud Europæos Monarchia*, pro tempore, & ad infringendam Turcicæ dominationis potentiam, & ad ſtabiliendum Chriſtianæ Religionis ſtatum. *II. De Gallicanis Capetiæ Stirpis Regibus*, Satyra ſive Somnium. *III. De gentis, urbiſque Atrebatum laudibus*, Panegyris. Accedunt his *Bethunia*, & *Duacum*, opida brevi deſcriptione illuſtrata.

Item *pro Criticis Apologia*, ad *Juſtum* Lipſium. Et altera *pro Gregorio VII. Pont. Max* adverſus Q. Septimium Florentem Chriſtianum; typis Joannis Bogardi 1594. 4.

Diſſertatiunculæ III. *De cauſis corruptæ pronuntiationis Linguæ Græcæ : de Dialectorum ſedibus ac coloniis : de Græca Hagiographorum editione*; editæ cum libello ejuſdem, *de Germana ac recta Linguæ Græcæ pronuntiatione*, quem Ορθοέπειαν inſcripſit, typis ejuſdem. 1620. 8.

Oratio in funere Sereniſſ. Principis ALBERTI, habita Duaci, VI. Nonas Octob. anno 1621. Ibid. 8.

Hiſtoria univerſa, ſacra & profana, ab orbe condito ad Chriſti Domini Natalem: cui Appendicis loco acceſſêre

Chronologia ex libris Hiſtoriarum Pauli Oroſii contexta.

De VII. primis Romanorum Regibus Syntagma.

Item Orationes III. eodem pertinentes. I. *De Mardochæi pietate & laudabili adverſus Amanem Theomachum conſtantia.* II. *De ſociali Judæ Machabæi fœdere cum Romanis.* III. *De Phariſæis*, vetere & præpotente apud Judæos ſecta. Ibid. typis Belleri, 1629. fol.

Matthæus ac Machabæus, ſive Conſtantia, Tragœdiæ ſacræ; cum *Elegiis* aliquot. Ibid. apud Bogardum. 1587. 8.

Ezechiel Propheta, paraphraſi poëticâ illuſtratus. Ibid 1598. 4.

Leguntur & alia ejuſdem Carmina, inſerta Poëmatibus Fed. Jamotii: & in Fama poſtuma Juſti Lipſii *Elegia* eſt *Apologetica pro* LIPSIO, benè longa, ab *Hoio* ſcripta.

Præterea *Gaſparis Loarti Meditationes in Paſſionem Chriſti* è gallicis latinas fecit, & tetraſtichis adornavit. Duaci, apud Bellerum, 8.

Franciſcum item *Ariam de Imitatione B. Mariæ*. Antverpiæ 1602. 12.

Vitam Jacobi de Vitriaco, Cardinalis è Thoma Cantipratenſi, aliiſque deſcripſit, præfixam Hiſtoriæ Orientali ejuſdem Jacobi de Vitriaco, cui & Notas breviores adjecit; typis Belleri, 1597. 8.

Proverbiales denique *formulas*, à *Tertulliano* uſurpatas, explicavit; editas à Jacobo Pamelio, cum Tertulliani Operibus.

Deceſſit octogenario major, filio relicto *Timotheo Hoio*, Congregationis Oratorii Presbytero, patriſque in Profeſſione ſucceſſore.

ANDREAS KETELIUS,

Brugenſis, J. U. Doctor, & in ſuprema Flandriæ Curia Cauſſarum patronus, Poëta, & Orator diſertus; varii argumenti, & pleraſque funebres, Lovanii, Duaci, atque alibi, Orationes habuit, Venetiæ Bononiæ & Pariſiis excuſas. Scripſit &

De Tragedia Aldenardenſi, ſeu de crudelitate hæreticorum in Presbyteros Catholicos ibidem, ad Giſlenum Timmerman Abbatem S. Petri Gandavi.

Item *Orationes Alexandrinas*, in laudem Alexandri Farneſii, Belgicarum ditionum Gubernatoris. Vide Antonium Sanderum, de Scriptoribus Brugenſibus.

ANDREAS LEMNIUS,

Zelandus, Medicus, ſcripſit

Epiſtolam ſatis longam, *quâ Urinæ ſtudium, & ex ea morborum prævidentiam*, commendat.

ANDREAS MAROCQUIN,

Giſleniani in Hannonia Cœnobii Monachus Benedictinus, *Annales Eccleſiaſticos*, ſive *Geſta SS. Martyrum, à Notariis S. R. E. Summorum Pontificum juſſu conſcripta*, variis è Bibliothecis collegit, & in Tomos IV. digeſſit: deque *Geſtis SS. Confeſſorum* Tomos duos conſcripſit. Exſtant MSS. in Monaſterio S. Giſleni.

Vivebat anno 1606.

ANDREAS MASIUS,

Natus Lenniaci juxta Bruxellam, Lovanii puer admodum Philoſophos inter excelluit in Pædagogio Lilienſi, & anno 1533. primum in promotione locum obtinuit. Pòſt Juris Utriuſque ſtudio operam dedit, Laureâque Doctorali inſignitus, Cliviorum Duci meruit tandem eſſe à conſiliis.

Vir fuit πλειόγλωττος: nam præter italicam, gallicam, hiſpanicam, ceteraſque Europę linguas, etiam latinæ, græcæ, hebraïcæ atque ſyriacæ cognitione non vulgari claruit; *Moſen Mardenum*, Patriarcham Antiochenum, Romæ anno 1553. in ſyriacis nactus inſtitutorem doctoremque.

Fuit *Joanni à Weza* Epiſcopo Conſtantienſi ac Lundenſi Archiepiſcopo à Secretis, cui & elogium ſcripſit, quod legitur apud Gaſparum Bruſchium in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ. Habuit tunc familiarem, iiſdem ſtudiis deditum, *Sebaſtianum Munſterum*, ad quem frequentes dedit litteras, & latinas & hebraïcas; eaſque tam doctas, Munſteri judicio, ut illum vel inter Judæos ſolum educatum teſtarentur: alioſque familiariter coluit, atque in his *Lævinum Torrentium*, & *Augerium Busbequium*, qui *Maſii* potiſſimùm conſilio ſe dignitate creviſſe profiteri ingenuè ſolet.

Demùm Guilielmo Cliviorum Duci à conſiliis, Antverpiam à Philippo II. Rege Catholico evocatus, Bibliorum editioni verè regiæ adornandæ, unà cum Benedicto Aria Montano, Guidone Fabricio, aliiſque, præpoſitus fuit. Edidit typis Plantinianis anno 1570.

Grammaticam Syriacam: opus novum, & Latinis antè intactum. Item *Syrorum Peculium*: hoc eſt, Explicationem Vocabulorum apud Syros paſſim uſurpatorum. Leguntur iſta in Regiorum Bibliorum Apparatu.

Tranſtulit quoque è Syriaco *Commentarium de Paradiſo*, ante annos prope 700. à *Moſe Bar-cepha* Syro ſcriptum: item *B. Baſilii* Λειτουργίαν. Antverpiæ iiſdem typis, 1569. 8.

Moſis præterea *Mardeni*, Jacobitæ, Patriarchæ Antiocheni, apud Gregorium XIII. Pontificem Legati, *Profeſſiones Fidei duas*: itemque *Epiſtolas* duas, alteram *Sullakæ Mozellani Neſtorianorum Patriarchæ* (quo & familiariter Romæ uſus eſt:) alteram *populi Neſtoriani ad Pont. Max.* è ſyriaco latinè interpretatus eſt. Ibid. 1569. 8.

Explicationem in Hiſtoriam Joſuæ Imp. à morte authoris excudit idem Plantinus 1574. fol. In qua tamen expungenda quædam eſſe monuerunt Cenſores Romani. Extat rurſus inter Criticos ſacros, auth. Pearſonio & Walthono, anno 1660. & 1698.

Item *Diſputationem de Cœna Dominica*, oppoſitam Calviniſtarum impiis corruptelis, 1575. 4.

Vivere deſiit Zevenariæ Cliviorum, anno D. 1573. 7. Idus Apriles.

ANDREAS PAPIUS,

Gandavenſis, Flander, Lævini Torrentii Epiſcopi Antverpienſis è ſorore nepos, Coloniæ primùm, pòſt Lovanii, litteris græcis latiniſque operam dedit, & ſimul Juris Utriuſque ſtudio animum applicuit; Muſicus ad hæc & Poëta elegans, ab anno ætatis 18.

Dionyſium Alexandrinum de ſitu orbis: & *Muſæum de amore Erûs ac Leandri*, de græcis totidem verſibus latinos fecit.

Item *Priſcianum Dionyſii Interpretem* è MSS. recenſuit; omnia cum ſcholiis. Antverpiæ typis Plantinianis 1575. 8.

Scripſit & *de conſonantiis ſive harmoniis muſicis*, contra vulgarem opinionem. Ibid. 1581. 8.

Leodium ab Avunculo Torrentio, tunc ibidem Vicario generali evocatus,

dum ſummis caniculæ ardoribus æſtûs temperandi gratiâ Moſæ ſe committit, natando periit anno 1581, vix annos 30. natus. Sepultus in Eccleſia Collegiata D. Martini, in qua Canonicatum obtinuerat. Poſitum ei fuit hoc Epitaphium.

TRISMEGISTO ORBIS SERVATORI.
Dardanidæ, Auſonii, Gandenſes, Muſica, Phœbus,
Multijcii flêrunt triſtia fata PAPI:
Qui cum plus nimio maleſidis credidit undis
Corpus, abit Moſæ ſub vada ceſa miſer.
ANDREAS PAPIUS, Gandenſis,
Hujus Ædis Canonicus,
Utriuſque Linguæ peritiſſ.
Muſicus & Poëta optimus,
Magni illius Lævini Torrentii
Antverp. II. Epiſcopo
Nepos & alumnus,
Dum ſyrios pertæſus ardores,
Ad lontigerorum turrim
Aquæ ſilenti ſe committit,
Meando, remeando, tandem fatiſcens
Occidit, Id. Julii CIↃ. IↃ. LXXXI.
Triduo poſt hîc ſepultus.
Vivat, & æthereâ luce fruatur.
Hoc PAPIO *poſuit* JANUS *collega* GUILELMUS.

ANDREAS PEVERNAGE,

Flander Cortracenſis, artis muſicæ coriphæus, & in æde primaria Antverpiæ phonaſcus. Vir ad modeſtiam factus, & totus candidus, , quæ in muſicis mirêris (quibus cum leviuſculis notis annata levitas videtur.) Compoſuit, teſte Swertio in Athenis Belg.

Cantiones Sacras, quas *Moteta* vocant, & *prophanas*, 4. 5. 6. 7. 8. vocum; typis Plantini anno 1578. & Phaleſii anno 1591.

Collegit *Harmoniam Cæleſtem*, ex excellentiſſimis muſicis, typis Phaleſii.

Diem extremum clauſit Antverpiæ, ibique ſepultus, in Eccleſia Cathedrali B. M. V. hoc Epitaphio:

M. ANDREÆ PEVERNAGIO,
Muſico excellenti,
Hujus EccleſiæPhonaſco,
Et Mariæ filiæ,
Maria Haecht Vidua & FF. mœſt. poſſ.
Obierunt hic XXX. Julii, ætat. XLVIII.
Illa II. Febr. ætat. XII. CIↃ. IↃ. LXXXIX.

❖ ❖ ❖

Joannes Bochius S. P. Q. Antverpienſi à Secretis, amico magno hos verſus luſit ex tempore:

Laudibus Iſmarium divinis Græcia Vatem
Ornat, ut indomitas flexerit arte feras;
Blandaque Dircæas animarunt cantica rupes,
Fecit & Ogygios condere muſa lares.
Delphinus poſitâ juvenem feritate recepit,
Dum canit in medio naufragus ille mari.
Lesbius, ut fama eſt, modulis Terpander amœnis
Spartanos potuit conciliare truces.
Hermogenem jactant alii; nos vincimus omnes,
Andrea, Muſæ laudis honore tuæ.

ANDREAS RANTER,

Friſius, è germanico librum *adverſus Judæos à Joanne Pefferkornio* ſcriptum, ad Maximilianum Imperatorem latinè reddidit. Coloniæ, 1510. typis Henrici de Nuſſia.

ANDREAS SCHOTTUS,

Franciſci filius, Franciſci Frater, Antverpianus, è Societate Jeſu, naſcitur anno 1552. pridie Idus Septembris. Puer Lovanii Philoſophiæ Peripateticæ operam dedit in Caſtrenſi Gymnaſio, & Rhetoricas præceptiones ibidem tradidit. Diſcipulus tum illi *Petrus Pantinus*, quem poſtea Academiæ & peregrinationis ſuæ comitem Duaci, Lutetiæ, atque in Hiſpania habuit. Ipſe *Cornelio Valerio* ac *Theodorico*

Vico Langio, hoc Græcæ, illo Latinæ, in Collegio Trilingui, linguarum Profeſſoribus; atque amicis *Juſto Lipſio*, *Ludovico Carrione*, *Suffrido Petro*, *Popmannis* fratribus, *Guilielmo & Theodoro Canteris*, aliiſque familiariter uſus eſt.

Anno 1576. direptâ ac fœdatâ ferro flammiſque Antverpiâ, Duacum venit, & in familia vixit Illuſtris Viri Philippi Lanoii Turquoini Toparchæ, ad quem elegantiſſima atque aurea, de peregrinatione utiliter inſtituendâ, Juſti Lipſii eſt epiſtola, cuique *Schottus* Sextum Aurelium Victorem de Viris illuſtribus inſcripſit.

Duaco Lutetiam conceſſit, in familiamque adſcitus *Augerii Busbequii* Ferdinandi & Maxæmiliani II. Cæſarum apud Solimanum Turcarum Imperatorem Ex-Legati, acceptum ab eo lapidis Ancyrani fragmentum (in quo breviarium eſt imperii Auguſti) è Galatia allatum, primus edidit.

Hîc amicos repperit, iiſdem deditos ſtudiis, *Claudium Puteanum*, *Joſ. Scaligerum*, par fratrum *Petrum & Franciſcum Pithœos*, *Joannem Paſſeratium*, *Nicolaos Fabrum & Guilonium*, *Papirium Maſſonum*, ceteroſque. Biennio lapſo, in Hiſpanias à parente miſſus, *Eliam Vinetum* Burdigalæ de viâ ſalutavit.

Hæſit primùm Madriti in aula, poſt Compluti menſes octo ſubſtitit. Inde anno 1580. Toletum ſe contulit, itineris comitem nactus Reverendiſſimum *Guilielmum Lindanum*, Ruræmundenſem Epiſcopum, ad luſtrandas urbis & Eccleſiæ reliquias. Hîc Alvaro Gometio innotuit, Græcarum litterarum Profeſſori: quo vita functo, *Schottus* Salmanticâ evocatus, favente *Antonio Covarruviâ*, Didaci fratre, ac ſuperatis competitoribus, Cretenſi uno & duobus Hiſpanis, cathedram obtinuit, atque à *Gaſparo Quirega* Cardinale & Archiepiſcopo Toletano in familiam vocatus, eidem toto triennio adhæſit, & ſimul Græcas docuit litteras. Erat tunc Garſiæ Loyaſæ à Bibliothecis *Pantinus*, ac *Schotti* in Profeſſione Toletana ſucceſſor: qui naſcente Academiâ Cæſarauguſtanâ, eodem evocatus, Rhetoricas præceptiones & ſimul græcam tradebat linguam.

Præerat tum Eccleſiæ Tarraconenſi Archiepiſcopus *Antonius Auguſtinus* J. U. D. quocum *Schottus*, dum à negotiis publicis curiſque Eccleſiæ integrum illi eſſet, communia habuit ſtudia, & de ſtudiis colloquia. Atque ex illius ædibus in Societatem Jeſu, voti reus pro ſalute patriæ concepti, commigravit, ſalutis anno 1586. ipſo Paſchatis feſto die, poſtridie Nonas Aprilis, ac ſacræ militiæ tirocinia Cæſarauguſtæ poſuit.

Ex Hiſpania dein in Italiam trajecit, & Romæ, Superiorum juſſu, Oratoriæ artis explanandæ provinciam accepit, tranſlato ad vitam meliorem Franciſco Bencio. Triennio ibidem exacto, in patriam poſtliminio rediit, quæ deinceps illi felicis atque honeſtæ ἀκαδημίας vitæque ſtatio fuit.

Multa ſcripſit, & ab aliis ſcripta eruit, recenſuit, Latioque donavit: cujuſmodi ſunt,

In *Scriptorem de Viris illuſtribus Notæ* uberiores. Duaci, 1577. 4.

In *Sexti Aurelii Victoris Hiſtoriam Auguſtam*, à ſe primò erutam editamque; & in ejuſdem *Epitomen*, typis Plantini, 1579. 8.

In Æmilium Probum ſive *Cornelium Nepotem de Vita Impp. Græcorum* Francofurti apud Marnium, 1600. fol.

In *Pomponium Melam de ſitu orbis*; additis & Parallelis eorum, quæ *Mela* ex *Herodoto* deſcripſit. typis Plantini, 1582. 4. item Helmſtadii 1635.

In *Senecæ Rhetoris Controverſias & Suaſorias*, græcis lacunis expletis. typis Commelini. 1603. & Pariſiis 1606. fol.

Proceedings of the Physiological Society, 1–2

Physiological Society

Proceedings of the Physiological Society

Proceedings of the Physiological Society, 1–2

induſtriâ prodiêre : *B. Ennodii*, Ticinenſis Epiſcopi Opera, è MSS. emendata. Tornaci, 1610. 8.

Favonii Eulogii Carthag. in Somnium Scipionis Ciceronis Diſputatio. Antverpiæ 1613. 8.

Stephani Winandi Pighii Annalium Romanorum Faſtorum Tomus II. & III. demandatâ eâ curâ ab auctore ultimis Tabulis eidem *Schotto*. typis Plantinianis 1615. fol.

Huberti Goltzii Sicilia, Magna Græcia, & Inſulæ, cum *Notis Schotti* : itemque *Faſti Siculi*, ad Capitolinos emendati. Ibidem typis Henrici Aertſenii, 1617. & 1618. fol.

Antonii Auguſtini Antiquitatum Romanarum Hiſpanarumque in Nummis Veterum, Dialogi XI. Latio donati ; auctique duodecimo *Schotti, de Priſca Religione, ac Diis Gentium*. Ibid. 1617. fol.

Philothei Angli de mundi contemptu libellus aureus, à *Schotto* primùm editus. Ibid. 12. apud Bernardum Gualterum.

Claudiani Mamerti de ſtatu animæ libri III. Notis aucti : & *Pontius Paulinus* caſtigatus. Ibid. 1618. in Bibliotheca Patrum.

Joannis Roſini Antiquitates, capitibus III. auctæ ; videlicet *de Familiis Roman. de Tribubus, deque feſtis Diebus ac Ludis*, è Calendario.

Catalogus Scholaſticorum Theologorum, ſeu Interpretum S. Thomæ 4. Coloniæ prodiit 1618.

Index Authorum Romanorum, externorum & Medicorum, qui à Plinio in naturali Hiſtoria citantur ; item Græcorum Latinorumque, qui de ponderibus, menſu is, ac de Re Nummaria ſcripſerunt. 8. Antverpiæ 1616.

Epiſtolarum Pauli Manutii libros XIV. Coloniæ 1624. *& Ludovici Granatenſis Opera* 1628. evulgavit.

Moritur Antverpiæ tenaſmo, anno 1629. IX. Kal. Februarii, ætatis anno 77. quieſt climactericus major.

Vitæ ſuæ decurſum ipſe *Schottus* amicorum rogatu, paucis ante obitum menſibus propriâ manu deſcripſit, legebaturque apud Gaſparem Gevartium J. C. Antverpiæ, atque ex ore ejuſdem ferè deſumpta ſunt, quæ hîc ſuperiùs ſcripta ſunt.

Encomium alterum R. P. *Andreæ Schotti*, cum quibuſdam animadverſionibus, lege in Notitia Litteraria P. Niceron Pariſiis editâ, Tomo XXVI. pag. 61.

ANDREAS SILVIUS,

Vulgo Du Bois, Marchianenſis in Flandria Cœnobii Benedictini Prior, hortatu & juſſu Petri, primùm Ciſtertienſis Abbatis, poſt Epiſcopi Atrebatenſis, ſcripſit

De rebus geſtis, & ſucceſſione Regum Francorum, ex familia *Merovingica*, libros III. quos *Raphael de Bello-Campo*, ejuſdem Monaſterii Religioſus, variis Notationibus Appendicibuſque illuſtratos, edidit titulo *Synopſeos Franco-Merovingicæ*. Duaci, 1633. 4. typis Petri Bogardi.

Hiſtoriam vitæ & Miraculorum S. Rictrudis : nam illius auctorem & ſtylus & temporis ratio arguit fuiſſe *Andream Silvium*, teſte eodem Raphaele, & anno 1168. vixiſſe conſtat ex libro II. cap. XXIV.

Obiit Silvius anno 1194. menſe Februario, octogenario major.

ANDREAS A STREITHAGEN,

Mertzenhauſſiæ prope Juliacum familiâ non ignobili oriundus, prima litterarum tirocinia Juliaci fecit, ac reliquum deinde curſum Coloniæ abſolvit. Inde Heinsbergam à Collegio Canonicorum evocatus, regimen Scholæ atque organi ibidem ſuſcepit : quam provinciam totos 30. annos, & am-

pliùs, firmis ſemper lateribus, ſuſtinuit. Vir in omni ſcientia egregiè verſatus, potiſſimùm tamen in Poëtica, Muſica cùm harmonica tum organica, atque Arithmeticæ parte difficillima, quam Algebram vocant. Scripſit

De Diva Virgine Aſpri-Collenſe, Juſti Lipſii fidem ſecutus, libros IV. verſu elegiaco, puro & eleganti.

Libellum Chrono-dyſtichorum.

Echonem miſcellaneam. Coloniæ, apud Joannem Kinckium, 1622. 12.

Epigrammata, *Vitam S. Ganguiphi*, *Paraphraſin Pſalmorum Davidicorum*, aliaque. Filium reliquit *Petrum à Streithagen*, civem & Canonicum Heinsbergenſem, Muſicum, Poëtam, Hiſtoricum, libriſque editis clarum.

ANDREAS DE TRAJECTO,

Monachus Ordinis S. Benedicti, Cœnobii Spanheimenſis, Congregationis Cluniacenſis, ſcripſit, recenſente Trithemio Spanheimenſi Abbate,

Soliloquium hominis ad Deum, librum I. *Dum olim divina, &c.*

De Profectu virtutum librum I. *Egreſſus forſan &c.*

De Abſtinentia carnium. Tuæ fraternitatis &c.

De Uſu Floccorum.

Collationes, *Epiſtolas & Carmina*: omnia hactenus incognita.

Obiit anno Domini 1445. in Cœnobio Spanheimenſi.

ANDREAS TRICQUET,

Malbodienſis Hanno, annos natus 26 & jam Sacerdos, Societatem Jeſu amplexus eſt anno 1618. Octuagenario major è vita migravit Tornaci die 18. Septembris 1668. Scripſit gallicè

Vitam S. Aldegundis Virginis, Malbodienſium Patronæ; prodiit in 4. Tornaci 1666. editio ſeptima.

ANDREAS LE VAILLANT,

Duacenus, S. T. B. Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini in Monte S. Eligii, juxta Atrebatum, Monaſterii ſui Prior per annos 25, & unico anno Abbas. Dedit vernaculo idiomate

Hiſtoriam ejuſdem Monaſterii, cum Serie Abbatum.

Fato præreptus eſt 10. Maii 1625, ætatis anno 57; cum Eccleſiam variis donariis exornaſſet; ſed propter infirmam valetudinem benedictionis ſolemnia ſuſcipere non potuit.

ANDREAS VALLENSIS,

Vulgo DEL VAULX, Andanâ, Comitatûs Namurcenſis municipio, oriundus, prima juventutis ac litteraturæ ſpatia decurrit Leodii. Hinc Duacum ablegatus, Philoſophiam in Marchianenſi ibidem Collegio biennii ſpatio didicit, totoque ſeptennio docuit, atque interim in Juriſprudentia eos progreſſus fecit, ut Collegio Baccalaureorum J. U. nomine Fiſci ac Decani fuerit præfectus.

Lovanium accitus anno 1598. poſt annos aliquot Philoſophicæ Profeſſioni in Caſtrenſi Pædagogio impenſos, anno 1607. Regiis auſpiciis Decretæ prælegere cœpit, Doctorque J. U. & Canonum Profeſſor Ordinarius anno 1610. die 28. Septembris renunciatus fuit, Collegam nactus *Henricum Zoeſium*, Amersfortium, ſuis quoque ſcriptis & eruditione celebrem. Collegio item Winckeliano annis tredecim præfuit.

In docendo aſſiduus erat, in conſulendo ac judicando ſyncerus, totus candidus, bonus ac modeſtus: ad illuſtriorem etiam fortunam reſervatus, ſed à Scholis Academicis abduci nunquam potuit: nullibi jucundiorem libertatem, quam in ſtudiis conſtituens.

Digitized by Google

ANDREAS VESALIVS

Edidit insigne opus, Scholæ & Foro accommodatum

Paratitla, sive *Summariam & methodicam Explicationem Decretalium D. Gregorii Papæ IX.* Lovanii typis Cornelii Coenesteinii, 1628. 1632. 1640. & Antverpiæ apud Bellerum eodem anno in 4. & aliàs.

De Beneficiis libr. IV. Opus posthumum, primò prodiit Mechliniæ 4. 1646, curâ Nepotis ejus *Andreæ Delvaux*, J. U. L. in supremo Consilio Advocati.

Symbolum sibi assumpserat: PURPURAM SAPIENTIA PERFICIT. Reliquit & quosdam Tractatus ineditos, qui apud consanguineos delitescunt: videlicet

Commentaria in omnes Gratiani distinctiones.

Responsa in Jure Canonico.

Tractatus de Decimis.

De immunitate rerum Ecclesiæ.

De Legibus.

De consuetudine.

De potestate Concilii universalis.

De Dispensationibus.

Responsa in Jure civili.

Tractatus de Empto, Vendito, Locato & Conducto.

Communes contra Communes &c.

Moritur Lovanii anno 1636. die XXVI. Decembris, in Divi Petri ad Aram Virgini Dei-paræ sacram depositus.

ANDREAS VERMAEDIUS,

Arnhemius, Gelder, Societatis Jesu, multis in ea perfunctus laboribus, Coloniæ, Spiræ, & alibi; demum anno 1603. ætatis 58. Spiræ decessit. Ejus legitur

Epistola ad Justum Calvinum, quâ novem ipsius Quæstionibus de Fide respondet; inter Epistolas Catholicas ejusdem Calvini, Moguntiæ anno 1601. excusas.

ANDREAS VESALIUS,

(Sic dictus, à Wesalia, Cliviorum opido, unde *Andreæ* origo, è *Wittingorum* familia) natus est Bruxellis, anno à salute parta 1513. pridie Kalendas Majas, patre *Andrea*, avo *Everardo*, atavo *Joanne*, abavo *Petro*, omnibus primi nominis Medicis. Nam *Everardus* patris sui *Joannis*, apud Mariam Burgundam, Maxæmiliani I. Imperatoris conjugem, in medendo vices juvenis adhuc obire cœpit, & annos nondum natus XXXVI. vivere desiit. *Joannes* verò Medicinam Lovanii in extremo senio, ætateque ad aulam ineptâ, docuit. Is autem *Petrum* habuit parentem, & ipsum non incelebrem Medicum.

Andreas noster juvenis Lovanii, Coloniæ, Parisiis, Medecinæ operam dedit, nactus hîc præceptorem *Jacobum Silvium*, eruditissimum & celeberrimum artis Medicæ Professorem. Ab illo institutus, ingenio & labore, ad summa mox pertigit. Anno enim 1537. Patavii publicus Anatomes Professor & Archiatros Cæsareus, mox Anatomicorum princeps audiit, in infirma adhuc ætate, at firmato formatoque judicio; adeò ut *stupendum naturæ miraculum* non injuriâ à Gabriele Fallopia fuerit appellatus.

Postea Pisis docuit, octingentorum coronatorum stipendio, auspiciis Cosmi Medicei, Tuscorum Ducis, in cujus etiam aula aliquamdiu vixit.

Vixit & Venetiis, atque anno 1546. unà cum Bernardo Navagerio Reipublicæ Venetæ Oratore ad Ratisbonenſia Imperii Comitia profectus fuit. Vixit & Basileæ, ibique in Theatro anatomico artis & industriæ suæ specimen sceleton reliquit, uti in publicis illic Inscriptionibus memoratur. Scripsit latinè, annos vix natus XXVIII.

opus admirandum, & figuris excellentiſſimis adornatum,

De Humani corporis Fabrica, libris VII. Baſileæ 1543 & 1554. Venetiis 1568. & 1604. Amſtelodami 1617. & 1640. fol. Germanicè Norimbergæ, 1551. Gallicè Pariſiis typis Andreæ Wechelii, 1569. fol. Epitomen operis ejuſdem excudit Baſileæ Joannes Oporinus, celebris ibidem Typographus.

Examen Obſervationum Anatomicarum Gabrielis Fallopii. Venetiis 1564. 4.

Chirurgiam magnam, à Proſpero Bergarutio editam, unà cum inſtrumentorum Chirurgicorum formis. Venetiis 1569. 8.

Paraphraſin in librum IX. Rhaſis Arabis, de Affectuum ſingularum corporis partium curatione. Baſileę, 1537. 8. 1551. 16. Witenbergæ, 1587. 8. typis Cratonianis.

Epiſtolam, de Vena axillari dextri cubiti in dolore laterali ſecanda, Baſileæ 1539.

Item alteram, *de Ratione propinandi radicis Chinæ decocti.* Lugduni 1547. 16. edente fratre ejus *Franciſco*, Venetiis Baſileæ & alibi. In qua etiam ad *Jacobi Silvii* ſententiam reſpondet de Anatomes ratione; *Veſalius* enim contendit, nimium Galeno fidendum non eſſe, quippe quem non homines, ſed alia animalia ſecuiſſe aſſerat.

Prodiit denique manu ejuſdem emendata tranſlatio libri *Galeni de Venarum arteriarumque ſectione*, Venetiis cum Galeni Operibus, apud Juntas.

Aulicæ tandem vitæ atque uxoris jurgioſæ rixarum pertæſus *Veſalius*, viſendæque Paleſtinæ ſtudio ac religione ductus, unà cum *Malateſta Ariminenſi*, Cyprum indeque Jeroſolymam adiit. Tempeſtate in Zacynthum Inſulam, ad patriam reverſurus ejicitur, ibique mortem Medicus effugere non potuit. Conditus eſt in eâ inſula, in templo *B. Mariæ*, cum hac ſimplici Epigraphe:

ANDREÆ VESALII,
Bruxellenſis, tumulus,
Qui obiit Idibus Octobr. MDLXIV.
Ætatis ſuæ LVIII.
Cum Jeroſolymis rediiſſet.

Juſtus Ricquius Gandenſis C. R. & Canon. hoc illi etiam ſcripſit Epitaphium.

Veſalii cineres, venerandaque gentibus oſſa,
Quiſquis remotâ contueris Inſula,
Qui jacet incultis nemoroſa Zacynthos arenis,
Gradum, Viator, & laborem ſiſtito,
Naturæ hîc genium, finemque extremaque rerum
Vidiſſe credens, cætera inſanus labor.

Porro *Andreæ Veſalii Opera omnia, Anatomica & Chirurgica*, denuò prodierunt fol. 2. vol. cum figuris Lugduni Bat. 1725. curâ *Hermanni Boerhave*, Med. Doctoris.

Plura de eo vide in Lindenide renovato, & in Notitiis litterariis Niceronii, Tomo V. pag. 135. Elogium ejus olim quoque contexuêre, *Miræus*, & in libro de claris Medicis *Petrus Caſtellanus*, poſt *Petrum Bizarrum* Genuenſem in belli Cyprii Hiſtoria. Quin & ipſe *Veſalius*, de vita & majoribus ſuis alibi præfatur.

ANGELINUS GAZÆUS,

Atrebas, è Societate Jeſu, *Alardi* & *Nicolai* frater, luſit inſigni & ingenii & ſtili acrimoniâ, *Pia Hilaria*, Jambis expreſſa, & *Elegias* aliquot, quas inter *de Angelo Tutelari* excellit. Duaci, 12. typis Belleri, & auctiùs Antverpiæ typis Plantinianis 1629.

Acceſſit *Piorum Hilariorum* tomus alter, Inſulis 1638. 12.

Octuagenario major deceſſit Valencenis Kal. Martii 1653.

Digitized by Google


Digitized by Google

ANIANUS COUSSERE,

Caſletenſis Flander, ex Monacho ac Præpoſito Winocibergenſi Ordinis S. Benedicti, electus Abbas Aldeburgenſis juxta Brugas anno 1451; Vir piùs ac doctus, magnuſque hujus Cœnobii benefactor, cujus & Eccleſiam à fundamentis reſtauravit. Migravit ad meliorem vitam ſecundo Kalendas Junii 1462. ſepultus in choro illius Eccleſiæ. Scripſit

Chronicon univerſale ab origine mundi, uſque ad annum 1457. lectum fuit MSS. in Bibliotheca Aldeburgenſi.

ANNA BYNSIA.

Virgo Antverpienſis, ac Ludimagiſtra: quam morum caſtitas, Religionis orthodoxæ atque Romanæ tuendæ zelus, & rythmica, ut vocant, poëſis celebrem fecerunt, etiam apud exteros, poſtquam *Eligius Eucharius* libros XVI. Rythmorum ejus theutonicorum (quorum altero in Lutherum & illius aſſeclas acriter invecta eſt,) verſibus Latinis expreſſit.

Hieronymus Clichtoveus S. Theologiæ Licentiatus ſcribens ad Lævinum Crucium, epiſtolâ, quæ præmittitur hujus Paræneſi ad Potentatus Chriſtianos &c. *Gaudeo ſanè*, inquit, *Muſas divino famulari ac inſervire cultui: & quod* Anna Bins, *virgo pudiciſſima, ac Rhetor noſtras Antverpiæ egit in Lutherum, & illius aſſeclas, vernaculâ linguâ, ſuaviterque ſonantibus rythmis, id Crucium uberiùs, & multò quidem efficaciùs, carmine tentaſſe latino.*

Arte pares Lesbis Sappho & mea Bynsia, *diſtant*
Hoc ſolo: vitia hæc dedocet, illa docet.

ANNA MARIA A SCHUERMAN,

In Diœceſi Colonienſi honeſtis parentibus, ſed à Religione Catholica alienis, nata. Ab ipſa, uti videtur, adoleſcentiâ, in morum honeſtate educata, ac humanioribus litteris impenſè dedita, poſtea ingreſſa Philoſophiæ fontes, ipſaque etiam Theologiæ Calvinianæ principia, celebris Muſæ nomen inter ſuos acquiſivit. Unde creſcente famâ, cum eminente doctrina ſexûs feminei, miraculum ſeu naturæ prodigium, ob ingenii ſtupendi fœcunditatem, apud Batavos deprædicabatur. Pari digna laude, ob ingentem & inauditam linguarum cognitionem: nam (quod fermè inauditum eſt) nullam ſive Orientalem, ſive Occidentalem ignorabat. Præ ceteris callebat Hebraïcam, Chaldaïcam, Syriacam, Turcicam, Græcam, Latinam, Gallicam, Anglicam, Italicam, Hiſpanicam, Germanicam, ac Belgicam; eratque in omnigenæ litteraturæ ſtudio verſata.

Quæcumque etiam manu confici ac mente concipi poterant, ipſa tenebat; ac ſignanter picturam, ſculpturam, ac phrygionicam artem, aliaſque quæ ſunt mulierum curæ. Hinc etiam contigit, ut dum omnium eſſet admirationi, litterarum commercium contraxerit & amicitiam cum doctiſſimis pleriſque Viris, qui tunc per Europam claruerunt.

Quin & celeberrimæ Reginæ, Ludovica Maria Gonzaga Uladiſlai IV. Poloniæ Regis conjux, dum anno 1645. in Poloniam profecta eſt, & Chriſtina Succorum Regina, dum relictâ Succiâ Romam progrederetur, ſelectam hanc Virginem Annam Schuermanam, Ultrajecti ſalutarunt, ejuſque eruditionem admiratæ ſunt.

Poſtremis vero vitæ ſuæ annis, pſeudo-principiis *Joannis de Labadie* ejuſque hypocriſi deluſa, dum ille nil niſi vitam Apoſtolicam deprædicare videbatur; in eoſdem errores incidit Anna Schurman, publicè aſſerens, ſe op-

Scripſit & juſſu ſuperiorum *Vitam propriam, ac mirabilia quæ in ea operatus eſt Dominus; uti & Inſtructiones, ſeu Monita ſua ad Moniales Antverpienſes*; quæ primùm idiomate gallico Antverpiæ anno 1646. prodierunt; dein *cum auctario de morte ejus & miraculis, ac Vita quarumdam ejuſdem Antverpienſis Cœnobii Monialium pietate illuſtrium* Bruxellis apud Joannem de Smedt, anno 1708. in 8.

ANSEGISUS,

Abbas Ordinis S. Benedicti, collegit anno 827.

Capitula Caroli Magni & Ludovici Pii Impp. ad ſecularem & Eccleſiaſticam politiam ſpectantia, Libros IV. quos *Petrus Pithœus* primùm edidit Pariſiis anno 1588. in 8. & multò auctiores, cum additionibus & Gloſſario, ibidem anno 1603.

Hæc autem omnia Capitularia, cum aliis aliorum Regum plurimis hinc inde comparatis Capitularibus, 2. in fol. Tomis evulgavit, collatis inter ſe compluribus MSS. exemplaribus, *Stephanus Baluſius*, anno 1677. apud Franciſcum Muguet, Typographum Pariſienſem Regium.

Crediderunt plerique (atque imprimis Miræus & Valerius Andreas) Anſegiſum hunc fuiſſe Abbatem Lobienſem in Diœceſi Cameracenſi, perſuaſi authoritate Sigeberti, qui de eo ita ſcripſit ad annum 827. *Anſegiſus Abbas Laubienſis, Edicta Imperatorum Caroli Magni & Ludovici Pii ad Eccleſiaſticam Legem pertinentia, in duobus libellis expreſſit: item Edicta eorumdem, ad mundanam Legem pertinentia, in duobus æquè libellis digeſſit.*

Sed nullus antiquior *Sigeberto* reperitur, qui iſta referat: imo Fuiquinus vetuſtus author, qui Hiſtoriam Monaſterii Laubienſis ante Sigebertum deſcripſit, nullam Anſegiſi mentionem facit: uti nec illi, qui veterum Abbatum Laubienſium ſeriem dedêre.

Ita exactiſſimus *Baluſius* in Præfatione ſuis præcitatis Capitularibus præmiſſâ, Num. 39. & 40. ubi ea adjudicat *Anſegiſo* Fontanellenſis ſeu S. Wandregiſili Cœnobii in Normannia Abbati, qui floruit ſub Carolo Magno & Ludovico Pio, mortuuſque eſt anno 834. XIII. Kalendas Auguſti. Plura vide apud *Joannem Mabillon* Sæc. IV. SS. Ordinis S. Benedicti Tomo I. pag. 630. &c.

ANSELMUS BOETIUS,

Vulgò *de Boodt*, Brugenſis, Rodolphi II. Imperatoris Cæſareæque aulæ interioris Medicus, reliquit

Gemmarum & lapidum Hiſtoriam cum fig. Francofurti 1609. Hanc poſtmodum *Andreas Tollius*, Lugduno-Batavus, Medicus Doctor recenſuit; figuris melioribus & Commentariis pluribus illuſtravit, & Indice auxit locupletiore. 8. Lugd. Bat. anno 1636, atque iterum 1647.

Item Tomis II. quibus *Symbola divina & humana Pontificum, Impp Regum &c* Jacobus Typotius complexus eſt, adjecit tertium, Pragæ 1600. fol.

ANSELMUS,

Decanus ad D. Virginis Namurci, & Canonicus ac Scholaſticus Leodicenſis in D. Lamberti, claruit anno 1150. Rogatu Idæ, Cœnobii Cæciliani apud Colonienſes Abbatiſſæ,

Epiſcoporum Leodienſium res geſtas, ad ſua uſque tempora deſcripſit, à S. Theodardo ad obitum Waſonis Epiſcopi, qui in annum Chriſti 1148. incidit: quod Harigeri (cujus etiam hiſtoriam continuâ orationis ſerie ſcriptam in ſectiones ſive capita diſtinxit)

Duacenſis, Societatis Jeſu, Hebraïcè ac Græcè in primis eruditus, quas Linguas in Conimbricenſi apud Luſitanos Academia docuit. Fato functus Inſulis Flandrorum die 21 Auguſti 1626. ætatis 55, ab initâ Societate 38. Edidit

Græcæ Linguæ Breviarium. Duaci, typis Bogardi, 1626. 8.

ANTONIUS L'EVESQUE,

Presbyter Bappalmenſis in Arteſia, dedit

Enchiridion Catholicum : in quo forma, neceſſitas, & utilitas orandi Deum ob oculos ponitur. Duaci, 1611. 12.

ANTONIUS MATTHÆUS,

Alter ſui ævi *Papinianus*, origine licet Germanus, ob diuturnam in Groningana apud Batavos Academia habitationem ac profeſſionem, nec non ob relictam in Belgio Clariſſimorum filiorum numeroſam proſapiam jure merito hîc annumeratur.

Obtigit ei natale ſolum Francoberga Haſſorum, quò graſſante Marpurgi peſtilentiâ ſedes ſuas tranſtulerat Academia, anno 1564. die 27. Decembris, iis parentibus & majoribus, qui Alsfeldiæ, quò originem familiæ referunt,

Marpurgi ac per Haſſiam ultra ſæculum claruerunt.

Patrem habuit Conradum Matthæum, ſupremi Haſſorum Dicaſterii Aſſeſſorem, nec non Marpurgenſis Academiæ Profeſſorem & Syndicum; Matrem Urſulam Wemeriam: Fratres tres litterarum gloriâ celebres, Philippum Mathæum J. U. D. Parentis in Profeſſione Marpurgenſi ſucceſſorem, Henricum Eccleſiaſten Palatinum, & Joannem Archiatrum Naſſovicum & Scholæ Herbornenſis Profeſſorem.

Ipſe cum ingenio valeret, in diſciplinam traditus fuit Pœdagogiarchæ Marpurgenſi Juſto Vultejo, ex cujus ſchola ſolida doctrinæ fundamenta ad Academiam attulit, in album ſtudioſorum relatus anno 1581. Primum triennium curſûs Academici diſcendæ Philoſophiæ, reliquum tempus Juriſprudentiæ impendit, luſtratis etiam aliis Scholis Academicis, Heidelbergenſi, Wittembergenſi, Altorfienſi, & Helmſtadienſi; in quâ poſteriore Academia Inſtituta & Pandectas privatim explicuit.

Interea contraxit nuptias ſub initium anni 1586. cum Eliſabetha filiâ Eckardi Schulteri, qui Haſſiæ Principibus ab Archivis erat, ex quo numeroſa proles progerminavit, marium novem & trium femellarum.

Anno 1594. in Academia Marpurgenſi J. U. Doctor renunciatus, paulo poſt Herbornam ad Profeſſionem juridicam à Joanne Comite Naſſoviæ fuit vocatus. Hinc à Mauricio Haſſiæ Principe ſub finem anni 1606. Marpurgum accerſitus ad Juris Civilis Profeſſionem, in eâ ſtatione annos 19 perſeveravit, donec anno 1625. in Academiam Groningenſem auctoritate Illuſtrium Ordinum ad Juris Profeſſionem traduceretur. Ibi hemiplexiâ tactus, è vivis exceſſit 28. Maii 1637. ætatis anno 63.

Quatuor filios habuit, in quatuor Academiis, Caſſellis, *Joannem*, qui fata Patris biennio antevertit, Ultrajecti *Antonium* Patri cognominem, Groningæ *Conradum*, & *Chriſtophorum* in Gymnaſio Harderwicano, illos Jurium, hos Medicinæ Doctores clariſſimos.

Opera ab eo edita ac ſæpius reimpreſſa, ſunt ſequentia.

Notæ & Animadverſiones in Libros IV. Inſtitutionum Imp. Juſtiniani.

Collegia Juris ſex, unum Fundamentorum Juris, alterum, tertium & quartum Inſtitutionum, quintum Pandectarum, ſextum Codicis; quibus adjectæ ſunt quædam Diſputationes extraordinariæ. Prohibita Romæ anno 1642 & 1646.

Diſputationes XVII. de Judiciis, 12. Amſtel. 1630. & alibi ſæpius.

Orationes Juridicæ.

Tractatus de Auctionibus, cujus liber I. de Venditionibus, II. de Locationibus quę ſub haſta fiunt 4. Ultrajecti, Antverpiæ, & alibi.

Diſputationes de Succeſſionibus

. . . *De Matrimonio & Tutelis.*

. . . *De Obligationibus XLII.*

. . . *De Criminibus VII. & de Servitute VII.* cum Miſcellaneis.

. . . *De Jure Municipali.*

Paræmiæ Belgarum, Juriſconſultis uſitatiſſimæ: item Jus & praxis tam in bonis allodialibus, quam in feudalibus 4. Ultrajecti; Bruxellis 1694 &c.

Scripſit etiam *Commentaria in varios Digeſtorum & Codicis Titulos*, quæ apud filios hæredes aſſervabanrur.

ANTONIUS MEYERUS,

Jacobi ex Henrico fratre nepos, natus eſt Vleternis, juxta Balliolum Flandriæ opidum, ac ludum litterarium, patrui exemplo, cum fructu & laude, quoad vixit, aperuit.

Fuit Gymnaſii Thenenſis triennio,

Rex v. Hall, 3 Burr. 1636 1
Rex v. Hall, 1 Rus. & Ry. 463 1
Rex v. Hall, 3 C. & P. 409 1
Rex v. Hall, 1 Moo. & Rob. 476 1
Rex v. Hall, 3 Stark. 494 1
Rex v. Hall, 1 Wils. 301 1
Rex v. Hall, 2 Wils. 235 1
Rex v. Hall, 1 Wm. Bl. 366 1
Rex v. Hall, 2 Wm. Bl. 1110

Ursum : de rebus S. Vedasti Episcopi Atrebatensis libros III. Parisiis 1580 8.

Catonem Christianum, seu Institutionem paræneticam ad pietatem, libris x.

B. Nili Episcopi & Martyris Gnomas, carmine redditas.

Item *Isocratis ad Damonicum Paræneſin.* Cameraci, 1561. 4.

Threnodiam, seu Illustrium Virorum Epicedia & tumulos. Atrebati. 1594. 4.

Addunt alii alia: *Strenas ad Amicos*: *Joannis Austriaci Victoriam de Turcis ad Naupactum*: *Epithalamia sacra & profana*: *Epigrammata*: *IV. Hominis Novissima &c.*

ANTONIUS OBERT,

Medicus Audomarensis, scripsit

Paræneſin de venæ sectione in pleuritide adversus Fernelii & Fuccii paradoxam sententiam, 1629.

Item *Anastichioſin apologeticam pro Paræneſi sua*, adversus Lud. du Gardin, Med. Doct. Duac. 1641. 4. Audomaropoli.

ANTONIUS D'OULTREMANNUS,

Natus Valencenis in Hannonia, ibidemque in Abbatia S. Joannis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Prior ac Parochus, atque ab anno 1636. Abbas, usque ad 1642, quo è vivis excessit. Vir eruditus, ac signanter in historiis & antiquitatibus multùm versatus, scripsit

De Origine & Fundatione sui Monasterii.

Item *Res gestas & Vitas singulorum Abbatum.*

ANTONIUS PEREZIUS,

Alpharo, veterum Vasconum (Variam nominat Plinius) opido, ad Iberum flumen sito oriundus, XII. annorum adolescens, unà cum patre in comitatu Serenissimi Principum Alberti & Isabellæ, in Belgium delatus, studiorum suorum encyclopædiam partim Bruxellæ, partim Lovanii absolvit; acceptoque Juris titulo anno 1611. Idibus Septembris, Bruxellas reversus, anno uno in Audientia (ut vocant) militum negotiis intendit.

Susceptâ inde, *ut mores hominum multorum urbesque videret*, peregrinatione, pleraſque Galliæ atque Italiæ Academias lustravit, ac Bononiæ publicum scientiæ in utroque Jure specimen exhibuit.

Ex hac peregrinatione in Belgium redux factus, Lovanii sedem laremque fixit, & post exercitam annis aliquot juventutem, anno 1614 pridie Kal. Septembris J. U. Doctor renunciatus, primùm Regiis auspiciis Institutiones Imperiales toto novennio explanavit; post suffragante Magistratu urbico Legum Professor Ordinarius constitutus est, ac postremò Judex supremus Regii in Palatinatu exercitûs: exauctoratoque exercitu ad togatam forensemque militiam rediit.

Ob singularem utriusque Juris petiam, summo apud omnes honore habitus fuit *Perezius*, cujus in rebus arduis consilium undique expetebatur. A Rege Catholico titulum Consiliarii honorarii cum ampliore stipendio promeritus est. Sed tamen indignationem Regiam incurrit postmodum, eò quòd incautè judicium protulisset in causa Reginæ Christianissimæ uxoris Ludovici XIV. Galliæ Regis, qui jura sua in quasdam Belgii Provincias extenderat. Hinc contra Perezium scripsit Clariss. *Petrus Stockmans* J. U. D. Lovan. Brabantiæque Consiliarius.

Vivere desiit provectæ ætatis emeritusque Professor, Lovanii anno 1674. Posteritati reliquit

Prælectiones, sive Commentarios in Li-

Digitized by Google

bros IX. Codicis Juſtinianæi, in 4. Lovanii 1639; tum auctiores ibidem 1642. ac rurſus adjectis tribus poſterioribus libris ejuſdem Codicis auctiores Lovanii 1651. fol. apud Viduam de Witte; & in 4. tribus Tomis Amſtelodami apud Elzevirios 1661. & alibi ſæpiùs.

Inſtitutiones Imperiales, Erothematibus diſtinctas & explicatas. 8. Lovanii 1634. & 1639. dein etiam Pariſiis, Antverpiæ, Lugduni Bat. Coloniæ, & alibi in Germania ſæpius recuſas.

Commentarium in Libros XXV. Digeſtorum 4., 2. Vol. Amſtelodami 1669. apud Elzevirios, & alibi ſæpius.

Jus publicum, quo arcana & jura Principis exponuntur. 12. Amſtelodami apud Elzevirios 1657. & alibi.

Ne quis erret, fuerunt & alii duo itidem Hiſpani, doctrinâ inſignes & ſcriptis clari, quibus idem nomen *Antonii Perezii*; prior Ordinis S. Benedicti, Theologus, alter J. U. Doctor Bononienſis; qui ambo circa annum 1620. vixerunt.

ANTONIUS PERRENOT,

Tametſi Burgundus, Belgis tamen meritò accenſendus venit, apud quos ab ineunte ætate præcipuis functus eſt dignitatibus. Natus eſt Kalendis Septembris 1517. Veſuntione Sequanorum Metropoli (vel in vicino vico de Ornans) Patre *Nicolao Perrenot*, Domino de Granvelle, *Caroli* V. Cæſaris Cancellario & ab intimis Conſiliis, matre *Nicolaâ de Bonvallot*, Nobili muliere. Studiorum curſum in omni diſciplinarum genere per celebriores Chriſtiani orbis Academias diligenter tranſegit; atque imprimis Lovanii Philoſophiæ operam dedit in Pœdagogio Caſtri, unà cum Cornelio Janſenio, Auguſtino Hunnæo, aliiſque doctiſſimis commilitonibus.

Anno 1539, ætatis XXII. promotus ad Epiſcopatum Atrebatenſem, paulò poſt, unà cum patre ad Concilium Tridentinum à Paulo III. Pont. indictum, Cæſareæ Majeſtatis nomine ſe contulit, ibique ad Patres qui convenerant, anno 1543. ſexto Idus Januarii, Orationem habuit eloquentem. Fuit & in Eccleſiis D. Rumoldi Mechliniæ & B. Mariæ Ultrajecti Præpoſitus, in Cathedrali Leodienſi Canonicus, in Cameracenſi Archidiaconus Bruxellenſis, Abbas quoque Commendatarius S. Amandi in Belgio, S. Vincentii Veſuntione, & S. Petri Luxovienſis in Burgundia.

Poſt *Carolo V.* imperio ſponte ſe abdicante, atque è Belgis in Hiſpaniam tanquam in portum vitæ tranquillioris ſecedente, Granvellanus, velut fidus Achates Philippo filio additur. Inde virtutis merito, à Pio IV. Pont. S. R. E. Cardinalium Senatui adſcriptus, primus Mechlinienſium Archiepiſcopus anno 1561. renunciatur. Rebus deinde in Belgio conſtitutis, cum Rex Philippus patris Auguſti exceſſu in Hiſpaniam revocaretur, Margaritæ Auſtriacæ, regias fratris vices ſubituræ, publicarum curarum comes datur.

Exorto poſtea funeſto civilique apud Belgas tumultu, invidiæ cedens, anno 1564, in Burgundiam ſeſe contulit: relicto ad regimen Diœceſis Mechlinienſis, Vicario generali & Archidiacono *Maximiliano Morillono*, dein Epiſcopo Tornacenſi. Inde mox à Rege Catholico in Hiſpaniam evocatus, perpetuò eidem carus, ſummisque honoribus auctus eſt. Neapolitanis, Pro-Regis imperio præfuit anno 1575. In Hiſpaniam revocatus anno 1580. dum in Luſitaniam Rex expeditionem ſuſcepiſſet, æquabili eam jure adminiſtravit. Dimiſſo Mechlinienſi Archiepiſcopatu, Veſuntinenſem anno 1584. obtinuit, uti & Epiſcopatum Sabinenſem, qui Senioribus Cardinalibus ſolet deputari.

Demum ſeptuagenario major deceſſit è vita Mantuæ Carpetanorum (Madritum hodie vocant) anno 1586. XI. Kalendas Octobris. Laudavit eum pro funere *Joannes Baptiſta Saccus*, & in Hercule ſuo Prodicio *Stephanus Winandus Pighius*, aliique ſæculi ſui Mœcenatem variis elogiis proſecuti fuêre.

Formâ fuit heroïca, atque imperio dignâ; ſummâ etiam morum facilitate, & in eruditos ſingulari, dum vixit, liberalitate. Septem linguas ita calluit, ut ſingulas nativas dixiſſes; memoriâ tantâ, ut alter quaſi Julius Cæſar, quatuor ſæpe aut quinque ſcribas, de arduis Reipublicæ negotiis variis linguis dictando, fatigaret. Amorem vero erga litteras arteſque humaniores teſtatur imprimis patria Academia Veſuntina, ab illo inſtaurata.

Oratio ad Reverendiſſ. Legatos Concilii Tridentini Præſides, quam anno 1543. quinto Idus Januarii ibidem habuit, eodem anno Antverpiæ in 8. typis Martini Nutii excuſa fuit.

Decreta & Statuta Synodi Provincialis Mechlinienſis, die 11. Julii 1570. inchoatæ, & die 14. ejuſdem menſis concluſæ, præſidente *Martino Rithovio* Epiſcopo Iprenſi, nomine & loco Reverendiſſimi D. Cardinalis *Antonii Perrenot* Archiepiſcopi Mechlinienſis. Edita anno 1571. in 8. & 4. typis Plantinianis, & aliàs ſæpius.

Acta Secundæ Synodi Provincialis Mechlinienſis, Lovanii habitæ menſe Maio 1574. nomine antedicti Cardinalis. Extant primùm edita per PP. Benedictinos Congregationis S. Mauri, Tomo IV. Theſauri Anecdotorum pag. 447. Pariſiis anno 1717. Sed Actis iſtis non acceſſit ab Apoſtolica Sede confirmatio.

Reliquit idem Cardinalis Granvellanus XXXIV. *Volumina Litterarum* MS. poſt ejus obitum recollecta curis *Julii Chiffletii* Abbatis Balernenſis ac Metropolis Eccleſiæ Veſuntinæ Canonici, & *Joannis Boiſot*, Abbatis S. Vincentii ibidem: quæ in hujus Abbatiæ Bibliotheca aſſervantur. Meditabatur Abbas Boiſot eaſdem cum vita Cardinalis Granvellani in lucem edere: ſed per mortem ejus anno 1694. impreſſio non ſucceſſit, uti nec ab annis paucis, dum quidam iſtam editionem MSS. jam inchoaverat in Hollandia.

Continentur autem hîc Litteræ, pleræque Originales, *Caroli V. Philippi II. Mariæ Reginæ Hungariæ, Eleonoræ Reginæ Galliæ, Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ, Margaretæ Parmenſis Gubernatricis Belgii, Maximiliani Morillon Vicarii Generalis, Joachimi Hopperi, Viglii, & aliorum; cum reſponſis & annotatis Cardinalis Granvellani* E quibus intricatiſſima illorum tempora negotia, iſtiuſque Præſulis ſolertia ac pro tuenda Religione zelus, mirificè eluceſcerent, ſi lucem viderent.

ANTONIUS LE PIPPRE,

Inſulenſis, Vir Nobilis, ſcripſit librum gallicè, hoc titulo: *Intentions Morales, Civiles* &c. Antverpiæ 1622. 4. apud Bellerum.

ANTONIUS POPULIER,

Flander, miles juxta ac poëta, (teſte Swertio in Athenis Belgicis) gallicorum & latinorum verſuum ſcriptor egregius, impreſſorum Venetiis & Bononiæ. Ibi mortuus & ſepultus in D. Georgii templo, tali epigraphe:

Tantæ molis erat; talis vultuſque manuſque,
Brachia, crura; animum pingere nemo poteſt.

Antonio Populier, Flandro,
Caroli V. Rom. Imp. Laterano,
Cataphracto,

Digitized by Google

Amici mœrentes poſſ.
Obiit anno Domini M. D. XXX.
v. Januarii.

De mole illius nota; quod longus eſſet pedes Romanos antiquos octo, cum ½

ANTONIUS DE POVILLON,

Bethunienſis, Abbas ad S. Aubertum, Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, in urbe Cameracenſi, inſtallatus anno 1596. ſcripſit patrio idiomate

Tractatum de natura & qualitate ciborum.

Item *Hiſtoriam compendioſam Antiſtitum Cameracenſium, & Chronicon ſui Monaſterii MSS.*

ANTONIUS RUTEAU,

Hanno-Montenſis, Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, S. T. Lector Antverpiæ, primuſque Collegii ſui Ordinis Præſes in Academia Lovanienſi, Definitor, Priorque per Belgium Provincialis: Vir exactè & curioſè doctus, atque in hiſtoria, præſertim Eccleſiaſtica patriaque, admodum verſatus. Edidit

De Fructu & applicatione Sacrificii Miſſæ & Suffragiorum. libros III. Antverpiæ 1634. 4.

De Participationibus ſeu Litteris Fraternitatis: quibus Amici & Benefactores à Prælatis Religionum admittuntur ad communionem bonorum. Montibus, 1636. 8.

De Vita Quadrageſimali, quæ in ſacro Fratrum Minimorum Ordine ſub voto ſervatur, libri V. Lovanii typis Corneli Coeneſtenii, 1642. 8. item auctiores 1646.

Hiſtoriam Miraculorum, quæ ad invocationem B. M Virginis in Wavria inferiori edita feruntur, gallicè, ibid. apud Everardum de Witte 1642. 8.

Annales Provinciæ & Comitatûs Hannoniæ. fol. Montibus 1648. gallicè: collaborante *Franciſco Vinchant*, Preſbytero.

Commentariorum ac Diſputationum in priorem Partem D. Thomæ. Tomus I. de Deo Uno. fol. apud Viduam Joannis Havart. 1653. Sed Tomo II. conficiendo immortuus eſt Author, in Anderlacenſi Conventu juxta Bruxellam, die 9. Julii 1657. Varia ejus MSS. Montibus aſſervari dicuntur.

ANTONIUS SANDERUS,

Natione Flander, origine Gandavenſis, ex antiqua iſtic, & frequenti Magiſtratuum functione non incelebri *Sanderorum* familia; Antverpiæ tamen ad annum Chriſti 1586. menſe Septembri (quò tum mater ejus *Maria de Keyſer* cum marito ſuo fortè diverterat) natus fuit, & in Æde Cathedrali ſalutaribus undis tinctus.

Patrem habuit *Lævinum Sanderum*, Doctorem Medicum; avum *Joannem*, itidem Medicum, at defunctâ conjuge *Lævinâ Steenlantiâ*, nobili matronâ, in Æde Bavoniana poſtea Canonicum. Adoleſcens *Antonius* primùm Aldenardæ prima Latinæ Linguæ rudimenta hauſit, uberiuſque Gandavi humaniore litteraturâ in Gymnaſio Societatis Jeſu excultus fuit.

Mox Duaci, in Aquicinctina Schola Philoſophiæ ſtudia complexus, anno 1609. Kal. Octobris inter primos ſui curſus in Artibus Magiſterii titulum accepit. Poſt aliquam deinde in patria moram venit Lovanium, ubi Theologicas excepit Lectiones ſub Clariſſimis per ea tempora illius Academiæ Profeſſoribus, *Jacobis Janſonio* ac *Baio*, *Joanne Maldero*, atque aliis; indeque Duacum reverſus, Magiſtros illic non minùs celebres habuit, *Guilielmum Eſtium*, *Bartholomæum Petri* Lintrenſem, *Geor-*

gium Colveuerium & Franciſcum Sylvium; ſub quibus etiam Theologicâ laureâ donatus eſt ad annum ejuſdem ſæculi XIX.

A Carolo Maſio Gandavenſium Antiſtite Presbyter ordinatus, per annos plures in eodem Epiſcopatu paſtorale munus geſſit, in eam præcipuè curam incumbens, ut hæreſes noſtri temporis, ac Mennonis cumprimis Anabaptiſtæ, quæ illa præ ceteris loca infecerat, ad quæ miſſus erat, confutaret; errantes in viam Catholicæ veritatis reduceret, ac depravatos populi ſui mores emendaret.

Verùm cùm ob præſtita quædam Regi Catholico obſequia, diutiùs illi tutum non eſſet in locis illis, hoſtili Batavorum excurſioni obnoxiis, conſiſtere, commendante eum in primis Reverendiſſimo *D. Antonio Trieſtio*, Gandavenſi Epiſcopo, à Sacris factus eſt ac Secretis Eminentiſſimo *D. Alphonſo Cardinali de la Cueva*, tum in Belgica exiſtenti: cujus operâ commendationeque Furnenſis in Eccleſia Iprenſi Canonicus, ac mox Graduatus Morinenſium Canonicorum ſuffragiis in eadem Eccleſia electus eſt; in qua, poſtmodum etiam Scholaſteriæ dignitatem obtinuit, die 14 Decembris 1641 poſt diuturnam litem, atque ſententiam latam contra competitorem, Franciſcum de Charpentier dein Archidiaconum. E Scholaſtico conſtitutus fuit in eadem Iprenſi Eccleſia Pœnitentiarius anno 1654.

Vir ingenio doctrinâque elegans, par in utroque dicendique genere, ſive carmen Poëta pangeret, ſive pro concione Orator, atque Eccleſiaſtes verba faceret; aſt celeberrimus imprimis rerum Belgicarum Hiſtoricus. Compluraſcripſit evulgavitque: & quidem ab illo adhuc juvene primùm exiit in lucem

Funus Albertinæ Spinulæ: ad Gaſtonem Spinulam patrem.

Præludia Poëtica. Duaci, typis Laurentii Kellami, 1612. 8.

Poëmatum libri III. in quibus leguntur & *Lacrymæ in funere Sereniſſ. Belgarum Principis* ALBERTI *Auſtriaci*. Gandavi apud Joannem Lapidanum, 1621. in 8.

Diræ in Iconoclaſtas, cum Aſſertione brevi ſacrarum Imaginum. Ibid. apud Gualt. Manilium, 1618. 4.

Poëmata ejuſdem alia ibidem edita, 1633. in quibus inter cetera legitur *Protrepticon Pacis Belgicæ*, ad Alfonſum Cardinalem de la Cueva.

Funus Simonis Kerchovii, Presbyteri Canonici Gandavenſis, cum *Poëmatiis* quibuſdam antè non editis. Bruxellis, typis Joannis Meerbecii, 1626. 8.

Panegyricus Virgini Annuntiatæ, apud PP. Recollectos Gandavi dictus. Ibidem apud Gualterum Manilium, 1612.

Panegyrici IV. in laudem B. M. Virginis, in Sodalitate Mariana dicti. Ibid. apud Joannem Lapidanum, 1621.

Oratio de Incarnatione Domini, apud PP. S. I. habita. Ibid. 1623.

Præfationum ad varios liber. Ibid. 1622.

Panegyricus in laudem B. Thomæ de Villanova, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cognomento *Eleemoſynarii*, Archiepiſcopi Valentini, apud PP. Auguſtinianos dictus. Ibid. typis G. Manilii 1623. 4. Quem cùm in Hiſpaniam ad Archiepiſcopum & Canonicos Valentinos auctor deſtinaſſet, illi, in eximiæ gratitudinis argumentum, miſêre eidem non exiguam partem è femore ejuſdem Divi exciſam, legitimiſque teſtimoniis roboratam; (quæ deinde dono auctoris per manus Ampliſſ. Viri *Joannis Jacobi Chiffletii*, Archiatri Regii & Sereniſſimæ Principis ISABELLÆ, ſacris ejuſdem Lipſanothecis addita fuit) adjunctis humanitatis pleniſſimis litteris.

Encomium S. Iſidori, Agricolæ Hiſpani,

Digitized by Google

pani, patroni Madritenſis. Antverpiæ apud Guilielmum à Tongris, 1623. 8.

Elogium S. Angeli, Martyris Carmelitæ, Bruxellis typis Meerbecii, 1633. in 4.

Panegyris S. Andreæ Corſini, Carmelitæ, Epiſcopi Feſulani. Ibid. 4.

Hagiologium Flandriæ: de Sanctis ejus Provinciæ. Antverpiæ apud Guil. à Tongris, 1625. 4. & auctius Inſulis, 1639. 8.

De Scriptoribus Flandriæ libri III. Antverpiæ 1624. 4.

De Gandavenſibus & Brugenſibus eruditionis famâ claris. Ibid. 4.

Gandavum, ſive Rerum Gandavenſium libri VI. Bruxellæ apud Joannem Pepermannum, 1627. 4.

Diſſertatio parenetica pro Bibliotheca publica Gandavenſi ad Magiſtratum & proceres ejuſdem Urbis. Ibid. 1633. 4.

Elogia Cardinalium, Sanctitate, Doctrinâ & Armis illuſtrium. Lovanii, typis Cornelii Coeneſtenii, 1626. 4.

De claris Sanctitate & Eruditione ANTONIIS. Ibid. 1627. 4.

Auctariolum ad Nicolaum Serrarium & Jacobum Gretſerum, Theologos S. J. *de ritu Catholicarum Proceſſionum.* Ipris typis Joannis Belletti, 1640. 8.

Panegyricus ſacer anno ſæculari Jubileo Societatis JESU *dictus.* Ibid. 1642. apud Philippum Lobelium.

Conſiderationes utiles *ad acquirendam Dei ſuique ipſius cognitionem*, vernaculo ſermone. Bruxellę apud Joannem Meerbecium.

Flandriæ illuſtratæ Tomi II. cum tabulis Geographicis & iconibus Urbium, Eccleſiarum, Cœnobiorum, arcium &c. Coloniæ Agrippinæ apud Cornelium ab Egmond, ſumptibus Henrici Hondii, & Joannis Blauw, 1641, & 1644. in folio regali. Hos rurſus edidit anno 1726. & ſequentibus Chriſtianus van Lom Typographus Hagæ-Comitanus, tribus Tomis magno folio, cum fig.

Ephemeridum Eccleſiaſticarum libri XXIV.

Vindiciarum Biblicarum libri VI. Bruxellis 1650. 4.

De Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento libri III.

Diſſertationes Sacræ ac Politicæ, de cauſſis ac remediis calamitatum Belgicarum.

De cauſſis, malitia, fraudibus ac remediis hæreſion hujus temporis. libri XVIII.

Bibliotheca Belgica Manuſcripta, ſive Elenchus univerſa Codicum MSS in celeberrimis Belgii Cœnobiis, Eccleſiis, Urbium ac privatorum hominum Bibliothecis adhuc latentium. Inſulis, apud Toſſanum le Clercq 1641. in 4. Altera pars ejuſdem Bibliothecæ prodiit ibid. 1644. liber rarus.

Indiculus variorum Tractatuum, quos tam in ſacris & Eccleſiaſticis, quam in ſæcularibus diſciplinis uſu publico dedit idem Author. 4. Ipris 1645.

Elenchus Catholicorum S. Scripturæ Interpretum. 4. Lovanii 1649.

Bibliotheca Sacro-prophana, parandæ libraríæ ſupellectili imprimis commoda, complectens libros, quos Author habebat in Muſæo, etſi pauciores, ad annum 1657. Brugis 4.

Vita S. Auguſtini, per Gerardum Moringum; cum Elogiis ac Notis Antonii Sanderi 12. Antverpiæ 1644.

Chorographia ſacra Brabantiæ, ſive celebrium aliquot in ea Provincia Eccleſiarum & Cœnobiorum deſcriptio, imaginibus æneis illuſtrata, folio regio, 3. vol. Bruxellis apud Phil. Vleugaert 1659. & ſequentibus. Accedunt Deſcriptiones Domuum Regiarum, Conſiliorum, Pomparum funebrium, variorum Prætoriorum &c. Porro cum libri iidem eſſent rari ac cari, partim quia maxima pars Bruxellis anno 1695. in ædibus Typographi *Eugenii Frix*, incendio per miſſiles gallorum ignes excita-

to perierat, partim quia cæteri diſperſi erant: hinc novam *Illuſtratæ Brabantiæ* Editionem typis edidit anno 1726. idem *Chriſtianus van Lom*, Typographus Hagienſis, folio regio, in tribus Tomis, cum figuris, & uſque ad annum iſtum Supplemento Chronologico.

Paraverat quoque *Antonius Sanderus* Opera ſequentia, quæ ubi lateant Manuſcripta, hactenus ignoro.

Gallo-Brabantia, ſæcularibus & Eccleſiaſticis Deſcriptionibus & celebriorum quorumdam locorum imaginibus illuſtrata & in XVI. Libros diſtributa; ad majorem Teutonicæ Brabantiæ Chorographiam prævia.

Schediaſmata MSS. Mechliniæ, ſive Chorographica Deſcriptio Urbis Mechlinienſis, ejuſque Ditionis, cum Imaginibus.

Schediaſmata Antverpiæ MSS. ſive Chorographica Deſcriptio Urbis ac Ditionis Antverpienſis, cum fig.

Schediaſmata MSS. Lovanii, ſive Chorographica Deſcriptio Urbis, Academiæ & agri Lovanienſis, cum fig.

Schediaſmata MSS. Bruxellæ, ſive Chorographica Deſcriptio Urbis Agrique Bruxellenſis.

Tornacum & Tornaceſium &c. ut ante, cum fig.

Gallo-Flandria, ſive Urbium Inſulæ, Duaci, & Orchiaci Deſcriptio, cum Territoriis ad eas ſpectantibus MSS. cum imaginibus.

Schediaſmata MSS. Paralipomenon Flandriæ Teutonicæ, in duas partes diviſa, cum fig.

Res Bertinianæ, cum Epitome Rerum Teroanenſium, cum Imaginibus MS. Forte hic intellexit Author Chronicon *Joannis Iperii* Abbatis, quod tandem anno 1717. per Benedictinos S. Mauri Pariſiis evulgatum fuit.

Cæterum anno 1657 *Sanderus* Pœnitentiarii Iprenſis dignitatem Præbendamque, ut tantò liberius Hiſtoriographiæ vacaret, abdicavit. Interea cunctis opibus ſuis in hocce ſtudio conſumptis, ultimos vitæ dies ægrè protraxit, benigno gratuitoque exceptus hoſpitio in Abbatia Affligemienſi Ordinis S. Benedicti prope Aloſtum, ubi & mortuus eſt 16 Januarii 1664. ætatis anno 78. ſepultus ibidem ante Altare S. Mauri. Vir meliori ſorte dignus, libris editis perennem famam adeptus: & ob impenſam in Belgicis Antiquitatibus operam diligentiamque non vulgarem, inter primos Belgii Hiſtoricos celebratus.

Legitur Affligemii Epitaphium ſequens.

D. O. M.
ANTONIUS SANDERUS
Presbyter,
Piis fidelium precibus
Me commendo,
Et à miſericordia Chriſti
Expecto
Donec veniat immutatio mea. Amen.

ANTONIUS SCHOONHOVIUS,

Aliàs dictus, GISBERTUS ANTONII, DE SCHOONHOVIA, Batavus, Canonicus Brugenſis ad S. Donatianum, celebris fuit ob inſignem, quâ præditus erat, omnis antiquitatis, hiſtoriarum, linguarumque cognitionem. Primus in lucem dedit, è Bavonico Gandavi exemplari,

Eutropii Hiſtoriæ Romanæ libros x. integritati ſuæ, ipſumque adeò *Eutropium* ſibi reſtitutos, ſublatis iis, quæ *Paullus Diaconus* iis aut addiderat, Eutropii Hiſtoriam libris duobus producendo, aut de ſuo inculcarat. Quod & Georgii Caſſandri indicat diſtychon, in libri frontiſpicio:

Hactenus Eutropii *titulum, nomenque, ſed ipſum*
Nunc demùm, Lector, conſpicis Eutropium.

Digitized by Google

Excudit Baſileæ Oporinus, 1554. 8. iterumque 1552. adjecto libello

De *Dignitatibus utriuſque Imperii*, Orientis atque Occidentis, ac *Provinciarum Romanarum.*

Obiit anno 1557. alia relinquens præclaræ eruditionis monumenta, latitantia tamen pleraque apud amicos; ut teſtatur alibi Bonaventura Vulcanius; è quibus apud eum extitit doctiſſima *De origine Francorum Diſſertatio.* Hanc è Manuſcriptis primus eruit anno 1698. Antonius Matthæus, J. U. D. inter Veteris Ævi Analecta. Tomo I. pag. 57.

ANTONIUS SCHORUS,

Hooghſtratanus, Brabantus, Ciceronem, pulſâ barbarie, ſtuduit familiarem ſcholis reddere, ediditque

Theſaurum Ciceronianum: quo *Roberti Stephani* Theſaurum, ac *Marii Nizolii* Obſervationes methodo quadam contraxit. Argentorati, 1570. 4. 1580. 8. & alibi.

Phraſes Linguæ Latinæ, è Cicerone collectas, Baſileæ Coloniæ & alibi.

Dialogum de Ratione populariter tractandarum quæſtionum.

Rationem diſcendæ docendæque Linguæ Latinæ ac Græcæ. libros II. Argentorati. 1561. & 1596. 8. Priori *Ciceronis* imitari docet *Epiſtolas ad familiares:* altero *Iſocratis Paræneſin ad Demonicum* convertit, explanatque.

Alia hujus generis meditantem mors præpropera rapuit anno 1552. Lauſannæ apud Allobroges.

ANTONIUS SEBASTIANUS MINTURNUS,

De Trajecto, ſeu Ultrajectinus, Cardinalis Guilielmi Enckevordii quondam Domeſticus ac familiaris, anno 1559. creatus Epiſcopus Uxentinus ſub Archiepiſcopatu Hydruntino in Regno Neapolitano. Interfuit Concilio Tridentino ſub Pio IV. Pont. Tranſlatus inde ad Eccleſiam Crotoniatem ſub Archiepiſcopatu Rhegienſi in Calabria. Præſul ſane verſu & proſâ eruditiſſimus, plura reliquit ingenii ſui monumenta, quæ partim teruntur à doctis, partim latuerunt in Bibliotheca Cardinalis Montaltii, Sixti V. Pont. Nepotis.

Exceſſit circa annum 1574. Scripſit *Orationes Tridentinas de Officiis Eccleſiæ præſtandis.* Venetiis 1564.

Item Italicè: *Arte poëtica, nella quale ſi contengono i precetti eroici, tragici, comici, ſatirici, ed ogni altra poeſia* 4 Venetiis 1594.

Porro ad ejus ſepulchrum in Cathedrali Sacello, ubi Crotoniates Epiſcopi terræ mandantur, hoc poſt ejus obitum inſcriptum fuit Cænotaphium, ab *Andrea de Nola*, Patricio Crotoniate.

Tergemino Minturne potens idiomate Præſul,
Heu pietas ceſſas; heu decus omne ſiles!
Minturne venerande jaces; hac conderis urnâ,
Pontificale decus, Pontificalis honos!
Doctorum exemplar, vatum tu norma coruſcas,
Et Graiâ, & Latiâ, clare Poeta, Lyrâ.
Te lugent cives ornati pectore tinto,
Atque rogo pyræ triſtia thura ferunt.
Certatimque viri extollunt tot carmine laudes,
Et quia tam claræ ſunt monumenta togæ.
Hæc illi ad tumulum referunt, Divoſque precamur;
Luceat ut cineri lux ſine fine tuo.

ANTONIUS SEXAGIUS,

Vulgò Van t' Sestich; Bruxellenſis, Cauſarum in Conſiſtorio Machlinienſi patronus, edidit

Orthographiam Linguæ Belgicæ, præſertim Brabanticæ, & pronuntiandi rationem, Lovanii, 1576. 8. apud Joannem Maſium. Filios reliquit, *Joannem* Juris utriuſque Doctorem & Profeſſorem Regium Lovanii, *Guilielmum* in D. Quintini ibidem Parochum, & *Antonium*, Conſulari aliiſque muneribus functum Machliniæ.

ANTONIUS SILVIUS,

Dunkercanus Flander, apud Vilvordianos in Brabantia Gymnaſiarcha, ſcripſit

Colloquia Puerilia, cum gallica & flandrica interpretatione. Lovanii 1573 4. & Antverpiæ 1589. 8. Plantini typis.

Compendium Grammatices & Syntaxeos Deſpauterianæ. Antverpiæ apud Guilielmum Silvium, 1565. 8.

Obiit Antverpiæ, quò Belgici eum tumultus detulerant, conditus ad S. Michaëlem.

ANTONIUS SMETIUS,

Mechlinienſis, S. T. L. olim in Urbe Patria ad D. Virginem Parochus, dein Eccleſiæ Cathedralis Gandavenſis Canonicus & ab anno 1614. Archipresbyter, Eccleſiaſtes facundus; edidit

Orationem in Funere Caroli Maſii, Epiſcopi Gandavenſis, habitam.

Obiit Gandavi die 20. Januarii 1636.

ANTONIUS STRATIUS,

Audomarenſis, Societatis Jeſu, docuit Logicam, Eticam, Matheſin; obiitque Monaſterii Weſtphaliæ anno 1636. ætatis XLIV. die XVII. Novembris. Reliquit

Epigrammatum libros aliquot, qui à morte ejus prodierunt.

Item *Luſum anagrammaticum in nomen* Guilielmi Lamormaini, *ducentenis vicibus variatum.*

ANTONIUS SUCQUETUS,

Machlinienſis, Societ. Jeſu Theologus, Rector primus Collegii Machlinienſis, in quod introduxit Tyrones Novitios anno 1611. iiſque primus director præfuit, & anno 1615 Ludum Litterarium aperiri curavit. Dein Provinciæ Flandricæ Belgicæ Præpoſitus: edidit

Viam Vitæ æternæ, Iconibus elegantiſſimis curioſè illuſtratam. Antverpiæ apud Nutium, 1620. 8. Latinè, Gallicè, Flandricè.

Teſtamentum Chriſtiani hominis, libellum mole quidem exiguum, ſed virtute & pondere magnum atque eximium. Ibid. apud Joannem Cnobbarum 1625. in 16.

Moritur Pariſiis Româ rediens, an. 1626. ætatis LI. menſe Februario.

ANTONIUS THYSIUS,

Antverpienſis, Calviniſanus, Theodori Bezæ, aliorumque ſui temporis Sectariorum diſcipulus, Harlemi & Amſtelodami Miniſter (ut vocant) dein Theologiæ illius Profeſſor, primò in Hardrovicana apud Gelros Academia inde in Lugduno-Batava. Unus fuit è Deputatis ab Ordinibus Hollandiæ, ad transferendum ac revidendum *Biblia ſacra*, quæ juxta Decretum Synodi Dortracenæ datum anno 1618. in linguam Belgicam verſa, & anno 1637. cum Privilegio imo & expenſis Statuum præfatorum prodierunt fol. Leydæ & alibi.

„ In templo primario D. Petri Ley-
„ dæ extat hoc ejus Epitaphium.

„ ANTONIUS THYSIUS, S. Th.
„ Doctor & in hac Lugduno-Batava
„ Academia Profeſſor Ordinarius, bea-

» tam reſurrectionem (Chriſtianorum
» ſpem) hîc expectat. Obiit die 7.
» Novembris anno Domini M. D. C.
» XL. annos natus LXXV. & menſes
» tres.

ANTONIUS VAN TORRE,

Aloſtanus Flander, Societatem Jeſu ingreſſus anno 1632, variis in locis ſtudiorum Præfectus, in gratiam ſtudioſæ juventutis dedit in lucem latinè, gallicè ac flandricè,

Dialogos familiares, litterarum Tyronibus, pro pietatis, Scholæ, ludorumque exercitationibus utiles & neceſſarios. 8. Antverpiæ 1659. & alias ſæpius.

ANTONIUS WALÆUS,

Vernaculè DE WAELE, Gandavi natus anno 1573, juventutis annos egit in Gallia, ac ſignanter Genevæ, ibique Theodori Bezæ familiaritatem nactus, Calvinianum virus imbuit. Dein apud Batavos Franciſci Junii & Gomari auditor, ſuæque ſectæ Miniſter Middelburgi & Hagæ-Comitis, ac Pſeudo-Synodi Dordracenæ Aſſeſſor, demum in Academia Lugduno-Batava Doctor Theologus, magnam inter ſuos famam acquiſivit. Edidit

Compendium Ethicæ Ariſtotelicæ, ad normam veritatis Chriſtianæ revocatum. Lugduni Batavorum, typis Elzevirii 1627. 12.

Diſſertationem de Sabbatho. 8. Ibid. 1628.

Obiit anno 1639. pro funere laudatus à Joanne Polyandro à Kerckhove, Theologo Lugduno-Batavo. Cætera ejus Opera prudens ſilentio involvo, utique Romæ prohibita, & ab Eccleſiaſte ac Theologo Reformatorum profecta. Fuerunt illa omnia ſimul edita Lugduni Bat. 1643. 2. vol. fol.

ARNOLDUS AB AKEN,

Silvæducenſis, Sacerdos, vitæ integer, ſtudioſus & laborioſus in pœnitentium confeſſionibus excipiendis, ægrotiſque viſitandis, à capta Silvaducis Antverpiæ ſedem vitæ atque exilii delegit. Scripſit

Speculum Charitatis, Flandricè. Silvæ-Ducis, 1617. 8.

ARNOLDUS BAERT,

Bruxellæ naſcitur anno 1554 patre *Nicolao Baert* Regio Conſiliario, & Finantiarum ſive ſacri Ærarii in Belgio Quæſtore generali, matre *Anna vanden Eetvelde*, Patriciæ apud Lovanienſes ac Bruxellenſes familiæ. Philoſophiæ ſpatiis Lovanii decurſis, Legalis diſciplinæ curſum Duaci abſolvit, ſupremoque in utroque Jure Doctoræ gradu anno 1567. die 20. Nov. inſignitus, Lectiones extraordinarias loco primarii Legum Profeſſoris habuit.

Anno 1579. Decemviris Ordinum Belgii Coloniam Pacis ergò delegatis comitem ſe dedit, ibidemque publicis in Scholis, inter ceteras Juris partes, Feudales Conſuetudines interpretatus eſt. Bruxellam reverſus, Magiſtratum annis aliquot laudabiliter geſſit, donec anno 1598. ab Andrea Cardinale Auſtriaco, Belgicarum Provinciarum Gubernatore, ad magnum Concilium Belgicum Machliniæ promotus fuit.

Juris ſcientiâ, uſuque forenſi, atque in primis memoriâ Juriſconſulto neceſſariâ excelluit; adeò ut Pandectas Juris noſtri memoriter, Legeſque quamplurimas verſo etiam ordine recitaret. Edidit Lectiones extraordinarias tres Duaci habitas, Coloniæ typis Materni Cholini, 1579. 8.

I. *Ad L unicam* C. *De Sententiis, quæ pro quod intereſt proferuntur.*

II. *Ad L Vinum* 22. D. *De Rebus creditis, ſi certum petetur.*

Ezechiel, Daniel, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Tobias, Judith, Esther, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus.

Baruch, Epistola Jeremiæ, Canticum trium puerorum, Historia Susannæ, Bel et Draco, Oratio Manassæ, Libri Machabæorum.

Evangelium secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem.

Actus Apostolorum.

Epistolæ Pauli ad Romanos, Corinthios, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, Timotheum, Titum, Philemonem, Hebræos.

Epistolæ Canonicæ Jacobi, Petri, Joannis, Judæ.

Apocalypsis Joannis.

liæ, Germaniæ atque Italiæ Academiis, acceptoque tandem J. C. titulo, in patriam reverſus, Advocatorum numero adſcribitur, cauſſaſque annos aliquot egit.

Verùm dum interim annorum XVI. filius proleſque unica moritur, à moleſto & lubrico illo advocandi ſeu patrocinandi exercitio, ad amœniora ſtudia, unde abierat, reverſus, in inquirenda mediæ ætatis antiquitate (quâ maximè hiſtoria laborat) plurimùm temporis atque operæ poſuit, cum doctiſſimis etiam viris ea conferre ſolitus, quæ ad hiſtoriæ potiſſimùm Belgicæ elucidationem facerent. Auctor eſt *Buchelius*

Deſcriptionis Urbis Ultrajectinæ, quæ Tabulæ topographicæ ejuſdem urbis adhæret, editæ anno 1605.

Item *Diatribæ de Veteri Regimine Provinciæ Ultrajectinæ*, quam *Joannes de Laet* ſuæ Belgii Fœderati Reipublicæ anno 1630 inſeruit.

Dedit & *Deſcriptionem Florum, Fruticum, Herbarum &c. à C. R. Paſſoto F.* æri inciſorum, 1614.

Adjecitque *Appendicem Atlanti Gerardi Mercatoris à Jodoco Hondio* anno 1630. Amſtelodami edito.

Præterea *Joannis à Beka & Guilielmi Hedæ* Hiſtorias, peſſimè à Bernardo Furmerio habitas, cum exemplaribus MSS. contulit, adjunctis Commentariis & Notis uberioribus, *Corpuſque Hiſtoriæ Ultrajectinæ* formavit: cui operi excudendo annos natus LXXVI. immortuus eſt anno 1641. die 15. Julii, ſepultus ad S. Gertrudem, relictis libris omnibus ad uſum Bibliothecæ publicæ Ultrajectinæ. Operas verò ſubſidiarias à morte *Buchelii* contulit *Giſbertus Lappius à Waveren* I. C. Ultrajecti, 1642. fol.

ARNOLDUS BUDERICK,

Canonicus Regularis S. Auguſtini, ſacris profaniſque litteris, & vinctâ oratione æquè inſtructus, ante profeſſam in Rubea Valle Religionem, Protonotarius & Clericus Curiæ Romanæ, ac Bonifacii IX. Legatus, primus fuit Prior novi Monaſterii anno 1417. fundati in pago de Elzegem prope Aldenardam in Flandria per annos novem. Vitam piam complevit circa annum 1444. Scripſit

De modo ſervandi Ordinem Canonicorum Regularium.

Odarum de Laude Dei libros XII.

Epiſtolam Apologeticam, contra detractatores Monaſteriorum Ordinis ſui.

Dietarium: & alia, MSS. in Rubea Valle. Vide Joannis Buſſchii Chronicon Windeſemenſe lib. 1. cap XLII.

ARNOLDUS CATHIUS,

Leovardienſis, Friſius, Societatis Jeſu Theologus, Scripturæ Sacræ in Collegio Lovanienſi Profeſſor, ſcripſit

Paraphraſin & Notas in Canticum Canticorum, typis Plantin. 1625. 8.

Obiit Ruræmundæ anno 1629.

ARNOLDUS DURSTENIUS,

Scholæ Gaudanæ præfectus, ſcripſit Carmen Scholaſticum *De Nativitate D. Joannis Baptiſtæ.*

ARNOLDUS EYCKIUS,

Ultrajectinus, ibidem bonarum litterarum Profeſſor, edidit

Tabulas in Grammaticam Græcam, 1582. 4. typis Plantini.

Præcepta Decalogi, verſu Elegiaco reddita, formâ tabulæ.

Legitur & ejuſdem *Epithalamiorum* libellus.

Miraculorum variorumque motuum & eventuum ſuæ ætatis liber, quem ſummâ diligentiâ ſcripſerat, & mille florenorum pretio æſtimare ſolebat, periit incu-

riâ uxoris, divenditus cum ceteris ejus libris.

In *Eyckium* vivum non-nemo ita aliquando cecinit, ſtringens ex obliquo poëmata illius:

Cùm tua duritie ſuperent Epipramata quercum;
Jure tuum cingat querna corona caput.

Arnoldus Buchelius J. C. amico ſuo hoc Epitaphio parentavit.

EYCKIUS *hîc jaceo, quem Trajectina juventus*
Viventem coluit, poſteritaſque colet.
Moribus & geſtu vivo inſuper ore docebam
Nuper: nunc ſileo, ſed mea ſcripta docent.

ARNOLDUS FREITHAGIUS,

Embricenſis, Medicinæ Doctor, & in Academia Groningana Profeſſor, ex Italico *Baltaſaris Piſanelli* Medici Bononienſis, edidit Latinè

De Eſculentorum Poculentorumque facultatibus libro I. Genevæ in 12. 1620.

ARNOLDUS GERARDUS,

Laurentianus, qui pagus eſt Brugenſis agri in Flandria, ſcripſit

De Fide Catholica librum I. Coloniæ, typis Cholini, 1556. 8.

Obiit in patria, decurſâ prope ætate, anno 1591.

ARNOLDUS AB HAERSOLTE,

Swollæ, opido Tranſiſalaniæ, natus, I. C. doctiſſimus, dedit

Adverſaria de Actionibus tam Civilibus quàm Criminalibus, in partes VII. ſecundùm ordinem Pandectarum, digeſtis; typis Plantini, 1583. 8.

ARNOLDUS HAVENSIUS,

Silvę-Ducis anno 1540. familiâ ibidem honeſtâ ac nobili natus, poſt didicita patrio in ſolo prima litterarum rudimenta, Coloniam à patre ablegatus, Sophiæque præceptis imbutus, Inſtitutum Societatis Jeſu anno 1558. amplexus eſt, Doctorque S. Theologiæ anno 1573. renuntiatus, publicè eam explanavit, Rectorque Collegio Colonienſi præfuit.

Vixit in Societate annos præter propter ſeptem & viginti: atque exinde vitæ ſolitariæ amore captus, ſeſe Cartuſianis adjunxit, ætatis anno 46. quibus Lovanii, Bruxellis, Leodici ac Gandavi, totique adeò Provinciæ Prioris & Viſitatoris nomine præfuit, ac ſingulare vitæ exemplum præbuit. Scripſit

Hiſtoriam Cartuſianorum Ruremundenſium, qui anno 1572. ibidem crudeliter religionis ergò interempti ſunt.

Martyrium Cartuſianorum Anglorum, ſub Henrico VIII.

Exhortationem de obſervatione diſciplinæ Regularis & præcipuè Solitudinis &c. ad Cartuſianos. Simul Gandavi edita, 1608. 8.

Speculum Crudelitatis Hæreticæ; de crudelitate moribuſque priſcorum ac recentium Hæreticorum. Coloniæ, 1608. 8.

De Erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum: in quo libro *Vitæ Guilielmi Lindani ac Henrici Cuyckii, Epiſcoporum* Ruræmundenſium. Ibid. 1609. 4.

Orationem quodlibeticam *de Auctoritate SS. Patrum in decernendis Fidei dogmatibus*, edidit à morte auctoris Theodorus Petreius Coloniæ 1620. 8.

Scripſerat *de Vitæ Solitariæ præſtantia & utilitate*. Quod opus ad exitum perductum, morte præventus, typis dare non potuit.

Obiit piè Gandavi, anno 1611. pridie Aſſumptionis Deiparæ, ætatis 71.

ARNOLDUS HEIMRICIUS,

Eccleſiæ Collegiatæ D. Victoris Santenſis Decanus, nec non Canonicus & Cuſtos Eccleſiæ S. Lebuini Daven-

Daventriæ in agro Clivenſi natus; vixit anno 1460. ſcripſitque libros VI. *Sophologicos*; in quibus multa ad illorum temporum hiſtoriam pertinentia enarrantur.

Præterea carmine deſcripſit *Deportationem S. Victoris* anno 1465. factam. Eandem Deportationem carmine celebravit *Wilhelmus Cuſerus*, natus Calcariæ Cliviorum; qui ſub idem tempus floruit.

Item *Epiſtolam* prolixam & eruditam ſcripſit ad Ludolphum de Venna, Decanum Majoris Eccleſiæ Trajectenſis, datam anno 1476. quæ continet *Conflictum inter Patientiam & Fortunam Ruperti Archiepiſcopi Colonienſis, cum Hiſtoria Davidis Epiſcopi Trajectenſis.* Evulgavit eam haud pridem *Gerardus Dumbar*, Reipublicæ Daventrienſi ab Actis, Tomo I. Analectorum ſuorum pag. 347. Daventriæ 1719. in 8.

ARNOLDUS HELIUS,

Middelburgenſis, Zelandus, *Poëmata* varia luſit Norimbergæ excuſa in 8.

ARNOLDUS HESSELS,

Tungrenſis, Canonicus Regularis S. Auguſtini, vir litteratus & eloquens, magnæ prudentiæ ac hoſpitalitatis, quemadmodum in Chronico Tungrenſi legere eſt; qui poſt geſtum laudabiliter Monaſterii Tungrenſis Procuratoris officium, Prior electus eſt ordine decimus. Scripſit

Tractatum *De Peccatis mortalibus.*

Item *De Differentia inter Mortale & Veniale* MSS. Ibid.

Deceſſit ex hac vita Tungris anno 1486. Kal. Aprilis.

ARNOLDUS JOANNIS,

Dieſtenſis, *Nicolai Eſchii*, Beginagii Dieſtenſium Paſtoris, alumnus ac ſucceſſor,

Vitam ejuſdem Nicolai Eſchii latinè conſcripſit, hactenus ineditam.

Obiit anno Domini 1583. VIII. Idus Auguſti.

ARNOLDUS AB ISSCHA,

Cognomen à loco natali, Lovanium inter ac Bruxellam ſito, mutuatus, Ordinis Minorum, multis annis Guardianum Lovanii egit, pulſus Amſtelodamo atque Edamo è Batavis, ubi & carceres pro Fide Catholica paſſus fuit. Edidit vernaculo idiomate

Sermones quinque, quo modo ſalubriter in Chriſtum ſit credendum.

Officium B. MARIÆ popularibus ſuis vernaculè reddidit.

Moritur Confluentiæ in Diœceſi Trevirenſi, anno 1619. die XV. Martii, ſepultus in loco Capitulari.

ARNOLDUS KIEVIT,

Roterodamenſis, Vir Nobilis & Conſularis, J. U. D. pro ſuo erga avitam Catholicam fidem zelo, librum in 8. vernaculè ſcripſit, in quo *Controverſa inter Catholicos & Proteſtantes Capita* brevi & contractâ methodo proponuntur; authoris nomine ſub anagrammate *Turani Vekiti* expreſſo. Obiit in patria anno 1648.

Porro cum liber ille quintâ editione emendatus & auctus, prodiiſſet Lovanii anno 1648. apud Bernardinum Maſium; commoti fuêre Miniſtri Calviniani, cò quod omnium fermè Catholicorum manibus tereretur. Ideoque impugnatus fuit anno 1661. per *Petrum Cabeliauw*, Miniſtrum Lugduno-Batavum.

ARNOLDUS DE LALAING,

Vir Nobilis, J. U. Doctor ac Pro-

feſſor in Academia Lovanienſi, Caroli Audacis ac Maximiliani Cæſaris Conſiliarius intimus, Harlebacenſis Eccleſiæ apud Flandros ab anno 1460. Præpoſitus, uti & Eccleſiæ B. M. Brugis, ac tandem etiam in Cathedrali Leodienſi anno 1481 Præpoſitus Major. Mortuus eſt anno 1483. die 21. Martii Lovanii, ſepultus ibidem apud FF. Prædicatores in choro templi.

Scripſit ad Paulum Baenſtium, Rectorem Papienſem, *Epiſtolam de congreſſu Imperat. Frederici & Caroli Burgundiæ Ducis*: quam è gallico latinam fecit Rodolphus Agricola, excuſam Baſileæ 1518. in 4. cum aliis Rodolphi Opuſculis, & alibi.

ARNOLDUS LAURENTIUS,

Berchemius Flander, ex agro Aloſtenſi, carmen pangebat non infeliciter, ut liquet è *Piorum Carminum* libello, quem ab auctoris morte (quæ in annum 1559. incidit) Victor Giſelinus evulgavit, Antverpiæ typis Nutii, 1560. in 16.

ARNOLDUS LENSÆUS,

Belliolanus (vicus eſt Athenſis agri, apud Hannones: malè Guicciardinus aliique natum aſſerunt è Lenſio Arteſiæ opido) Joannis, Doctoris Theologi Lovanienſis, frater, Medicus ac Mathematicus Ducis Moſcoviæ, Antverpiâ accitus, edidit

Iſagogen in Geometrica Elementa Euclidis Antverpiæ Plantini typis, 1565. 8.

Periit in Moſcovia, cùm regni metropolis Moſcua tota à Tartaris incendio deleretur.

ARNOLDUS LUYDIUS,

Sive à Lude, Tungris familiâ patriciâ natus, Artium & S. Theologiæ Doctor Colonienſis, Sereniſſ. Cardinalis & Epiſcopi Principis Leodienſis *Erardi à Marca*, dum in ſtudiis ageret Pædagogus, Burſæque (ut vocant) ſeu Scholæ Laurentianæ multis annis Regens (in qua & Burſas ſive proviſiones tres, conſanguineis ſuis conferendas, fundavit) fuit unus è ſeptem in Ædе Metropolitana Canonicis Sacerdotalibus; ſcripſitque

Tractatum *Articulorum ſeu Propoſitionum XLIII. male-ſonantium*, ex libello *Joannis Capnionis* ſive *Reuchlini*, J. U. D. Germani, cui titulus, *Oculare Speculum*, deſumptarum. Coloniæ, typis Quentelii, 1512. 4.

Reſponſiones ad Articulos quinquaginta, deſumptos ex prædicto Speculo Oculari, quibus *Capnion* Judæorum Thalmud ſalvare viſus eſt, cum pro eodem *Capnione* ad Maxæmilianum I. Imperat. ſcripſiſſent *Gregorius Benignus*, Archiepiſcopus Nazarenus Romæ, & *Hermannus Nuenarius Comes*, Colonienſis Canonicus. Coloniæ, iiſdem typis 4.

Præterea opus ingens *Prælectionum in Joannem.*

Item aliud *in Euangelium Matthæi.*

Commentaria in Juvenalem; & Carmina nonnulla, quæ partim Tungris apud Regulares, partim Coloniæ MSS. adſervantur.

Obiit Leodii anno 1540. die XXVIII. Auguſti, in Cathedrali D. Lamberti Canonicus, Bibliothecâ Regularibus Tungrenſibus legatâ. Legitur ſepulcralis inſcriptio in clauſtris Cathedralis Eccleſiæ, ex oppoſito altaris D. Virginis ad Gradus:

Arnoldi *pia* Tungrenſis *locus hic tegit oſſa*,
Eximiâ quondam relligione ſenis.
Qui ſacræ Doctor Sophiæ venerandus, & ingens
Urbis Agrippinæ luxque decuſque fuit.
Lamberti hinc ſacra complevit in Urbe ſenectam,

Digitized by Google

Virtutis ſpeculum factus, & urbis amor:
Maturus, ſapiens, placidus, pius, integer, inſons,
Exemplo multos, conſilioque juvans.
Nunc premit oſſa lapis, nunc terram terra recepit,
Spiritus optatam tranſiit ad requiem.
O quàm grata Deo generatio caſta, nitenſque!
Quàm felix veris mens opulenta bonis!

ARNOLDUS MERSMANS,

Aloſtanus, Ordinis Minorum Theologus, variis apud ſuos officiis, cùm Provincialis tum Definitoris ac Lectoris, aliiſque præclarè obitis, varia quoque ſcripſit, Fidei Orthodoxæ propugnandæ, cæremoniiſque Eccleſiaſticis, atque imaginum ſacrarum cultui à Novatorum morſibus vindicandis in primis utilia, antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis jucunda, vacillantibus & dubiis in officio continendis idonea, erroneis in viam reducendis neceſſaria. Sunt autem iſta:

Theatrum Converſionis Gentium: ſive Chronologia vocationis omnium populorum ad Religionem Chriſtianam. Antverpiæ 1563. & 1572. 8. apud Plantinum.

De Rogationibus, Peregrinationibus, Hymnis & ſolemnibus Supplicationibus libri III. Lovanii, apud Joannem Bogardum, 1566. 8.

De ſancta Cruce ejuſque religioſâ adoratione. Ibid. 1568. 8.

De Veneratione ſanctarum Reliquiarum.

De Exomologeſi, ſeu *Confeſſione Sacerdoti facienda* Ibid. 1564.

De Pœnitentia publica & ſolemni. Ibid. 1564.

Oratio de fugienda conſuetudine Hæreticorum. Ibid. 1564. 8.

De Hæreticis accuſandis & deferendis.

De Purgatorio, ad Duciſſam Parmenſem.

Catechiſmus pœnitentium, ſive *Dialogus inter pœnitentem & Catechiſten.* Ibid. 1565. 8.

Davus perduellis, ſive *Rerum publicarum perturbator.* Ibid. 1568. 8.

De Quatuor plauſtris hæreticarum fabularum. Ibidem 1568.

Imagines mortis, cum Epigrammatis cuique figuræ ſubjectis. Coloniæ, 1567.

Medicina Animæ. Ibid. typis Birckmanni.

Vernaculè *de Euchariſtiæ Sacramento contra Sacramentarios* Antverpiæ 1567.

Obiit Lovanii anno 1578. die v. Septembris, epidemicâ lue tunc paſſim graſſante, ſepultus apud Minores in loco Capitulari, hoc Epitaphio

„ Anno Domini M. D. LXXVIII.
„ v. Septembris, contagioſâ lue ex
„ ergaſtulo carnis ereptus eſt Vene-
„ randus Provinciæ Pater & Defini-
„ tor, Frater ARNOLDUS Aloſtanus;
„ qui cum Provinciam in variis Ordi-
„ nis officiis præclarè ornaſſet, Ec-
„ cleſiamque Chriſti multis editis piis
„ Voluminibus illuſtraſſet, diem hîc
„ clauſit extremum. Cujus anima re-
„ quieſcat in pace.

ARNOLDUS MYLIUS,

Ex pago de Vryemoersheim, ditionis & Comitatûs Meurſenſis, oriundus, Typographus primùm Antverpienſis, poſt Colonienſis, qua in urbe Senatoris quoque munere functus fuit: dedit

Locorum Geographicorum Nomina antiqua & recentia; cum Abrahami Ortelii Theatro.

Principum & Regum Polonorum Effigies, cum *Commentario.* Coloniæ, 1594. fol.

Moritur lethargo Coloniæ, anno 1604. die 17. Novembris ætatis 64. ſepultus in D. Pauli Parochiali Eccleſia, hoc poſito Epitaphio.

D. O. M.
Ac ARNOLDO MYLIO;
Civi, Typographo, Senatori
Colonienſi,
Optimo, celeberrimo, integerrimo, &
BARBARÆ BIRCKMANNÆ,
Matronæ honeſtiſſimæ, conjugibus,
Intimis, parentibus bene meritis,
Huic XXIV. Aprilis anno Chriſti CIↃ.
IↃ. XCVI.
Illi XVII. Novemb. ann. CIↃ. IↃ. C. IV.
Piè defunctis,
Arn. Marg. Herm. Milii, Birchmanni,
Liberi meritò lugentes PP.
Patrem, anno necdum finito,
Secutus eſt *Arnoldus* filius,
Quem hîc depoſitum lugent
Superſtites.
Obiit VII. Septemb. anno CIↃ. IↃ. C. V.

ARNOLDUS NYLEN,

Neomagenſis Gelder, Ordinem FF. Prædicatorum in Groningano Conventu profeſſus, in Academia Colonienſi S. T. Doctor, neque ſolum præfati Conventûs ſui per annos XIV. Prior, ſed & Paſtor Eccleſiarum SS. Walburgis ac Martini Groningæ, illiuſque Epiſcopatûs (Sede vacante) Vicarius generalis. Anno 1589. à Rege Catholico nominatur Epiſcopus, atque à ſummo Pontifice confirmatus, occupatâ per hæreticos Urbe ſua ac Diœceſi, conſecrationem ſuam diſtulit ad tempora pacatiora, quæ tamen non vidit. E terreno exilio apud PP. Dominicanos Bruxellis, ad cæleſtem patriam migravit anno 1603. ibique ſepultus in veteri clauſtro, cum ſequenti Epitaphio.

Scripſit *Tractatum de Sacramentis in genere & ſpecie* vol. I.

Controverſiarum Fidei vol. II.

Explicationem Antiphonæ: Salve Regina; Item *Sermones aliquos de B. M.* Omnia hæc MSS. extabant in Bibliotheca PP. Prædicatorum Bruxellæ, ante quam anno 1695. per miſſiles Gallorum ignes totum hoc Monaſterium conflagraſſet.

CURRITE UT COMPREHENDATIS.
D. O. M.
Hic Sepultus eſt
Rev. P. ARNOLDUS NYLEN,
Religioſus Ordinis Prædicatorum,
Conventûs Groeningenſis, S. T. D.
Electus Epiſcopus Groeningenſis.
Qui obiit anno M. D. C. III. 7. Martii.
Requieſcat in pace.

ARNOLDUS OLIVERIUS,

Ordinis FF. Eremitarum S. Auguſtini, ultimus Harlemienſis, dein Moſæ-Trajectenſis per annos plurimos Prior, Provinciæ Definitor, Concionator facundus. Obiit Trajecti ad Moſam 14. Aprilis 1600. ſenex & jubilarius. Reliquit

Exegeſin in Pſalmum XLIV. Item *Commentarium in Cantica Canticorum*. Extant MSS. Trajecti in Bibliotheca.

ARNOLDUS OLORINUS,

Sive CYGNÆUS (*Swaens* dictus linguâ vulgari) Goorlæ juxta Tilborchium natus, Decanus & Paſtor Gertrudis-bergæ; verùm inde à Geuſiis rebellibus ejectus, locum quietis elegit in Beginagio Silvæ-Ducenſi. Vir fuit de Republica Chriſtiana optimè meritus, rudibus præſertim quâ vivâ voce, quâ ſtilo inſtruendis, Fidei Catholicæ confeſſor & defenſor ſtrenuus, Noſocomii Ooſterwicani & aliarum piarum in Brabantia inſtitutor auctorque fundationum. Scripſit, latinè quidem,

Theſaurum Salutaris Sapientiæ, 1610. in 8.

Explicationem Miſſæ & Canonis, 1611. in 16.

De Arte concionandi, eodem anno in 16.

Salutares doctrinas, ac Phraſes, mentem linguamque ornantes, 1612. 8.

Summam Virtutum & Vitiorum, 1615. in 8.

Flandricè verò *Doctrinam conſolatoriam contra ſcrupulos & puſillanimitatem*, 1612. 8.

Demonſtrationem veræ & Chriſtianæ Fidei, 1613. 8.

Expoſitionem Cœnæ & Paſſionis Dominicæ, 1622. aliaque, omnia typis Joannis Turnhouti Silvæ-Ducis edita.

ARNOLDUS ORIDRYUS,

E Bergheycano, ut conjicere eſt, Brabantiæ municipio, Philoſophiæ juxta ac Græcæ linguæ peritus, vixit Gandavi in familia Abbatis Blandinienſis ſeu D. Petri: poſt Angiæ, quod Hannoniæ opidum eſt, nobilium liberos inſtituit. Scripſit

Summam Linguæ Græcæ. Pariſiis 1537. 4. apud Wechelum. Præfando Præceptores ſuos laudat *Jacobum Marinum & Rutgerum Reſcium*; agenſque de ſuperanda linguæ Græcæ difficultate, tradi eam poſſe ait bimeſtri aut trimeſtri ſtudio, quattuor ὁδοιπορίαις ſeu itineribus tamquam manuducens ſtudioſum Lectorem. Sic alibi Cicero ſe triduo Juriſconſultum fieri poſſe jactat. Addit Geſnerus ſcripſiſſe præterea,

De Bona mente, carmine Jambico, juſtum librum.

De Jubilæo, item carmine: *De Cura Pauperum*

Heſiodi agriculturam verſu expreſſiſſe.

Item *Comparationem Regis & Monachi* ex Chryſoſtomo. Quæ tamen omnia hactenus inviſa.

Moritur Angiæ, raptus in flore ætatis, dum calidè nimis ſtudiis inhæret.

ARNOLDUS PAGIUS,

Delphenſis, Batavus, Philologiæ ſtudioſus & Poëta elegans, luſit diverſa *Poemata*, ſparſim Delphis Batavorum, & alibi, circa annum 1600. edita.

ARNOLDUS PALUDANUS,

Leodius, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, per Flandriam Miniſter Provincialis, ac S. Theologiæ Lector Profeſſorque emeritus, edidit

Tractatum *De Foro animæ*, id eſt, de poteſtate, quam habent Sacerdotes Confeſſarii, tum regulares, tum ſæculares, juxta Conc. Tridentini formam legitimè approbati &c. Leodii, 1636. in 8.

ARNOLDUS POSSENBRUCHIUS,

Embricenſis Clivius, edidit

Panopliam Militis Chriſtiani, è ſacris Scripturis depromptam, Coloniæ, 1573. 16. apud Petrum Horſtium.

Item *Tractatum de Oratione*: de vi & præſtantia ejuſdem. Ibid.

ARNOLDUS RAISSIUS,

Duacenſis, ibidem in D. Petri Canonicus, piam utilemque operam poſuit in Sanctorum hominum apud Belgas memoriis, Cœlitum ſacris Reliquiis, Eccleſiarum & Cœnobiorum venerandis archivis, luſtrandis, indagandis, eruendis, ediditque publico & Eccleſiæ bono,

Auctarium ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, Duaci, 1626. 8.

Hierogazophilacium Belgicum: de Reliquiis ſacris in Belgio, Ibid. 1628. 8.

Periſtromata Sanctorum. Ibid. 1630. 8.

Origines Carthuſianorum Belgii. Ibid. 1632. 4.

Belgicam Chriſtianam, de Epiſcopis Provinciæ Belgicæ, 1634. 4.

Vitam B. Mariæ Raggiæ, ex Insula Chio oriundæ, tertii Ordinis S. Dominici, hispanicè scriptam, auctore *Joanne Petro à Cæsarea-Augusta*, & hinc gallicè versam, latinitate donavit. Ibid. 1621. 8.

Cœnobiarchiam Ogniacensem Francisci Mossehi, denuo edidit & auxit, Duaci anno 1636.

Cœnobiarchiam Crispiniensem, seu Antistitum S. Landelini in Crispinio res gestas. 8. Duaci 1642.

Vitam S. Landelini, Abbatis & fundatoris Crispinienſis. Ibidem.

Vitam S. Ayberti, Crispinienſis Cœnobii Ascetæ & Recluſi. Ibidem.

Mortuus est Raissius Duaci die 6. Septembris 1644.

ARNOLDUS RATH,

Jurium Doctor, & Professor in Academia Ingolstadiensi, Sereniſſim. S.R. Imperii Electorum Archiepiscopi Coloniensis & Bavariæ Ducis Consiliarius, edidit

Luctum Academiæ Ingolstadienſis in obitum Christophori Besoldi, in eadem Academia, dum vixit, Codicis & Juris publici Professoris, *Funebri Oratione expressum.* Ingolst. 1643. 12. cum Synopsi Historiæ universalis ejusdem *Besoldi.*

ARNOLDUS DE REYGER

Belga, natus anno Domini 1559. XI. Kalendas Februarii, dein J. U. Doctor & Professor Helmestadii in Academia Julia, tum Jenę apud Saxones, Joachimo Friderico Electori Brandeburgico Colonię ad Suevum à Consiliis, & in inferiori Lusatia ac veteri Marchia Assessor Regius, è Belgio bellorum motibus incendiisque tum ingravescentibus pulsus, circa annum 1586. in Germaniam venit, & in Joachimi Mynsingeri patrocinio atque familia vixit. Claruit ibidem inter Jurisperitos, recensuitque

Mynsingeri Commentarios in Institutæ Justiniani Imperatoris, &

Observationum singularium Centurias VI. additis ad marginem Notis, multisque accessionibus, & novis quibusdam Singularibus (ut vocant) passim insertis. Scripsitque ipse *Arnoldus*

Diatribarum libros IV. Jenæ, 1593. 4.

Disputationes de Processu judiciario Ibidem 1596. 4.

Consuetudines Feudales, Jenæ disputatas, Magdeburgi. 1602.

Thesaurum Juris, è variorum Repertoriis concinnatum. Ibid. 1604. fol.

Quæstionem Juridicam: An doctoralis dignitas obfuscet nobilitatem generis. Spiræ. 4. 1618.

Exercitationes practicas. 4 Magdeburgi 1603.

ARNOLDUS DE ROTERODAMIS,

Cognomento GHEILOVEN, Decretorum Doctor, & Canonicus Regularis S. Augustini in Viridi Valle juxta Bruxellam, claruit annis 1410. & 1430. Grande volumen scripsit, quod græcè inscripsit Γνῶθι σεαυτὸν, latinè *Nosce te-ipsum, sive Speculum conscientiæ*, editum Bruxellę. 1476. in fol.

Confessionale Fœneratorum MSS. olim in Bibliotheca Wamesiana apud Amplis. V. *Petrum Weymsium*, Provincię Luxemburgensis Præsidem.

Somnium Doctrinale, sive *Tractatum de Conditionibus scholarium.*

Canonicalem Expositionem in Regulam S. Augustini.

Lecturam super Constitutionibus Benedicti Papæ XII.

Speculum Collationum Juris, sive *Remissorium Juris tam Civilis quàm Canonici.* Meminit hujus in locis suis Legalibus Nic. Everardus anno 1552; legitur-

que MSS. in Collegio Trilingui Lovanii, Tomis II. deſcriptum, & inſcriptum *Joanni Bontio* J. U. D. Brabantiæ Cancellario, item in Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis Tomis III.

Denique opus *Arnoldi* viſum eſt Lovanii, ad S. Martinum, cui *Vaticani* nomen dedit, in pergameno Tomis II. ſcriptum ac diſtinctum; eſtque idem cum *Speculo Philoſophorum ac Poëtarum*, uti aliàs indigetatur.

De quo Opere auctor poſt proœmium ita ſcriptum reliquit: *Anno* D. 1424. *circa feſtum Mariæ Magdalenæ per me* Arnoldum de Hollandia, *de Rotterdam, Decretorum Doctorem, in Viridi Valle profeſſum Canonicorum Regularium Ordinis in Silva Zonia, prope Bruxellam, ſcripſi & complevi, & perſonaliter copulavi ex diverſis libris & diverſis hiſtoriographis, quos vidi & audivi in Italia, tam Bononiæ, quàm Paduæ, dum eram ibidem ſtudens.* Accedit huic operi, in fine, *Moralizatio currûs triumphalis*, per eundem *Arnoldum*.

Deceſſit in Viridi Valle anno Domini 1442. pridie Kal. Septembris.

ARNOLDUS SLICHTENHORST,

Arnhemienſis Gelder, J. U. D. edidit linguâ vernaculâ Arnhemii anno 1654. *Hiſtoriæ Gelricæ XIV. libros*, cum deſcriptione Urbium & locorum, & plus quam 300. documentis, quæ in conſimili editione Gelrica Iſaaci Pontani deſiderabantur. Sed Vir Acatholicus ſtilo mordaci res Eccleſiaſticas narratiunculis ſarcaſticis interſperſit, atque in multis falſificavit. Ita cenſet Knippenbergius in ſua ad Ducatûs Gelriæ Hiſtoriam præfatione.

ARNOLDUS TRICHTIUS,

Noviomagus, profeſſione Hieronymianus, Collega Georgii Macropedii, *Prima adoleſcentiæ Progymnaſmata* (ita Poëmata ſua inſcribit) in lucem edidit Coloniæ, typis Quentelii 1569. 8.

ARNOLDUS VAN GELUWE,

Ruſticus Flander, natus in loco de Hardoye, qui pagus eſt ſub Brugenſi Diœceſi, Brugas inter & Cortracum, vulgariter nuncupatus *den Vlaemſchen Boer*, vixit ac ſcripſit circa annum 1660. Textoriam artem primò per annos octodecim exercuit in Hollandia, plurimum tunc in ſua Religione vacillans, atque ad novitates (ut ipſe fatebatur) pronus. At poſtmodum ex ipſa Sectarum varietate, contrarietate, atque incertitudine, factus in Catholica fide conſtantior, fixit domicilium in Urbe Gandenſi. Cum eſſet latinitatis expers, ſermone vernaculo hæreticos inſectatus eſt, & variis argumentis ad hominem, tum converſatione, tum ſcripto confudit. Scripſit autem ſequentia, quæ hîc vernaculè enarrantur.

Val van Babylon. 4.

Zee-brandt. 4.

Corte antwoort, op des H. Sacraments veerthien Beweegh-redenen.

Den Vlaemſchen Nachtegael.

Beleideniſſe des geloofs.

Palleerſſel van de Ketterſſche vuylbruyt.

Comediants-tonneel.

Scheut-vry-harnaſch.

Den Geeſt van Eliſabeth de Vos.

Val van Dagon.

Afgetrocken masker van het gereformeert Woort Godts. 8. *Antv.* 1652.

Het licht op den candelaer. 8. Antverpiæ. 1650.

Geeſtelycken Jaegher van de Samſons Voſſen Ibid. 1650.

Catholycken Echo, ofte waeren Gentſchen galm. Ibid. 1650.

Het ſlot op den mont.

Achtien-jaerighe Hollantſche reyſe.
Beleydeniſſe van Rebecca Broeckaers.
Dobbel ſlot voor Abraham Willemſſen Blyvenborgh.
Den Hollantſchen verloren aerbeyt. 8. Gent. 1666.
Goliaths Sweirt Ibid. 1666.
Het verloren Proces.
Claer bewys van de Keirs op den Kandelaer.
Het Swerte-vuyl in den Armeniaenſchen ſnuyter.
Jaergeteyde van den nieuw-gereformeerden ontkapten Capucien, Domine Hamerſtede Predicant tot Maeſtricht &c. 4. Gandavi. 1664.

ARNOLDUS SENGUERDIUS,

Amſtelodamenſis, Artium Doctor in Academia Leydenſi, Philoſophię Profeſſor primò in Academia Ultrajectina anno 1638. conſtitutus, & anno 1645. Rector Magnificus, dein ab anno 1648. in illuſtri Scholâ Amſtelodamenſi Phyſices ac Metaphyſices Profeſſor. Initallationem ſuam eleganti Oratione auſpicali *de Vero Philoſopho*, dein typis editâ, celebravit. A Magiſtratu quoque Amſtelodamenſi munere Bibliothecarii famoſę ibidem Bibliothecæ, nec non Rectoris Scholarum publicarum honoratus fuit. Plurima ſcripſit, paſſim Philoſophica, in quibus Ariſtotelicam ſententiam ſectatur. Mortuus eſt Amſtelodami die 8 Martii anno 1667 ætatis 56. relicto filio *Wolfardo Senguerdio* Artium & J. U. Doctore in Academia Lugduno-Batava, de quo plura inferius. Edidit Arnoldus Senguerdius

Logicam. Ideam Methaphyſices,
Introductionem ad Phyſicam 12. Amſtelod. 1653.
Collegium Morale,
Oſteologiam Corporis humani.
Tractatum de Oſtento Dolano. &c.

ARNOLDUS VANDER MEER,

Naeldwycanus, Legum Licentiatus & Miles Jeroſolymitanus, vertit ex Hiſpanico Dialogum ἀνανύμε elegantiſſimum,

Deſiderium, de expedita ad divinum amorem via, Lovanii, 1554. 8. Gallicè inſcribitur, *Theſaurus devotionis.* Hiſpanicè verò, quâ linguâ conditus liber creditur, *El deſſeoſo.*

ARNOLDUS VERHEL,

Amersforti in Ditione Ultrajectina natus anno 1580, dein liberalium Artium Magiſter, J. U. Doctor, Philoſophiæque Profeſſor magni apud ſuos nominis in Univerſitate Franekerana Friſiin per annos XLVII. ejuſdemque quartò Rector Magnificus. Devixit anno 1664, ejuſque uti & uxoris *Reginæ Graviæ*, extat Epitaphium in Æde primaria Franekerana. Evulgavit

Methodum Univerſæ Philoſophiæ Ariſtot. 1623.
Speculum prima Philoſophiæ 4. Franek. 1662.

Item *Theſes Ethicas* à diſcipulis diſputatas, alioſque plures Tractatus.

In Obitum
Nobiliſſ. ſpectatiſſ.
Clariſſ. Conſultiſſ. & acutiſſ. Viri
D. ARNOLDI VERHEL
L. U. D. L. A. M.
Philoſoph. Profeſſ. Primar.
In Academ. Franekq. annos XLVII.
Nati Amersfortis 1580. & denati
Quartò Rectoris Magnif.
An. M. D. C. LXIV.

Ceſſiſti tandem fatis grandæve Verhelli,
Vitam Chriſto, cui dicaveras, reddis.
Græcia Neſtoreos extollat laudibus annos,
Prudentiamque prædicet ſenectutis;
Neſtoreum prope cum ſpacium tua viderit ætas,
Virtute eam prudentiâque viciſti.

Si

Si qua fides pietaſque fuit, ſi candor in orbe,
Pars magna tecum condita eſt ſepulturâ.
Collegæ Venerabilis memoriæ
Poſ. Ulr. Huberus.

Super ſaxo ſepulchrali appoſita quoque fuit hæc Inſcriptio, è flandrico idiomate tranſlata.

„ Anno 1659. Obiit Domina Reinc-
„ ke Gravius, ejus uxor; vixit LIV.
„ annos, & jacet hîc ſepulta.

Item in tumulum celebris Philoſophi Arnoldi Verhellii, hos verſus ſcripſit H. Neuhuſius.

Conditur hac parvâ magnus Verhellius urnâ:
Ingenium tanti non habet oſſa Viri,
Quo Sophiæ Doctor per ſeros claruit annos,
Æternaſque ſibi conciliavit opes.

Porrò ne quis hiſce elogiis tam magnificis decipiatur, addendum ex Valerio Andrea, Verhellium hunc fuiſſe infamem & excucullatum Apoſtatam, ac bis maritum, qui quondam in Ordine FF. Minorum Capucinorum Sylvęducis *Pater Angelus* dictus fuerat.

ARNOLDUS VESALIENSIS,

Cognomento HALDRENIUS, Weſaliâ Cliviorum opido oriundus, Doctor Theologus Colonienſis, ac Summæ Ædis Canonicus, trium linguarum peritiâ in primis excelluit, adeò ut græcè quoque carmen pangeret non infeliciter. Scripſiſſe multa fertur: ex quibus pauca, & quidem poſthuma, typorum beneficio videre licuit:

Exegeſin Decalogi Et
De Venerationę Sanctorum. Coloniæ. 1535. & 1542.

Modum confitendi, pro Sacerdote. 1554. Ibidem 16. cum Inſtitutionibus Joannis Gropperi S. R. E. Card.

Conſultationem quadruplicem ſuper Confeſſione Auguſtana quorundam Proteſtantium, unà cum *Joanne Cochlæo.* Ibid. 1554.

Epitomen Magiſtri Sententiarum, cum Diſtichis ad ſingulas Sectiones. Ibid. 1555. 16.

Partitiones Locorum communium Religionis Chriſtianæ. Ibid. 1568. 12. & Lovanii, 1577. typis Hieron. Wellæi.

Procopii Orationes de Juſtiniani Auguſti ædificiis latinè interpretatus eſt. Moguntię. 1538. 4.

Obiit Coloniæ, anno Domini 1534. III. Kalendas Novembris, ſepultus in Ædę Metropolitana, hoc appenſo carmine:

Quiſquis es, in requiem ſi vis intrare beatam,
Atque ita cum Chriſto perpete pace frui:
Verba Dei auſcultes, eademque ſequaris oportet.
Ergò dum datur hîc vivere, diſce mori.
Tranſitus ad vitam Mors eſt, ſi credis in illum,
Qui mortem noſtri captus amore tulit.

ARNOLDUS VINNIUS,

Vulgo VINNEN, Hagæ-Comitanus, J. U. D. Lugduno-Batavus, in erudienda informandaque ad humanitatem juventute pluribus annis in patria inſumptis, nactus interim neceſſariam occupationum interſtitionem, Jurium quoque ſtudio celebrando recolendoque operam dedit, in quo optimam ætatis ſuæ partem conſumpſit, *Gerardi Tuningii*, J. U. D. in Academia Leidenſi toto ſexennio auditor: à cujus morte ex adverſariis ejuſdem *Commentarium in Libros IV. Inſtitutionum Juris civilis*, rude adhuc & impolitum opus, collegit, diſpoſuit, evulgavit, typis Elzevirii 1618. 4. Ipſe verò ſcripſit

Juriſprudentiæ contractæ, ſive *Partitionum Juris civilis* libros IV. variis Obſervationibus & Notis perpetuis illuſtratos. Hagę-Comitis 1631. 4. Item Roterodami apud Joannem Næranum 1663. & alibi.

Orationem auſpicalem, anno 1633. pridie Kal. Martias habitam, dum Pro-

feſſionem Juris in Academia Lugduno-Batava ordiretur ; typis Juſti Livii 4.

Commentarium Academicum & Forenſem in Inſtitutiones Juris Civilis Juſtinianeas. Ibid. typis Joannis Maire, 1642. 4. Quod Opus ita placuit, tum ob materiæ tractatæ ſublimitatem, tum ob concinnam methodum, tum præcipue ob ſtyli elegantiam, claritatem, ac brevitatem, ut in omnibus ferme Europæ Academiis fuerit aut reimpreſſum aut adoptatum, tantumque Authori ſuo peperit famam, quantam & ipſe Academiæ ſuæ Lugduno-Batavæ. Nota tamen, cum Auctor ſit Acatholicus, varia hinc-inde contra Fidem Catholicam offendere; ob quæ hic liber Decreto S. Congregationis Indicis Romæ prohibitus fuit anno 1725. die 4. Decembris ; donec corrigatur.

Scripſit præterea *Vinnius*,

De Pactis, Juriſdictione, Collationibus & Tranſactionibus 4. Roterodami per Joan. Nœranum 1664. Editio IV aucta.

Notas in Authores de Origine & Progreſſu Juris Civilis Romani, cum Obſervationibus *Simonis Van Leeuwen.* Lugduni Bat. 1672.

Selectarum Quæſtionum Juris libros II. quibus additæ ſunt Simonis Vinnii Arnoldi filii Orationes duæ. 12. Roterodami 1672.

Habuit ſiquidem Arnoldus filium unicum *Simonem*, qui in eadem Academia Lugduno-Batava J. U. Doctor renunciatus fuit poſtridie Kal. Decembris 1648. atque in aula ſua Doctorali Orationem habuit de *Conſtantia Juris Naturæ*; aliamque anno 1651. *De Sapientia Romanorum in Jure conſtituendo, reddendo, interpretando.* Aſt paulò poſt in flore juventutis ſuæ Patri præmortuus eſt, celebratus hoc Elogio funebri.

Vinniadem rapuit juvenem florentibus annis
Mors. Cur ſed juvenem? credidit eſſe ſenem.

Obiit Arnoldus Vinnius circa ann. 1668.

ARNOLDUS WION,

Natus Duaci, anno 1554. Idibus Maii, patre Amato, Urbis illius Procuratore Fiſci, juvenis nomen D. Benedicto dederat in Abbatia Aldenburgenſi juxta Brugas in Flandria. Verùm hæreticis ibidem tum graſſantibus, & divina humanaque turbantibus, ſolum vertere coactus, in Italiam ſeceſſit, ad Caſſinenſem ejuſdem Inſtituti Congregationem. Edidit

Lignum Vitæ, Ornamentum & decus Eccleſiæ, libris V. Venet. 1595. 4. Continentur his Elogia clarorum Ordinis ſui Scriptorum, Virorum ſanctitate ac dignitate illuſtrium, aliaque. Ex hoc libro compilavit *Hugo Menard*, Benedictinus Congregat. S. Mauri ſuum *Martyrologium Benedictinum*, cum Notis editum Pariſiis 8. anno 1629.

Item Tractatum *De Antiquiſſima & Illuſtriſſima Familia Romana Anicia*, quam aſſerit Divi fuiſſe Benedicti, ex eaque Principes Auſtriacos originem ducere.

Vitam S. Gerardi, & Martyris, Hungatorum Apoſtoli, Notationibus illuſtravit, teſte Baronio in Martyrologio ad 24. Septembris.

ARNULFUS, a Monte S. Eligii,

Canonicus Regularis S. Auguſtini, in dicto Monte, apud Atrebatum, ſcripſit

Commentarium in Canonem Miſſæ. MSS. Audomaropoli ad S. Bertinum, & in Claromariſco Ordinis Ciſtercienſis apud Audomarum Cœnobio.

De Oratione Dominica. MSS. ad S. Bertinum. Ex Joannis Bunderii Indice.

ARSENIUS LEODICENSIS,

Monachus Benedictinus S. Pauli Ro-

Digitized by Google

mæ, pòst Abbas S. Mariæ de Florentia, ſcripſit

Epiſtolam ad Joannem de Turrecremata Cardinalem anno 1442. pro Commentatione Regulæ S. Benedicti, quæ excuſa eſt & præfixa Commentariis Turrecrematæ in eadem Regulam.

AUBERTUS MIRÆUS,

Vernaculè Le Mire, anno 1573. pridie Kalendas Decembris in Urbe Bruxellâ naſcitur, *Guilielmo*, qui a recepta reductaque ad legitimi ſui Principis obſequium per *Alexandrum Farneſium* Parmæ Ducem, Civitate Patria, ſatagente faventeque *Farneſio*, primus è Catholicis civibus Queſturæ ejuſdem Urbis præfectus fuit. Matrem habuit *Joannam Speeckaert*, Bruxellenſem; Patruos Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. *Joannem Miræum*, IV. Antverpienſium Epiſcopum, laudatiſſimæ memoriæ Virum, & *Judocum* S. T. L. Canonicum D. Gudulæ Bruxellis, ac Begginagii Mechlinienſis Curatum; fratrem *Auguſtinum Miræum*, Theologum Duacenum & Canonicum B. M. Valencenis, anno 1624 præmaturè defunctum. Familia eorum antea ſtabilita fuerat Cameraci, ubi Progenitores inter Primarios Cives atque Patricios à ſæculo claruerant.

Litteris politioribus egregiè Duaci delibitus Aubertus, Philoſophiam ibidem diſcere cœpit, Profeſſorem nactus Eximium Virum *Georgium Colvenerium* dein S. T. D. illiuſque Academiæ Cancellarium; abſolvit verò Lovanii in Pœdagogio Falconenſi, in quo ſeptimum primæ Lineæ locum anno 1591. in promotione generali Facultatis Artium obtinuit. Quin & paulò poſt in eodem Falconis Gymnaſio humaniores ipſe Litteras, magno cum auditorum ſuorum fructu, aliquandiu peritè profeſſus eſt, auditor ipſe *Juſti Lipſii* ferè continuus, atque interioris admiſſionis diſcipulus & amicus.

Studiis ſacris dans operam, in Collegium Majus Theologorum migravit, cui tum præerat Vir Eximius *Joannes Clarius*, Sacræ Theologiæ Doctor, à quo rei œconomicæ adminiſtrationem ſibi imponi paſſus eſt, quoque agente primò Beneficium ſimplex in Eccleſia Collegiata S. Petri Anderlechtenſi, dein Canonicatum in Eccleſia Cathedrali Antverpienſi ex Indulto Nominationis Academicæ anno 1598. obtinuit.

Itaque decurſo Studii Theologici curriculo, abſolutiſque pro Licentia, ut vocant, Diſputationibus, Antverpiam venit; ubi inter honeſtiſſimos optimoſque Viros, & florem in ea Civitate Belgarum, mox eminere cœpit. Cumque per annos aliquot Reverendiſſimo Patruo ſuo fuiſſet à ſecretis, atque ad ſummi momenti negotia adhibitus, varias quoque alias functiones obivit, Scholaſtici, Sigilliferi, Bibliothecarii; quæ licet totum hominem occupare potuiſſent, tanto ardebat amore Muſarum, ut obtemperare ſibi non poſſet, quin ubicumque locorum ſemper legeret, diſquireret, obſervaret, notaret, excerperet aut ſcriberet, & apes imitatus, è floribus aptioribus Auctorum probatorum mellilegium copularet.

Adeoque Miræo nobis adoptare licebit, quod *Plinius Secundus* ſcripſit de ſeniore Patruo ſuo *libro* 3. *Epiſt.* 5. lucubrare eum ſolitum, non auſpicandi cauſâ, ſed ſtudendi à multa nocte; ſomni fuiſſe parciſſimi; nihil legiſſe, quod non adnotaret excerperetque. Addens ſe correptum ab eo, cur ambularet, dixiſſeque: *Poteras has horas non perdere* Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod Studiis non impertiretur. *Nonne videtur tibi*, inquit, *recordanti quantum legerit, quantum ſcripſerit, nec*

in officiis ullis, nec in amicitia Principum fuiſſe? Rurſus, cùm audis quid ſtudiis laboris impenderit, nec ſcripſiſſe ſatis, nec legiſſe? Hujus rei in MIRÆO *fidem* (inquit Valerius Andreas) *ipſe facere poſſum, quem ille aliquanto tempore domeſticum menſæ ſuæ adhibuit, & deinceps, quoad vixit, amicum & in ferventi gratia habuit.*

Anno 1610. à Patruo Epiſcopo Antverpienſi miſſus fuit, primò in Bataviam, ac deinde in Galliam, ut impiis hæreticorum conatibus tempeſtivè occurreretur, qui Religionem orthodoxam contra pacta Induciarum, per Diœceſim Antverpienſem turbare ſatagebant.

A morte ejuſdem ſui Patrui, anno 1611. Duacum profectus eſt, ut Fundationem ſex Burſarum, trium nempe in Philoſophia, ac totidem in Theologia, in Collegio ac Seminario Regio, prout memoratus Epiſcopus ibidem inſtitui ſupremis Tabulis mandarat, promoveret; ibique S. Theologiæ Laureâ IV. Nonas Maii ab Eximio Viro *Guilielmo Eſtio* S. T. D. ac Cancellario donatus eſt.

Nec diu poſt à Sacris Oratorii Sereniſſimorum Principum *Alberti & Iſabellæ*, Paſtor ac Bibliothecarius Aulæ, Protonotarius Apoſtolicus, & poſtremò à morte *Joannis Delrio* anno 1624. Decanus nominatus eſt Cathedralis Eccleſiæ Antverpienſis, atque Epiſcopatûs ejuſdem Vicarius Generalis.

Vir fuit de Eccleſiaſticis, in Belgio præſertim, Antiquitatibus optimè meritus: qui hoc unum agebat maximè, ut *avidorum* hactenus, & cum blattis tineiſque luctantia in lucem aſpectumque publicum proferret; ut Eccleſiæ ſtatum ac regimen ob oculos poneret; ut Sacrorum Ordinum initia progreſſuſque erueret; ut Principatuum Belgii origines hactenus obſcuras illuſtraret, ac pleraque alia Belgicæ Antiquitatis arcana hactenus abdita recluderet, idque non ex conjecturis aut fabellis popularibus, ſed ex probatæ notę Hiſtoricis ac Chronographis; quinimò ex ipſis Principum Diplomatibus, quæ in eam rem ex publicis privatiſque Bibliothecis atque Archivis plurima ingenti labore ac ſumptu collegit & publici juris fecit: quò ferè ſpectant ſequentia:

Elogia Illuſtrium Belgii Scriptorum, iterum & auctiùs edita, Antverpiæ 1609. in 4. typis Davidis Martinii.

Elogia Illuſtrium Gentis Spinulæ. Ibid. apud Verduſſium 1608. 4. & Coloniæ, 1611. 4. apud Joannem Kinchium.

Vita Juſti Lipſii, Doctoris ſui, ex ipſius potiſſimùm ſcriptis concinnata, Antverpiæ 1609. 8. & in Elogiis Belgicis, ac Fama poſtuma ejuſdem Lipſii apud Moretum.

Origines Monaſteriorum Benedictinorum, per Belgium. Antverpiæ typis Verduſſii 1608. 8.

Origines Carthuſianorum, per Orbem univerſum. Coloniæ, 1609. 8. apud Hieratum.

Origines Ordinum Equeſtrium ſive Militarium. Libris II. Antverpiæ 1609. 4. & Coloniæ apud Kinchium. 1638. 8.

Origines Virginum Ordinis D. Virginis Annuntiatæ, Antverpiæ 1618. 4.

Origines Ordinis Carmelitani, ab *Elia* Propheta inchoati, ab *Alberto* Patriarcha vitę regulâ temperati, à *S. Tereſa* ad primævam diſciplinam revocati, ibid. 1610. 8.

Origines Ordinum Auguſtinianorum, ſub Regula D. Auguſtini militantium, gallicè. Ibid. 1611. 8.

Origines Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini, Coloniæ typis Bernardi Gualteri, 1614. 8.

Originum Monaſticarum libri V. 8. Coloniæ, apud Gualterum 1620. Cui accedit

Laudatio S. Thomæ Aquinatis, ejuſque doctrinæ, dicta Bruxellis. Ibid. 1620. 8.

Chronicon Ordinis Præmonſtratenſis; in quo initia ejus, progreſſuſque ac Viri celebres, Cœnobiaque commemorantur. Ibid. 1613. 8.

Chronicon Ciſtercienſe; in quo ejus quoque Ordinis, à *S. Roberto*, Abbate Moliſmenſi primùm inchoati, à *S. Bernardo* mirificè aucti & propagati, initia & incrementa. Ibid. 1613. 8.

Chronicon Benedictinum, ſive Benedictinorum Cœnobiorum origines, &c. Ibidem 1614. 8.

De Congregationibus Clericorum in communi viventium. Ibid. 1632. 8.

De Collegiis Canonicorum liber ſingularis. Ibid 1615 8.

Notitia Epiſcopatuum Orbis univerſi, anno 1611. Antverpiæ, ac denuò auctior & emendatior edita typis Plantinianis anno 1613. 8.

Politia Eccleſiaſtica, ſive *de ſtatu Religionis Chriſtianæ per totum Orbem*, libros IV. Coloniæ, 1609. 8. & Lugduni in Gallia 1620. 12.

Geographia Eccleſiaſtica; in qua Provinciæ, Metropoles, Urbeſque titulo Epiſcopali illuſtres. Ibid. 12.

Oratio in Exequiis Rodolphi II. Imperatoris, Antverpiæ habita, typis Plantinianis, 1612. 4.

De Windeſimenſi, *Lateranenſi*, *Aroaſienſi*, *& Congregationibus aliis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini* 8. Bruxellis apud Pepermannum 1622. Accedit *Vita & Tranſlatio corporis Ven. Joannis Ruſbroquii Ordinis ejuſdem in Viridi Valle prope Bruxellam, anno 1622. die 8. Novembris facta.* Item *Elogia & Teſtimonia variorum de eodem Joanne Ruſbroquio.* Ibid. 1622 Agebatur tunc pro ejus Beatificatione.

Commentarius de bello Bohemico, Ferdinandi II. Imperatoris auſpiciis. Bruxellæ, 1621. 4. & Coloniæ 1622. 8.

Elogium & Funus Sereniſſimi Alberti Pii Principis, Bruxellæ 1622.

Commentarius de Vita Alberti Pii Principis &c. typis Plantinianis, 1622. in 4. Item in Sanderi Flandria Illuſtr.

Laudatio Funebris Sereniſſimæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ &c Ibid. 1634 4.

Chronicon Rerum toto Orbe geſtarum, à Chriſto nato ad hęc uſque tempora; Auctoribus, *Euſebio* Epiſcopo Cæſarienſi, *B. Hieronymo* Presbytero, *Sigeberto Gemblacenſi Monacho*, *Anſelmo* Gemblacenſi Abbate, aliiſque: cum Auctario Miræi ab anno 1200 ad annum 1608. 4. apud Verduſſium.

Petri Divæi Hiſtoria Brabantica, *à Miræo* eruta & illuſtrata, cum Auctariolo. Ibid. 1610. 4.

Diſquiſitio de SS. Virginibus Colonienſibus, 1608. 4.

Faſti SS. Belgici ac Burgundici. Bruxellis apud Joannem Pepermannum, 1622. 8.

Rerum Belgicarum Annales. Ibid. 1624. in 8.

Stemmata Principum Belgii, ex Diplomatibus ac Tabulis publicis potiſſimùm concinnata. Ibidem 1626. typis Meerbecii.

Codex Donationum Piarum, præſertim Belgicarum. Ibid. 1624. 4.

Diplomata Belgica, Libri II. Ibidem apud Joannem Pepermannum. 1628. 4.

Donationes Belgicæ, Libri II. Antverpiæ apud Joannem Cnobbarum. 1629. 4.

Notitia Eccleſiarum Belgii, Ibid. 1630. 4. omnia cum *Notis*.

Opera hæc Diplomatica & Hiſtorica, ſecundò fuerunt edita anno 1722. Bruxellis apud Franciſcum Foppens in folio, duobus Voluminibus, quorum I. continet Codicem Donationum Piarum, Diplomata Belgica & Donationes, & Notitiam Eccleſiarum Belgii. II. Vol. tria Supplementa, cum appoſitis circiter 500. Diplomatibus Miræo incognitis. Curam & ſtudium adhibuit, Notaſque & Indices appoſuit *Joannes Franciſcus Foppens*, Bruxellen-

ſis S. T. L. tunc Philoſophiæ Profeſſor Lovanii in Pœdagogio Lilienſi, & Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis Canonicus. Qui poſtmodum Canonicus Graduatus in Metropolitana Mechlinienſi exiſtens, Volumen tertium Diplomatum Belgicorum Indicemque ampliorem anno 1734. evulgavit Bruxellæ typis fratris ſui *Petri Foppens*; & quartum editioni paratum habet.

Rerum Belgicarum Chronicon, à Julii Cæſaris in Galliam adventu uſque ad annum 1636. Ibidem, apud Guilielmum Leſtenum.

Codex Regularum & Conſtitutionum Clericalium, cum *Notis*, typis Trogneſii 1638. fol.

Bibliotheca Eccleſiaſtica, ſive Nomenclatores VII. veteres, *S. Hieronymus* Presbyter & Doctor Eccleſiæ, *Gennadius* Maſſilienſis, *S. Iſidorus* Hiſpalenſis, *S. Ildefonſus* Toletanus, *Honorius* Auguſtodunenſis, *Sigebertus* Gemblacenſis, *Henricus* Gandavenſis; cum *Miræi Auctariis & Scholiis*, Ibid. apud Jacobum Meſium 1639. fol.

Bibliothecæ Eccleſiaſticæ pars altera, ſive de Scriptoribus Eccleſiaſticis ab anno 1494, quo Joannes Trithemius Abbas Spanheim. deſinit, uſque ad ſua tempora. Huic operi, dum *Miræus* inſudaret, immortuus eſt, ac tandem Antverpiæ fol. anno 1649. prodiit curâ Nepotis ejus *Auberti van den Eede*, Canonici & Scholaſtici Cathedralis Antverpienſis, dein Archidiaconi atque VIII. Antverpienſium Epiſcopi. Eandem Bibliothecam recudi curavit *Joannes Albertus Fabricius*, Hiſtoriographus Hamburgi anno 1718. in fol.

Cæterum *Aubertus Miræus* amicis & familiaribus utebatur omnibus ferè ævi ſui doctiſſimis Viris, undequaque ad illum vel concurrentibus, vel per Litteras cum eo communicantibus. Inter quos familiariſſimè cum eodem converſati ſunt *Andreas Schottus*, *Heribertus Roſweydus*, *Ægidius Bucherius*, Preſbyteri Societatis Jeſu, *Chriſtophorus Butkens*, Prælatus S. Salvatoris Antverpiæ, *Godefridus Wendelinus* Canonicus Tornacenſis, *Nicolaus Rockoxius*, Vir Conſularis, *Petrus Paulus Rubenius*, ævi ſui Appelles, *Corneiius & Henricus Lancelotti* Fratres ex Ordine S. Auguſtini S. T. Doctores, ac præ cæteris *Gaſpar Gevartius*, Urbis Antverpienſis Archigrammateus.

Tandem inter continuos ſtudiorum labores, Veterum Scriptorum elucidationes, novarumque Hiſtoriarum ac Diſſertationum editiones, è vivis eripitur Antverpiæ die 19. Octobris 1640, anno ætatis 67. relinquens perennem ſummæ eruditionis famam, quam Scripta ejus, in toto Orbe Chriſtiano magni habita, teſtantur. Sepultus eſt in Choro Cathedralis Eccleſiæ Antverpienſis, ubi legitur duplex Inſcriptio, quam heredes in hujus Viri memoriam poni curarunt.

In ambitu Chori.

D. O. M. S.
AUBERTO MIRÆO H. Cath. Eccl.
Decano, Studiis Scriptiſque Clariſſimo,
Qui Ordinibus Religioſis origines,
Annalibus geſta, Piis Fundatoribus
Famam, Hiſtoriis lucem, Scriptoribus
Per elogia vitam, Patriæ claritudinem,
Eccleſiæ huic Decus aſſeruit:
Quibus aſſiduè laboranti, ac fœliciter
Operanti & perennare digniſſimo
Mors manum injecit anno M. ID. C. XL.
Menſ. Oct. die XIX. vitæ ejus LXVII.
Joan. Carol. Franchemius Miræus,
Ex aſſe hæres, avunculo magno,
Proparenti opt. in H. E. Choro
Condito, Gratitud. ergò Monumentum
P. C.

❖ ❖ ❖

In Choro à parte Meridionali.

Uni Trinoque Deo S.
Cui quod de terra acceperat,
Eidem hîc reddidit

Digitized by Google

Digitized by Google

AUBERTUS MIRÆUS Bruxellen. Guil. F. JOANNIS quond. hic Epiſc.
ExPatre N. hujus Cath. Eccl. Decanus,
Et Epiſcopatûs Vicarius General.
Protonot. Apoſtol. S. Theol. Lic.
Ser. ALBERTO & ISABELLÆ Auſtriæ Archid. Belgii Principibus à Sacris Oratorii, & Bibliothecæ Præfectus.
Piis manibus Lector benè apprecare.

AUGERIUS GISLENUS BUSBEQUIUS,

Busbekâ, Gallo-Flandriæ vico, ad Liſam fluvium ſito oriundus, Cóminii natus eſt, patre *Ægidio Giſleno*, Buſbequæ Toparcha, matre obſcuro loco natâ, liberâ tamen (id eſt) nulli toro junctâ. Puer in ædibus paternis educatus, illuſtri quodam ingenio æqualibus prælucens, adeò patris gratiam meruit, ut Caroli V. Reſcripto legitimum renuntiari, ac Lovanii, Lutetiæ, Venetiis, Bononiæ, Patavii bonis imbui litteris curaret.

Patre è vivis ſublato, juvenis, ætatis anno tertio ac viceſimo, in Angliam à Ferdinandi Imperatoris Oratore evocatur: cujus contubernio per menſes aliquot familiariter uſus, in patriam revertitur, atque ibidem hæret, donec à Ferdinando ipſo Viennam accerſitus, in aulam illius conceſſit, gratus in primis Cæſari, virtutis ac prudentiæ gratiâ.

Acris tum de Tranſilvaniâ inter Ferdinandum Imperatorem ac Solimannum Turcarum Regem contentio erat; Ferdinando, permutationis titulo, eam ſibi vindicante, Solimanno regni defenſorem ac protectorem à loci illius Principe ſe conſtitutum contendente. Exacerbati utrimque animi. Turcicus tyrannus minas ac bella ſpirat. Legatione opus erat animo leniendo, aut armis ponendis. Mittitur Conſtantinopolin Joannes Malvetius: in carcerem conjicitur: liberatus, re infectâ redit.

Suffectus *Busbequius*, quâ erat animi modeſtiâ atque conſtantiâ, mitigato Solimanni animo, & impetratis octennii induciis, in Germaniam revertitur. Hæc prima illius in Aſiam Legatio: altera *Amaſiana* fuit. Utramque ſtilo complexus, ad poſteros ipſe tranſmiſit. Tertia Gallicana, quâ Iſabellam, Maximiliani Imperatoris filiam, Carolo IX. Galliarum Regi nuptui datam, anno 1570. in Galliam duxit: quæ eundem aulæ ſuæ præfectum conſtituit. Quem cum honore locum ad extremum vitæ diem tenuit.

Septuagenarius, impetratâ à Rudolpho Cæſare ſemeſtri miſſione, patriæ & amicis viſendis, dum in Belgium cogitat, per Normanniam armis civilibus flagrantem, in vico de Cailly, tertio à Rotomago lapide, juxta S. Germani ſacellum, ex hoſpitio rapitur, nihil de ſolita animi conſtantia & libertate remittens, ſæpiuſque ingeminans, non à militibus ſe, ſed à prædonibus abduci atque ſpoliari. Territi illi, ſenem reducunt: qui præſentiens jam tum febrim, ad ædes vicinas Marchionis Maillocenſis ſe deferri jubet, ubi paucis pòſt diebus diem ſuum obiit, anno 1592. v. Kal. Novembris.

Corpus in D. Germani ſacello conditum: cor aromatibus conditum, & laminâ plumbeâ incluſum Busbequam in patrium monumentum illatum eſt. Epitaphium amico ſcripſit Juſtus Lipſius, hiſce verbis.

AUGERIUS *iſtic ſitus eſt* BUSBEQUIUS.
Quis ille? quem virtutis & prudentiæ,
Habuêre carum, gratiâ, ipſi Cæſares.
Hunc Aula eorum vidit, aula & exteræ
Aſiæ Tyranni Quæ Viri felicitas?
Probavit hæc, & illa: in omni tempore,
In munere omni, Neſtorem ſe præbuit
Linguâ atque mente. Jam quies eum ſibi,

Digitized by Google

Et Patria hæc ſpondebat: ecce ſuſtulit
Viam per ipſam miles, incertum an latro.
Sed ſuſtulit, ſimulque Sidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter aſtricas.

JUSTUS LIPSIUS magno amico
Exiguum Monumentum P. C.

Scripſit vero *Busbequius*

Epiſtolas Turcicæ Legationis IV.

Conſilium de re militari contra Turcam inſtituenda. Extat etiam apud Conringium de Bello contra Turcas, pag. 323.

Itinera II. Conſtantinopolitanum, & Amaſianum, ad Solimannum Turcarum Imperatorem. Antverpiæ 1581. typis Plantin. Francof. 1595. & Monachii cum iconibus, anno 1620. 12.

Epiſtolarum Legationis Gallicæ, ad Maxæmilianum II. & Rudolphum II. Imperatores libri II. Bruxellæ 1632. 4. curante *Joanne Baptiſta Houwaert* J. C. Bruxellenſi.

Librum *de vera Nobilitate*, à *Busbequio* conſcriptum, periiſſe volunt.

Item *Hiſtoria Belgica* trium annorum, quo tempore Dux Alenzonius in Belgio verſatus eſt: extitit aliquando MSS. apud Conſanguineos: teſte Swertio in Athenis Belgicis.

Cæterum Opera omnia Busbequii ſimul edita fuêre Oxonii apud Thomam Robinſon 1660. in 12. item Amſtel. apud Elzevirios eodem anno.

AUGUSTINUS BONTEMPS,

Atrebas, Monachus Benedictinus perantiqui Cœnobii Lobienſis, deſcripſit heroïco carmine

Tetrarchiam, ſive *Vitas SS. Landelini, Urſmari, Ermini, Dodonis*, Abbatum & Pontificum Lobienſium. Duaci, 8. apud Bogardum. Aliaque ejuſdem Poëmata leguntur Lobiis.

AUGUSTINUS DES-MONTS,

Canonicus Regularis, evulgavit gallicè *Hiſtoriam Miraculorum B. M. V. Foyenſis*, prope Dionantum. 8. Duaci 1628.

AUGUSTINUS DODO,

Friſius, Baſileæ ad S. Leonardum Canonicus, primus congeſſit & recenſuit *D. Auguſtini Opera omnia*. Parabat argumenta in opuſcula ſingula, & cenſuras: ſed immaturam ejus operam peſtis abſumpſit, eo ipſo anno, quo opus erat prælo ſubjiciendum, nempe 1501. quod à morte prodiit, tertio pòſt anno, typis Amerbachii.

AUGUSTINUS FABIUS,

De Beringhen, territorii & Diœceſis Leodienſis opido, Canonicus Regularis Tungrenſis, Supprior ibidem, & deinde Rector Virginum in Conventu Maſeicano. Ejus extat

Antidotarius Animæ, ſeu libellus piarum Precationum.

Obiit Tungris, anno 1612. IV. idus Octobris.

AUGUSTINUS HUNNÆUS,

Vulgo HUENS, natus Mechliniæ anno 1521. IV. Kalendas Auguſti; creatus anno 1558. S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Regius Lovanii, poſtquam Philoſophiam annos plures in Caſtrenſi Gymnaſio & Theologiam in Abbatia S. Gertrudis tradidiſſet. Linguarum in primis peritiâ excelluit, ut fidem faciunt Biblia Regia, opus arduum & numquam ſatis laudatum, cui emendando & recenſendo Cenſor Regius & Pontificius operam dedit. Hebraïcas etiam litteras in Collegio Trilingui Buſlidiano annum unum docuit; Græcas quadriennium.

Quanti verò *Hunnæi* ingenium atque doctrinam fecerit Gregorius XIII. Pon-

Digitized by Google

AVGVSTINVS HVNNÆVS MACHLINIENSIS,
DOCTOR THEOLOGVS, ET PHILOSOPHVS.

Quid facit Hunnæus *? cæcis vt merſa tenebris*
Nunc magè Phœbæa lampade clara micent:
Vtq; ſuos ſinquant contorta ſophismata morſus,
Exuat et laqueos Amphibolia ſuos.

Laur. Beyerlinchius

Digitized by Google

Pontifex ſcripto ad eum Brevi, ut vocant, Apoſtolico declaravit, quo è ſelectiſſimo Doctorum numero hunc unum delegit, qui SS. Patrum ſcripta, ad MSS. emendata, à librariorum nævis ὀφάλμασι vindicata in lucem daret, ni mors lauream illam ac laudem *Hunnæo* invidiſſet.

Invidia ergò in *Hunnæum* Cornelii Looſæi eſt, ſcribentis genio ſatis reclamante Doctorem factum, Regiumque Profeſſorem libros Sententiarum prælegiſſe, non admodum ſententiosè: & cùm aliud non haberet, quod de *Hunnæo* ſcriberet, aut vellet ſcribere, ſatis præpoſterè more ſuo in laudes urbis ſediſque natalis ſeſe effundit. Ex lucubrationibus *Hunnæi* hæc leguntur.

Dialectica, ſeu generalia Logices Præcepta. Antverpiæ typis Plantin. ſæpiùs excuſa.

Prodidagmata Logices: de Dialecticis vocum affectionibus & proprietatibus. Ibidem.

Catechiſmus Catholicus. Ibid. 1570. 8.

Catechiſmi Catholici Schema. Ibid. 1567.

De Sacramentis Eccleſiæ Axiomata: quibus B. Thomæ, totiuſque Eccleſiæ de Sacramentis doctrina comprehenditur. Ibid. 1570. 8.

D. Thomæ Aquinatis Summa, è MSS. Codd. reſtituta. Ibid. fol.

Obiit Lovanii, in D. Petri Canonicus, & Præſes Collegii S. Annæ, anno 1578. VII. Idus Septembris.

AUGUSTINUS REYMARIUS,

Machlinienſis, juvenis inſignis litteraturæ, ante annos præmaturè obiit. Scripſit

Ludum Chartarum, cum Adriani Barlandi præceptoris Dialogis excuſum, Antverpiæ 1532. 8.

Bonam quoque partem collegit eorum, quæ Barlandus in Terentii Comœdias edidit: quo prælegente, non pauca *Reymarius* exceperat, non pauca ex authographis ejudem deſcripſerat non pauca etiam è veteribus Grammaticis ipſe collegerat: quæ poſtea Barlandus relegit, recenſuit, & in corpus unum redegit; quod nec ipſe inficiatur. Lovanii, typis Reſcii, 1530. 4.

AUGUSTINUS SABOTHIUS,

Ordinis Eremit. S. Auguſtini, Antverpiæ naſcitur anno Domini 1593. XIV. Decembris. Trajecti ad Molam, atque alibi, ad populum de Verbo divino diſſeruit: edidit

B. Jordani de Saxonia, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, *de Vitis Fratrum ejuſdem Ordinis* libros IV. cum *Notis*. Leodii, typis Chriſtiani Ouwerx, 1625. 8.

Item *Vitam B. Claræ de Montefalco*.

AUGUSTINUS VAN TEYLINGHEM,

Harlemenſis Batavus, in Societatem Jeſu admiſſus anno 1606, dein ſtrenuus vineę Chriſti in Hollandia operarius; obiit 4. Auguſti 1665. ætatis 78. Vernaculè edidit opuſcula multa contra heterodoxos.

Paradiſum voluptatis. Antverpiæ 1630.

Extractum Catholicum, ſub nomine Petri Amſtelii. 8. Antverpiæ 1641.

De Controverſiis Fidei. 8. Antv. 1640.

Ortum tumultuum Belgicorum. 12. Coloniæ 1645.

AUGUSTINUS WICHMANS,

(In ſæculo *Franciſcus* nuncupatus, accepto hoc nomine, dum luſtralibus expiaretur aquis, à patre ſuo initiali ſponſoreque *Franciſco Swcertio*) Antverpienſis, Canonicus Regularis Ordinis Norbertini in Cœnobio B. Mariæ Tungerloenſi, Sacræ Theologiæ Baccalaureus, primùm Eccleſiæ Mirloenſis ac Diſtrictûs Helmondani, pòſt

Tilborchii, Diſtrictûſque Hilvaris-Becani Paſtor & Archipresbyter, ac demùm anno 1642. in Coadjutorem *Theodori Verbraecken*, Abbatis, adſumptus. Huic poſt biennium vitâ functo ſucceſſit, fuitque inauguratus die 9 Julii 1644. per Epiſcopum Buſcoducenſem. Vitâ functus eſt die 11. Februarii 1661. benigno & comi vir ingenio, multæque lectionis; nec minoris aut inferioris doctrinæ; uti opera, quæ in lucem dedit, teſtatum faciunt.

Roſa Candida & Rubicunda, id eſt *Martyrium Ven. Petri Calmpthautani*, Canonici Norbertini, Paſtoris in Haren, anno 1572. crudeliſſimè à Geuſiis interempti. Ant. apud Verduſſen 1625 8.

Apotheca ſpiritualium pharmacorum contra luem contagioſam, alioſque morbos, ex S. Scriptura, SS. Patribus, & hiſtoriis authenticis deprompta. 4. Ibid. 1626.

Diarium Eccleſiaſticum de Sanctis contra peſtem tutelaribus. Ibid. 1626. 4.

Diſſertatio Hiſtorica *de Origine & progreſſu Cœnobii Poſtulani*, Ordinis Præmonſtratenſis in Brabantia, dum R. D. *Joannes du Cheſne* in ſecundum ibidem Præſulem benediceretur. Ibid. apud Guilielmum à Tungris, 1628. 4.

Sabbatiſmus Marianus. Ibid. 1628. 8.

Brabantia Mariana, libris III. Ibid. apud Joannem Cnobbarum, 1632. 4

Meditabatur *Lilium inter ſpinas*, ſive *Vitam S. Dympnæ*, Demono-maſtygis & Campinienſium patronæ; item *Syntagma paſtorale* de obligatione Parochorum, MSS. in Tungerloa.

Extat in Eccleſia ibidem hoc hujus Præſulis Epitaphium.

D. O. M.
Rdus. adm. ac Ampliſſimus
Dominus
D. Augustinus Wichmans
Abbas XXXVIII. hîc ſitus eſt;
ſatis dixi.
Decor Domûs hujus,
Scripta præclara,
Et Viri integritas
Cœtera loquentur.
Obiit Ao. 1661.
Prælaturæ XVII.

AUGUSTINUS WILS,

Balenus, Sacerdos, Scholæ Turnhoutanæ ac deinde Herentalenſis Moderator, ubi & vivere deſiit; edidit

Grammaticam Linguæ Latinæ.

Centuriam ſelectarum Fabularum Æſopicarum. Antverpiæ apud Silvium, 8.

Terentii Frondes, ſeu Phraſes. Ibid. 1566. 12.

AUSONIUS A POPMA,

Eloſtanus Friſius, Auſonii filius, è nobili Popmannorum familia, fratrum doctrinâ ſcriptiſque celebrium quartus. Rarum exemplum, tot in una eademque familia fratres germanos ad eruditionis culmen pertigiſſe. Coloniæ Philoſophica ſtudia, Lovanii Juriſprudentiam ſectantes inter æquales ingenio & ſtudio excelluerunt. Ac de *Sixto*, *Tito*, *Cypriano* ſuis locis. *Auſonius* poſteris reliquit

M. Terentii Varronis Fragmenta; *iis adjecto Conjectaneorum* libro. Franekeræ, 1590. typis Radæi.

Notas in Varronis libros *de Lingua Latina*, ac *de re Ruſtica.*

In Epiſtolas M. Tullii Ciceronis ad Atticum. 1619.

Item *in C. Velleii Paterculi Hiſtoriam Romanam*, 1620.

De Differentiis Verborum, libros IV.

De Uſu antiquæ locutionis, libros II. Lugd. Batavor. 1606. 8. apud Raphel. & Argent. 1618.

De Ordine & uſu Judiciorum, libros III. Arnhemii, 1617. 4.

Denique *Fragmenta* veterum *Hiſtoricorum Latinorum.*

Digitized by Google

B.

BALDERICUS RUBEUS,

FIlius Alberti, Domini de Sarchinville & Queant, apud Atrebates, Gerardo I. & II. ac S. Lietberto Epiſcopis Cameracenſibus & Atrebatenſibus à Sacris ac Secretis fuit; poſtea Eccleſiæ Morinenſis Canonicus & Cantor, inde Archidiaconus Noviomenſis, demùm Tornacenſis ac Noviomenſis Epiſcopus, anno 1097. conſecratus, præfuit annos XV.

Obiit Morinis (vulgò Teruanæ) anno 1112 pridie Kal. Junii, *Chronico Cameracenſi illuſtris*, in quo præfatur ac profitetur, nihil dubium, nihil fictum à ſe poſitum, nihil etiam quod non aut in Annalibus atque hiſtoriis Patrum, in geſtis Regum, in Chartis & Archivis Eccleſiæ reperiſſet.

Continet verò Chronicon illud res geſtas Epiſcoporum Cameracenſium & Atrebatenſium à Clodovei, primi Galliarum Regis Chriſtiani, temporibus, ad annum 1070. editum Duaci, Bogardi typis 1615. 8. curâ & cenſurâ Georgii Colvenerii, Doctoris Theologi, qui primus id, ἀνώνυμον hactenus, Auctori ſuo reſtituit, Notiſque eruditiſſimis illuſtravit, & de Vita ejuſdem latiùs præfatur.

Scripſit præterea *Chronicon Morinenſe*: ex Archivis Eccleſiæ Morinenſis tranſlatum ad Cœnobium Benedictinum in urbe Cenomanenſi, hactenus nondum repertum.

In Cathedrali Æde Morinenſi, Virgini Deiparæ ſacrâ, ſepultus fuit: ibique olim, ante excidium Urbis, legebatur hoc ejus Epitaphium.

P. BALDERICUS, hujus Eccleſiæ
Cantor, & Epiſcopus Noviomenſis,
Anno Verbi Incarnati M. C. XIII.
Prælationis ſuæ anno XV.
Pridie Kalend. Junii obiit,
Meritis plenus,
Et Chronico Cameracenſi illuſtris.

BALDUINUS AVESNENSIS,

Dominus Bellimontis, Joannis Hannoniæ Comitis frater, nec non Margaretæ Flandriæ Hannoniæque Comitiſſæ filius, vixit ſub annum 1289. ad quem, initio ducto à Carolo Duce Lotharingiæ, fratre Lotharii Regis, deduxit *Chronicon* ſive *Hiſtoriam Genealogicam Comitum Hannoniæ, & aliorum Procerum.* Legitur latinè & gallicè; verùm gallicum exemplar latino plenius eſt: ideoque meritò dubites, an gallicum ſit tranſlatum in latinum, an verò è diverſo.

Ex hoc autem *Balduini* opere (ut in Auctario ſuo de Scriptoribus Eccleſiaſticis notat Aubertus Miræus) *Engueramus Magnus*, Dominus de Coucy &c. *Genealogiam Familiæ de Coucy & Dreux* deſumi, & ad annum 1303. produci mandavit, hoc titulo: *Le Lignage de Coucy & Dreux.* Laudat utrumque opus Andreas du Cheſnè in Genealogia Luxemburgica p. 36. & alibi. Extat hodie MS. Pariſiis in Bibliotheca Regia, teſte P. le Long.

Genealogiæ Comitum Flandriæ ex Chronicis Hannonienſibus ejuſdem Balduini, evulgatæ fuerunt poſtmodum per Dominum Lucam Dacherium Monachum Benedictinum Tomo VII. ſui Specilegii pag. 524.

Porrò famoſum Chronicon Balduini, quod olim extiterat Pariſiis in Bibliotheca Andreæ Du-Cheſnii, dein Bruxellis apud Chiffletios, pariter fuit editum & Notis hiſtoricis illuſtratum anno 1693. à Jacobo Barone Le Roy, Toparchâ S. Lamberti &c. in folio, Antverpiæ in typographia Knobbartiana.

Mr. Bennett said that the Author had referred to the
Mr. Bennett said that the Author had referred to the

mitatu Flandriæ Joanna Filia primogenita. De *Bertrando de Rans*, impoſtore, qui ſeſe Balduinum Imperatorem è vinculis Bulgarorum elapſum aliquamdiu ſimulavit, vide Hiſtoricos Belgicos.

BALDUINUS DIONISIUS,

Cœnobita Elnonenſis in Pabula, Ordinis S. Benedicti, conſcripſit verſu Elegiaco

Catalogum Abbatum Monaſterii Elnonenſis, S. Amandi vulgò nuncupati, & ad annum 1592. (quo vivebat *Joannes Carton*, ejuſdem loci Abbas, ordine LXXIII.) eum produxit. Legebatur manuſcriptus apud D. Petrum Doremieulx Inſulis Flandrorum.

BALDUINUS DE GLEN,

Atrebas, Henniacenſis Canonicorum Regularium apud Arteſios Monaſterii Antiſtes ab anno 1562. quo patruo Franciſco de Glen ſucceſſit, acris & induſtrii vir ingenii, ſcripſit latinè anno 1584.

Chronicon ſive *Hiſtoriam Abbatum Cœnobii Henniacenſis.* Laudat in Chronico ſuo Belgico Ferreolus Locrius.

Monarchiam & ſeriem Regum Hiſpaniæ.

Delineationem Belgicarum Provinciarum & tranſmigrationem earumdem ad Auſtriacos. Aliaque, nondum viſa.

Vivere deſiit anno 1594; regiminis 31. menſe Decembri. Jacet in ſacello templi Henniacenſis, ſub marmore, cui inciſum hoc Epitaphium.

Glendius Arthefiæ jacet hîc pars magna Senatûs,
Religionis bonos, Henniniique Pater.
Paſſus erat ter quingentos & quatuor annos,
Luſtra decem, mortis Chriſtus & octo ſuæ,
Bis dena ſupra annum auctam trieteride vitam
Hîc metit, æternam quam ſuper aſtra tenet.

BALDUINUS DES-HAYES,

Presbyter, Canonicus ac Scholaſticus Eccleſiæ Collegiatæ S. Gertrudis Nivellis, gallicè edidit

Vitam ac mortem S. Gertrudis Fundatricis ac primæ Abbatiſſæ Nivellenſis; unà cum ſerie Hiſtorica Abbatiſſarum ſæcularium ejuſdem nobilis ac perilluſtris Capituli. 4 Bruxellis 1652.

Vitam S. Landradæ Fundatricis Canonicarum Beliſienſium, vulgo Munſterbilſen in Diœceſi Leodienſi. in 12. Leodii 1665.

BALDUINUS HENRICI,

De Ziriczea, Zelandus, Lovanii tertio loco promotus in Artibus anno 1432; inde Decretorum Licentiatus anno 1444, ac demum Doctor 1453. die 19. Novembris renunciatus. Fuit & SS. Canonum Profeſſor ordinarius, Eccleſiarum D. Petri Lovanii & Anderlechti Canonicus, & S. Lebuini Ziriczeenſis Decanus.

Ejus *Lectura ad Libros V. Decretalium* legebatur olim in Bibliotheca Wameſiana, apud *Petrum Weymſium*, Præſidem Senatûs Luxemburgenſis.

BALDUINUS JUNIUS,

Vulgò *de Jonghe*, Dordraci Patriciâ familiâ natus, Ordinis Minorum Theologus & Eccleſiaſtes, Definitor Ordinis, & pluries Guardianus (ut vocant), olim Juſti Lipſii Lovanii diſcipulus ac contubernalis, edidit

Demonſtrationes Fidei Orthodoxæ, ex Roberti Bellarmini Controverſiis. Antverpiæ. 4. 1611. typis Nutii.

Manuale Theologicum: de præcipuis totius Theologiæ fundamentis. Coloniæ 1614. typis Bernardi Gualteri.

Chronicon Morale: Concionibus anni totius accommodatum. Ibid. 1619. & 1622. 4.

Conciones ſuper Euangelia Dominicalia ac Feſtorum anni totius. Ibid. 1616. 4.

Domum Sapientiæ & Paradiſum Voluptatis, belgicè. Antverpiæ, 1613.

De Romano Pontifice libros III. inſertos denuo Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ P. Rocaberti Tomo V. Romæ 1698.

Varia præterea Opuſcula de variis materiis diverſis in locis edi curavit, proprio quidem ſuppreſſo, at ſuppoſito CONSTANTII PEREGRINI nomine; cujuſmodi ſunt,

Iter quadrimeſtre Comitis Buquoy, progreſſuſque, quo Auſtria eſt conſervata, Bohemia ſubjugata &c. Viennæ Auſtriæ 1621. 8. cui nonnemo repoſuit *Conſtantium Peregrinum caſtigatum*, ſeu *Relectionem Itineris quadrimeſtris Buquoy*, auctore *Berchtoldo Rauchenſtein*, 1621. 4.

Tuba Concionatorum, ſive *Collationum ignearum* Centuriæ XIX.

I. *De Sacramentis in genere, de Baptiſmo & Confirmatione.* Lovanii typis Henrici Haeſtenii, 1629. 8.

II. *De tota Ariſtotelis Logica & Phyſica: de Theologia, Præceptis Decalogi & Eccleſiæ.* Ibid. 1630.

III. *De Sanctis*, Duaci, apud Auroy, 1630.

IV. *Ex Novo Teſtamento.* Ibid. 1629.

V. *Hiſtorialis ab origine mundi uſque ad annum* LVII. Ibid. 1629.

VI. *De Venerabili Sacramento Euchariſtiæ & Sacrificio Miſſæ.* Lovanii 1630.

VII. *De Doctrina civili.* Ibid. 1630.

VIII. *De SS. Dominico, Petro Martyre & Thoma Aquinate.* Bruxellę apud Meerbecium. 1628.

IX. *In Dominicas & Feſta totius anni* Duaci, 1631.

X. *Hiſtoria à Chriſto nato ad Fredericum II. Imperatorem* ſcilicet annum 1212. Lovanii 1631.

XI. *De Sacramento Pœnitentiæ.* Bruxellæ apud Pepermans 1628.

XII. *De Vita civili.* Lovanii 1629.

XIII. *De SS. Vincentio Valentino, Catharina Senenſi, Antonio Archiepiſcopo Florentino.* Bruxellę apud Meerbecium 1628.

XIV. *De cognoſcendo & amando Deum.* Lovanii. 1629.

XV. *Hiſtorialis ab anno mundi* LVII. *uſque ad annum ducenteſimum.* Bruxellæ 1630.

XVI. *De Sacramentis Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii.* Lovanii 1630.

XVII. *De Vita civili.* Ibid. 1631.

XVIII. *De B. Raimundo, Alberto Magno, Martyribus Japonenſibus* &c. Bruxellæ 1629.

XIX. *De S. Angelo Cuſtode* &c. Lovanii 1631.

Pharetra quadruplex divini Amoris. I. De Mundo, Cœlo, Sideribus, & Elementis. II De Meteoris, Gemmis & Metallis. III. De plantis & Brutis. IV. De Homine & Angelis. Antverpiæ typis Trognæſii 1632. 8.

Scutum Catholicæ fidei. I. De Vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ. II. De Præſentia Chriſti in Venerabili Euchariſtia. III. De Purgatorio IV. De Obſervatione Legis, & Miniſtrorum cœlibatu. V. De Gratia, libero Arbitrio & Auctore peccati. VI. De Peccato Originali, Mortali & Veniali. VII. De Juſtificatione & merito bonorum operum. VIII. De Antechriſto. IX. De Eccleſia. X. De Prædeſtinatione. XI. De Invocatione Sanctorum. typis Trogneſii, 1632.

Faſciculus Myrrhæ dilectus, ſive Vita JESU Chriſti. Ibid. 1631.

Lilium inter ſpinas, ſive de Beatiſſi-

ma Virgine Maria, Chriſti Matre. Ibid. 1631.

Canticum Canticorum, Eccleſiæ Dei & Animæ ſanctæ applicatum. Ibid. 1631.

Theatrum SS. Principum Veteris & Novi Teſtamentis. Ibid. 1632. 8.

Mons Spiritualis Confeſſariorum. Ibid. 1632. 8.

Threni, ſive Lamentationes Jeremiæ Prophetæ triplici ſenſu expoſitæ. Ibid. 1632.

Sanctorum Angelorum amica Laudatio.

Via ſalutis æternæ, ſive de Symbolo Fidei.

Horologium diurnum & nocturnum, & XII. *Prædeſtinationis ſigna.*

Praxis quotidiana audiendi Miſſam, &c.

Progenies & Vitæ SS. Franciſci, Ludovici IX. *Galliæ Regis & Iſabellæ Reginæ Portugalliæ.*

Tuba noviſſima de Judicio.

Schola divini Amoris. Ibid. 1633.

Speculum animæ, de cognitione ſui. Ibid. 1633.

Principes Hollandiæ & Zelandiæ &c. Antverpiæ apud Meurſium 1632. 8.

Caput Sponſæ, ſive *Speculum Prælatorum.* Duaci, apud Auroy. 1631. 8.

Hortus Concluſus, ſive Inſtructio ſtatûs Religioſi. Ibid.

Viridarium Eccleſiaſticum, ſive de benedictionibus in Eccleſia variis, de Epiſcoporum dignitate &c. Ibid.

Obiit Bruxellis, anno 1634. die XII. Aprilis.

BALDUINUS MOREAU,

Hanno, Abbatiæ Camberonenſis Ciſtercienſis Ordinis Religioſus, S. T. B. in Academia Duacena, è Secretario Abbatis Ciſtercienſis inauguratus anno 1618. Abbas B. M. de Roſeriis in Comitatu Burgundiæ. Quod Monaſterium, tum bellorum injuriis, tum Commendatariorum incuriâ prope collapſum, jubente Alberto Archiduce in priſtinum decorem reſtituere meditabatur, aſſumptis ſecum tribus Religioſis Camberonenſibus. Interim ad Romanam Curiam miſſus à Nicolao Boucherat, Archi-Abbate Ciſtercienſi, Procurator Generalis Ordinis: anno 1622. febre correptus Romæ interiit.

Edidit *Regulam S. Benedicti ad XXX. MSS. Codicum cenſuram fidemque revocatam, cum aliis ejuſdem Sancti Opuſculis, Vitâ & Hiſtoriâ*; quibus præfixit Prologum ſatis prolixum. Duaci 1611. & Coloniæ 1620. in 12.

Reliquit & *Hiſtoriam Ciſtercienſem* MSS. à multis viſam & laudatam.

BALDUINUS NINIVENSIS,

Flander, Canonicus Regularis Ordinis Præmonſtratenſis, in patria,

Chronicon breve à Chriſto nato ad annum 1294. deduxit, quod MSS. exſtitit in Ninivenſi S. Cornelii apud Flandros Abbatia, donec anno 1728. *Carolus Ludovicus Hugo*, Ordinis Præmonſtratenſis, Abbas Stivagii & Fontis-Andreæ, Doctor Theologus, ac Ducis Lotharingiæ Conſiliarius & Hiſtoriographus, nec non Ptolomaïdis ſeu Acconenſis Epiſcopus, idem Chronicon inſeruit *Sacræ Antiquitatis Monumentis Hiſtoricis ac Diplomaticis*, quæ Stivagii in Lotharingia edidit, Tom. I.

BALDUINUS RONSSÆUS,

Gandenſis, Erici Brunſvicenſium & Luneburgenſium Ducis Medicus domeſticus; poſt verò Furnis, Flandriæ occiduæ opido, indeque Gaudæ apud Batavos, publico ſtipendio eamdem Medicinam factitavit: vir doctrinæ non vulgaris, ac græcè doctus, ſcripſit

Commentariolum *de Magnis* Hippocratis *lienibus*, Pliniique *Stomarace, ac Sceletyrbe*, vulgo *Scorbutum* dicunt. Antverpiæ 1564. 8. & Wittenbergæ, 1624. 8. cum Tractatu Dan. Senerti.

De Hominis primordiis, hyſtericiſque affectibus, & infantilibus aliquot morbis.

Law Reports, Chancery Division, 1875, p. 1.

Registration Acts, &c.

Registration of Bills of Sale Act, 1878.

Bill of sale—Registration—Affidavit of bona fides—Omission of material fact—Effect of omission—Bills of Sale Act, 1878, s. 10.

Section 10 of the Bills of Sale Act, 1878, requires that the affidavit of bona fides shall state that the bill of sale was executed bona fide for the purpose of securing the money thereby secured, and not for the purpose of protecting the chattels comprised therein against the creditors of the grantor.

Where the affidavit stated that the bill of sale was executed bona fide for the purpose of securing the money thereby secured, but omitted to state that it was not executed for the purpose of protecting the chattels comprised therein against the creditors of the grantor:

Held, that the omission was fatal to the validity of the bill of sale.

Law Reports, Chancery Division, 1879, p. 1.

Registration of Bills of Sale Act, 1878.

Bill of sale—Registration—Affidavit of bona fides—Omission of material fact—Effect of omission—Bills of Sale Act, 1878, s. 10.

Section 10 of the Bills of Sale Act, 1878, requires that the affidavit of bona fides shall state that the bill of sale was executed bona fide for the purpose of securing the money thereby secured, and not for the purpose of protecting the chattels comprised therein against the creditors of the grantor.

Where the affidavit stated that the bill of sale was executed bona fide for the purpose of securing the money thereby secured, but omitted to state that it was not executed for the purpose of protecting the chattels comprised therein against the creditors of the grantor:

Held, that the omission was fatal to the validity of the bill of sale.

Digitized by Google

BALDUINUS DE VAULX,

J. U. D. Vir Conſularis Leodii, & Sereniſſ. Principi Leodienſi à Conſiliis, raræ doctrinæ vel Guicciardino teſte, in ſua Belgicæ Deſcriptione, tantæque memoriæ, ut Leges omnes & Capitula omnia velut in numerato haberet, non ſine maxima eloquentiæ laude. Vixit ad extremam uſque ſenectam cælebs, & *Reſponſorum* plurima reliquit volumina; quæ timendum eſt, ne apud ignaros hæredes perierint.

Vivendi finem fecit Leodii anno 1601. die v. Februarii.

BALDUINUS WILLOT,

Binchienſis Hanno, Societatis Jeſu Sacerdos, fato functus Inſulis anno 1663. evulgavit gallicè

Compendium Martyrologii ſive Hagiologii Belgici. 12. Inſulis 1658.

Vertit item *Martyrologium Romanum.* 8. Mont. 1641; aliaque plura.

BALTHASAR DE AVILA,

Inſulenſis Flander, Nobili proſapiâ oriundus, Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri ibidem per ſeptennium Canonicus, Chriſtianâ humilitate Præpoſituram ejuſdem recuſavit, ut FF. Minimorum S. Franciſci de Paula Ordinem amplecteretur. Quadrageſimales ſæpius habuit conciones gravi eruditione. Quartùm Provincialis exiſtens, ad ſupremum totius Religionis ſuæ apicem Innocentii X. Pont. authoritate evehitur. Demum Generalatûs munere defunctus, quietis locum prælegit Inſulas, ibique requievit in pace die 2 Februarii 1668. annum agens 77. à profeſſione 52. Evulgavit

Manipulum Minimorum, ex Regulari SS. Pontificum, SS. Congregationum, & ex ipſius Ordinis agro collectum. prodiit Inſulis apud Nicol. de Rache 1667. in 8. dein Genuæ reimpreſſus cum Additionibus 1677. ac poſtmodum in Gallia in 4.

Sepultus eſt in Eccleſia Minimorum Inſulenſium, ante aram principalem, ſub hoc energico Epitaphio.

D. O. M.
Reverendiſſ. Pater
BALTHASAR D'AVILA
Hîc ſitus eſt; quem Inſula terris dedit,
Canonicum habuit, Præpoſitum
Exoptavit. Qui magnus ne fieret,
Minimus factus eſt.
Dignitates fugit, ſed non effugit.
Virtus quem Minimum voluit,
Maximum coluit.
Quartùm Provinciam Belgicam rexit.
Toti Ordini Generalis Corrector
Præfuit, & profuit.
Vitæ ſanctitate, morum integritate,
Animi fortitudine,
Verus Patriarchæ ſui filius,
Dignus in Officio ſucceſſor.
Demum 2. Februarii anni M.D.C.LXVIII.
Ætatis 77. Sacerdotii 53. Profeſſionis 52.
Mundo heu! ereptus,
Ejus conſors ut ſit gloriæ,
Tu lector apprecare.

BALTHASAR AYALA,

Antverpienſis, Jacobi Filius, adoleſcens Lovanii Juri Civili operam dedit, atque eos in ſtudio illo progreſſus fecit, ut ſupremus in Regio apud Belgas exercitu Judex eſſe meruerit, majore æquitate an prudentiâ meritò dubites. Utramque Regi ſuo probavit, qui eundem in magno Concilio Machlinienſi Senatorem conſtituit.

Ad altiora conſcendenti mors manum injecit, & in ipſo ætatis flore extinxit, Aloſti in Flandria, anno 1584. Kalendis Septembris, ætatis XXXVI. Scripſit

De Jure, Officiis Bellicis, ac Militari diſciplina, libros III. Duaci, typis

Joannis Bogardi 1582. & Antverpiæ 1597. 8.

BALTHASAR BASSELIERS,

Antverpianus, Ordinis FF. Minorum Regularis Obſervantiæ per Germaniam Inferiorem Definitor, edidit

Conciones Morales ſuper Euangelium Joannis, de Lazaro quatriduano redivivo. Antverpiæ apud Guillelmum Leeſtenium 1638. 8. quo & vivere deſiit.

BALTHASAR CORDERIUS,

Antverpianus, anno 1592. VIII. Idus Junii natus, Societatis Jeſu Sacerdos Doctor Theologus & Profeſſor in Viennenſi Auſtriæ Academia, Græcè in primis eruditus, quas apud ſuos litteras jam ante Bruxellæ atque alibi docuerat.

Vir compoſitis admodum ac religioſis moribus, quem plura impigre ſcribentem atque notantem, etiam ſecundò reverſum Romam, & eadem ſedulò agentem, mors manum de tabula tollere juſſit, & æternùm in Domino quieſcere, die 24 Junii 1650. ætatis anno 58. Edidit

Catenam LXV. Græcorum Patrum in S. Lucam. typis Plant. 1628. fol.

Catenam Græcorum Patrum in S. Joannem. Ibid. 1631. fol.

Joannis Philoponi in Cap. 1. Geneſ. De Mundi creatione libros IV. Græcè & Latinè. Viennæ, 1631. Una cum *Diſputatione de Paſſchate.*

S. Cyrilli Apologos Morales. Ibid. eodem anno: qui tamen libellus, titulo *Speculi Sapientiæ*, jam olim Pariſiis à Joanne Parvo fuerat publicatus.

Dionyſii Areopagitæ Opera, Græco-Latinè, Notis Theologicis illuſtrata, typis Plantin. 1634. fol. 2. vol. Accedunt Scholia S. Maximi & Paraphraſis Pachymeræ, latinè interpretata.

Expoſitionem Græcorum PP. in Pſalmos, digeſtam in Catenam, & latinitate donatam, atque Annotationibus illuſtratam, ex vetuſtiſſimis MSS. Bibliothecæ Cæſareæ ac Ducis Bavariæ. fol. III. vol. typis Plant. anno 1643. & ſequentibus.

S. Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi Homilias XIX in Jeremiam Prophetam, quæ hactenus ineditæ, atque ex antiquiſſimo Codice MSS. Regiæ Bibliothecæ Scorialenſis deſcriptæ, & à Corderio latinitate donatæ. 8. typis Plant. 1648.

Symbola Græcorum PP. in Euangelium Matthæi, latinè verſa & collata cum Scholiis P. Petri Poſſini ejuſdem Societatis, Galli. fol. 2. vol. Toloſæ apud Joann. Boude. 1646. & 1647.

Job elucidatus. fol. græco-lat. Antverpiæ typis Moreti prodiit 1646.

S. Dorothei Inſtitutiones aſceticæ, novâ interpretatione & Notis illuſtratæ. fol. Antverpiæ 1646.

Joannis Calecæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, & Joannis Ceranei Homiliæ in IV. Euangelia, unà cum Opuſculo Joannis Geometræ de B. Virgine. Pariſiis latet hactenus MSS. uti &

Liber Sapientiæ elucidatus.

BALTHASAR MORETUS,

Vernaculè *Moerentorf*, innumerorum penè librorum editor, in lucem editus fuit Antverpiæ anno 1574. die 23. Julii, patre Joanne Moreto, Matre Maria Plantinâ, Chriſtophori celeberrimi Typographi filiâ ſecundogenitâ. Adoleſcens Lovanii gaviſus eſt contubernio incomparabilis viri Juſti Lipſii; qui eum ingenio, judicio, & eruditione præſtantem reddidit.

Officinam dein typographicam ab avo Plantino feliciter inſtitutam, à patre Joanne Moreto gnaviter propagatam, ſibique anno 1610. patre moriente relictam, unà cum Joanne Fratre rexit ad annum 1618, quo hic obiit. Dignitatem artis ſuæ præclarè

ſuſtinuit, numeroſa ſubinde præla 48. ad minimum operarum miniſterio exercens. Hinc anno 1613. Iſabella-Clara-Eugenia Hiſpaniæ Infans Mariam Medicæam Galliæ Reginam ſecum Antverpiam abduxit, ut Typographæum Plantinianum inſpiceret.

Præter elegantiam autem & varietatem lectiſſimorum typorum, hæc inſuper ſingularis erat ejuſdem officinę gloria, quod pietati fere ſe totum addixiſſe videretur, nulliſque libentiùs operibus ab antiquo inſudaret, quam his quæ divino cultui & cælitum honori deſerviunt. Hinc etiam Pius V. Chriſtophoro Plantino, Clemens VIII. Joanni Moreto, & Balthaſari ac Joanni Moretis Urbanus VIII. impreſſionem Miſſalium, Breviariorum, Diurnalium ſpeciali Privilegio conceſſerunt: quod & alii Pontifices poſteris continuarunt.

Fuit autem *Balthazar Moretus* felicis venæ poeta: verſuſque multos luſit ſparſim editos: atque imprimis *Famam poſthumam Memoriæ Juſti Lipſii* gratus diſcipulus conſecravit.

Præterea *Abrahami Ortelii Parergon Theatri Orbis, ſive veteris Geographiæ Tabulas Commentariis Geographicis & Hiſtoricis* illuſtravit 1624. fol.

Obiit cælebs Antverpiæ anno 1641. die 8. Julii, ætat. 67. hærede ſcripto Balthaſaro ſui Fratris filio: in Ædę Cathedrali B. M. V. juxta patris avique cineres depoſitus; cum hoc eleganti Epitaphio.

D. O. M.
Sacr. & perenni memorię
BALTHASARIS MORETI
Typographi Regii,
Qui pietate in Deum,
Liberalitate in egenos,
Benevolentiâ in omnes,
Dum vixit, claruit.
Doctrinam,
Quam ex incomparabilis Viri
Juſti Lipſii contubernio
Adoleſcens hauſerat,
Non privato ſui ipſius otio,
Sed publico rei Litterariæ bono devovit.
Officinam Typographicam,
Ab Avo Plantino feliciter inſtitutam,
A patre Joanne Moreto gnaviter
Propagatam, ſibique traditam,
Labore, conſtantiâ, induſtriâ,
Rexit, auxit, ornavit.
Vixit Cœlebs annos LXVII.
Devixit VIII. Idus Julii M. D.C. XLI.
Balthaſar Moretus, J. F. hæres,
Patruo de ſe optimè merito *P C.*

BARBARA PORQUIN,

Leodienſis, ſanguinis Italici mulier, Nobilis Viri Domini de Rolly conjux caſtiſſima, piiſſima, &, quod in maritata mirere magis, doctiſſima, ſcripſit ſermone vernaculo

Hortulum Animæ, variis Orationum floſculis exornatum, & plures alios ejuſdem argumenti libellos, quos devotiſſimus excudi fæmineus exoptat cœtus.

Vivere deſiit anno 1624. vel circiter, mulier angelicis decorata moribus.

BARTHOLOMÆUS D'ASTROY,

Ex vico de Spontin, Diœceſis Leodienſis oriundus, Religioſus Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Flandriæ, quondam S. T. Lector, Provincialis, Cuſtos Provinciæ, Commiſſarius Generalis &c. concionandi facundiâ, & Controverſiarum adverſus hæreticos elucidatione celebris. Obiit circa annum 1670. Reliquit

Directorium ad juvandos conſolandoſque infirmos, & potiſſimum moribundos. Accedunt ſelecta loca S. Scripturæ quæ tum ipſis agonizantibus & quibuſcumque infirmis, tum iis qui agonizanti-

bus aſſiſtunt, utiliter ſerviunt. 8. Leodii 1655. item 1674. ſub titulo *Paracleſis infirmorum* : nec non Antverpiæ 1725.

Scripſit & *Catechiſmum Fidei: Armamentarium contra hæreſes:* Item *Antidotum:* Item *Equuleum contra eaſdem: Hæreſim delarvatam* (gallicè) *Antiquitatem Fidei contra Novatores:* Item *Monitorium contra Miniſtrum erroris, dictum Nicolai* ; & alia quædam *contra Sacramentarios.*

BARTHOLOMÆUS AB AULA,

Hallis, Hannoniæ oppido oriundus, ad S. Gertrudem Lovanii Paſtor, ſingularis exempli vir, quique propterea plures exemplo vitæ ſuæ quam verbo Chriſti lucrifecit ; reliquit

Paſtorale, ſive *Tractatum de Modo adminiſtrandi Sacramenta Eccleſiæ:* quem librum vidiſſe ſe teſtatus eſt Clariſſ. Valerius Andreas Auctoris manu ſcriptum, cum cenſura Henrici Gravii & Joannis Molani S. Theol. Doctorum, eum utilem, dignumque judicantium, qui ab omnibus deſcribatur, qui Eccleſiaſticis functionibus deſtinantur.

BARTHOLOMÆUS BATTUS,

Aloſtanus, Flander, Gandavi ſedem fixit: ſed Lutheranâ hæreſi infectus, ac Judici Eccleſiaſtico denunciatus, per menſes novem carceri incluſus, vix non capitis periculum evaſit. Paulò poſt in Germaniam recedens, una cum conjuge ac novem liberis, Roſtochii hæſit : ibique diem clauſit extremum anno 1558. die 24. Januarii. Scripſit ad liberos ſuos

Oeconomiæ libros II. ſeu de Parentum erga liberos, & liberorum erga parentes officio. Antverpiæ 1558. 8. typis Gerardi Spelmanni. Sed libri iſti cenſuram acrem promeriti ſunt ; quia hæreſi ſuæ immortuus eſt Author.

Extitit aliquando Roſtochii in primario B. M. V. Templo (Epitaphium *Ratti*, quo ejus impietas virtutis nomine palliatur, totiuſque vitæ perverſæ ſeries recencetur.

Plurima pertuleram quondam qui nomine Chriſti
Damna, ſub hac recubo BARTHOLOMÆUS *humo.*
Sole ſub occiduo cunas præbebat Aloſtum,
Lambit ubi Teneræ fertilis unda ſolum.
A puero placuêre ſacri myſteria verbi,
Illuſtrata tuâ, magne Luthere, face.
Hinc ego Pontificum fraudes arteiſque peroſus,
Sinceræ tenui Relligionis iter.
Quâque Deum potui, colui pietate fideque,
Et labor in Chriſtum credere ſolus erat.
Tota ſed in ventris ſtudio quæ turba moratur,
Cœperat hinc ſtudiis eſſe inimica meis.
Inſidias ſtruit, & falsò mihi crimina fingit,
Donec in hoc duro carcere clauſus eram.
Sicque tenebroſo deſedi ſquallidus antro,
Dum novies Phœbo Cynthia clara fuit.
At Gandæ proceres tandem (ſit gratia Chriſto)
Exemptum veteri reſtituêre loco.
Feceruntque ſuæ Civem me protinus Urbis,
Cujus ego cultor per duo luſtra fui.
Hoſtibus indomitis donec gravis ira reſurgens
Et furor & triſtes me petiêre minæ.
Inde meo capiti ferrumque ignemque parabant;
Heu quantum vera eſt in pietate crucis!
Exilio mutare domos patriamque coactus,
Conjuge cum chara pignoribuſque thori.
Plurima ſuſtinui terrâque marique pericla,
Tædia multa viæ, tædia multa maris.
Donec adhæc tandem deflexi littora curſum,
Quæ veræ hoſpitium Relligionis erant.
Quodque ſuperfuerat confecto tutius ævo,
In ſtudiis clauſi fata ſuprema meis.
Sic mea me tumulo Conjunx proleſque novena
Condidit; æterno mens mea juncta Deo eſt.

BARTHOLOMÆUS DE BRUGIS,

Flander, Medicus, ſcripſit
In Aphoriſmos Hippocratis, librum I.
In librum Prognoſticôn, librum I.
De regimine acutorum Morborum lib. I.
Ex Symphoriano Campegio, libro de claris Medicinæ Scriptoribus.

BARTHOLOMÆUS CAVERSINUS,

Zelandus, Canonicus in Zouburgo Walachriæ, edidit *Dialogos* duos, verſibus Elegiacis conſcriptos. Prior inſcribitur *Dearum judicium datum à Paride*, ex Luciano: alter eſt *Cupidinis & Ganymedis*. Antverpiæ apud Joannem Loëum.

Item *Dialogum Def. Eraſmi Roterodami*, quem *Epicureum* inſcripſit, è Latino in Græcum ſermonem convertit, Notiſque illuſtravit. Antverpiæ 1567. 8. typis Guilielmi Silvii.

BARTHOLOMÆUS CONRARDI,

Harlemenſis, Canonicus Regularis, & Prior in Bethleem, juxta Lovanium, anno 1448. ad hoc munus adſumptus. Scribit de eo Petrus Impens, in Chronico ſuo Bethleemitico, quod, cùm ex Scholis inferioribus veniſſet ad Monaſterium, vix Grammaticalibus congruitatibus plenè imbutus, tantùm induſtriâ & laboris ſollertiâ infra paucos annos in Cella ſua profecerit, ut in divinis Scripturis, ſpeculativa Theologia, & arte Oratoria hactenus in Domo illa non habuerit ſimilem, & teſtimonio ac ſuffragio *M. Heimerici de Campo*, S. Theologiæ Profeſſoris, in Baccalaureum promoveri meruerit. Edidit

Tractatum Dialogicum, ſub nomine *Fratris* interrogantis & *Magiſtri* reſpondentis, *Quæſtiunculas & Reſponſiones per illuminatum S. Theologiæ Profeſſorem M. Heimericum deſuper datas*, continentem

Expoſitiones in librum B. Dionyſii, & in Boetium de Trinitate & Hebdomadibus.

Meditationes, in modum Orationum: incip. *Domine* JESU *Chriſte &c.*

Collationes multas & elegantes.

Piè in Domino obdormivit anno 1453. Ita de eo Impens libro quinto artic. XI. §. 1.

BARTHOLOMÆUS LE DUCQUET,

Leodienſis, J. U. D. ore vir rotundo, ſed glabro ac pænè elingui, calamo autem longè doctiſſimo. Hic in *Reſponſis* ſuis (quorum multa reliquit volumina) nullis uti ſolet præfationibus, aut verborum ambagibus, ſed cauſſæ jugulum ab initio ſtatim petebat.

Scripſit & Tractatum *De Evictionibus ſive Saiſiniis*, quâ non eſt apud Leodienſes materia frequentior aut compendioſior. Verùm nihil horum adhuc lucem vidit, magno Pragmaticorum dolore.

Diem obiit ſupremum anno 1611. VI. Nonas Octobris.

BARTHOLOMÆUS FISEN,

Leodienſis, Societatem Jeſu ingreſſus anno 1610. Antiquitatis in primis Eccleſiaſticæ diligentiſſimus ſcrutator, rexit Collegia Heidinii, Dionanti, Inſulis &c. Tandem rupto apoſtemate in capite, ex pure in pectus defluente ſuffocatus, occubuit Inſulis die 26. Junii 1649. ætatis anno 58. Scripſit

De prima origine Feſti Corporis Chriſti, ex viſo *S. Julianæ* Virgini divinitùs oblato, deque *Vita Julianæ*, Leodii 1628. 8. typis Joannis Ouwerx.

Paradoxum Chriſtianum, NEMINEM

LÆDI NISI A SEIPSO Ibid. 1640. 8.

Hiſtoriam Eccleſiæ Leodienſis, cujus priorem partem uſque ad annum 1252. edidit typis Joannes Tournay, 1642. fol. hoc titulo: *Sancta Legia Romanæ Eccleſiæ filia, &c.* Pars ſecunda, opus Authoris poſthumum deductum uſque ad ann. 1612, ſimul cum priori primùm in lucem prodiit Leodii apud Guilielmum Streel 1696. fol.

Vitam S. Trudonis Hasbaniæ Apoſtoli.

Flores Eccleſiæ Leodienſis, ſive *Vitas Sanctorum, & aliorum, qui rariori virtute eam Eccleſiam ornârunt.* fol. Inſulis 1647.

BARTHOLOMÆUS HONORIUS,

Leodienſis, patre Eerſelenſi è Campiniæ Brabanticæ municipio oriundus (unde fortè & *Honorium* vocari ſe, quaſi *Eerſelium* voluit; *Eer* enim linguâ noſtrate idem ſonat quod *Honor*) Canonicus Abbatiæ Floreffienſis, Ordinis Norbertini in Comitatu Namurcenſi, Parochum multis annis egit in opido Helmondano, Toparchæ ſive Domino loci è gente Cortenbachiâ, ceteriſque indigenis, longè gratiſſimus, donec à peſtiferis & factioſis Geuſiis-Calviniſtis expulſus Romam conceſſit. Eminens fuit in arte poëtica, & plurimùm in hiſtoria verſatus. Symbolum hoc uſurpare ſolebat: PAREO, NE PEREAM; ipſeque aliquando ad effigiem ſuam ita luſit:

Quem placido cernis meditantem ſeria vultu,
Helmondæ Paſtor Bartholomæus erat.
Legia tinxit aquis, aluit Floreffia vatem;
Cujus ab ore probo vox memoranda venit.
Adſit HONOR *ſtudiis, nec deſit* HONORIUS *illis,*
Dum datur hac Nobis luce fideque frui.

Scripſit *Admonitionem ad Fratres Inferioris Germaniæ.* Silvæducis apud Joannem Schefferum, 1578.

Hodœporicon Itineris Italici, 1581. 4. apud eumdem.

De Dictis & Factis CAROLI V. Imperatoris. Ibid.

Elogium S. Norberti, & Catalogum celebriorum Ordinis Præmonſtratenſis per orbem univerſum Abbatiarum. Ibid. 1584.

Lætum Introitum Sereniſſimi Principis Erneſti Bavari, electi Epiſcopi Leodienſis, partim carmine, partim ſolutâ oratione. Ibid. apud Joannem à Turnhout, 1581. 4.

Victoriam Nobiliſſimi Adolphi de Cortenbach, Pro-Comitis Helmondani.

Vaccam Belgicam, ab *Aurantio*, *Caſimiro Palatino*, & ſimilibus, exſuctam.

Paſſionem Gaſparis Collignæi, Galliæ Architalaſſi, Bartholomæanis feſtis Pariſiis, decantavit inſigni volumine, ſed ironicè.

Quæſtiones Theologicas LXX. adverſus Calviniſtas, 1586. 4.

Denique *Elucidarium B. Anſelmi* Cantuarienſis Archiepiſcopi, hactenus ignoratum, primus in lucem protulit, 1586. 8.

BARTHOLOMÆUS LATOMUS,

Vulgo MASSON, Arluni, quod Ducatûs Luxemburgici opidum eſt, natus anno à Chriſto nato 1485. claruit primùm Treviris, deinde Rhetor in Ubiis, pòſt Friburgi Collegii Philoſophici moderator, demùm Lutetiæ Pariſiorum primus Eloquentiæ Profeſſor Regius, ſummam dicendi laudem docendi uſu eſt conſecutus, Budæo favente maximè: cui etiam *Orationem* inſcripſit in Prælectionis publicæ auſpiciis *De Eloquentiæ ac Ciceronis laudibus* dictam, ſumpto à Verrinis Ciceronis initio.

Sed & Eraſmus, rerum talium cen-

ſor ac judex peritiſſimus, *Latomum* in amicorum ſuorum ac familiarium album cooptavit, & inter ævi ſui viros doctiſſimos recenſuit.

Scripſit multa, pleraque Tullio illuſtrando & explanando. In omnes pænè Orationes ejuſdem *Scholia* dedit, brevia illa quidem, ſed artificium ac ſchemata velut digito indicantia; pro *P. Quinctio*, *Sexto Roſcio*, *A. Cæcinna*, *L. Muræna*, *Archia poëta*, *ad Quirites poſt reditum*, *pro Cn. Plancio*, *M. Cælio*, *Milone*, *M. Marcello*, *Q. Ligario*, *Deiotaro Rege*, *in Vatinium*, *in Verrinas VII ac Philippicas omnes*. Quæ omnia variis in locis edita; collectaque ſimul in volumen Commentariorum Orationum Ciceronis retulit Joannes Oporinus Baſileę fol.

Leguntur præterea ejuſdem *Annotationes in Ciceronem de Officiis*, *Amicitia*, *Senectute*, *in Somnium Scipionis*, *ac Paradoxa* Coloniæ 1534.

Enarrationes in Topica ad Trebatium, edente *Petro Gallandio*, dum impetrato à Rege commeatu *Latomus*, & ſubſtitutum nactus *Gallandium*, in Italiam eſſet profectus. Argentorati, 1539. 8. apud Mylium.

In partitiones Oratorias, edente eodem. Pariſiis apud Gryphium, 1539. 4.

Summa De ratione diſſerendi. Coloniæ 1527. & 1542. apud Gymnicum.

Epitome Commentariorum Dialecticæ Inventionis Rodolphi Agricolæ. Ibid. 1532. Baſil. 1536. Pariſiis & alibi.

Scholia in Dialecticam Georgii Trapezuntii. Lugduni 1545. 4.

Item *in Terentii Comedias*. Pariſiis 1552. fol.

In *Horatii Sermones & De Arte Poëtica*. MSS. in Bibliotheca Leydenſi.

Oratio de Peregrinatione ſua per Italiam Pariſiis ann. 1540. habita. Lugduni apud Gryphium.

Oratio funebris in obitum Richardi, Principis Trevirenſis Coloniæ. 1531.

Factio memorabilis Franciſci ab Siccingen *contra urbem Trevirenſem*, *cum obſidione ejuſdem*, verſibus heroicis. Ibidem 1523. 4. apud Cervicornum.

Imperator Cæſar Maximilianus defunctus Auguſtæ 1519. 4.

Gratulatio in Coronationem Regis Rom. ad Carolum V. Cæſarem & Ferdinandum Regem, fratres Auguſtos, carmine.

Elegia de Auſtriæ nomine, ad Carolum V. Imperatorem. Argent. 1527.

Dum verò ſenio fatiſcens à labore quietem & otium quærit *Latomus*, Archiepiſcopo ac Principi Trevirenſi à Conſiliis, ſollicitari mox, atque etiam conviciis peti cœpit à peſtilentis cathedræ Lutheri aſſeclis. Verum conſtans ille in majorum fide ac religione, fidelem ſe Romanæ Eccleſiæ filium ac propugnatorem oſtendit, ediditque

Defenſionem adverſus Martinum Bucerum de Controverſiis ad Religionem pertinentibus, ac ſignanter de diſpenſatione Euchariſtię, de Invocatione Divorum, de Cœlibatu Sacerdotum, de Authoritate Eccleſiæ. Coloniæ apud Melchior. Noveſianum 1545. 4.

Reſpondit & *Petro Datheno*, Minoritæ Iprenſi apoſtatæ, in Comitiis Francofurtinis anni 1556.

Item *Jacobo Andreæ*, *pro SS. Euchariſtia*, *atque incruento Miſſæ Sacrificio*, anno 1557.

Eidem anno 1559. *de Docta ſimplicitate primæ Eccleſiæ*, *& de uſu Calicis*, *ac de SS. Euchariſtiæ Sacrificio*.

Denique *Bartholomæi Latomi & Joannis Sturmii Epiſtolæ adverſariæ de diſſidio periculoque Germaniæ*, *& per quos ſtet*, *quo minùs concordiæ ratio inter partes ineatur*, editæ Argent. 1566. 8.

Moritur octogenario major Conſentiæ, circa annum 1566.

BARTHOLOMÆUS DE LOS RIOS Y ALARCON,

Matritenſis Hiſpanus, Ordinem FF. Eremitarum S. Auguſtini anno 1598. profeſſus fuit in patria. Evocatus in Belgium anno 1622. Provinciæque huic incorporatus, Prioris ac Diffinitoris officiis functus, atque in Univerſitate Duacena S. T. Doctor circa annum 1624. renunciatus eſt. In aula Bruxellenſi Principis Iſabellæ Claræ Eugeniæ, ejuſque nepotis Ferdinandi S. R. E. Cardinalis Infantis, fuit Concionator Hiſpanus ordinarius; donec in Hiſpaniam revocaretur, eodem munere coram Philippo IV. Rege perfuncturus. Scripſit de rebus Belgicis,

Phœnicem Thenenſem è cineribus redivivum, id eſt, de cladibus per Hollandos & Gallos Thenenſi oppido anno 1635. illatis. 8. Antverpiæ apud Plantinum 1637.

Hierarchiam Marianam, ex occaſione Imaginis Deiparæ Virginis *de bono ſucceſſu*, olim in Aberdonia Scotiæ Urbe miraculis claræ, dein ab Infante Iſabella Bruxellæ in templo PP. Auſtinianorum anno 1626. collocatæ. fol. Antverpiæ 1641.

Item quà Concionator, *Chriſtum Dominum in cathedra Crucis docentem & patientem*, ſive Tractatus VII. de ultimis verbis Chriſti. Bruxellæ apud Mommartium 1645. in 4.

Vittam Coccinneam, ſive Commentarium ſuper Euangelia Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti. Antverpiæ apud Leeſtenium 1646. in 4.

Horizontem Marianum, ſive de excellentia & virtutibns B. M. V. Tractatus IX. addito X. *de Nomine Mariæ.* Antverpiæ apud Leeſtenium 1647. fol.

Obiit Matriti anno 1652. die 4. Maii, ætatis prope 72.

BARTHOLOMÆUS MACHARII,

Tungrenſis, opidi ejuſdem Commiſſarius, ſcripſit carmine Leonino, ut vocant,

Bella ſuo tempore in patria Leodienſi geſta, potiſſimùm per *Carolum Burgundium.* MSS. apud Regulares Tungrenſes.

BARTHOLOMÆUS MERCATOR,

Lovanienſis, Gerardi celeberrimi Coſmographi Filius, ſcripſit admodum adoleſcens,

Notas breves *in Sphæram*, Geographiæ atque Aſtronomiæ rudimenta ſuggerentes. Coloniæ, 1563. 8.

Obiit in ætatis flore, annos natus XXVIII. anno 1568.

BARTHOLOMÆUS A MIDDELBURGO,

(Ita denominatus à loco, ut credo, profeſſionis; natalis enim fuit Veria, Zelandiæ opidum, anno 1485.) Ordinis Minorum S. Franciſci, ſuis non uno in loco Guardianus ac Vicarius præfuit, totoſque quadraginta annos, & eo ampliùs, Orator ac præco Verbi divini fuit ferventiſſimus, tametſi utroque latere hernioſus, miræ auſteritatis, ſobrietatis, & abſtinentiæ. Reliquit

Concionum de Tempore & Sanctis Tomos III.

Vivere deſiit Ultrajecti anno 1564. qui fuit ætatis LXXX. die XI. Aprilis, ſepultus in ambitu Conventûs Fratrum Minorum, ubi, dum ſacra ſtarent, ad monumentum & ſtatuam illius legi ſolebant hi verſus, Adriano vander-Burchio auctore.

Verbo olim populum vitæ exemploque docebas,

Hic

Hic tibi ſemper bonos, hæc tibi cura fuit.
Nunc mundo ablatus, cœli ſtatione teneris,
Et vanas terræ deſpicis illecebras.
Nos cineres, quos illa tegit, veneramur, & uno,
Quod de te ſupereſt, nomine perfruimur.

Plura de viri hujus ſanctitate Arnoldus Raiſſius in Auctario ad Natales SS. Belgii. Porrò *Conciones à Middelburgo* olim adſervare ſolebat *Victor Scorellius*, Presbyter Ultrajectinus, qui eas legavit *Florentio vander Haer*, Canonico ac Theſaurario Inſulenſi.

BARTHOLOMÆUS A MOSÆ-TRAJECTO,

Prior Cartuſiæ Ruremondenſis, & Viſitator Provinciæ, primùm Theologiæ in Academia Heidelbergenſi Profeſſor & ejuſdem Rector. Obiit in Cartuſia Colonienſi, anno 1446. IV. Idus Julii; ubi & ingenii illius monumenta adſervantur, teſte Theodorico Petrejo in Bibliotheca Carthuſiana; videlicet

Dialogus *de conſolatione Novitiorum.*
De Paſſionibus Animæ.
De VII. Peccatis capitalibus.
De Oratione Tractatus aliquot.
De excellentiis B. M. Virginis.
De omnibus Sanctis.
De Humilitate De Virtutibus.
De fraterna correctione.
De Laudibus Religioſorum, & Silentii obſervatione.
De non eſu carnium apud Ciſtercienſes.
De auctoritate Concilii ſupra Papam, ad Bullam Eugenii IV.

Sermones VII. *De Obedientia, Humilitate, Dilectione, Pœnitentia & Oratione.*

Inſtructio, *Quo pacto Religioſus in publico verſari debeat.*

Collectanea ex diverſis Sanctorum dictis Plura recenſet Trithemius. De Vita conſule Boſtium, Sutorem ac Dorlandum.

BARTHOLOMÆUS PETRUS,

Lintrenſis, Brabantus, agri ſive ditionis Tenenſis, Philoſophiam Lovanii in Pœdagogio Porci didicit, quinto loco promotus anno 1565, dein eandem per annos decem profeſſus eſt, eoque tempore imprimis Leonardum Leſſium dein Societatis Jeſu, diſcipulum habuit. Anno 1580. rebus ibidem & Brabantiâ totâ turbatis, migravit Duacum, ubi reliquum vitæ tranſegit, S. Theol. Doctor & Profeſſor, atque ad D. Amatum Canonicus.

Vir fuit in ſacra ac profana hiſtoria juxta verſatus; ut vel ex iis conjicere licet, quæ pauca, & ferè amicorum rogatu, in lucem exire paſſus eſt. Ipſe enim (ut de ſe alibi ſcribit) ſolet iſtam multorum ſcripturiendi prurigi-nem eo loco habere, ut judicaret nihil magis ſtudiis provehendis obſtare, quàm tot inutilium librorum paſſim & undecumque emergentium proventum. Edidit verò

Vincentii Lirinenſis contra hæreſes libellum aureum; additis *Notis* brevibus, *ac Diſſertatiuncula apologetica de Vincentio*, ejuſque ſcriptis. Duaci, typis Marci Wioni, 1611. 12.

Commentaria in Actus Apoſtolorum. Ibid. 1622. 4. typis Petri Borremans.

Apoſtolicæ Sedis Definitiones veteres de Gratia, cum Annotationibus in Epiſtolam S. Cœleſtini Papæ pro B. Auguſtino, & in Epiſtolam 129. aliàs 79. *Leonis Pont. ad Nicetam*, Epiſcopum Aquileienſem. Ibid. 1616. & auctiùs 1627. 8. apud Laurentium Kellamum.

Præceptiones Logicas, ſuperiorum diſciplinarum ac præſertim S. Theologiæ exemplis illuſtratas, libros II. 1625. 8.

Explicationem Catecheticam ad Decalogum.

Extat MS. Mechlin. in Biblioth. Ampl. D. Stevart Decani Metropol.

Denique *Guilielmi Eſtii* opus poſtu-

mum in Paulinas, ceteraſque Canonicas Epiſtolas adornavit, & in lucem protulit, ſuppletis etiam iis, quæ ἀτέλειῳ *Eſtius* reliquerat, videlicet in partem *primæ*, ac *ſecundam* & *tertiam B Joannis.*

Piè obiit ac plenus dierum anno 1630. die XXVI. Februarii annos natus LXXXV.

BARTHOLOMÆUS AB USINGEM,

Aliàs BARTHOLOMÆUS ARNOLDI, *Uſingenſis*, Flander, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Erphordiæ in Thuringia vixit, & Philoſophiam ac Theologiam docuit, ediditque *Summam compendiariam totius Logicæ* ac *Phyſicæ*, Baſil. 1507. & 1511.

Poſtea hæreſim potiſſimùm Lutheranam recens exortam tum concionibus ad populum habitis, tum ſcriptis quoque inſectatus fuit; quò ſpectant ſequentia,

De falſis Prophetis vitandis à fidelibus.

De Prædicatione Euangelii.

De Cœlibatu Sacerdotum novæ legis, contra Sermonem Langii hæretici, quem fecerat Erfordiæ in nuptiis cujuſdam Sacerdotis apoſtatæ.

De merito bonorum operum. Erphordiæ, 1575.

De Fide, Gratia & Operibus, ad Chriſtianam vitam neceſſariis Herbipoli, 1576.

Confutationem Sermonum Lutheri de Nativitate B. M de Salve-Regina, Regina-Cœli &c.

De Purgatorio. Ibidem 1527. 8. & alia quædam.

NB. In Encomiaſtico Auguſtiniano, Germanus dicitur, ac propter inſignia merita creatus Epiſcopus Salonenſis, ac Suffraganeus Principis Epiſcopi Herbipolenſis ſeu Wirceburgenſis in Franconia: ac tandem ibidem fato functus anno 1532. die 9. Septembris, ſepultuſque in templo PP. Auguſtinianorum.

BASILIUS GRONINGANUS. Vide WESSELUS.

BAUDEMUNDUS,

Abbas III. ad D. Petrum in Monte Blandinio Gandavi, creditur ſcripſiſſe, dum adhuc Notarius eſſet,

Vitam S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi, quam Milo Elnonenſis altero libro ſupplevit. Errant enim, qui eam totam Miloni adſcribunt, quia auctor illius refert ſe à Bono Presbytero, qui Amandum Tornaci vidit, nonnulla accepiſſe. Milo autem longè poſterior ætate fuit, obiitque anno 872. *Baudemundus* verò in vivis eſſe deſiit anno 731. Titulum certè *Baudemundi* præferunt Codices Manuſc. ad S. Amandum; qui dein fuerunt inſerti Actis SS. Februarii Bollandinis Tomo I. pag. 848.

BENEDICTUS ARIAS MONTANUS,

Hiſpanus, magnum inter Belgas nomen adeptus eſt, tum diuturnâ habitatione, tum libris plurimis, quos illic typis Plantinianis evulgavit; atque imprimis SS. Bibliorum correctione novâque ad normam Complutenſium editione.

Natus anno 1527, aut circiter, nobilibus quidem ſed tenuioris fortunæ parentibus, Hiſpalenſem ſe nominare ſolebat: fortè quod ibidem educatus, vel humanioribus litteris imbutus fuiſſet.

Conſtans tamen eſt fama, illum in oppido de *Frexenal*, Pacenſis Diœceſis, natales auras hauſiſſe. Theologiæ Magiſterium in celeberrima Complutenſi Academia adeptus, præter Græcam & Latinam eruditionem, Syrorum quoque & Chaldæorum atque Arabum linguæ peritus, in eruendos maximè Hebraïcos divinorum librorum theſauros, cùm vires ingenii tum actiones

BENEDICTVS ARIAS MONTANVS

E de Boulonois fec

omnes contulit. Vulgarium inſuper ab his, gallicæ, belgicæ, germanicæ, anglicæ atque italicæ, beneficio temporis & peregrinationis, cognitione non caruit.

Inter Sacerdotes Equeſtris Ordinis D. Jacobi receptus, Martinum Perezium Ajala, hujuſmet Ordinis, Segobienſem Epiſcopum, ad Tridentinum Concilium Theologus comitatus eſt: ac Patribus ibidem congregatis ob eminentem eruditionem in precio fuit.

Redux inde in Hiſpaniam, declinatâ hominum frequentiâ latêre ſibi & litteris decreverat, ſacrorumque librorum meditationi atque illuſtrandæ lectioni unicè vacare: electo hunc in finem loco amœno inter Bœticos montes juxta Aracenam. Virum publicatis jam aliquot operibus famâque inſignis doctrinæ notum, Philippus II. Hiſpaniarum Rex diu latêre paſſus non eſt. Accerſitum itaque ad ſe, in Belgium ire juſſit; anno 1568, ut editioni Regiæ *Bibliorum Polyglottorum* octo Vol. in fol. præſideret, quam celeberrimus typographus Chriſtophorus Plantinus, Antverpiæ quadriennii ſpacio abſolvit, pietate ac munificentiâ præfati Regis adjutus.

Nec defuerunt quidem, qui in tam vaſto opere ſubſidiariam manum Ariæ Montano afferrent; nempe Franciſcus Raphelengius Plantini gener, Guido & Nicolaus Fabricii, Joannes Harlemius S. J. Andreas Maſius, Guilielmus Canterus, aliique ſummæ eruditionis Viri. Attamen Montanus ipſe pro munere ſibi à Regia Majeſtate mandato, ſemper poſtremam adhibuit perluſtrationem examinationem atque approbationem. Præfationes quoque, Appendices, & indices appoſuit; jamque completum opus, Romæ Gregorio XIII. Pont. Regio nomine ac ſuo, elegantiſſimâ oratione obtulit.

Reverſus in Hiſpaniam, meritâ apud Regem Catholicum gratiâ floruit, ditatus ab eo Eccleſiaſticis penſionibus, ad ſummam uſque bis mille ducatorum, item Commendâ (ut vocant) *de Pelay-Perez*, Ordinis S. Jacobi. Commiſſum etiam fuit à Rege munus docendi ſacras Litteras in S. Laurentii Scorialenſi Cœnobio FF. Hieronymianorum, expenſis regiis recenter extructo.

Poſt alia multa officia, in Prioratu ſuo S. Jacobi Hiſpalenſis diem extremum obiit Kalendis Junii anno 1598. (non autem 1611. ut habet Bibliotheca Hiſpanica) Vir immortali famâ dignus, ſepultus ibidem, cum Epitaphio jam recenſendo.

Librariam ſupellectilem Manuſcriptam Laurentianæ Regiæ Bibliothecæ legavit; typis editam Sodalibus ſuis Hiſpalenſibus; reliquorum autem hæredes bonorum Carthuſianos ejuſdem Urbis Monachos nuncupavit: inter quos ſeceſſum ſibi & latebras deſtinatæ jam cellulæ, imperturbato fruiturus otio, divinaque magis per dies amans & ſitiens comparaverat. Opera illius hæc ſunt.

Biblia Sacra, (Regia ſive Antverpienſia dicta) *Hebraïcè*, *Græcè & Latinè*, *Philippi II. Regis Catholici pietate & ſtudio*, *ad ſacroſanctum Eccleſiæ uſum*; cum Præfatione Benedicti Ariæ Montani & Apparatu. VIII. Vol. in folio. Chriſtophorus Plantinus excudit Antverpiæ; nempe Tomum I. Kalendis Martii 1569, ſeu (ut habet inſcriptio hebraïca) in Menſe Niſan, anno 329, juxta minorem ſupputationem. Poſteriores autem Tomi anno 1572. iiſdem typis Plantinianis perfecti ſunt. Fertur Rex Philippus II. ad opus iſtud 30. ducatorum millia contuliſſe. Legi hîc merentur Obſervationes P. le Long Tomo I. Bibliothecæ ſacræ pag. 12.

Index Correctorius Librorum Theologicorum, *Catholici Regis authoritate editus Antverpiæ* 1571 in 4.

Commentaria in XII. Prophetas Minores. fol. Antverpiæ apud Plantinum 1571. ac rursum 1582. in 4.

Elucidationes in IV. Euangelia & in Acta Apostolorum. Ibidem 1575. in 4.

Elucidationes in omnia SS. Apostolorum Scripta & S. Joannis Apocalypsin. Ibid. 1588. in 4.

De optimo Imperio, sive in Librum Josue Commentarius. Ibid. 1583.

De variâ Republica, sive Commentaria in Librum Judicum Ibid. 1592. in 4.

Antiquitatum Judaïcarum Libri IX. Lugduni Bat. typis Raphelengii 1593. Extant etiam Tomo III. Apparatûs sacri ejusdem Ariæ Montani; uti & inter Criticos sacros.

Liber generationis & regenerationis Adam, sive Historia generis humani; Operis magni pars prima, id est, *Anima*. 4. Antverpiæ 1593.

Historia Naturæ, seu prima in magni Operis *Corpore* pars. 4. Antverpiæ 1601.

Davidis, aliorumque Psalmi ex Hebræo in latinum carmen conversi. 4. ibid. 1574.

Commentarii in XXX. priores Psalmos. Ibid. 1605. Alia item plurima, quæ Apparatui sacro inserta sunt: uti *de divinæ Scripturæ authoritate, linguarum usu; De variâ In libris Hebræis lectione, & de Masoreth ratione atque usu &c.*

Varia item Poëmata sacra; quorum ampliorem indicem habet Bibliotheca Hispanica Nicolai Antonii, pag. 162. item Observationes P. Niceron in Notitia Scriptorum illustrium, Tomo XXVIII. pag. 104.

Deo viventium S.
Benedicti Ariæ Montani,
Hispalensis,
Doctoris Theologi,
Sacrorum Librorum ex Dei beneficio
Interpretis eximii;
Et Testimonii D. N. Jesu Christi
Annuntiatoris sedulo,
Viri incomparabilis,
Titulis cunctis majoris,
Monumentis augustioris,
Ossibus in diem Resurrectionis justorum
Asservatis, cum honore,
D. Alphonsus Frontiberius
Prior Conventûs S Jacobi Hispalensis,
In Prioris quondam sui
Opt. meriti memoriam
P. C. anno M. DC. V.
Obiit anno CIↃ. IↃ. XC. VIII.
Ætat. LXXI.

BENEDICTUS DE BACQUERE,

Teneramundanus Flander, Religiosus Abbatiæ B. M. V. de Dunis Ordinis Cistercienſis Brugis, Poeta venustus, Orator disertus, Theologus solidus: fuit primùm S. T. Professor Antverpiæ in Monasterio S. Salvatoris, dein Brugis apud suos, tum etiam in Monasterio Ebirbacensi in Diœcesi Moguntina, in quo simul ab Abbate Veteris-Montis, Ordinis Cistercienſis per Westphaliam & Tractum Rheni Vicario generali, constitutus fuerat Prior. Postremò Brugis, Abbatiæ Dunensis Prior, diem clausit extremum die 28. Julii 1678. ætatis anno 65. Profess. 45. Scripta ejus hæc sunt.

Admiranda morum & nominis Norberti Metamorphosis. 8. Antverpiæ 1647.

Orationes Sacræ Lovanii diversis in locis habitæ. Antverpiæ 1649.

Præconium Deiparæ Virg. Mariæ, ac S. Patriarchæ Benedicti. 12. Antv. 1649.

Honorarium funebre in obitum Bernardi Campmans Dunensium Abbatis. Antverpiæ 1649.

Oratio singularis in Politicos hujus temporis.

Anagrammata divinæ & humanæ Trinitatis, concionatoriè per S. Scripturæ arcana, PP. sententias, Philosophorum placita & Poetarum flosculos elucidata.

Nota, per Trinitatem humanam & creatam ab hoc Authore intelligi Beatiſſ. Virginem & SS. Annam & Joſephum : ſed expreſſiones hujuſmodi merito reprehenduntur.

Sacrarum Conſolationum Pharmaca. 12. Brugis, 1653.

Senum Medicus, quædam præſcribens obſervanda, ut ſine magnis moleſtiis ſenectus protrahatur. 8. Coloniæ Agrip. 1673.

BENEDICTUS HAEFTENUS,

Ultrajectinus, in ſæculo Jacobus dictus, Religionem Benedictinam Affligemii profeſſus, nomen *Benedicti* adſumpſit ; ac Lovanium velut poſtliminio reverſus, S. Theologiæ curriculum, antea feliciter cœptum, gnaviter porrò decurrit, abſolvitque. Pòſt conſtitutus Affligemii Præpoſitus, ſub manuductione Illuſtriſſ. *D. Jacobi Boonen*, Archiepiſcopi Mechlinienſis, & eo nomine Abbatis Affligemienſis, primævam & ſtrictiorem Regulæ Benedictinæ obſervantiam ſive Reformationem ibidem anno 1627. cum aliis recepit, perorante Cornelio Janſenio Doctore Theologo Lovan. dein Epiſcopo Iprenſi. Hoc ſpiritu imbutus, non ſolùm ibi feliciter rexit, ſed & Reformationem in omnium hominum cordibus ac moribus, editis piis nec minùs doctis libris, promovere contendit ; quales ſunt,

Schola Cordis, ſive averſi à Deo cordis ad eundem reductio & inſtructio, cum iconibus æneis. Antverpiæ apud Verduſſium 1629. 8.

Paradiſus, ſive *Viridarium Catechiſticum*, odis ſive cantionibus belgicis & latinis, ad muſicos tonos affabrè reductis, conſitum. Ibid. 1622. 4.

Panis quotidianus, ſeu *Meditationes ſacræ*, in ſingulos anni dies diſtributæ. Ibid. 1634. 12.

Propugnaculum Reformationis Monaſticæ Ordinis S Benedicti. Cui reſpondendo oppoſuit Scutum inexpugnabile Æquitatis *Carolus Rymius*, ad S. Petrum in Monte Blandinio Gandavi Abbas.

Via Regia Crucis, iconibus illuſtrata.

Diſquiſitiones Monaſticæ, quibus S Benedicti Regula & Religioſorum Rituum antiquitates varié dilucidantur, præmiſſâ S. Benedicti Vita. fol. 2. vol. Antverpiæ apud Petrum Bellerum 1644.

Venatio ſacra, ſive Ars quærendi Deum, Antverpiæ typis Jacobi Meurſii 1650.

Sunt præter hæc & alia ejuſdem Haefteni Opuſcula Manuſcripta, quę Affligemii ſervantur : ut *Bibliomnema*, ſive Memoriale S. Scripturæ ; *Paradiſus malorum punicorum*, ſeu Idea vitæ Religioſæ, emblematibus expreſſa : *Columba Meditans*, ſive Praxis Orationis mentalis, emblemate adumbrata ; *Opera Poëtica*, in quibus Epigrammata, Ænigmata & alia varia de variis carmina.

Migravit ad Chriſtum, relictâ inter ſuos firmâ ſanctitatis opinione, pridie Kal. Auguſti 1648, ætatis anno 60. dignitatis 32. Æternæ ejus memoriæ Cœnotaphium poſuit *Odo Cambierius* ſuo & reliquorum Affligemienſium nomine ; quod hodieque conſpicitur in Eccleſia Affligemienſi, hiſce verbis.

D. O. M.
Æternæ memoriæ
Reverendi admodum Domini
D. Benedicti Haefteni,
Hujus Monaſterii Præpoſiti,
Morum integritate, candore,
Modeſtiâ, eruditione,
Scriptis, clariſſimi ;
Qui poſtquam ſuis,
Ad ſuſcipiendam hìc
Caſſinenſem Obſervantiam præiviſſet,
Rebus multis domi foriſque
Præclarè geſtis,
Migravit ad Chriſtum,

Anno M. D. C. XLVIII.
Pridie Kal. Auguſti, ætatis anno LX.
Dignitatis XXXII.

Hæc quicumque legis, moriturus & ipſe, precare,
Mortuus æternâ, pace quieſcat. Amen.

BENEDICTUS REMIGIUS NOIDENS,

Antverpienſis, Clericus Regularis Minor, S. T. Profeſſor, in Hiſpania vixit, ibique (teſte Nicolao Antonio in Bibliotheca Hiſpanica) evulgavit.

Practica de officio de Curas y Confeſſores, para Penitentes. 4. Madriti 1651. typis Regiis.

Relox eſpiritual, politico y moral, para componer la vida del hombre. Ibid. 1656.

Alivio de las almas, y camino contra eſcrupulos. Madriti 1664.

Deciſiones practicas y morales. 1668.

Hiſtoria moral del Dios Momo 1666.

Item *Oratorio ſacro.* 1668.

BENEDICTUS RUTEAU,

Hanno-Montenſis, Monaſterii S. Dionyſii prope Montes Religioſus Benedictinus, & quondam Scholarum Rector apud Gerardimontenſes, edidit tum latinè, tum gallicè,

Vitam & Martyrium SS. Adriani & Nataliæ, unà cum Chronico Abbatiæ Gerardimontenſis, 8. Athi, anno 1637.

BERNARDINUS SURIUS,

Ruræmundenſis Gelder, Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ Germaniæ Inferioris Sacerdos, Prædicator, Confeſſarius ac Novitiorum Inſtructor, olim ſæpius Guardianus, ac quondam Terræ Sanctæ Commiſſarius. Hic anno 1644. unà cùm Fratre Philippo Sinceliers Laïco, devotionis cauſâ ad viſitanda loca ſacra Redemptionis noſtrę, Jeroſolymam profectus, per annos quatuor ibidem hæſit, ac Præſes fuit S. Sepulcri. Redux in Belgium, iter ſuum tum flandricè anno 1649. tum gallicè anno 1665 jam Jubilarius evulgavit, hoc titulo

Pius Peregrinus, ſive Iter Jeroſolymitanum. in 4. Brux. apud Franc. Foppens.

Obiit in Conventu Ruræmundenſi die 3 Aprilis 1665.

BERNARDINUS VETWEIS,

Marcoduranus Juliacenſis, Ordinis FF. Minorum ſtrictioris Obſervantiæ S. Theologiæ Lector Jubilatus, ac Provinciæ Colonienſis quartùm ac Definitor perpetuus Miniſter, edidit

Compendium Controverſiarum Fidei hujus temporis. Coloniæ typis Crithii. 1640. 8.

Speculum veræ Eccleſiæ Chriſti, ac falſarum Eccleſiarum, Libr. XXI. in fol. Colon. 1664.

BERNARDUS,

Monachus Ciſtercienſis Abbatiæ Clarimariſci prope Audomaropolim in Artheſia anno 1328. floruit, ac deſcripſit *Genealogiam Comitum Flandriæ.* E MS. Codice ejudem Monaſterii evulgata fuit anno 1717. per PP. Benedictinos Congreg. S. Mauri Tomo III. *Theſauri Novi Anecdotorum* pag. 380.

BERNARDUS,

Ultrajectenſis Clericus, ſuper *Eclogas Theodoli* commentatus, divinas hiſtorias & ſæculares fabulas allegoricâ expoſitione dilucidavit. Ita Sigebertus de Script. Eccleſ. cap. CLXX. De *Theodolo* idem Sigeb. cap. CXXXIV. Uterque & *Theodolus*, vel potiùs *Theodulus*, & *Bernardus* exſtitit manuſc. Leidæ apud Marcum Zuerium Boxhornium.

BERNARDUS BAUHUSIUS,

Antverpianus, Societatis Jeſu Sacer-

dos, memoriâ in primis excelluit, quam in concionibus, quas Lovanii ad S. Michaelem, atque alibi, frequentes habuit, plures admirati ſunt.

Epigrammata ſelectiora, inſigni acumine compoſita, typis edidit Plantin. 1615. & 1619. 12. In his *Protheus Parthenius*, ſive Verſus de Virgine Deipara conceptus, ſenſu integro ac ſalvo Prothei inſtar tot formas induit, quot in cœlo ſtellas Mathematici numerant, nimirum 1022. In quem *Thaumata* ſcripſit *Erycius Puteanus*, 1617. 4.

Tot tibi ſunt dotes, VIRGO, *quot ſidera cœlo.*

Obiit Antverpiæ, in Domo Societatis Profeſſa, anno 1619. XV. Kal. Decembris. Fratrem habuit *Gisbertum Bauhuſium*, Carthuſianum, profeſſione Lovanienſem, qui *Lucæ Pinelli*, è Societate Jeſu libellum *de Perfectione Religioſa* vernaculo idiomate reddidit, excuſum Antverpiæ, 1605. 8.

BERNARDUS DESSENIUS CRONENBURGIUS,

Natus Amſtelodami anno 1510; in Italia Medicinæ titulum nactus, indeque reverſus in Hollandiam, Groningæ apud Friſios per integrum novennium Medicinam publicè profeſſus eſt. Inde Coloniam Agrippinam digreſſus, ibidem Medicinam, liberali ſtipendio conductus practicavit. Obiit Medicus & Botanicus eximius anno 1574. ætatis ſuæ 64. à Petro Andrea Matthiolo in Epiſtolis Medicinalibus non ſemel laudatus. Scripſit.

De Compoſitione Medicamentorum lib. 1. ubi de praxi Pharmacopolarum. fol. Francofurti 1555.

Commentarium de Peſte. Coloniæ, 1564. 4. typis Gymnici.

Defenſionem Medicinæ veteris & rationalis, adverſus *Georgium Phædrenem*, & Sectæ Paracelſicæ ſectatores. 1573. &

Diviſionem particularem Medicamentorum purgantium uſitatorum & pillularum in minore pondere. Ibid. ſimul edita, 1573. 4.

Legitur *Epiſtola ejuſdem ad Petrum Andream Matthiolum*, Senenſem Medicum, libro II. Epiſtolarum Medicinalium.

BERNARDUS EVERARDUS,

Armenterianus, Flander, luſit *Salomonem*, Comœdiam ſacram; aliaque carmina, Duaci, typis Boſcardi, 1564. 9.

BERNARDUS GERBRANDUS FURMERIUS,

Leovardienſis Friſius, J. U. Doctor, & Ordinarius Patriæ ſuæ Hiſtoricus, à Sibrando Siccama ac Pierio Winſemio coævis ſcriptoribus laudatus magnopere, ſed ab Ubbone Emmio, contra quem ſcripſit, aliiſque parvi habitus. Devixit Leovardiæ anno 1616. die 6. Auguſti: ibidem in templo Galilæo conditus. Reliquit

Annalium Friſicorum Libros III. quorum primus de Principibus, alter de Ducibus, tertius de Regibus tractat. 4. Franekeræ 1609.

Annalium eorumdem trias altera prodiit Leovardiæ 1612.

Trias tertia, libri tres, in quibus res inter Friſios & Hollandos controverſæ hactenus, hiſtoricè demonſtrantur. 4. Leovardiæ 1617. Opus poſthumum, cum Præfatione Pierii Winſemii.

Scripſit & *pro Antiquitate Friſiæ Apologiam*, adverſus Ubbonem Emmium. Franekeræ 1613. in 4.

Preterea *Chronicon Epiſcoporum Ultrajectenſium ac Comitum Hollandiæ authore Joanne à Beka*, cum Appendice Suffridi Petri (ſui quondam Præceptoris) ab anno 1345. ad annum 1574. in lucem protulit 1612. in 4.

BERNARDUS DE LUXEMBURGO,

Ordinis S. Dominici Coloniæ Doctor Theologus, ac SS. Litterarum Profeſſor, Conventûs Lovanienſis aliquando Regens, & in Diœceſi Colonienſi Hæreticæ Pravitatis Inquiſitor. Obiit Prior Coloniæ anno 1535. pridie Nonas Octobris. Scripſit

Quodlibetum De Jubilæo, anno ſæculari 1500. Lovanii habitum.

Catalogum Hæreticorum omnium, qui ad hæc uſque tempora paſſim Litterarum monumentis proditi ſunt; illorum nomina, errores, & tempora quibus vixerunt oſtendens. Pariſ. anno 1524.

Tractatum de Purgatorio. Coloniæ, 1527. apud Joannem Kempenſem.

De S. Josepho *Virginis ſponſo & nutritio D. N. Jeſu Chriſti*. Ibid. 1510. apud Mart. de Werdona.

De Ordinibus Militaribus, & Armorum Militarium myſteriis, libellum. Ibid. 1527. 8. Et alia quædam, de quibus vide P. Echard, in Biblioth. Prædicat. Tom. II. p. 93.

BERNARDUS DE MONTGAILLARD,

Ortu quidem Gallus, ſed longâ inter Belgas commoratione, ac providâ duarum Abbatiarum, Nizellenſis atque Aureæ-Vallis gubernatione, nomen ac locum inter Belgas jure merito acquiſivit.

Illuſtri apud Vaſcones *Perſinorum* familia procreatus, Ciſtercienſium ſtrictam Reformationem in Fulienſi Cœnobio (quod eſt Toloſanæ Diœceſis) juvenis amplexus eſt, anno ætatis 18. Eum Henrici III. Francorum Regis Concionatorem ordinarium Gallia tota obſtupuit; Abbatias plures, ac duos etiam Epiſcopatus, Apamienſem & Andegavenſem, humiliter recuſantem vidit.

Vir erat clariſſimis animi & ingenii dotibus ornatus, omni ſcientiarum genere inſtructus, orator ſummus, ſpirituum diſcretione mirabilis, hæreſeos & vitiorum oppugnator acerrimus, & & Catholicæ Religionis aſſertor invictus. Eo zelo ductus, dum eſſet Prior Fulienſium in Pariſienſi ſuburbio, *prolixam* imprimis ſcripſit *Epiſtolam*, eleganti ſermone elaboratam, *ad Henricum III. Galliæ Regem*, quâ eum ſuaviter fortiterque officii ſui commonet, atque ut hæreticorum audaciam comprimat, adhortatur. Impreſſa hęc fuit Pariſiis anno 1589. apud Nicolaum Nivelle & Rolinum Vitry.

Poſt mortem Regis illius, aſpirante ad Coronam regiam Henrico IV. Navarræ Rege, partes Confœderatorum (*la Ligue*) pro aris & focis ſectatus eſt. Ideoque Romam tempore Clementis VIII. Papæ miſſus, authoritate ejuſdem Pontificis à Congregatione Fulienſi avulſus, in Belgium directus fuit, ac reliquos illic vitæ dies tranſegit; in aula Sereniſſ. Archiducum Alberti & Iſabellæ Concionator, à cujus ore nobiles æque ac plebei pendebant.

Horum Principum nominatione, promotus fuit anno 1612. ad Abbatiam Nizellenſem in Gallo-Brabantia, ac poſt triennium ad Auream Vallem in Luxembrgenſi Ducatu. Hanc per annos XXIII. tanto cum fructu rexit, ut ejus non tam inſtaurator, quam de novo Fundator, jure-merito habeatur. Extat *Libellus MSS. Conſtitutionum Regularium, quas pro Monaſterii ſui Reformatione condidit.*

Ab Infante *Iſabellâ* præ cæteris electus fuit, qui in funerali pompa Epiſcoporum, Abbatum atque Nobilium Bruxellis, *Oratione funebri ſacris Alberti piiſſimi Principis manibus parentaret*; quæ Oratio tantæ fuit elegantiæ, ut juſſu dictæ Infantis mox typis manda-

ta

ta fuerit; extatque hoc titulo gallicè, *le Soleil Eclipsé &c.*

Legitur et ejuſdem *Narratio de tranſlatione Reliquiarum S. Mennæ Martyris ad Aureæ Vallis Monaſterium.*

Dixit quoque juſſu *Alberti* Archiducis *Orationes funebres Rudolphi & Matthiæ Imperatorum, Erneſti Archiducis, & auguſtiſſimæ matris illorum, Imperatricis.* Quæ omnia humilitatis amore ſuppreſſit, uti & ingentia *Sermonum orationumque volumina, de omni materia*, è quibus pleraque (exemplo S. Guerrici Igniacenſis Abbatis) ante obitum ſuum, in ignem conjecit.

Obiit Abbas Mongaillartius, non ſine ſanctitatis opinione in Abbatia ſua Aureæ-Vallenſi anno 1628. die 8 Junii, ſepultus ibidem ante gradus dormitorii intra vetus templum; ordinato ſibi hoc Epitaphio, quod paulò ante obitum ſcripſerat.

D. O. M.
Viri magni, probi, boni,
Chari Patres, Filii, Fratres,
Accedentes, diſcedentes,
Adſcendentes, deſcendentes,
Videte, legite, audite, exaudite;
Hic jacet veſter Bernardus,
Cui vos dilecti, qui vobis dilectus,
Miſer & miſerabilis,
Miſericordiam Domini, & veſtram
Expetens, exoptans, expectans.
Eia! heu! eia! eſtote miſericordes.
Memores eſtote judicii mei;
Sic enim erit & veſtrum:
Heri mihi, & vobis hodie;
Hæc chariſſimi, hæc perpendite,
Et mihi miſero preces pendite.
Abite, Sancti eſtote, valete.
Expecto donec veniat immutatio mea,
Frater BERNARDUS DE
MONTGAILLARD,
Hujus Eccleſiæ Abbas XXXIX.
Vivendo moriens, & moriendo vivens,
Sibi poſuit.
Exequiæ ejus, magno Prælatorum, procerum, populique concurſu per tres dies celebratæ ſunt: quibus totidem Orationes funebres habuit Vir doctiſſ. *Andreas Valadier* Abbas S. Arnulphi Metenſis: quæ ſimul prodierunt Luxemburgi in 4. apud Hubertum Reuland, hoc titulo: *Les Saintes Montagnes & collines d'Orval & de Clairvaux, vive repreſentation de la vie exemplaire & du religieux trepas de Dom Bernard de Perſin de Montgaillard, Abbé d'Orval, ſur le modele de S. Bernard Abbé de Clairvaux, au jour & celebrité de ſes exeques &c.*

Poſtmodum in eadem Aureæ Vallenſi Eccleſia ſtructum ei fuit Mauſolæum longè honorificentius, exhibens Prælatum genuflexum ante ſtatuam Deiparæ Virginis, cum hac inſcriptione.

D. O. M.
BERNARDUS DE MONTGAILLARD
H. S. E.
Magnum Ordinis & Sæculi ſui decus,
Nobili apud Vaſcones
PERSINORUM Familiâ ortus,
In ſacram Fulienſem adſcriptus,
Et mox in Ciſtercienſem tranſlatus,
Toto virtutis niſu in Deum ſurrexit.
Pontific. Innocentio IX. Clementi
VIII. acceptus,
Regi Henrico III.
Et Principibus Alberto & Iſabellæ
A concionibus.
Italiam & Galliam adoleſcens,
Vir Belgicam
Aureo ore in admirationem ſui traxit.
Inſulis Appamienſi & Andegavenſi
Oblatis & neglectis,
Tres Nizellis annos,
Tres & viginti Aureæ-Valli,
Quo affectu, eo fructu
Verus Pater præfuit.
Quid tandem?
Anno Chriſti M. D. C. XXVIII.
Pietatis, doctrinæ, facundiæ
In terris jubar extinctum eſt,

Ut in cœlo fulgêret;
Poſt annos exactos 65. menſes 6. dies 15.
BERNARDO AUREO VALLIS ABBATI
FRATER LAURENTIUS DE LA ROCHE
SUCCESSOR
HOC PIETATIS EPITAPHIO PARENTABAT.

BERNARDUS SCHOTANUS,

A Sterringa, Friſius, Henrici J. U. Doctoris, magni Parentis non minor filius, Juris Utriuſque Doctor ac Profeſſor, in Academiis Franekerana, Ultrajectinâ, ac Lugduno-Batava, in omnibus ſummæ eruditionis famam, publico autem ſequentes libros reliquit. Anno 1636. conſtitutus fuit primus novellæ Academiæ Ultrajectinæ Rector, illudque munus toto quinquennio ſuſtinuit. Scripſit,

Collegium Quæſtionum ad Inſtitutiones Juris Civilis. Amſtelodami 1640.

Examen Juridicum, cum Annotationibus practicis. 8. Ultrajecti 1645, & aliàs ſæpius.

Proceſſus Judiciales, 12. Hannoveræ & Leydæ 1653.

Fundamenta Juris, 8. Lugduni 1663.

Diſputationes Juridicas ad Pandectas; quibus accedit Oratio funebris in exequiis Authoris ab Arnoldo Vinnio J. U. D. Amſtelodami 1653.

Ex Epitaphio ejus, quod eſt Franekeræ in templo primario, colligi poteſt amplius ejus Encomium.

D. O. M. S.
Clariſſimo
Et undequaque laudatiſſimo Viro,
D. BERNHARDO SCHOTANO,
Friſio,
Religioſiſſimi J. C.
Primi & Primarii
In Academia Franekerana Anteceſſoris,
D. HENRICI SCHOTANI P. M. Filio,
J. C. to ſui temporis celeberrimo
Et Mathematico inſigni;
Primùm in Suprema Friſiorum Curia
Advocato ſolertiſſimo per annos III.
Poſt in Academia Patria Franekerana
Juris per annos X.
Exinde in Ultrajectina
Juris & Matheſeos per ann. V.
Ad extremum in Lugduno-Batava
Juris per ann. II. Profeſſori primario,
In illa bis,
In iſta à Cunabulis Academiæ
Per quinquennium,
In hac ſemel Rectori Magnifico,
Conſiliario perpetuo,
Quondam Civitatis Patriæ Syndico,
Rei pupillaris Adminiſtratori,
In Eccleſia tum Patria tum Batava
Seniori graviſſimo,
De juventute ſtudiiſque publicis
Quâ lucubrationibus,
Quâ viva voce, præclarè merito;
Viro cum primis humanitate
promptiſque officiis
Nulli non domi foriſque grato,
Nemini moleſto;
Poſtquam perpetuis vigiliis & laboribus,
Tandem & nephriticis doloribus
Emaceratus, piè placidèque
Expiraſſet Lugduni-Batavorum
Anno M. D. C. LII. Octobris V.
Ætat. ſuæ LIV.
Hoc Monumentum PP.
Mæſtiſſ. ſuperſtites Vidua & Filius.

BERNARDUS SELLIUS,

Noviomagus, Gelder, edidit *Problemata*, ex præcipuis utriuſque Teſtamenti hiſtoriis deſumpta, æneis tabulis inciſa, Lugduni-Battav. typis Plantinianis, 1593. Laudat Antonius Poſſevinus Bibliothecæ Selectæ libro XVII.

BERTHOLDUS AB AKELAKEN,

Dordracenus, J. C. & Antiquarius, Ludovico Comiti Egmondano à Conſiliis, obiit anno 1646. Scripſerat

MARTINVS EPO. LC.

De jure ejuſdem Comitis in Ducatum Geldriæ ac Comitatum Zutphaniæ.

BOETIUS EPO,

Rhordahuſanus, natus anno orbis redempti 1529. parentibus honeſtis & Catholicis: factis in patria ſtudiorum initiis, Coloniam anno 1543. ætatis XIV. ablegatur, litterarum ac linguarum Latinæ, Græcę, Hebraicæ præceptis imbuendus, titulumque Philoſophi capit anno ejus ſæculi XLIX. ętatis XX. & dum ibidem docendi tirocinium facit, juveni ſtudium arridet Medicinæ. Swollam inde concedens, anno 1552. biennium docet.

Hinc Lovanium profectus, Homerum & Heſiodum ibidem publicè interpretatur. Hîc Theologiæ ac Juris ſcientia adoleſcenti placet. Lovanio evocatus atque invitatus ab *Euſtachio Chapuyſio*, , Sabaudici apud Lovanienſes Collegii fundatore, docendi provinciam Niceæ Allobrogum, in alio ejuſdem Chapuyſii Collegio, ſibi imponi patitur.

Non ita multò pòſt Lutetiæ Pariſiorum annum unum dumtaxat hæret ac docet, Juriſque ſtudio deinceps (ceteris poſtpoſitis) ſeſe mancipat. Atque in hac peregrinatione ſua, dum veluti motoriam agit fabulam, variis variarum vulpium caudis (ita enim de ſe ipſe ſcribit, præfando ad ſua Antiquitatum Eccleſiaſticarum Syntagmata) agitatus, nunc horum, nunc aliorum dogmatum fæce reſperſus, nunc etiam Calvini, quaſi cujuſdam majorum gentium Dei, conſalutatione apud ipſam Genevam lætatus, & Calvinianis in Regno Francico tinctus præceptiunculis, redolentibus in ſpeciem neſcio quid cenſoriæ Reformationis.

Tandem vir factus perfectior reipsâ deprehendit, pollicitationes illas dogmatum fuiſſe & eſſe ab Antiquitatum Eccleſiaſticarum veritate remotiſſimas; ut eum poſtea meritò & errorum fœdiſſimorum vehementer puduerit ac pœnituerit, & piiſſima Mater Eccleſia gremio ſuo complexa, ritu debito refoverit.

Atque ab eo tempore animum Antiquitatibus potiſſimùm Eccleſiaſticis indagandis adjecit; acceptâque Toloſæ, auſpiciis *Berengarii Fernandi* J. U. D. & Profeſſoris, Præceptoriſque ſui, ſupremâ Juris utriuſque laureâ, anno 1560. ætatis XXXI. Lovanium reverſus, ad docendum ſe, ſuaque componit. Ubi biennio exacto, anno 1562. III. Nonas Octobris, dum Univerſitas Duacena auſpiciis Regiis initium capit, ſolemni in urbem pompâ, cum ceteris Profeſſoribus ac Doctoribus *Boëtius* introducitur.

Hîc annis XXXVII. ſummâ in docendo dexteritate, in conſulendo, rebuſque publicis tractandis prudentiâ, exactis, jure ac titulo Comitis Palatini, ſolus ex primis illis, velut colonis Lovanio Duacum deductis, ſuperſtes, ac primarius Juris Pontificii Anteceſſor, moritur ſeptuagenario major, anno 1599. XVII. Kal. Decembreis, apud Societatis Jeſu Patres conditus, brevi hâc, uti juſſerat, inſcriptione, decem dumtaxat vocibus conſtante:

BOETII *corpus quieſcit hîc* EPONIS.
Animam reſpice, ô Jeſu, benigniter.

Priſtinæ memor conditionis, pro inſigni paterno gerebat tridentem ruſticum, cum ſubjecta epigraphe: *Tridens laborioſus, at beatus eſt.*

Liberos ſuſcepit è Maria Cabillavia Iprenſi XII. reliquit verò moriens VIII. in his *Eponem Boëtium*, anno 1602. renunciatum Juris utriuſque Doctorem, Canonum Profeſſorem primarium, qui anno 1642. Deo naturæque conceſſit.

Multa ſcripſit, quibus Philologiam, Hiſtoriam ſacram, Jus cùm Cæſareum tum Pontificium egregiè illuſtravit; quorum hîc elenchus:

Sententiæ Homericæ, collectore, & interprete *Boetio*. Lovanii, 1555. 4. apud Petrum Colonçum.

Oratio *de Honorum Academicorum titulis*. Duaci, 1564. 8. apud Jacobum Boſcardum.

De Romanæ perfectæque Juriſprudentiæ fructibus genuinis Ibid. 1568. 8.

De Aureola Doctorali, inſerta Quæſtionibus Heroicis.

Oratio Funebris, piiſſimis *Philippi II. Regis Catholici*, *Manibus*, nomine Univerſitatis Duacenſis anno 1598. III. Nonas Novembris habita. Ibid. 1599. apud Bogardum.

Antiquitatum Eccleſiaſticarum Syntagmata IV. ad Regem Catholicum, & Ordines Belgii. Ibid. 1578. 8. Primum agit

I. *De Jure Proventuum Eccleſiaſticorum*.

II. *De Legum Eccleſiaſticarum, ceterarumque fontibus*, ſive *de Decalogo*,

III. *De Rudimentis admirabilibus*, ſive *Oratione Dominica*.

IV. *De Vita* S. Ivonis, ſtudioſorum Juris patroni.

Antiquitatum Eccleſiaſticarum Syntagmata V. ad Gregorium XIII. Pont. Max. Ibidem eodem anno 1578. videlicet

I. *De Antiquitate Miſſæ, & unde dicatur*.

II. *De Idololatria, ejuſque primordiis, ac lue*.

III. *De Hierarchia Eccleſiaſtica, vel uno capite Eccleſiæ in terris ſpectabili*

IV. *De provocatione à Pontifice ad Concilium*, extat etiam in Bibliotheca Maxima Pontificia P. Rocaberti Archiepiſcopi Valentini, Tomo V. pag. 761.

V. *De jure Jubilæi & Indulgentiarum*.

Heroicarum & Eccleſiaſticarum Quæſtionum libri VI.

Oratio Saturnalis, ſeu Quodlibeta, de Gente Friſica, habita Duaci anno 1587.

I. *De Regalibus & univerſo jure Principis in beneficiis Eccleſiaſticis*.

II. *De Juriſdictione Eccleſiaſticorum temporali*.

III. *De Jure immunitatis Eccleſiaſticæ*.

IV. *De Vita & honeſtate Clericorum*.

V. *Ne Clerici vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant*.

VI. *De Saturnino permutationis beneficialis Jure*.

De Jure ſacro, vel *Principiorum juris Pontificii*, libri III.

I. *De vero Juris Pontificii fine, fontibus, auctoribus, auctoritate &c*.

II. *Hiſtoria & ars Juris Pontificii*.

III. *Paratitla Decretalium Gregorii* IX. PP. Omnia ſimul Duaci excuſa, 1588. 8.

Commentarii novem Teſtamentarii; videlicet, I. In *L. Gallus D. De lib. & poſtumis* II. In *L. In quartam*. III In *L. Titia*. IV. In *L. Neſennius D. Ad L. Falcidiam*. V. In *L. Filium quem C. Fam. erciſcundæ*. VI. & VII. In *Cap. Rainutius & Rainaldus, de Jure duarum quartarum*. VIII. *de Jure teſtandi promiſcuo*. IX. *de Jure exequendi Teſtamenta*. Ibid. 1581. 8.

Denique è tenebris eruit, & prælo dedit, *Juliani Archiepiſcopi Toletani de futuro ſæculo* libros III. Ibid. 1564. 4. apud Ludovicum de Winde.

Reliquit verò affectos Commentarios IX. ſelectiores, nempe

I. *Prælium Doctorale*, ſeu *de Obligationibus faciendi præcisè complendis*.

II. *De Dividuis & Individuis*: ad Pandectarum hac de re Leges.

III. *De Juris Eccleſiaſtici Patronatûs individuitate*: ad Cap. I. de Jure Patronatûs, & Clem. ult. eod. tit.

IV. *De Jure Suffragiorum, Votorum & Vocum*.

V. *De Jure Pactorum, præcipuè nudorum*; in Tit. Decretal. de pactis & in L. Juris Gentium D. eod.

VI. *De eo quod interest:* ad Carolum Molinæum.

VII. *De pœnis Legalibus.*

VIII. *De Pœnis conventionalibus.*

IX. *De Pœnis Testamentariis.*

BOETIUS AB HOLDINGA,

Frisius, in Historiis ac præsertim patriæ antiquitatibus ad miraculum eruditus, scribente Suffrido Petro, reliquit

De Frisia opus insigne.

Catalogum verborum Friscorum, quæ cum Græcis conveniunt. Laudat Suffridus: aliis videre non contigit. Vixit auctor Embdæ in Frisia orientali, circa annum 1581.

BONAVENTURA BASSÆANUS,

Ordinis FF. Capucinorum, sic dictus à loco natali quod est Gallo-Flandriæ Oppidulum prope Insulas, olim vocatus in sæculo *Ludovicus de Pippre.*

Fuit S. T. L. in Academia Duacena, ibique aliquandiu Philosophiæ Professor in Collegio Regio; dein strictioris vitæ desiderio Capucinorum institutum amplexus, inter eos virtute ac eruditione muniisque claruit; S. Th. Lector, Guardianus Leodii ac alibi, Provincialis &c. circa annum 1640. ediditque

Theophilum parochialem, sive de quatuor obligationibus, quibus Parochiani tenentur erga Parochiam, nempe Concionis, Missæ, Confessionis & Communionis Paschalis. Antverpiæ 1635. item Parisiis 1657. & 1670. item Duaci, Leodii, Romæ &c.

BONAVENTURA DERNOYE,

Leodius, Ordinis FF. Minorum S. Francisci, Minister Provincialis per Flandriam, variis in locis Guardianus, aliisque muniis primariis perfunctus, nec non Ecclesiastes facundus atque Theologus eximius. Obiit Cortraci die 11. Aprilis 1653, ibidem apud FF. Minores in templo sepultus, apposito sequente Epitaphio. Scripsit sequentia.

Fraxin Justitiæ Christianæ, per totius anni menses, hebdomadas & dies. Coloniæ 1630.

Recollectiones de B. Virgine, gallicè. Brugis.

Domus Dei. Partes IV.

Breviarium Recollectionum, pro singulis diebus anni. Partes IV.

Praxis Reformationum.

Redde quod debes.

Cave, pro superioribus.

Magistri Novitiorum informatio, cum Exercitiis Candidatorum.

Consilium malignantium, sive dœmonum, contra Reformationem.

Apotheca eorum, qui deputati sunt consolationi infirmorum.

Le petit ordre des trois devotions de N. Dame, avec ses exercices.

Corrector errantium & deceptorum in fide.

Memoria mirabilium Eucharisticorum.

Victoriæ divinæ bonitatis.

Correctorium Capitulum regulare summi Abbatis Dei

Recessus solitarius, cum exercitiis pro FF Minoribus Recollectis.

Formulæ Reformationum.

Considerationes ad horas laicales, super Pater noster, flandricè.

Medulla S. Euangelii, per Christum dictata S. Francisco in sua Seraphica Regula. Antverpiæ 1657.

Situs hîc est, quem justo miraris,
R.A.P.F. BONAVENTURA DERNOYE,
Quem Provincia Flandriæ
Recollectionis Promotorem;
Quem Provincia Saxoniæ Stæ. Crucis

Habuit Inſtructorem, Guardianum,
Diffinitorem;
Quem Provincia S. Andreæ
Amplexa eſt Viſitatorem;
Quem Provincia S. Joſeph
Præter alia laudabiliter obita officia
Bis venerata eſt
Miniſtrum Provincialem;
Quem Capitulum generale Romanum
1639 ſuſcepit Provinciæ
Commiſſarium;
Quem doctrinâ & ſcriptis illuſtrem,
Pietate & Religione,
Multiſque aliis dotibus ornatum
Altiſſimus judex hinc evocavit
1653. tertiò Idus Aprilis.
Hunc, ut cœlum beet, ora viator.

BONAVENTURA SPEECKAERT,

Bruxellenſis, ex Ordine Capucinorum, ſcripſit flandrico idiomate *Speculum Sapientiæ Jeſu Chriſti, &c.* Antverpiæ 1632. 8.

BONAVENTURA VULCANIUS,

Brugis *Petro Vulcanio*, vulgò *de Smet*, urbis Syndico ſeu Penſionario, ut vocant, natus anno 1538. pridie Kal. Julias, juvenis partim Gandavi vixit, nactus ibidem bonis in litteris inſtructorem *Joannem Olivarium*, virum eruditiſſimum, partim Lovanii, uſus familiariter *Petro Nannio*, bonarum litterarum in Collegio Trilingui Buſlidiano Profeſſore. Hinc anno 1559. ætatis XXI. in Hiſpaniam accitus, annos undecim *Franciſco à Mondoza* S. R. E. Cardinali & Epiſcopo Burgenſi à ſtudiis, Epiſtolis, ac Bibliothecâ fuit.

In patriam cogitans miſerè afflictam, Coloniæ aliquantiſper ſubſtitit, *Thomâ Redingero*, viro ampliſſimo, uſus patrono; verùm ob concitatas & illic turbas, aliò deflectere coactus eſt. In Belgium redux, primò Antverpiæ parumper moratus eſt, Scholæ publicæ, ibidem primùm tunc inſtitutæ, primus Rector. Inde anno 1578. Lugdunum Batavorum ad Græcæ Linguæ profeſſionem à Curatoribus Academiæ vocatus eſt: quam ibidem annos XXXII. ſuſtinuit, & ætate fractus, obtentâ ab Ordinibus miſſione, emeritus uſad annum 1615. vixit, ſeptuagenario major; unde ipſe de ſe hoc Epigramma luſit:

Ter-denos docui Leidis, binoſque per annos,
Cattigenûm pubem Grajugenûm ore loqui.
Nunc manibus pedibuſque, oculiſque atque auribus æger,
Et ſenio languens lampada trado aliis.

Bibliothecam habuit exquiſitiſſimam, ac pluribus Manuſcriptis libris, tum Latinis tum Græcis refertam, quos ad augmentum Bibliothecæ Academicæ Lugdunenſis legavit munificus Benefactor. Vide Catalogum ejuſdem Bibliothecæ, à pag. 343. uſque ad 351.

Multa cùm Latinè tum Græcè ſcripta primus eruit, recenſuit, Notis auxit, & è Græcis Latina fecit; quorum hęc lucem aſpexerunt: ſed multa Romæ damnata, quòd Author Calvinianam hæreſim profeſſus fuiſſet.

Cornelii Frontonis, *Nonnii Marcelli*, *Agraetii*, *Ælii Donati*, *Aruntii Celſi*, *Fl. Sopitarii Chariſti*, *Aſconii*, *Servii*, *Feſti*, *Varronis*, *Scauri*, *& Agellii*, *veterum Grammaticorum Libelli*, *de proprietate & differentiis Latini Sermonis:* omnia variis lectionibus & Scholiis per Vulcanium illuſtrata. Baſileæ apud Petrum Pernam, 1577. in fol.

Ariani De Rebus geſtis Alexandri Magni libri VII. *& Hiſtoria Judaica*; Græco-Lat. typis Henrici Stephani, 1597. fol. & rurſus cum notis Jac. Gronovii, Leidę 1704.

Agathiæ Scholaſtici de Imperio & de re-

bus geſtis Juſtiniani Imp. libri V. Græco Lat. cum *Notis* Lugduni Batavorum. 1597. 4. typis Raphelengii. Item typis Regiis Lutetiæ 1660, in Corpore Hiſtorię Bizantinæ.

Conſtantinus Porphyrogenneta de Thematibus : De agminibus militatibus per Orientem diſtributis, Græco-Latinè, cum *Notis* Ibid. 1588. 8.

Nili, Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, de Primatu Pontificis Romani libri II. Item apud Melch. Goldaſtum Tomo I.

Idem *de Purgatorio* Græco-Latinè Leidæ. 1595. 8.

Theophylacti Simocatæ Quæſtiones Phyſicæ, & Epiſtolæ.

Item *Caſſii Latroſophiſtæ Quæſtiones Medicæ*, primùm editæ. Ibid. 1597. 12.

Ariſtoteles de Mundo, (ſive is *Theophraſtus* eſt) ad Alexandrum, Græco-Latinè, amplo *Commentario* illuſtratus. Cui adjecit *Gregorii Chiprii*, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, *Encomium Maris*; *& Pauli Silentiarii Jambica.* Ibid. 1591. 8.

B. Cyrilli de Adoratione in ſpiritu & veritate, Dialogi XVII.

Idem *Contra Anthropomorphitas*, Græco-Latinè, cum *Notis.* Ibid. 4.

Callimachi Hymni & Epigrammata; *Moſchi & Bionis Idyllia*, Latino carmine reddita, cum Notis. Ibid. 1584. 12.

Polixenus, ſive *Gloſſarium Latino-Græcum & Græco-Latinum*, cum Notis Vulcanii, & aliorum veterum authorum Gloſſariis. Lugduni Batavorum, apud Franciſcum Raphelengium, fol. 1600.

Jornandes de Getarum ſeu *Gothorum origine & rebus geſtis* Ibid. 1597. 8. cum *Notis Lombardicis*, & aliis Gothicæ antiquitatis monumentis. Extat item in Corpore Hiſtoriæ Biſantinæ.

Apuleii Opera omnia, pòſt *Colvianam* editionem, è MSS. caſtigata. Ibid. 1597. 12.

B. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi *Originum* libri XX. & ſimul

Martiani Capellæ de Nuptiis Philologiæ & Mercurii libri IX. emendati & *Scholiis* illuſtrati. Baſil. 1597. 8. apud Petrum Pernam.

Adſervantur necdum edita in Bibliotheca Lugduno-Batava

Emanuelis Chryſoloræ Epiſtolæ.

Tractatus *de Comparatione veteris & novæ Romæ*, Græco-Latinus, interprete *B. Vulcanio.*

Cyrillus de SS Trinitate : & ejuſdem *Glaphyra*, eodem interprete.

Tatiani Harmonia IV. Euangeliorum, cum interpretatione verbali linguâ Gothicâ.

Proverbia Gnomica, ex Hiſpanica lingua Latinis Trimetris & Dimetris, ad imitationem Mimi Publiani verſa.

Odæ tres Anacreonticæ Græcæ, in Natalem Domini.

Julius Pollux, cum Notis MSS.

Poëmata Græca & Latina; item è Græcis Latinè, & è Latinis Græcè verſa : unà cum *Verſibus & Epiſtolis* aliquot magnorum virorum, in gratiam *Vulcanii* ſcriptis.

Epiſtolæ Bonaventuræ Vulcanii ad diverſos ſcriptæ, in fol.

Præfatio in Iliada Homeri, in Heſiodum & Xenophontis Cyropadiam; aliaque.

BONAVENTURA WAUSTRY.

Abbatiæ Alnenſis, Sabim inter & Moſam, Religioſus Ciſtercienſis, evulgavit gallicè

Vitam B. Humbelinæ Sororis S. Bernardi, & Sanctimonialis Ordinis Ciſtercienſis; unà cum Conſtitutionibus, quas adhuc obſervant Moniales ejuſdem Ordinis Reformatæ, per Hiſpaniam. Lovanii apud Oliviers 1633. in 8.

S. BONIFACIUS,

Patrio nomine WINFRIDUS appel-

latus, apud Occidentales Saxones in Anglia claris natus parentibus; Friſiorum, Haſſorum, Thuringorum, Bojariorum, aliorumque Germaniæ populorum, quos Chriſtianæ fidei myſteriis informavit, Apoſtolus fuit.

Adoleſcens ſtudiorum cauſâ in Nutcellenſe Cœnobium commigravit, ubi ſub Wimberto Abbate eum brevi in litteris progreſſum fecit, ut docendi etiam alios onus in ſe paulò poſt ſuſceperit.

Anno ætatis trigeſimo, Sacerdotio decoratus, injunctum prædicationis officium primùm in patria, deinde in Germania magnâ omnium laude exercuit. Romanorum Pontificum Gregorii III. & Zachariæ amicitiâ ac privilegiis ornatus', Moguntinenſis primus Archiepiſcopus, ac Sedis Apoſtolicæ Legatus declaratus eſt. Eâ fretus authoritate, & accedente Francorum Regum gratiâ, Chriſtianam fidem in partibus ſuperioris ac inferioris Germaniæ adeo promovit, ut infidelium centum ad minus millia ſacris undis tinxerit. Varios Epiſcopatus ibidem erexit; ipſumque Ultrajectenſem rexit poſt S. Willebrordum.

Tandem martirio coronatus, obiit in Friſiæ villa Doccumio, die 5. Junii 754. quo amplam memoriam ejus inſeruerunt Actis ſuis PP. Hagiographi Societatis Jeſu. In celeberrimo Monaſterio Fuldenſi, quod in Buchonia ſylva fundaverat, ſepultus fuit.

S. Bonifacii, ac plurium aliorum Epiſtolæ, cum libro de Vita & Martyrio S. Livini Epiſcopi, Gandavenſium Patroni, eodem Bonifacio authore, ſtudio P. Nicolai Serrarii Societatis Jeſu Theologi, emerſerunt è prælo Moguntiæ anno 1605. in 4.

Concilia III. ſub eodem S. Bonifacio habita, anno 742 & ſequentibus, extant inter Conſilia Generalia Labbæi Tomo VI. & Harduini Tomo III. uti & *Statuta quædam ejuſdem*; quæ primùm edidit Domnus Lucas Dacherius, Monachus S. Mauri, Tomo IX. Spicilegii ſui, Pariſiis anno 1669.

Ejus librum *de vera & Catholica fide* laudavit Zacharias Papa, in Epiſtola ad ipſum ſcripta, apud Othlonum lib. 2. cap. 9.

Sermones XV. ejuſdem, ex MS. Codice Illuſtriſſ. D. Dagueſſeau Franciæ Cancellarii, ante annos 800 exarato, primis typis donarunt Domni Martene & Durand, Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri: Tomo IX. Collectionis Veterum Scriptorum ac Monumentorum, Pariſiis edito anno 1733. pag. 186. E quibus decem priores Sermones jam ante ediderat erueratque Domnus Mabillonius ex MSS. Chriſtinæ Suecorum Reginæ Codicibus.

Quantum autem ad *Vitam S. Livini*, à Serrario ſub nomine S. Bonifacii editam, cenſet Mabillonius in ſæculo II. SS. Ordinis S. Benedicti pag. 449. eam non poſſe adſcribi huic Præſuli Moguntinenſi, ſed alteri Bonifacio ſeniori, qui circa annum 680. floruerit.

Arnoldus Wion, Monachus Benedictinus, libro V. de Ligno Vitæ pag. 688. plures alios libros S. Bonifacio adſcribit, quos MSS. extitiſſe aſſerit in Abbatia Fuldenſi. De his conſule etiam Volumen primum Rerum Moguntinarum pag. 347. authore Georgio Chriſtiano Joannis, edition. Francofurt. anno 1722.

S. BRUNO,

Coloniæ Agrippinæ è nobili familiâ ortus, cum primordia liberalium Artium in patria percepiſſet, Lutetiæ Pariſiorum in eam rerum Theologicarum notitiam provectus eſt, ut vulgato teſtimonio *Venerabilis Magiſter Bruno* appellaretur. Fuit in Eccleſia Metropolitana Remenſi Canonicus ac Scho-

Scholaſticus, imò & Cancellarius. Anno 1082, adunatis ſibi ſex ſociis ſpiritu pœnitentiæ compunctis (de verâ cauſâ ſeceſſûs ejus uſque adhuc diſputant Eruditi) ad locum horroris & vaſtæ ſolitudinis, cui nomen Carthuſia, S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano concedente, confugit: quam eremum cum ſex annis coluiſſet, ab Urbano II. Pont. Romam evocatus, Privilegia novo Ordini ſuo obtinuit. Inde in Calabriam tranſiens, ibidem altero Monaſterio extructo, migravit ad Dominum anno 1101. die 6 Octobris, quo S. Mater Eccleſia Feſtum ejus recolit, poſteaquam anno 1514. à Leone X. Pont. Sanctorum faſtis adſcriptus fuit.

Auctor fuit (teſte Cardinale Bellarmino de Scriptoribus Eccleſiaſt.) *Expoſitionis in Pſalmos Davidis.*

Item *Commentarii in omnes Epiſtolas Pauli.* fol. Pariſiis 1509. Quæ opera ejus denuo prodierunt Pariſiis apud Judocum Aſcenſium anno 1524. 3. Vol. in fol. item Coloniæ Agripp. curâ Theodori Petrei Carthuſiani, 1611. 2. Vol. fol.

Confeſſio S. Brunonis, extat in Analectis Mabillonii Tomo IV. pag. 400. Non deſunt tamen, qui hæc Opera Brunoni Aſtenſi, Monacho Benedictino, ac dein Epiſcopo Signienſi, adſcribenda eſſe contendant.

Cœterùm requieſcit uſque hodie corpus S. Brunonis in Carthuſia S. Stephani prope Regium in Calabria, ubi & olim tumulo ejus appoſiti fuerunt hi verſus.

Primus in Eremo Chriſti Fundator ovilis
Promerui fieri, qui tegor hoc lapide.
Bruno mihi nomen, genitrix Alemannia, meque
Tranſtulit ad latebras grata quies nemoris.
Doctor eram, præco Chriſti, vir notus in Orbe,
Deſuper illud erat, gratia non meritum.
Cujus vincla dies Octobris ſexta reſolvit,
Spiritui requiem, qui legis iſta, pete.

BRUNO D'AFFRINGUES,

Patriâ Audomaropolitanus, XLV. Prior Generalis Majoris Carthuſiæ anno 1610. electus, inter doctiſſimos ſui temporis viros reputatus eſt; ac totis 31. annis Ordinem iſtum moderatus. Scripſit

Sermones & Conciones Capitulares ad Fratres ac Novitios, hactenus MSS. teſte Theodoro Petreio in ſua Bibliotheca.

Morbis ac ſenio confectus, dimiſſo prius ob virium defectum Prioratu ac dignitate annexa, piè obdormivit in Domino in eadem majore Carthuſia anno 1642.

Sic habet de ipſo Catalogus Priorum Generalium præfati Ordinis.

Rev. Pater BRUNO II.
D'AFFRINGUES,
Audomaropolitanus,
Profeſſus Carthuſiæ,
J. U. Doctor inſignis,
Antiquitatum Eccleſiaſticarum
Peritiſſimus indagator,
Cum magnæ Authoritatis,
Scientiæ & pietatis famâ
Ordinem rexit,
Summis Pontificibus charus,
DD. Cardinalibus nominatiſſimus,
Et apud omnes celebris.
Præfuit annis XXXI.
Obiit VI. Martii M. D. C. XLII.

S. BURCHARDUS,

Epiſcopus Wormatienſis, ex Haſſia oriundus, Monachus fuit Lobienſis, Ordinis S. Benedicti, in Diœceſi Leodicenſi, quem ibidem *Olbertus*, ex Monacho Lobienſi primùm Gemblacenſis, ordine quartus, deinde primus Abbas ad S. Jacobum in urbe Leodicenſi, ſacris eruditi litteris, ſuoque magiſte-

rio ad Cathedram provexit Wormatienſem anno 1000. curante Otthone III. Imp. Sunt qui eum Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis adſcribunt, & Cæſaris Cancellarium fuiſſe affirmant.

Scribit Sigebertus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 142. *Burchardum*, ſtudio, ore & manu *Olberti*, item in Chronico ad annum 1008. collaborante magiſtro ſuo *Olberto* Abbate, edidiſſe *magnum Canonum Volumen*; non ordinem temporum ſequendo, ut quondam *Dionyſius* Abbas, & *Iſidorus Hiſpalenſis*, ſed rerum & cauſſarum ſeriem in locos communes digerendo.

Opus illud *Decretorum*, conſtans Sanctionibus Conciliorum, Decretis ſummorum Pontificum & SS. Patrum teſtimoniis, Libris XX. excuſum fuit Coloniæ anno 1548, typis Melchioris Noveſiani, item Pariſiis 1549. in 8. apud Joannem Petit, & alibi.

Burchardum poſtea emulati ſunt, *Ivo Carnotenſis Epiſcopus* in celebri ſua Collectione Canonum, & in *Pannomia*, (quam tamen alii *Hugoni* Catalaunenſi adſcribunt) & *Gratianus* Monachus Benedictinus Italus in ſuo *Decreto*.

Objiciunt quidem heterodoxi, in haſce Collectiones irrepſiſſe multas Rom. Pontificum Pſeudo-Epiſtolas ac Decreta ſuppoſita. Unde etiam extat hæc Propoſitio XXXVIII. damnata in Wiclefo: *Decretales Epiſtolæ ſunt apochryphæ, & Seducunt à fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent iis.* verùm (ut ait doctiſſ. Emanuel Schelſtratius Antiquit. Illuſtr. p. 2. diſtinc. 3. cap. 5.) *Quantumcumque de ſuppoſitione conſtet, de veritate tamen ſententiarum ambigere vix licet: ſicque patet quam verè ſcripſerit Pariſienſium Archiepiſcopus Petrus de Marca, male atrocioribus verbis Epiſtolas Decretales dilacerari: quas è ſententiis & verbis Legum, Canonum antiquorum & SS. Patrum, qui quarto ſaltem ſæculo Floruerunt, concinnatas eſſe conſtat* &c. ſufficiat ſaltem, poſt correctionem Decreti anno 1580. juſſu Gregorii XIII. Pont. Romæ factam, doctrinam in hiſce Sacris Canonibus contentam Sedis Apoſtolicæ Authoritate univerſim probatam fuiſſe.

Cæterum obiit *Burchardus* ſanctè & religioſè, uti ſemper vixerat, anno 1025. fundatâ Eccleſiâ Collegiatâ S. Pauli Wormatiæ, pluribuſque aliis aut erectis, aut reſtauratis. Feſtum ejus die 20. Auguſti celebrat Ordo Benedictinus.

C.

CÆSAR HABRECHTUS,

BRugenſis, J. C. & Poëta, in exercitu Belgico Catholico per annos fere XXV. Judex ſive Auditor Legionis primum Gallicæ, deinde Italicæ, ac demum Hiſpanicæ, luſit,

Quinquennale Diarium belli Belgici, ac pacem ſequeſtram. Antverpiæ typis Joachimi Trognæſii.

Item varia *Carmina encomiaſtica & Epigrammata*, Romæ & Patavii, dum iſtic ageret, excuſa.

CÆSARIUS,

Coloniæ Agrippinæ, ſi non natus, certè educatus, litteriſque in Schola Eccleſiæ Collegiatæ S. Andreæ imbutus, *Heiſterbacenſis* dictus à Monaſterio iſtius nominis, ſeu Valle S. Petri juxta Bonnam, ubi Inſtitutum Ciſtercienſe anno 1199. amplexus eſt. Poſtea illic ob pietatem morumque inſignem probitatem Magiſter Novitiorum, & in Abbatia Villarienſi apud Brabantos Prior, ſub Guilielmo VII. Abbate conſtitutus.

Abbas Trithemius, libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Cæſarium vocat *Virum devotum, & in Regulari Diſciplina præcipuum, atque in divinis ſcripturis longâ exercitatione ſtudioſum* Vitam uſque ad annum circiter 1240. protraxiſſe creditur.

Scripſit interim ſtylo ſimplice & aperto, ſed devoto, in gratiam Novitiorum,

Illuſtrium Miraculorum & Hiſtoriarum memorabilium ſui temporis Libros XII. primum editos anno 1481. dein rurſus anno 1591. in 8. ex recenſione *Tilmanni Bredenbachii* Theologi & Canonici ad S. Gereonem Coloniæ; ac demum Antverpiæ apud Martinum Nutium 1604, in 8. Extant quoque Tomo I. *Bibliothecæ Veterum Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis.* Porro in hoc Opere quam ſimplex fuerit Cæſarius in credendo, quam facilis in fabulis ſcripto conſignandis, nullus negabit, qui præfatos XII. Libros pervolverit, nullus leget, qui non ad fabulas iſtas riſerit. (Exemplo imprimis ſit caput 36. libri v.) Unde etiam in Indice Librorum prohibitorum Hiſpanico cenſurantur, donec expurgentur.

Scripſit quoque *de Vita & Paſſione S. Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi Libros III.* quos primùm *Laurentius Surius* inſeruit Vitis SS. ad diem VII. Novembris; dein vero *Ægidius Gelenius* Colonienſis Canonicus, Notis & auctario à ſe illuſtratos, rurſum edidit in 4. Coloniæ apud Gisbertum Clementem anno 1633.

Faſciculum Moralitatis, ſeu Homilias Dominicales & Feſtivas per annum, autore Cæſario, è MSS. Codicibus primùm evulgavit Joannes Andreas Coppenſtein, Ordinis FF. Prædicat. Theologus, additis ad marginem lemmatis & citationibus. 4. Coloniæ 1615. per Petrum Henningium.

Commentariorum in Eccleſiaſticum libros IX. citat Trithemius.

Chronicon Epiſcoporum Colonienſium MSS. extare dicitur in Abbatia veteris Montis.

Dialogus inter Capitulum, Monachum, & Novitium, dicitur eſſe in Bibliotheca Collegii S. J. Brugis.

Quæſtiones Quotlibeticæ ejuſdem recenſentur inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodleianæ in Anglia.

Cæterum omnia ſua alia ſcripta recenſuit ipſe-met Cæſarius, in Epiſtola quadam præfato *Faſciculo Moralitatis* præfixâ; quorum etiam elenchum vide apud *Carolum de Viſch* in Bibliothe-

ca Scriptorum Ciſtercienſium, pag. 57.

In Menologio Ciſtercienſi memoratur ad diem XXX. Novembris obitus B. Cæſarii Heiſterbacenſis : ejuſque ſpecialis fit memoria in Abbatia Villarienſi.

CÆSARIUS A S. BONAVENTURA,

Lugduni-Batavorum natus die 6. Martii 1605, patre *Petro Bertio*, celebri ibidem Theologiæ Calvinianæ Profeſſore; aſt poſtmodum ejuratis erroribus, conſtanti Religionis Catholicæ propugnatore. Patrem unà cum matre ac fratribus ſecutus in Galliam, Ordini FF. Carmelitarum Diſcalceatorum nomen dedit, uti & duo ejus fratres germani, *Paulus à Jeſu-Maria, & Petrus à Matre Dei.* Ipſe verò dein deſtinatus Miſſionarius in Hollandiam, fundavit illic, ſeu primus inſtituit Gallicam Miſſionem Carmelitarum Diſcalceatorum, quæ eſt in Haga-Comitis. Hinc ad Inſulam Meliteniem (celeberrimum Catholicæ Fidei propugnaculum) evocatus, ibique Carmelitani Conventûs Prior, obiit 27. Octobris 1662. pietate & doctrinâ inſignis.

Scripſit *Tractatum de SS. Euchariſtiæ Sacramento* : in quo è SS. ſcripturis demonſtrat realem Corporis Chriſti præſentiam, nomen & ſignificatum *Tranſſubſtantiationis* vindicat, & poteſtatem Eccleſiæ ad prohibendum laïcis uſum calicis; ac probat in Miſſa offerri verum ac proprium Sacrificium. Ita de eo Bibliotheca Scriptorum Carmelitarum Excalceatorum, P. Martialis à S. Joanne, edita Rothomagi anno 1730.

CAJUS ANTONIUS HOPPERUS,

Joachimi Hopperi, Friſii J. U. Doctoris in Academia Lovanienſi, Philippo II. Regi à Conſiliis Statûs Belgici filius, è Canonico Eccleſiæ S. Petri Anderlechtenſis renunciatus anno 1617. Præpoſitus S. Petri Lovanii illiuſque Academiæ Cancellarius : Vir antiquitatum Belgicarum, Eccleſiaſticæ inprimis amans & doctus, virtute & eruditione familiam ſuam non mediocriter exornavit. Scripſit (teſtante Swertio in Athenis Belgicis)

Eccleſiaſticam Friſiæ Hiſtoriam.

In Choro præfatæ Eccleſiæ D. Petri juxta aram majorem legitur hoc ejus Epitaphium.

D. O. M.
CAJUS ANTHONIUS HOPPERUS,
Joachimi Hopperi J. U. D. Equitis,
Philippo II. Regi Catholico
In Hiſpania à Conſiliis Statûs Belgici
ac Sigilli Præfecti
Tit. S. R. E. Protonotarius,
A Sereniſſ. Principibus
ALBERTO &
ISABELLA - CLARA - EUGENIA,
Anno CIↃ. IↃ. CXVII.
v. Kal. Maii declaratus Succeſſor
Georgii ab Auſtria, à morte ejuſdem
dignitate ac munere
Cancellarii defungitur
Anno CIↃ. IↃ. C. XXXIV.
XII. Kal. Septemb.

CAPPIDUS,

Stavrienſis Friſius, Hiſtoricus & Sacerdos, vixit circa annum 920. Scripſiſſe fertur

Genealogias Principum, Ducum ac Regum Friſiæ.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam Gentis Friſiæ.

Vitas item Sanctorum quatuor, Leburini, Otgeri, Plechelmi & Odulphi. Verum hæc jam pridem in conflagratione Bibliothecæ Stavrienſis, periiſſe exiſtimantur. Laudat tamen fragmenta Suffridus Petri, de Scriptoribus Friſiæ Decade VII. cap. 3.

CAROLUS AB AREMBERG,

Bruxellenſis, filius Illuſtriſſ. Principis Caroli Ducis Croiaci Arſchoti & Arembergii, & Annæ Croiacæ, in ſæculo dictus *Antonius*, Comes de Seneghem; aulæ & ſæculo renuncians, humilem FF. Minorum Capucinorum Religionem amplexus eſt, habitumque ſuſcepit Lovanii die 4. Martii anni 1616, ætatis ſuæ 23. Dein variis ac primariis Ordinis ſui muniis functus eſt, ut Guardiani, Provincialis, & iteratò Definitoris ac Commiſſarii generalis. Evulgavit

Flores Seraphicos, ſive Icones & geſta Virorum Illuſtrium Ordinis FF. Minorum Capucinorum, (qui ab anno 1525. uſque ad annum 1580. miraculis ac vitæ ſanctitate claruerunt) *compendiosè deſcripta*. Fol. Coloniæ Agripp. elegantiſſimis typis ac fig. 1640.

Virtute eximiâ natalibus conjunctâ, rarâque dicendi facundiâ, Theologiæque peritiâ, tantum ſibi nomen pepererat, ut fama ſit, eum non ad Epiſcopalem modo ſed & Cardinalitiam dignitatem fuiſſe evehendum, niſi recuſaſſet. Fuiſſe etiam inſignem Architectum, vidêre eſt ex fabricâ Conventûs Bruxellenſis, cujus ipſe-met prototypon efformavit ac delineavit, eò ingenioſiùs, quod in montis declivi ædificatus ſit. Auctor fuit præterea Conventûs Furæ-ducenſis, cujus ædificationem in Sylva Soniæ adinvenit, inſtituit atque perfecit anno 1628, favore Sereniſſimæ Infantis Hiſpaniæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, cui in deliciis pietatis erat.

Tandem plenus meritis ac diebus, Jubilarius Religionis & Sacerdotii, obiit Bruxellis anno 1669. ætatis 76. ſepultus ibidem in loco Capitulari PP. Capucinorum, cum hoc humili Epitaphio:

A. R. P. Carolus ab Arembergh, Bruxellenſis, Jubilarius, Exprovincialis, Diffinitor & Commiſſarius Generalis: ✠ *anno 1669. 5. Junii.*

CAROLUS DE BLENDECQ,

Atrebas, Religioſus Abbatiæ Marchianenſis, Ordinis S. Benedicti, deſcripſit gallicè

Cinq Hiſtoires admirables de quatre perſonnes poſſedées du diable en la ville de Soiſſons, delivrées miraculeuſement par la vertu du S. Sacrement: receuillis des Actes du Notaire Roial & du Greffier: avec un Traité de l'Operation & energie des diables & demons, tant aëriens, que ſouſterrains 8. Pariſiis apud Nicolaum Buon. 1613.

CAROLUS BOISOT,

Bruxellenſis, Vir Nobilis, Canonicus Regularis, primùm in Viridi Valle juxta Bruxellam, indeque aſſumptus anno 1608, nominantibus Alberto & Iſabellâ Principibus noſtris, in Abbatem & Toparcham Sonnebecanum in agro Iprenſi. Deſiit eſſe in vivis anno 1636. die 27. Auguſti. Edidit

Ordinationes & Statuta ad Regulam S. Auguſtini, pro ſui Ordinis Religioſis. Coloniæ 1628. in 8.

CAROLUS DE BOISSCHOT,

Bruxellenſis, Ordinis FF. Eremitarum S. Auguſtini Conventûs Lovanienſis, frater Illuſtriſſ. Viri Franciſci Cancellarii Brabantiæ, variorum Conventuum Prior ac Concionator facundus, nec non Abbatiæ Eeckhoutanæ Brugis Canonicorum Regularium Abbas denominatus. Obiit Bruxellis anno 1641. die 18. Martii, ætatis 68. profeſſ. 49.

Prælo dedit Lovanii *Ordinationes ſeu Ceremonias Ordinis Auguſtiniani.*

CHRISTOPHORUS HOFMANNUS, Medicinæ Doctor, Physicus Ordinarius Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega, Tractatus de Scorbuto. Ratisbonæ, 1676. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio secunda, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1681. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tertia, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1685. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quarta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1692. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quinta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1700. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio sexta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1708. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio septima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1716. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio octava, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1724. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio nona, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1732. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1740. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio undecima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1748. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio duodecima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1756. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimatertia, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1764. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimaquarta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1772. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimaquinta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1780. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimasexta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1788. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimaseptima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1796. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimaoctava, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1804. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio decimanona, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1812. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1820. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimaprima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1828. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimasecunda, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1836. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimatertia, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1844. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimaquarta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1852. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimaquinta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1860. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimasexta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1868. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimaseptima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1876. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimaoctava, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1884. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio vicesimanona, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1892. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1900. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimaprima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1908. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimasecunda, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1916. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimatertia, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1924. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimaquarta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1932. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimaquinta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1940. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimasexta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1948. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimaseptima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1956. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimaoctava, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1964. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio tricesimanona, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1972. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quadragesima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1980. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quadragesimaprima, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1988. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quadragesimasecunda, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 1996. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quadragesimatertia, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 2004. 12mo.

Tractatus de Scorbuto, Auctore Christophoro Hofmanno, Medicinæ Doctore, Physico Ordinario Civitatis Ratisbonensis, Academiæ Naturæ Curiosorum Collega. Editio quadragesimaquarta, auctior et emendatior. Ratisbonæ, 2012. 12mo.

Cumque apud Henricum IV. Galliæ Regem inſtarent urgerentque calumniatores, *Amphitheatrum Honoris*, cujus *Scribanius* credebatur auctor, flammis eſſe abolendum: Rex contrà, ampliſſimo diplomate ſponte tranſmiſſo, civem illum ſuum, Gallicique Regni naturalem, ut vocant, indigetavit; ut habet Imago primi Sæculi Societatis Jeſu libro VI. cap. V. Ceterûm *Scribanii* leguntur iſta:

Ars mentiendi Calviniſtica, nomine *Romani Veronenſis* edita.

Amphitheatrum Honoris, adverſus Calviniſtas, libris IV. typis Plantinian. 4. nomine *Clari Bonarſii*.

Commentarius in Dominici Baudii Gnomas Antverpiæ 8. abſque nomine.

Defenſio poſtuma Juſti Lipſii. Ibid. 1608. 12. apud Moretum.

ANTVERPIA: *De Viris Civiumque laudibus ac moribus.*

Origines Antverpienſium: Urbis initia & deſcriptio. Ibid. 1610. 4.

Orthodoxæ Fidei Controverſa, libris VI. Ibid. in 8. quorum I. *De Scriptura, Traditionibus, Judice.* Extractum illius habetur in Bibliotheca Maxima Pontificia P. Rocaberti Tomo VII. pag. 1. Romæ 1698.

II. *De Apoſtolicæ Fidei germanis denuntiatoribus.* 1609.

III. *De Reliquiis Sanctorum.*

IV. *De Miraculis.*

V. *De Sanctorum Invocatione & cultu:*

VI. *De Imaginum Cultu.*

Philoſophus Chriſtianus 1614. in 8. typis Nutii.

Meditationum Sacrarum Tomi II. belgicè; & latinè, *Joanne Briſſelio* interprete, 1615. 8. & Coloniæ 1618. 12.

Amor Divinus. Ibid. 1615. 8. & Coloniæ 1618. 12.

Superior Religioſus. Ibid. 1619. 12.

Medicus Religioſus: de Animorum morbis & curationibus. Ibid. 1619. 12.

Adoleſcens Prodigus. Ibid. 1621. 8.

Cœnobiarcha; de prudenti & religioſa gubernatione, 1624. 8.

Politico Chriſtianus. Ibid. 1624. 4. & 1625. 8.

Chriſtus Patiens, piis Exercitationibus illuſtratus, 1629. 4.

Moritur Antverpiæ anno 1629. ætatis LXI. VIII. Kal. Julii, ipſo S. Joannis Baptiſtæ Natali. Epitaphium ejus elegans extat Antverpiæ in Templo Domûs Profeſſæ.

D. O. M.
Æternæ memoriæ
Incomparabilis Viri
R. P. CAROLI SCRIBANII S. J.
Quem Bruxella mundo,
Antverpia cælo dedit;
Poſtquam
Pontifici Max.
Cæſari, Regibus, Principibus plurimis
Domi, foriſque carus,
Hæreticis ſtylo terribilis,
Bonis omnibus amabilis,
Animi magnitudine, conſtantiâ,
Judicio, conſilio, linguarum peritiâ,
Rerum uſu
Nulli ſecundus,
Europam totam
Famâ ſui nominis luculenter impleſſet:
Diſſidia Nobilium familiarum
Mille controverſiarum arbiter,
Privatæ pacis Vindex,
Publicæ ſtudioſus,
Feliciter compoſuiſſet,
Societatem Jeſu in Belgio per annos XXVIII. quà Provincialis, quà Rector
Mirè promoviſſet,
Prudentiâ, morum gravitate,
Vitæ integritate

Religione in Deum,
Pietate in patriam conſpicuus
Laudabiliter vixit annos LXIX.
Ex merito amoris, quod licuit,
Optimo Patri ſpirituali
Lacrimabile mortis & reſurrectionis
Monimentum, Domus & Familia
Hautapeliorum præter votum poſuit
Anno reparatæ ſalutis M. D. C. XXIX.
Junii die XXIV.
Bene precare mortuo lector,
Brevi moriture,

CAROLUS SMYTERIUS,

Gandavenſis, in Curia Flandriæ Advocatus, & dein in Curia Hollandiæ Conſiliarius, juris humaniorumque litterarum ſcientiâ clarus. Reliquit, teſte Swertio in Athenis Belgicis,

Carminum libros aliquot.

Deciſionum & ſententiarum libros IV.

Obiit Ultrajecti, & ſepultus in Eccleſia S. Petri, hoc Epitaphio.

Nobili ac Docto Viro
D. Carolo Smytero Gandenſi,
Curiæ Hollandiæ Senatori Regio.
Hic poſuit Flander Smyterus Carolus urnam,
Conſul apud Batavos Regis Ibere tui.
Cum Batavos bellis vexat civilis Erynnis,
Fixos heu propriis viſcera vulneribus:
Martius hunc rapuit, cæloque Aſtræa locavit,
Hic celebri tantum nomine fama viget.

CAROLUS SUCQUET,

Flander, J. C. eximius, patrem habuit *Antonium Sucquetum*, Carolo V. Cæſari à ſecretioribus Conſiliis. *Carolus* Biturigibus in Gallia, Doctorem nactus *Andream Alciatum*, purioris Juriſprudentiæ & literaturæ melioris cognitione excelluit; ipſeque poſtmodum Taurini in Gallia ſub-Alpina Jura publicè interpretatus eſt, & præmaturè obiit, nondum adoleſcentiæ annos egreſſus. Scripſit

De Interdictis librum, Taurini vulgatum. Mortem *Sucqueti* lugubri leſſu proſecutus eſt Joannes Secundus, Poëta. Legiturque ad eundem Def. Eraſmi Epiſtola 12. libri XXIII. & ad Eraſmum Alciati lib. XXVII. Epiſtola 31. *Carolum Sucquetum tuum*, inquit, *ſum Doctorali laureâ quam primùm ornaturus quod publico impendio fiet. Ejus enim doctrinæ, commendationique meæ hoc à Republica Biturigum tributum, quod pauciſſimis ad hanc diem contigit.* Deinde *Viglium* ac *Sucquetum* componens, *cautus*, inquit, *uterque, peritus uterque, diſertus uterque. Haud mirum benè convenire utrique.*

CAROLUS TYSENACQUIUS,

Vir Nobilis, J. U. D. Philippo II. Regi Catholico à Conſiliis Statûs & à Sigillis, nec non Ordinis Aurei Velleris Theſaurarius. Dein ab anno 1569. cedente Viglio Zuichemio, Secretioris Concilii in Belgio Præſes, reliquit

Commentaria, ſive *Memorias de Cauſis & initiis turbarum Belgicarum*, quibus in Hiſtoria ſua contexenda adjutum ſe fatetur Vir Ampliſſ. Nicolaus Burgundus.

Obiit Bruxellis anno 1572, ſepultus in Eccleſia B. M. de Zabulone, unà cum conjuge Catharina Boiſot.

CAROLUS VERMANDERUS,

Vulgò van Mander, natus in Molebecano Flandriæ municipio anno 1548. genii ac naturæ ductum ſecutus, jam inde ferè à puero ſeſe arti pictoriæ, rithmiſque vernaculis componendis totum dedit. Romamque anno 1574. profectus, primoribus iſtic, quorum palatia penicillo ſuo adornabat, gratus acceptuſque fuit.

Reverſus in Flandriam, dum omnia

ibi turbata, laremque patrium vaſtatum repperit, furori cedens, ad Batavos ſeceſſit, totoſque xx. annos vixit Harlemi. Reliquum verò vitę Amſtelodami egit, uſque ad annum 1604. Scripſit vernaculo idiomate *Tragoedias* & *Comoedias* varias.

Fundamenta artis Pictoriæ.

Vitas Pictorum, veterum & recentium.

Expoſitionem Metamorphoſis Ovidianæ. Harlemi, 1604.

Iliadem Homeri, & Virgilii Opera rythmo belgico expreſſit.

Acceſſit his à morte auctoris *Origo, Deſtructio & Reſurrectio urbis Amſtelodamenſis, &c.*

CAROLUS VERON,

Criſpinienſis, Hanno, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini S. Theologiæ Doctor in Academia Duacena, & Eccleſiaſtes celebris, Conventûs Tornacenſis Prior, Ordiniſque per Belgium Definitor ac Prior Provincialis; quo in munere vivere deſiit Tornaci Nerviorum anno 1637. die 10. Auguſti. Vir fuit non minùs rerum agendarum prudentiâ, quàm ſacrarum Litterarum peritiâ inſtructus. Scripſit gallicè,

Vitam S Geriaci, Ordinis Præmonſtratenſis, Tornaci, 1618. 12.

Triumphum SS. Joſeph & Annæ. Ibid. 1624. 12.

Breviarium Breviarii. Ibid. 1627. 12.

De ſacri Apoſtolatûs excellentia, ſive *de S. Bartholomæo* libros III. Ibid. 1635. 4.

De Origine, ſubſtantia, & efficacia piorum Suſpiriorum. Duaci 1632. 12. Aliaque.

CAROLUS VIRULUS,

Quaſi *Homuncionem* dicas, vulgò *Manneken*, patriâ Caſletenſis Flander, Pædagogii Lilienſis Lovanii (quod inter quatuor Facultatis Artium Scholas antiquiſſimum eſt) primus Inſtitutor & per annos plures Rector, dum illic ſimul cum Philoſophicis artibus, humaniores quoque litteræ olim tradebantur. Scripſit

Formulas Epiſtolarum, in omni genere ſcribendi; quas ipſe ſuis in Lilio prælegere ſolebat: excuſas primùm anno 1482. item Pariſiis 1490. Daventriæ 1503. apud Richardum Pafraet, Coloniæ & alibi. Ex quibus animadverti poteſt, quæ fuerit in infantia Academiæ Lovanienſis litterarum ſermoniſque Latini, ut ita dicam, balbuties.

In quas proinde, ut barbaras, meritò incurrit Eraſmus libro de conſcribendis Epiſtolis. *Jam apud Italos*, inquit, *coeperant reviviſcere bonæ litteræ, cùm Lovanii magno cum applauſu legerentur Epiſtolæ* Caroli *cujuſdam, qui multis annis moderatus eſt Pædagogium Lilienſe, quas nunc nemo dignetur ſumere in manus.*

Memoratu hîc dignum eſt, quod de eodem *Virulo* ſcribit Joannes Ludovicus Vives libro IV. De tradendis diſciplinis: *Vellem*, inquit, *ut docti aliqui delectarentur eo more, quem fuiſſe* Caroli *cujuſdam* Viruli *narrari audiebam Lovanii, hominis non perinde litterati, ut boni: nec illi ingenium aut diligentia defuit, ſed locus & tempora. Is Lovanii Gymnaſio Liliano præerat; & quia ſub cura ſua pueros habebat complures, ad viſendos vel filios vel propinquos, cùm venirent varii generis homines, colloqui illos cum eo erat neceſſe, &, ut eſt conſuetudo regionis, convivari etiam. Inquirebat horas aliquot ante convivii tempus, quibus in rebus plurimùm & dextrè eſſet conviva ſuus verſatus. Erat alius nauta, alius miles, alius agricola, alius faber, alius ſutor, alius piſtor. De eodem ipſe artificio aliquid interea legebat & meditabatur: tum veniebat ad menſam paratus, ut & oblectaret convivam ſermone de rebus*

ipſi notis, & ab illo ita provocato & ſecretiſſima artis facile cognoſceret, audiretque breviſſimâ horâ, quæ ille uſu multorum annorum vix eſſet aſſecutus. Ita diſcedebat de colloquio & convivâ lætior, & convivator prudentior ac peritior

Ceterùm *Virulus* Lovanii ſepultus, quieſcit apud Canonicos Regulares S. Martini, in templi Choro, cujus ferè ſolus fundator exſtitit. In ejus Sarcophago ſic legitur.

Hoc Monumento conditum eſt corpus
Præſtantis Domini
CAROLI VIRULI,
Qui præfuit Pœdagogio Lilii
Cum ſumma gloria
Sex & quinquaginta annis,
Magnus hujus Cœnobii,
Dum vixit, ſuffragator,
Ac pauperum eleemoſynarius,
Univerſitatis quoque Lovanienſis
In Litteris humanis
Et omni humanitate Decus.
Obiit autem V. Idus Maii,
A natali Chriſti anno CIↃ. CCCC. XCIII.
Agens annum ætatis octogeſimum.

CAROLUS DE VISCH,

Furnenſis Flander, natus in pago de Bulſcamp ejuſdem Caſtellaniæ, Religioſus Abbatiæ B. M. V. de Dunis Ordinis Ciſtercienſis Brugis, profeſſus anno 1618. tum S. T. B. F. in Academia Duacena. Anno 1629. profectus in Germaniam, ad reſtaurandum Monaſterium Ebirbacenſe in Diœceſi Moguntina, Theologiam ſuis ibidem contratribus præiegit. Dein per annos 12. Confeſſarius apud Moniales Vallis Cœli, tunc Dixmudę, nunc Brugis commorantes. Poſtremò ab anno 1660. Abbatiæ Dunenſis Prior, ibidem mortuus eſt die 11. Aprilis 1666. In Theologia, æquè ac Hiſtoria Eccleſiaſtica verſatus, antiquitatum Belgicarum. zeloſus & aſſiduus ſcrutator, & libris ſequentibus clarus, quos ipſe in Bibliotheca ſuâ Ciſtercienſi recenſuit.

Tractatus varii Theologici, dictati in Abbatia Ebirbacenſi in Germaniæ. Extant MSS. apud Dunenſes.

Hiſtoria Monaſterii Ebirbacenſis, cum ſerie Abbatum & fundatione aliorum Monaſteriorum quæ ex Ebirbaco prodierunt. Exrat in Notitia Abbatiarum Ordinis Ciſtercienſis per Jongelinum, Coloniæ anno 1640. item MSS. apud Dunenſes.

Hiſtoria Abbatiæ Thoſanæ, ejuſque unio cum Epiſcopatu Brugenſi, ab eoque rurſum ſeparatio.

Fundatio Prioratûs Waerſchotani, Gandavi. cum ſerie Priorum Extant ambæ in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis.

Fundatio ac Progreſſus Abbatiarum Speculi B M. Groeningæ, nunc Cortraci: & Vallis Cœli, nunc Brugis, cum ſerie Abbatiſſarum. Extant MSS. in Bibliotheca Dunenſi.

De Inſtructione Religioſorum in tribus viis perfectionis, purgativa, illuminativa & unitiva, per 30. Conciones flandricas. MSS. apud Dunenſes.

Vitas BB Ligerii & Fulconis primorum Abbatum ac Fundatorum Abbatiæ Dunenſis. Flandricè.

Vitas BB. Eberardi de Commeda & Richardi de Friſia, Monachorum Ordinis Ciſtercienſis, ſanctitate illuſtrium. Brugis 1655.

Alani Magni de Inſulis, Doctoris univerſalis, Opera moralia parenetica & polemica, tineis & blattis erepta & Notis illuſtrata, edidit fol. Antverpiæ typis Leſtenii 1653.

Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis; primùm edita Duaci anno 1649, dein notabiliter aucta, Coloniæ Agrippæ apud Joannem Buſæum 1656. in 4.

Compendium Chronologicum Abbatiæ B. M. V. de Dunis, Ordinis Ciſtercienſis, olim Morinenſis, nunc Brugenſis Diœceſis.

Digitized by Google

8. Bruxellis apud Vleugaert 1660.
Vita Adriani Cancellier, Monaſterii Dunenſis quondam Abbatis. 8. ibidem. 1660.

CAROLUS UYTTENHOVE,

Gandavenſis, Vir Nobilis, (ad cujus parentem *Carolum* Markemii Toparcham, virum Gandavi Conſularem, & avum *Nicolaum* ſupremi Flandriæ Concilii Præſidem, plures Epiſtolæ leguntur Eraſmi) Grammaticam in patria ſub *Joanne Ottone* didicit.

Hinc Pariſios profectus, bonam vitæ partem egit in illo hominum eruditorum velut microcoſmo, & latinæ græcæque linguæ accuratam cognitionem aſſecutus eſt, uſus familiariter *Dioniſio Lambino*, *Adriano Turnebo*, *Joanne Aurato*, aliiſque: viris etiam principibus, Principumque Legatis, ob politam eruditionem atque eruditam quandam feſtivitatem, longè gratiſſimus.

Præter vernaculam ac græcam, calluit linguas gallicam, anglicam atque italicam. Carmina plerumque græcè in commendationem Auctorum ſcripſit, hoc ferè anagrammate cognomen ſuum indigetans, Οὐὰν-ὸ-βιος. Leguntur ejuſdem

Epigrammata, *Epitaphia*, *Epitalamia*, Græca & Latina.

Epitaphia in mortem Henrici II Galliarum Regis, typis Roberti Stephani, 1560.

Aſtralagus, ſive *Xeniorum* liber: Anagrammatiſmi & Alluſiones ad illuſtrium aliquot hominum nomina.

Epiſtolarum Centuria. Coloniæ, 1597. 8.

Mythologia Æſopica, metro Elegiaco. Steinfurti, 1607. 8.

Commentariolus, ſive libellus Aſſertatorius, quo Principum duorum, Philippi II Hiſpp. Regis & Mahometi III Turcarum Imp. vires, opes, Provinciæ &c. explicantur, ex italico *Joannis Boteri* latinè redditus, *Utenhovio* interprete.

Abiit ad plures Coloniæ (ubi, ductâ uxore filiâ Toparchæ de Daelenbroeck, è ditione Juliacenſi, fortunarum ſuarum ſedem fixerat, privatamque in ſtudiis litterarum vitam agebat) anno 1600. ætatis LXIV. Kalendis Auguſti, nullis relictis liberis. Hoc ſibi Epitaphium ipſe poſuit.

Hic & ego tandem capio ecce in pulvere ſomnum,
Opperiorque diem, mea quâ mutatio fiat;
Namque animam redimet famulorum JOVA *ſuorum,*
Ipſe creaturamque ſuam ſervire ſuetam
Aſſeret à carie corruptæ molis, in ævum
Libertate Dei ſoboles ut honore fruatur.
Hæc animo ſpes certa meo atque immota repoſta eſt.

CAROLUS WINCKIUS,

Iprenſis, Ord. Prædic. S. T. L. Prior, ac Prædicator generalis; *Hymnos*, quorum uſus in Eccleſiaſtico Dei cultu, edidit idiomate cùm latino tum flandrico. Gandavi, 1573. 8.

Vitæ finem habuit exul Pariſiis anno 1582. ob turbatam in patria Religionem.

CASPAR BARLÆUS,

Vulgò VAN BAERLE, Antverpiæ natus die 12. Februarii 1584. Doctor Medicus, primùm Logices in Academia Lugduno-Batava, pòſt Philoſophiæ Moralis in inclyto Amſtelodamenſi Gymnaſio Profeſſor, Poëſi plurimùm valuit vinctâque numeris oratione ſublimè inceſſit; ſed nec ſolutâ minùs diſertus fuit. Anno 1618, in famoſâ Synodo Dordracenâ, citatis illic Remonſtrantibus (quorum ſententias profitebatur) non inutilem ſuo ſtudio operam præſtitit.

Obiit Amſtelodami 14. Januarii

1648, pro funere laudatus à celebri Viro Joanne Arnoldo Corvino J. U. D.

Poëmata, pleraque primùm ſeparatim ſparſimque edita, in unum volumen contraxit, nimirum *Heroïcorum* libros III. in quibus meritò agmen ducit *Hymnus in Chriſtum*.

Elegiarum libros II. & *Miſcellanea*, Lugduni Batavor. typis Elzevir. 1631. 12. quibus alia deinde acceſſerunt; ut *Triumphus Fœderati Belgii ſuper debellatis ad Moſam urbibus* &c. Amſtel. 1632. fol. *In Ducatum Limburgicum additum Fœderatorum Imperio*. Ibid. 1633. fol. *Tumulus Guſtavi Adolphi, Suecorum Regis: Panegyricus Armando Cardinali Richelio* ſcriptus; aliaque. Amſtelod. apud Elzevirios, item apud Blauw 1655. 2. Vol. in 12.

Diſſertatio De Bono Principe, adverſus Machiavellum; recitata, cùm Amſtelodami Philoſophiam Moralem auſpicaretur, Idibus Martiis, an. 1633. Ibid. fol.

Medicea Hoſpes, ſive Deſcriptio publicæ gratulationis, quâ *Mariam de Medices*, Galliarum Reginam, excepit S. P. Q. Amſtelod.. 1639. fol. apud J. & C. Blauw, cum elegantibus figuris æneis.

Oratio Panegyrica de victa Hiſpanorum Claſſe. Ibid. fol.

Oratio de Ente rationis. Ibid. fol.

Epiſtolæ variæ. Amſtelod. 1667. Proſtant etiam inter præſtantium Eruditorum Epiſtolas Eccleſiaſticas, in fol. Amſtelod. 1684.

Orationes variæ. 12. Amſtelod. 1643. item 1652.

Methodus ſtudiorum & morum. Extant apud Grotium de ſtudiis inſtituendis.

Rerum per octennium in Braſilia & alibi geſtarum, ſub præfectura Jo. Mauricii Naſſoviæ Comitis, Hiſtoria. Fol. Amſtel. 1647. Potiſſima pars impreſſorum codicum hujus Hiſtoriæ periit incendio typographiæ Blavianæ.

Obſervationes aut experimenta Magnetis, & vis magnetica terræ &c. Flandricè Amſtelod. 1651.

Et alia plura in favorem Remonſtrantium, quorum elenchum vide in Bibliotheca Scriptorum Remonſtrantium, authore Ant. Cattenburgh.

CASPERIUS GEVARTIUS,

Natus Antverpiæ anno 1593. 8. Idus Auguſti, patre Joanne Gevartio J. C. celeberrimo, quondam à Sereniſſ. Archiducibus Alberto & Iſabella ad paciſcendas cum Batavis inducias delegato; qui dein mortuâ uxore Corneliâ Aertſiâ, inter Canonicos Cathedr. Antverp. cooptatus, Diœceſis illius Officialis extitit, ac devixit anno 1613. *Caſperius* filius Antverpiæ in Societatis Jeſu Collegio prima ac ſolida ſtudiorum fundamenta jecit. Hinc Lovanium ac Duacum profectus, ad majorem ingenii cultum capeſſendum, ab amatis puero Muſis avelli vix potuit; Poëtæ nomen famamque adeptus inter ævi ſui primos. Vixit quoque Lutetiæ Pariſiorum, gratus ac familiaris cùm aliis, tum verò in primis *Errico Memmio*, tunc Prætori Urbano, pòſt ſupremæ Galliarum Curiæ Præſidi, quo cum communia de ſtudiis colloquia habere eſt ſolitus. Pòſt Antverpiæ, patrio in ſolo, ſedem fixam poſuit, S. P. Q. illius Urbis ab Actis, vulgò Graphiarium vocant; & Juriſconſulti titulum anno 1621. Duaci accepit. Dein anno 1644. à Ferdinando III. creatus Conſiliarius, & Hiſtoriographus Cæſareus.

Deceſſit Antverpiæ x. Kal. Aprilis anni 1666. ætatis 73. ſepultus in Baſilica Mariana, in communi Familiæ Monumento, cum eleganti Epitaphio, quod infra (ubi de Joanne Gevartio patre ejus agitur) recenſebitur. Edidit adoleſcens admodum

Lectionum Papinianarum libros V. in *Statii Papinii Silvas*. Lug. Bat. 1616. 8.

Electorum libros III. quibus vett. Scriptorum loca quà emendantur, quà

illuſtrantur, & Epitaphium vetus *Ælia Lælia Criſpis* novè explicatur. Pariſ. 1619. 4.

Epithalamium in Nuptias Danielis Heinſii & Ermgardis Rutgerſiæ. Lugd. Batt. 1617. 4. Item in *Nuptias Maximiliani Belliforerii & Juditha Memmiæ.* Pariſ. 1618. 4. *Silvam in Statuam Equeſtrem Henrici IV. Galliarum Regis*, Pariſiis in ponte novo erectam. Ibid. 4. aliaque Carmina ſparſim edita.

Triumphum Auſtriacum, id eſt *Deſcriptionem Arcuum Triumphalium & Pegmatum in Adventu Sereniſſ. Principis* FERDINANDI AUSTRII, *Hiſpaniarum Infantis, Belgarum & Burgundionum Gubernatoris &c.* an. 1635. XV. Kal. Maii *Antverpiæ exhibitorum; cum Delineatione Picturarum Iconumque.* Pleraque à manu atque inventione *Petri Pauli Rubenii*, Pictorum, dum vixit, principis, ac ſtilo ejuſdem *Gevartii*: cujus etiam hîc inſerta *Elogia XII. Imp. Auſtriacorum*, & pleraque alia Antiquitatis monumenta.

Acceſſit *Calloa recuperata.* Antverpiæ typis Joan. Meurſii, 1642. in fol.

Edidit item denuò *Imperatorum Romanorum Icones* ex priſcis Numiſmatibus ad vivum delineatas, & brevi Narratione Hiſtoricâ illuſtratas per *Hubertum Goltzium.* Quibus acceſſit ab ipſo *Gevartio* Rom. Imp. Auſtriacorum ſeries, ab Alberto II. Aug. ad uſque Ferdinandum III. Aug. per annos CC. continuos deducta, cum fig. elegantiſſimis, fol. Antv. ex Officina Plantiniana Balt. Moreti 1645.

Meditabatur *Notas in libros Aſtronomicorum*, qui vulgò *M. Manilio* tribuuntur; ipſe verò *Fl. Manlio Theodoro*, viro Conſulari, adverſus Joſ. Scaligerum, Triſtanum Gallum, alioſque vindicat.

Item *M. Aurelii Antonini τῶν εἰς ἑαυτὸν* libros XII, plenis *Commentariis* illuſtratos.

CHRISTIANUS ADRICHOMIUS,

Delphius, Batavus, naſcitur an. 1533. die S. Valentino Martyri ſacro, patre *Adriano Nicolai*, viro probo & Catholicæ Religionis retinentiſſimo, qui obiit an. 1560. VI. Nonas Martii, quo die recurrentis anni *Chriſtianus* Presbyter ordinatus fuit.

Proavunculum habuit *Martinum Dorpium*, S. Theol. Doct. & Profeſſorem Lovanii celeberrimum.

Fuit *Adrichomius*, dum adhuc ſtarent apud Batavos res ſacræ, Præfectus Virginum velatarum ad S. Barbaram, in patria; indeque à primis Geuſio-Calviniſtis pulſus, Machliniæ, Trajecti & Coloniæ vixit. Soletque ſe ſcribere *Chriſtianum* CRUCIUM; & ſub eo nomine edidit Antverpiæ 1578. 12.

Vitam JESU *Chriſti* ex IV. Euangeliſtis breviter contextam, cum annexa Oratione *De Chriſtiana beatitudine*, quam habuit in Synodo ſive Capitulo, ut vocant, Generali celebrato an. 1570. die XXIII. Julii. Atque huc reſpexit *Corn. Muſius*, ejus gentilis, in Epitaphio, quod vivus vivo poſuit:

Illuſtre à CHRISTO *ſumptum qui nomen habebam,*
Et duplici Delphis qui CRUCE *notus eram;*
Conditus hîc jaceo reliquis cum Patribus, olim
Exſurrecturus, cùm tuba clara canet.

Coloniæ autem in diſcutiendis Jeroſolymitanæ urbis atque antiquitatis ruderibus verſatus fuit, fideleque & accuratam hîc operam poſuit; niſi quod Beroſo, Manethoni, & id genus ſuppoſititiis, ut creditur, Scriptoribus, ab Annio Viterbienſi vulgatis, pius æquo tribuat interdum. Scripſit autem,

Theatrum Terræ Sanctæ, cum Tabulis geographicis: quod à morte auctoris, an. 1593. & 1600. in fol. Arn. Mylius Coloniæ foras dedit. Complectitur

Descriptionem Terræ Sanctæ, juxta XII. Tribus Israël.

Descriptionem Urbis Jerosolymitanæ.

Chronicon, utriusque Testamenti historiam continens: atque in Theatro hoc erigendo ornandoque variis, ut dixi, Scriptoribus usus est. Prodiit rursus in folio Coloniæ 1682.

Neque Belgæ nostri asymboli fuêre, è quibus varii in Terram sanctam piè susceptâ peregrinatione, feliciterque, & ex animi voto perfectâ, eamdem aut descripserunt ipsi, aut ab aliis descriptam ad posteros cum grata sui memoria transmiserunt. De quibus sparsim in hac ipsa Bibliotheca: ut *Georgius Languerant*, Montensis, *Jacobus le Saige* Duacensis, *Joannes Dublioul* Nervius, *Joannes Cotovicus* & *Hesius* Ultrajectini, *Joannes Paschasius* Machlinienſis, & alii. *Hermannus Borculoo* Civitatem Jerosolymitanam ac loca sacra Palestinæ obivit & descripsit universa, Ultrajecti 1538. *Gerardus Kuyrentorff*, Campensis, Transisalanus, *Petrus Aenholt*, Prior in Wolzende, & *Edo Rombes*, Consul Snecanus in Frisia, dederunt Descriptionem itineris Jerosolymitani an. 1520. peracti, Campis impressam. *Joannes Heuterus*, Prætor Delphensis, anno 1521. unà cum *Joanne Scorelio*, Canonico Ultrajectino & pictore celebri, aliisque peregrinationem suam absolvit.

Quin & dictus *Scorelius* civitatem Jerosolymitanam ex oculari inspectione delineavit; quod ipsum exemplar vidisse se testatur ibidem *Adrichomius*. *Joannes Godscalci Iserman*, Delphius, an. Dom. 1561. iter illud absolvit & descripsit, teste iterum oculato populari ejus *Adrichomio.*

Ceterùm *Adrichomius* naturæ debitum solvit Coloniæ, anno 1585. XII. Kal. Julii, anno ætatis LII. exilii à patria ob causam Fidei XIII. Conditus in Nazarethano Virginum Canonicarum Regularium S. Augustini Cœnobio, cui etiam aliquamdiu Hierarcha præfuit.

D. O. M.
Monumentum Reverendi & eruditi
D. CHRISTIANI ADRICHOMI,
Delphi, Sacrarum Virginum
S. BARBARÆ
Apud Delphos Hierarchæ.
Obiit anno Nativit. Domini
CIↃ. IↃ. LXXXV. XII. Kal. Julii
Anno ætatis LII.
Exilii vero, quo causâ Fidei
A patriâ exulavit, XIII.

Gens Adrichoma Deo nomen, sed patria Delphi
Vitam inter Batavos clara potensque dedit.
Barbaræ apud Fanum rexi sine labe Sorores,
Integra quando domi paxque fidesque stetit.
Aſt ubi cuncta ruere, fides, pax, jura, recessi,
Anteferens patrio rura Ubiana solo.
Hîc Solymorum Urbem Bavara de gente dicabam
ERNESTO, *præstans & memorabile opus.*
Otia pertæsus, scripsissem plura: sed atrox
Utile mors studium sustulit omne meum.

CHRISTIANUS DE S. AUDOMARO,

Artesius, à natali solo cognomentum mutuatus, varias scientias calluit, atque in Mathematicis potissimùm excelluit; reliquitque

Arithmeticam, lectam aliquando in Bibliotheca MSS. Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiis.

CHRI-

CHRISTIANUS BOUWENS,

Moſæ-Trajectenſis, S. Theol. Baccal. & Paſtor in Vleytingen, ſcripſit

Arcana linguæ Teutonicæ. Leodii, 1629. 8.

Romani Imperii Symmetriam cum Corpore humano: De initio, progreſſu, ſtatu & fine Imperii aduſque finem mundi. Ibid. eodem anno.

CHRISTIANUS BRUNINGIUS,

Ultrajectinus, græcæ & hebraïcæ linguæ peritus, Lovanii cauſſâ ſtudiorum agens, Juſto Lipſio fuit perfamiliaris & domeſticus. Scripſit

Breviarium Philoſophiæ Barbaricæ, carmine, typis Raphelingii, 1600. 12. unà cum libro ejuſdem argumenti, *Ottone Heurnio* auctore.

CHRISTIANUS CELLARIUS,

Iſenbergæ, Furnenſi in agro, apud Flandros natus, primùm Lovanii Græcas Litteras publicè docuit. Pòſt Bergis ad S. Winocum Ludum litterarium aperuit. Legitur ejus ad Diſpenſatores pauperum per Flandriam

Oratio contra mendicitatem publicam, pro nova pauperum ſubventione. Antver. 1530. 8. Meminit hujus Orationis in ſuo de continendis & alendis domî pauperibus Conſilio *Ægidius Witſius* J. C. & *Cellarium* ait, improbis quorumdam hortatibus inductum, antea Orationem pro Mendicis ſcripſiſſe; ſed quam deinde (inquit) ſaniorem edoctus ſententiam recantavit, confodit, & laceravit. Addit in eamdem ſententiam, conſultam hac de re, Facultatem S. Theologiæ reſpondiſſe Pariſienſem: quod tamen, *Witſium* refellendo, negat *Laurentius à Villavicentio*, Doctor Theol. Lovanienſis.

Ejuſdem *Cellarii Carmen Heroïcum de Bello per* CAROLUM V. *in Hungaria adverſus Solimannum Turcarum hoſp geſto*, editum ibid. typis Joann. Graphæi, 1533. 8.

Item alterum *De incendio Urbis Delphenſis*, 1526.

CHRISTIANUS CLEYNEN,

Canonicus Regularis Tungrenſis, ac Rector Virginum ejuſdem Inſtituti Leeuwenſium, ſcripſit

Praxin cantualem, ſeu Manuductionem ad cantum diſcendum.

Tractatum *de Arithmetica.* MSS. apud Regulares Tungrenſes.

Moritur an. 1553. die XXVI. menſis Februarii.

CHRISTIANUS FURNIUS,

Scholarcha Moſæ-Trajectinus, à Valerio Andrea hîc citatur: quem puto eundem cum ſequente. Luſit

Carmina Scholaſtica. Trajecti, 1553. 4. apud Jac. Batenium.

CHRISTIANUS ISCHYRIUS,

Aliàs FORTIS, ſive STERCK idiomate vernaculo, Juliacenſis, Presbyter, Trajectenſis ad Moſam opidi Proto-didaſcalus, dedit

Ecphraſin & Enarrationem in Pſalmos Pœnitentiales.

In Pſalmos de B. MARIA *Virgine.*

In Pſalmos ac Lectiones de Defunctis.

Meditationes in Orationem Dominicam.

De bonis operibus & Igne purgatorio.

De Jejunii & ciborum delectu.

De Divorum ſuffragiis. Omnia Coloniæ edita, typis Gaſp. Gennepii, Antver. 1533. apud viduam Chriſtoph. Ruræmundenſis, & Lovanii apud Anton. Bergagne, 1551. 8.

Homuli Comœdiam, eodem interprete, edidit Antver. Steelſius, 1548.

CHRISTIANUS VAN HEULE,

Batavus, evulgavit Vocabularium Belgicum, vulgo
Neder-Duytſche Spraack-konſt. Leydæ 1633. in 8.

CHRISTIANUS LUPUS,

Vernaculè DE WULF, Vir nulli ſecundus, ſeu merita doctrinæ ſpectes, ſeu virtutis & gratiæ. Ipris apud Flandros natus eſt anno 1612. die 23. Julii; literiſque humanioribus imbutus in patria (ubi Rhetorices Præceptorem habuit *P. Godefridum Henſchenium*, S. J. inſignem Hagiographum) Auguſtinianam Eremum, annos vix quindecim natus, in Conventu Iprenſi ingreſſus eſt. Vixdum Theologiæ ſtudia Lovanii compleverat, cum ad Philoſophiæ lectionem Coloniam evocatur; ubi & Alexandro VII. Pont. tunc Nuncio ac Legato à latere, innotuit.

Ad Academiam Lovanienſem revocatus anno 1640, Theologicam adiit profeſſionem; miſſiſque Philoſophiæ vepretis, vaſtiſſimam S. Scripturæ, Eccleſiaſticorum Canonum, & SS. Patrum, præcipuè Auguſtini, ſylvam ingreſſus, cæpit inſtar *lupi rapacis* ſacratæ doctrinæ *prædam* undique *rapere*, & in prodigioſæ memoriæ ventrem recondere. Solebat tum temporis, & per ſubſequentes annos, dum per occupationes licuit, quotidie quindecim horarum ſpacium ſacræ huic venationi impendere. Tanta quoque erat ejus memoriæ promptitudo atque tenacitas, ut paſſim *Bibliotheca ambulans* appellaretur.

Anno 1642. Licentiæ gradum in Academia Lovanienſi adeptus, paulò poſt ad Duacenam miſſus à ſuperioribus, ſuæ quoque doctrinæ radios ibidem diffudit.

Fervebant tunc inter Theologos Belgas diſcordiæ & contentiones, è damnato *Janſenii* libro ſubortæ: quorum aliqui judicio Urbani VIII. Pont. omnino reſiſtebant, alii damnatam *Auguſtini Iprenſis* doctrinam à probatis *S. Auguſtini Hipponenſis* dogmatibus non diſcernebant. His adhærere credebatur *P. Lupus*; eâque ratione poſitum fuit à quibuſdam obſtaculum, ne ad ſuſcipiendam Doctoralem lauream Lovanii admitteretur. Sed tandem agente ipſo Ordinis Generali *P. Philippo Vice-Comite*, & *Innocentio X.* Pont. annuente, totâque plaudente Academiâ, S. Th. Doctor renunciatur die 4. Februarii 1653.

Poſt biennium, Fidei ſuæ & obſervantiæ rationem Urbi & Orbi redditurus, Romam profectus eſt: ubi mox totius Curiæ Romanæ favorem & amorem ſibi conciliavit, ipſi imprimis Alexandro VII. Pont. (qui cum Coloniæ noverat) carus, ſed & pluribus Eminentiſſimis Cardinalibus, aliiſque primariis Viris, ſignanter *Lucæ Hoſtenio* Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, & *P. Henrico Norifio* dein S. R. E. Cardinali, familiari conjunctus amicitiâ.

Româ cum elogio dimiſſus anno 1660. Lovanium reverſus eſt, ſecum conferens à ſe obtentum *Diploma Pontificium, quo SS. Auguſtini & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque declarantur Dogmata.* Paulo pòſt inter octo-Viros S. Facultatis Theologicæ Regentes cooptatus, exinde cæpit ardentiùs Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ac SS. Canones & Decreta Synodorum Generalium, Scholiis & Notis doctiſſimis illuſtrare, pluresque Libroſque typis evulgare; in quibus ſuam de Romani Pontificis infallibilitate doctrinam ubique proteſtatus eſt *Lupus.*

Nomine Reverendiſſimi P. Generalis bis Capitulo Provinciali præſedit, bis etiam Provinciæ Diffinitor, tandem

ad Provinciæ clavum & regimen anno 1676. omnium votis, invitus & reluctans admotus est : quo in munere Christianum se Pastorem ovibus suis exhibuit : cupiens prodesse, non præesse. Oblatam sibi à Clemente IX. Sacristiæ Pontificiæ curam & Episcopatûs Tagastensis dignitatem (ut fama est) religiosè & humiliter respuit. Lectionem insuper in Collegio Romanæ Sapientię, centum scutorum dote ornatam recusavit : uti & ampliores honores, quos Magnus Hetruriæ Dux, modo studia sua illi addiceret, sponte detulerat.

Posthæc, Romam secundò profectus est anno 1677. una cum Ex. VV. *Martino Steyartio, Francisco Van Vianen*, ac *Petro Lamberto Le Drou*, S. T. DD. Lovan. tum ut ejusdem Facultatis Articulos Sanctiss. D. Innocentio XI. Pont. offerrent judicandos (*Citantur apud Steyartium in Propositiones damnatas*) tum ut damnationem plurimarum Propositionum in praxi pernicioſarum impetrarent. Voti compos effectus, damnatisque per Innocentium XI. 65. ejusmodi Propositionibus die 2 Martii 1679. in Belgium reversus est P. Lupus sub finem anni istius, duplici Numismate aureo à Pontifice honoratus ; quod utrumque Hierothecę SS. Sacramenti Miraculosi, Lovanii in Templo PP. Augustinianorum asservati, devotè appendit.

Interea in locum demortui *Gerardi Van Werm*, S. T. Doctoris ac Regii publicique in Academia Lovaniensi Professoris, à Principe Parmensi, Belgii Gubernatore, commendantibus eum Viris primariis, sufficitur, favore prorsus singulari : cum visum antea non fuisset, Cathedram hanc Doctori Regulari fuisse concessam. Sed eam haud diu tenuit : nam sinio laboribusque sacris confectus, per quatuor & amplius menses lecto doloris affixus, colicâ, calculo, febribusque atque alvi profluvio cruciatus, ad extrema devenit. Tum, ipso Visitationis Deiparæ festo, visitavit eum Illustriss. D. *Sebastianus Antonius Tanara*, S. Sedis apud Belgas Pronuncius, unà cum Venerabili P. *Marco ab Aviano* Ord. FF. Capucinorum (qui vulgo *Miraculorum patrator* habebatur.) Huic vero ægritudinis levamen Dei nomine spondenti, respondit P. Lupus ; *indignum se esse, cujus causâ fierent miracula : hoc unicum miraculum se optare, ut ejus benedictione acceptâ, spiritus suus transmitteretur in manus Domini Jesu.*

In hocce desiderio placidè ac piè diem clausit extremum Lovanii in Monasterio Augustinianorum die 10. Julii 1681. ætatis anno 70. Religiosæ vitæ 54. Sacerdotii 46. Doctoratûs 29. Sepultus ibidem in choro, positâque ad perennem ejus memoriam sepulchrali inscriptione.

D. O. M.
Hic quiescit
Ordinis Sancti Augustini,
Academiæ Lovaniensis,
Sanctæ Sedis
Sub Alexandro VII. Clemente IX.
Clemente X. Innocentio XI.
Totiusque Orthodoxiæ verbo magnificatus, Doctor S. Th. Regius ac
Prim. Profess.
Adm. Rev. P. Christianus Lupus
Provincialis,
Scientiarum Bibliotheca,
Obiit X. Julii M. D. C. L. XXXI. R. I. P.

Aliud quoque legitur ejus Epitaphium, defuncti manu scriptum, atque post ejus obitum repertum.

Hæres peccati, naturâ filius iræ,
Hic jaceo, dignus nomine reque Lupus.
Indignus, non re, sed solo nomine Doctor.
Verbis, non factis, me docuisse fleo.
Perdocuisse alios, & non docuisse se-ipsum,

Quid juvat ? o ! mundi fumus, inane, nihil !
Agne Deus, Patris Doctrina, Redemptio mundi,
Hunc tibi proſtratum commiſerare reum.
Et latro & meretrix gratis tua Regna ſubintrant :
Gratia peccatis fiat & iſta meis.

Inferius ſcripta erant hæc verba hæc verba, manu P. Lupi. *Supplico ſepeliri inter Fratres Laïcos, quorum meritis divina clementia dignetur me indignum adjungere.*

Oratione funebri typis editâ, laudes P. *Lupi* proſecutus eſt P. *Franciſcus Farvacques*, Inſulenſis, ejuſdem Ordinis S. T. D. Lovan. illiuſque in S. Facultate ſucceſſor. Vitam quoque deſcripſit P. *Joſeph Sabatini* Ravenatenſis, præfati Ordinis, ac Bibliothecæ Angelicæ in Urbe Præfectus ; quæ edita fuit in Procœmio Scholiorum Lupi ad Acta Epheſini & Chalcedonenſis Conſilii ; atque hinc ejus Elogium contraximus.

Scripta autem ab eo ſunt hæc.

Apologia pro Anima ſenſitivâ ovi. 4. Coloniæ. 1639.

Apologia altera, adverſus Profeſſores Marpurgenſes 4. Coloniæ 1641.

Prodidagmata Philoſophiæ. Bruxellis 1640.

Quæſtio Quodlibetica, de Origine Eremitarum, Clericorum ac Sanctimonialium Ord. S Auguſtini ; deciſa ex ipſo S. Auguſtino, aliiſque SS. PP. ei coævis : in qua dilucidantur varii antiqui ritus Eccleſiæ Africanæ, ac diſcutitur Cenſura Lovanienſis Operum S. Auguſtini. 8. Duaci 1651.

Diſſertatio Dogmatica, de germano ac avito ſenſu SS. PP. univerſæ Eccleſiæ, & præſertim Tridentinæ Synodi, circa chriſtianam Contritionem & Attritionem. 4. Lovanii apud Maſium 1666. Item inter Opera ejus poſthuma.

Synodorum Generalium & Provinciarum Statuta & Canones, cum Notis & Hiſtoricis Diſſertationibus. Tom. I. & II. Lovanii apud Maſium 1665. & tres poſteriores Tomi Bruxellis apud Franc. Foppens 1673.

Tertulliani Liber de Præſcriptionibus contra Hæreticos, cum Scholiis & Notis. 4. Bruxellis apud Franc. Foppens 1675.

Divinum ac immobile S. Petri Apoſtolorum Principis, circa omnium ſub cælo fidelium ad Romanam ejus Cathedram Appellationes, adverſum prophanas hodie vocum novitates, aſſertum Privilegium. 4. Moguntiæ 1681. Prodiit potiſſimùm contra *Paſſchaſium Queſnellum*, qui in Opera S. Leonis Papæ Notas Diſſertationeſque Authoritati ſanctæ Sedis injurioſas appoſuerat. Idem *Tractatus P. Lupi de Appellationibus* per Thomam Roccaberti Archiepiſcopum Valentinum, denuo inſertus fuit Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ Tom. VI. pag. 81.

Epiſtolæ variorum Patrum ad Epheſinum Concilium, ex Manuſcripto Bibliothecæ Caſſinenſis Monaſterii depromptæ. Item *Commonitorium Cœleſtini Papæ, Tituli Decretorum Hilarii Papæ, Neapolitanum Concilium, Epiſtolæ Anacleti Anti-Papæ* ; ex Bibliothecæ Vaticanæ MSS. primùm in lucem datæ per P. Lupum, cum ejuſdem Scholiis & Notis *ad Epiſtolas & Acta Concilii Epheſini & Chalcedonenſis.* 4. Lovanii 1682. apud Nempæum, 2. Tomi. Extant etiam, ſed ſine Notis, in Conciliis Baluſii Tomo I.

Epiſtolæ & Vita D. Thomæ Martyris & Archiepiſcopi Cantuarienſis, nec non Epiſtolæ Alexandri III. Pont. Ludovici VII. Galliæ Regis, Henrici II. Angliæ Regis, aliarumque ſublimium ex utroque foro perſonarum ; concernentes Sacerdotii & Imperii concordiam : in lucem productæ ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, quem ex indulto

Summi Pontificis P. Lupus acceperat. 4. Bruxellis 1682. apud Eugen. Frix. Multa hîc hauſit Lupus è Vita S. Thomæ Cantuarienſis, quæ eſt inter Opera Thomæ Stapletoni S. T. D. Duaceni, ſub tit. *tres Thomæ.*

Opuſcula Poſthuma ejus, hactenus inedita & edita, curante P. *Guilielmo Wynants* ejuſdem Ordinis, prodierunt Bruxellis 4. apud Eugen. Frix, 1690. In quibus Tractatus IX. ſequentes.

I. *Diſſertatio de Antiquitate, auctoritate & legitimo uſu Sententiæ Probabilis.*

II. *Diſſertatio de Simonia Monaſteriorum*, contra Zegerum Bernardum Van Eſpen, J. U. Doctorem Lovan.

III. *Diſſertatio de antiqua Diſciplina Chriſtianæ Militiæ.*

IV. *Antiqua Eccleſiæ ac Reipuplicæ in Pelagianam Hæreſim Decreta*, cum Scholiis.

V. *Diſſertatio dogmatica de Contritione & Attritione*; de quę ſupra

VI. *Epiſtola familiaris ad Henricum Noris Veronenſem, Ord. S. Aug. S. T. D.* dein S. R. E. Cardinalem; in qua P. Lupus reſpondet quibuſdam, ad nonnulla nuperæ ſuæ de Chriſtiana Contritione Diſſertationis Capita hæſitantibus.

VII. *Exhibitio SS. Canonum circa Jus Regularium Eccleſiarum, quoad prædicationem divini Verbi, adverſus larvati Chriſtophori Philalethis Reſponſionem ſtabilita & confirmata.* Eſt contra Martinum Steyartium S. T. D. Lovan.

VIII. *Diſſertatio de SS. Sacramenti publica expoſitione & de ſacris Proceſſionibus, in quibus circumfertur, cum ſacris SS. Reliquiis & Imaginibus, Venerabile Altaris Sacramentum.* Eſt contra Decretum ab Illuſtriſſ. D. Alphonſo de Berghes Archiepiſcopo Mechlinienſi promulgatum anno 1675. quod etiam dein à SS. D. Innocentio XI. confirmatum fuit anno 1682.

IX. *Oratio panegyrica in laudem S. Hoſtiæ miraculosè in carnem converſæ Middelburgi Zelandorum anno* 1374. quæ Lovanii in Eccleſia PP. Auguſtinianorum religioſè aſſervatur & colitur, dicta in tri-ſæculari Jubilæo anno 1674. die 16. Septembris.

Conſultus ſuper Statu Eccleſiæ Ultrajectinę poſt mutatam in fœderato Belgio religionem, in quadam *Reſolutione*, ita reſpondit: *ſicut in Carthaginenſi, Hipponenſi & cunctis aliis per infidelitatem deſtructis Eccleſiis, exiſtens hodie Clerus non ſpectat ad ipſarum cardinem, ſed ſunt dumtaxat Vicarii, ſeu Apoſtoli Romanæ Eccleſiæ; ita quoque eſt Harlemi, Groeningæ, Middelburgi, Daventriæ, Leovardiæ, Ultrajecti. Et ita erit quouſque eadem Romana Eccleſia Epiſcopalem, ac Clericalem cardinem reparaverit.* Hanc Reſolutionem citat his ipſis verbis Jo. Chriſtianus Erckelius in Aſſert. Jur. Eccl. Metrop. Ultraj. pag. 17. Sed nec ipſe nec alius eam publicarunt integram, verum occultant MSS. Aſſeritur, hanc Conſultationem Lupi datam eſſe ad propoſita ſibi dubia per Joan. Neercaſſelium Epiſcopum Caſtorienſem Vic. Apoſtolis Fœd. Belgii, exinde ſolitum prætentis Canonicis Ultrajectinis adulatoribus ſuis reponere: *ſe adeo eſſe Archiepiſcopum Ultrajectinum, quàm ipſi eſſent Ultrajectini Canonici.*

Cæterum Opera omnia Eximii P. Lupi denuò impreſſa ſunt Venetiis, IV. Tomis in fol. anno 1724. & ſequentibus, curante P. *Thoma Philippino*, Ravennate, S. T. D. ejuſdem Ordinis, qui & quædam nondum edita, atque è Bibliotheca Auguſtiniana Lovanienſi deprompta, adjecit.

CHRISTIANUS MASSÆUS,

E Warneſtono ſive Waeſtena oriundus, ad Liſam fluvium in Flandria, an. 1469. XIII. Maii, Congregationis

S. Hieronymi Presbyter, primùm Gandavi, dein Cameraci, à Jacobo de Croy ejus loci Episcopo an. 1509. evocatus, juventutem optimis & disciplinis & moribus imbuit: qua in professione adeò diligens fuit ac constans, ut inde *Camercenatis* cognomentum tulerit, teste in Flandria sua ad an. 895. Jac. Meyero. Æmulum habuit *Joannem Despauterium*, Grammaticorum tunc facilè principem. Scripsit

Grammaticas Præceptiones, carmine.

Artem Versificatoriam. Paris. typis Badii, 4.

Contra Jacobum Merlinum Dialogorum lib. 1.

De Psalmorum Titulis & Actoribus Tractatum, à Trithemio laudatum

Chronicorum ab origine mundi ad an. 1540. libros XX. quo in opere quinquaginta ampliùs annos consumpsit, ut de se alibi ipse scribit. Meminitque Trithemius Abbas, ad Massæum an. 1507. ita scribens, *Memor esto*, Christiane, *in editione Chronicorum tuorum, quòd omnes fermè Chronographi in supputatione annorum Domini graviter erraverunt, omittentes* XXIV. *annos, qui sub Consulibus non rectè supputati transierunt; quod ex Mariano Scoto Monacho, & Augustino Westgallo, Lovaniensi Theologo, subtiliter invenies calculatum.*

Calendaria IV. *Aegyptium, Hebraïcum, Macedonicum, Romanum.* Excusa cum Chronico, Antverpiæ fol. 1540. typis Joan. Criniti.

Denique *Vitam D. Hieronymi* à se studiosè conscriptam, ipse in Chronico suo ad an. 420. auctor est.

Legitur ejusdem breve *Chronicon Cameracense*, MSS. Cameraci, in Abbatia S. Sepulchri.

Vitâ, docendique munere defunctus est Cameraci anno 1546. VII. Kal. Octobr. apud suos conditus. Epitaphium ei scripsit *Godefridus Rainerius*, ejusdem Instituti Sodalis, quod ibidem lectum aliquando fuit.

CHRISTIANUS A RODENBURG,

Ultrajectinus, in eâ Academia J. U. Doctor renunciatus, dein per annos aliquot caussarum patronus disertissimus; donec anno 1649 ætatis suæ 28. (Republicâ eruditionem Viri annis præferente) supremæ Curiæ Provinlis Trajectensis Senator adlectus est. Fuit quoque die 2. Februarii 1659. assumptus inter Canonicos Capituli D. Petri (jam pridem sæcularizati, pro solis Acatholicis) ac paulò post in primum Ordinem Electorum Procerum Reipublicæ Ultrajectinæ cooptatus. Accessit anno 1660. die 21. Septembris Decanalis Dignitas præfati Capituli S. Petri, quam votis confratrum suorum obtinuit. Ad sublimiora quoque Reip.munia evocatus, anno 1654. Legatus ad Regnum Angliæ destinatur; paulò post in Consilium Statûs cooptatur; & anno 1657. inter Assessores Curiæ bipartitæ, ad componenda negotia controversa cum Rege Hispaniarum, institutæ. Demum relicto apud omnes & eruditionis & integritatis nomine, in fata concessit Ultrajecti die 18. Januarii 1668. cum ætatis suæ an. 48. vixdum attigisset.

Scripsit *Tractatum de Jure conjugum, cum tractatione præliminari de Jure quod oritur ex Statutorum vel Consuetudinum discrepantium conflictu.* 8. Ultrajecti anno 1654. dein Antverpiæ, 1676. Coloniæ 1699. & alibi.

CHRISTOPHORUS BROUWERUS,

Arnhemius, Geldrus, Societatis Jesu Theologus ac Philosophus, hi-

ſtoriæ cùm profanæ tum Eccleſiaſticæ eruendæ ſtudioſus in primis : quo etiam nomine illius, ut hominis ſui amantiſſimi, & de Eccleſia optimè meriti, Cæſar Card. Baronius Tomo X. Annalium Eccleſ. non ſemel meminit. Edidit

Venantium Fortunatum, Notis, & novis Poëmatiis auctiorem. Coloniæ, 1624. 4.

Scholia in Poëmata Rabani Mauri; tomo VI. Operum Rabani.

Antiquitatum Fuldenſium lib. IV. typis Plantinianis, 1613. 4.

Sidera Illuſtrium & SS. Virorum, qui Germaniam rebus geſtis ornarunt. Moguntiæ, 1616. 4.

Hiſtoriam Epiſcoporum Treverenſium, *& Epiſcoporum Eccleſiæ Treverenſis Suffraganorum*, *Metenſium*, *Tullenſium*, *ac Virdunenſium*. Coloniæ apud Bern. Gualterum, 1626.

Obiit Brouwerus Treviris die 2. Junii 1617. ætatis 58. Religionis 37. Porro Opus *Antiquitatum & Annalium Trevirenſium* libris XXV, ac duobus Tomis in folio, cui Brouwerus primam ac præcipuam manum appoſuerat, edito *Proparaſceve ac libris* XXII. demum numeris omnibus abſolutum prodiit curâ *Jacobi Maſenii* ejuſdem Societatis Theologi Juliaco-Dalenſis fol. Leodii apud Joan. Matt. Hovium 1671.

Improbant tamen eruditi non pauci, quod P. Brouwerus, ſtudio elegantioris latinitatis præoccupatus, pleraque antiquiora Diplomata præfato Operi inſerta ſic corrigere tentaverit, ut ſimul eorum integritati authoritatique non parum detraxerit.

CHRISTOPHORUS BUTKENS,

Antverpienſis, Religioſus Ciſtercienſis in Monaſterio S. Salvatoris, vulgo *Petri Potz* â fundatore ſuo nuncupati, atque è Suppriore, Novitiorum Directore ac Proviſore, Prior-Prælatus, anno 1631. benedictus. Vir erat ingenii acrimoniâ, morum honeſtate, linguæ eloquentiâ mirabilis, hiſpanici, italici, gallici, latini ac teutonici idiomatis peritiſſimus, in politicis eminens; Hiſtoriarum, præſertim Belgicarum, cæterarumque antiquitatum curioſus explorator : in Proſapiis Regum Principum, Ducum, aliorumque Nobilium inquirendis, probandis ac firmandis nulli ſecundus. Unde tum Magnates, tum etiam in utroque Jure Conſiliarii ac Judices, ad ipſum pro enodandis intricatiſſimis Stemmatum Nobilitatumque quæſtionibus recurrebant, atque ab ejus ore pendebant.

Porro dùm Prælatus Butkenius anno 1650. Hagæ Comitis apud Batavos pro recuperandis Monaſterii ſui proventibus, coram Ordinibus Fœderatis cauſam ſuam ageret; immaturo morbo, imo & morte præventus piam efflavit animam die 30. Septembris: cujus corpus Antverpiam relatum, juxta ſummum Altare Eccleſiæ ſuæ S. Salvatoris, terræ mandatum fuit : appoſito Epitaphio infra recenſendo.

De rebus Genealogicis ſcripſit ſequentia gallicè.

Annales Genealogici Familiæ de Lynden, libri XV. Antverpiæ 1626. fol. apud Joannem Cnobbaert cum fig. Pro hoc Opere vapulavit multis apud Arnoldum Buchelium alioſque Batavos, quòd quædam Diplomata corrupiſſet, imprimis ſubſtituendo *Lindinium pro Liſiduna*, ut magno alicui viro blandiretur. Ita Buchelius in Notis ad Hiſtoriam Wilhelmi Hædę pag. 42. editionis anni 1642.

Genealogia B Guilielmi, è familia Dynaſtarum Montiſpeſſulani, Monachi Ciſtercienſis in Grandi-Sylva.

Genealogiæ D. Petri Pots, *fundatoris*

Monaſterii S Salvatoris Antverpiæ, quæ extat in Deſcriptione ſeu Chorographia illius in Brabantia Ant. Sanderi, principalis Author fuit.

Trophæa quà ſacra, quà prophana Ducatûs Brabantiæ libris IX. De origine ſucceſſioneque Ducum ac Principum Brabantiæ & Familiarum illuſtrium hinc deſcendentium, Antverpiæ apud Chriſtophorum Jegher 1641. in folio. Libro X. alteroque Tomo daturus erat *Deſcriptionem Urbium, Municipiorum, Baronatuum*; item *Catalogum Eccleſiarum, Abbatiarum ac Monaſteriorum Brabantiæ*, aliaque: ſed mors Opus tunc intercepit: cujus nova editio dein prodiit gallicè anno 1724. in fol. 2. Vol. Hagę-Comitis apud Chriſtianum Van Lom. Tomo II. præter ante promiſſa addita fuit *Series Magiſtratuum IV. primariarum Urbium Brabantiæ.*

Acceſſit anno 1726. *Supplement aux Trophées tant ſacrés que profanes du Duché de Brabant de Mr. Butkens, traduit & receuilli des meilleurs Hiſtoriens, & tiré des Archives de Brabant.* Fol. 2 Vol. Hagæ Comitis apud Chriſt. Van Lom.

Siſte viator,
Lege, lauda, & luge.
Jacet in tenebroſo hoc Sarcophago
Mortuus è nobiliſſ. Familia de BUTKENS
CHRISTOPHORUS,
Qui millenas & mille millenas Familias
De Republica bene meritas,
Nec non ſanctitate inſignes,
E mortis tenebris tulit ad lucem;
Prælatus S. Salvatoris;
Non habens per Europam
In ſcientia Nobilitatis facilè ſibi parem,
In Belgio primus.
Eheu! Carne exutus,
Sed animâ ſalvus,
Sed ſcriptis immortalis;
In æternum cum S. Salvatore
Regnet in cœlis,
Qui in terris per annos XX.
Præfuit laudabiliter Monaſterio
S. Salvatoris
Obiit 30. Septembris,
Ætatis ſuæ anno LX.
Jubilæi ſæculo M. D. C. L.
Ad ſupremum Jubilum migrans.
Piis Fratris manibus
Lubens & lugens Frater poſuit.

CHRISTOPHORUS DAVENPORTUS,

Coventrienſis Anglus, circa annum 1598 nobilibus natus parentibus, Joanne Davenporto & Eliſabethâ Wolley: dein dictus communiter *Franciſcus à Sta. Clara*, ex quo Ordinem FF. Minorum Recollectorum ingreſſus eſt, nempe die 7. Octobris 1617; annoque elapſo eundem in Conventu Iprenſi profeſſus. Provinciam Anglicanam FF. Minorum, ob Fidei Catholicæ Profeſſionem exulantium, in Belgio inſtaurare tunc ceperant Rev. PP. *Joannes Jennings*, eximii quondam Martyris Edmundi Jennings germanus frater, & *Petrus Marchantius* Commiſſarius generalis. Cujus inſtituti confirmationem ut obtineret à Capitulo generali Ordinis anno 1625. in Alma Urbe Roma celebrato, illuc profectus eſt P. *Franciſcus Davenportus*, indeque Doctoris S. Theologiæ laurcam retulit.

Fuit & principalis promotor Conventûs Minorum Anglorum in Urbe & Academia Duacena; variaque ibidem officia, Lectoris S. Theologiæ, Præfidis, Guardiani, Cuſtodis Cuſtodum, Commiſſarii generalis ac Miniſtri Provincialis cum ſumma laude obivit. Inde profectus ad Miſſionem Anglicam, firmandis in Fide Catholicis revocandiſque ab hæreſi popularibus (contemptis etiam inſidiis vitæque periculis) totum ſe dedit; hæſitque ibidem per annos ferme 50. eo ſolum tempore excepto, quo ſub finem regni

gni Caroli I. Regis & Cromwellianæ tyrannidos, saluti suæ per fugam consulere coactus fuit.

Fuerat ante à sacris Reginæ Henricæ, Henrici IV. Galliæ Regis filiæ & infausti Regis Caroli I. Conjugis. Postmodum quoque uti Theologus ac Capellanus adfuit Catharinæ Lusitanicæ Regis Caroli II. uxori. Tandem in pace quievit apud Londinum pridie Kalendas Junii 1680, anno 82. Vir eximiæ pietatis, eruditionis profundę atque omnigenæ, aperti cordis, indolis nobilis ac suavis, atque imprimis zelator animarum ac salutis popularium suorum. Fidem faciunt sequentia ejus Opera, tam de Scholasticis quam Controversis quæstionibus.

Systema fidei, sive Tractatus de Concilio universali, de structura Fidei, de distinctione Fundamentalium & non fundamentalium in rebus ad fidem spectantibus; de Vindiciis sacri Tridentini; de Origine Papatûs Romani, & an Petrus & Paulus fuerint simul Papæ 4. Leodii 1648.

Dein hæc & alia ejus Opera, primùm sparsim edita, simul collecta denuò prodierunt duobus Tomis in fol. Duaci 1665.

Tomo primo continentur

I. *Systema fidei seu Tractatus de Concilio universali &c cui annectitur Opusculum de definibilitate Controversiæ Immaculatæ Conceptionis.*

II. *Tractatus de Schismate, speciatim Anglicano.*

III. *Fragmenta seu Historia minor Fratrum Minorum almæ Provinciæ Angliæ.*

IV. *Manuale Missionariorum, seu Commentatio super nobiliores quæstiones Regulæ S. Francisci ad Missionarios spectantes.*

Tomo secundo continentur

I. *Apologia Episcoporum.*

II. *Liber Dialogorum, seu summa Veteris Theologiæ Dialogismis tradita.*

III. *Problemata Scholastica & Controversialia speculativa.*

IV. *Opusculum de medio Statu Animarum.*

V. *Paralipponema Philosophica de mundo peripatetico.*

VI. *Religio Philosophi, seu peripatetica discussio celeberrimi Miraculi restauratæ tibiæ abscissæ & sepultæ, secundum principia Aristotelis examinati,*

VII. *Epistolium adversus judiciariam Astrologiam.*

De libris ejus vide etiam singularia quædam observata P. Niceron in Notitia Virorum illustrium Tomo XXIII. pag. 385.

CHRISTOPHORUS DE FRANCE,

Rainutii filius, *Hieronymi* nepos, *Adriani* frater, qui omnes olim Mechliniæ in magno Regiæ Majestatis Consilio Senatoriâ dignitate functi, dein quoque Provincialis Artesiæ Consilii Præsides extitêre; & quidem *Rainutius* atque *Adrianus* inde rursus ad magni Consilii Præsidentiam gerendam evocati.

Christophorum Mechliniæ natum autumant aliqui, patre illic ab anno 1587. usque ad 1606. Senatore; alii vero Atrebatensem dicunt. Canonicatu primùm in Ecclesia S. Petri Aërienſi donatus, patruo *Hieronymo* ibidem Præposito dignissimo cohabitavit; ast paulò pòst in Cathedralem Atrebatensem assumptus Canonicus, atque è Scholastico Decanus anno 1626. electus est. Hinc anno 1635. die 15. Julii inauguratur VIII. Audomarensium Episcopus, apud quos tandem annorum ac meritorum cumulo gravatus, vivere desiit die 10 Octobris 1656. Ipso Præsidente prodierunt

Statuta Synodi Diœcesanæ Audomarensis anno 1583 *Audomaropoli* (à Joanne Six II. Episcopo) *celebratæ, renovata, aucta & publicata die XIX. Aprilis anni* 1640. Audomaropoli apud Carolum Boscardum, eodem anno, in 4.

CHRISTOPHORUS VAN HEURNE,

Vir Nobilis, Toparcha Bemeghemius, ac J. U. Doctor, Familiarum Illuſtrium, præſertim Belgii, Genealogias, aliaſque varii argumenti antiquitates ſtudioſè conquiſivit, ac miſcuit utile dulci. Optandum propterea, ut lucubrationes hujuſmodi bono publico lucem aliquando videant, videlicet

Inſcriptiones, Epitaphia, Armaque gentilitia Illuſtrium Familiarum Belgii.

Chronicon de rebus Gandavenſium, ejuſdemque Urbis Faſti Conſulares.

De Officio Heraldi, vulgò *Roi d'Armes.*

De Duello & Torneamentis: aliaque.

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS,

Belga, Machliniæ *ſe natum*, Machliniæ *educatum*, *Germanicæ linguæ & Cæſareæ ditionis oppido*, diſertè ipſemet ſcribit, initio Defenſionis ſecundæ, quam pro ſe dixit. Et eâdem Oratione *non obſcuro ſe, ſed honeſto loco natum* ait, *& in gente ea, quâ Quinctius Nicolaus Pontifex Max. cùm de ſupplendo Pontificio Senatu agitaretur*, Richardum Longolium, *Conſtantienſem Antiſtitem, delegit, quem Patrum numero adſcriberet.*

In Batavis tamen natum aſſerit Def. Eraſmus ad Damianum à Goes, Luſitanum: *Longolium, qui* inquit *totus incubuit, ut Ciceronem exprimeret, hinc Galliæ ſibi vindicant, hinc* Machlinia *ſibi aſſerit, cùm reverà fuerit purus putus Hollandus, prognatus à patre Hollando, in celebri Hollandiæ opido, cui pulchritudo hortorum nomen* Schoonhoviæ *dedit.*

Hîc ne quis mihi protinus obſtrepat, quod dico, patruus ipſius Petrus Longolius, *vir apprimè doctus mihi narravit. Non arbitratus ſum committendum, ut hoc decoris Hollandiæ præriperetur.* Hæc ibi, Epiſtolâ anno 1535. ſcriptâ.

Alibi tamen, ut Epiſtolâ ad Jud. Gaverium an. 1524. & in Dialogo, quem Ciceronianum inſcripſit, eundem hominem vocat Brabantum, Machliniæ natum, apud Gallos educatum. Eraſmum ſecuti Damianus à Goes, in Hiſpaniæ deſcriptione, ad Petrum Nannium, & Adr. Junius in Batavia, *Longolium* Batavis annumerant, Schoonhoviâ opido oriundum: adeoque meritò talium curioſis examinandum relinquitur id, quod non-nemo ſuggeſſit, *Longolium* noſtrum nobili *Langenraeckiorum* familiæ (ea pridem pagum cognominem in Provincia Ultrajectina è regione Schoonhoviæ poſſidebat) originem ortumque debere, & alibi fortè natum, alibi educatum, adeoque ejuſdem cum *Gisberto Longolio* fuiſſe originis: quippe quem *Chriſtophori Longolii* patruum faciat Franc. Sweertius; ſed quo auctore neſcio.

Sunt denique qui origine Pariſienſem faciunt, Machliniæ quidem natum, at patre Pariſienſi *Antonio Longolio*, Leonenſium Epiſcopo, Regis Ludovici XII. Eleemoſynario, & apud Belgas id temporis Legato, perductumque inde adhuc puerum Lutetiam, ut apud ſuos in antiqua ſplendidaque *Longoliorum* familia liberaliter educaretur. Ita Scævola Sammarthanus in Elogiis clarorum Gallorum. Obiit verò Antonius Pariſiis anno milleſimo quingenteſimo, VIII. Kal. Auguſti.

Longolius igitur noſter, ut iſta mittamus, annos vix novem natus, Lutetiam miſſus eſt, litteris politioribus informandus. Creſcentibus annis, in Valentina, Galliæ Narbonenſis Academia, Jus civile didicit, ac totos ſex annos in eo ſtudio conſumpſit, uſus *Philippo Decio* præceptore. Lutetiam revocatus, magnum mox cùm agendo

CHRISTOPH. DE CASTELNAU
ET GRANCEY

tum reſpondendo nomen famamque eſt conſecutus, atque in centum-virale concilium adhuc juvenis allectus, *Guilielmum Budæum*, *Lazarum Bayfium* amicos habuit. Græcæ tum litteræ adoleſcenti in delitiis eſſe cœperunt, quas pertinaciſſimo ſtudio nondum vertente anno accuratè didicit, totoque quinquennio in Græcis Scriptoribus lectitandis verſatus fuit.

Plinii hinc Hiſtoria Naturalis, variarumque rerum cognitio placuit: illius causâ plurimas regiones peragravit, Italiam, Galliam, Helvetiam, Germaniam, Hiſpaniam & Angliam; hoc præcipuè inſtituto, ut hinc locis ſibi in Plinio obſcuris lucem aliquam mutuaretur, animalium, ſtirpium & regionum hiſtorias propriùs oculis uſurpando: docuitque admodum adoleſcens in Pictavienſi Gallorum Academia ejuſdem Plinii Hiſtoriam. Romæ, cùm vix octavum ac viceſimum attigiſſet ætatis annum, Civitatis illi Jus decretum eſt, multis id ægrè ferentibus & invidentibus.

Verùm tantum abfuit, ut perduellionis accuſatio, cujus arceſſebant *Longolium* adverſarii, nigrum nomini ejus thêta affixerit, ut etiam ad honores majores aditum aperuerit. Vix enim Italiâ exceſſerat, cùm eum retinere in Gallia certatim amici omnes conarentur: quos inter Rex ipſe præmia publicè proponebat. In Italiam reverſus, Patavii ſubſtitit, & ſtudiorum ibidem ſedem poſuit. Fuit verò *Longolius* Ciceronianæ in primis dictionis æmulus; quamvis nimiam imitationis curam, quæ naturam ſæpè bonam corrumpere ſolet, in eo improbet Joannes Ludovicus Vives, libro de conſcribendis Epiſtolis.

Cæteroquin *in rerum inventione peracutus fuiſſe videtur & copioſus, in tractandis argumentis dexter ac felix, nuſquam non præbens admirandæ cujuſdam indolis ſpecimen*, ut de eodem in Ciceroniano ſuo ſcribit Eraſmus: inter nobiles futurus, ſi licuiſſet vivere. Ingenio quippe fuit acri ac vehementi, memoriâ conſtante & firmâ, atque incredibili induſtriâ, in primis etiam juventæ annis; quos vix egreſſus flos ille Belgarum extinctus eſt. Scripſit

Orationem de Laudibus C. Plinii.

Commentarium in libros XI. Plinii Pariſ. fol.

Hiſtoriam Herbarum.

Orationem de Ludovici Francorum Regis & Gentis Laudibus.

Orationem ad Lutheranos jam damnatos. Colon. apud Gymnicum 1529. 8.

Comparationem Juris Civilis cum re Militari.

Commentarios quoſdam *ad Jus Civile*, dum illud Patavii interpretaretur.

Elegias, *& Epigrammata* varia.

Denique *Epiſtolarum* libros IV. in quibus Tullianæ Suadæ & Eloquentiæ ad unguem expreſſa imago. Baſil. 1540. & 1570. apud Epiſcopium, Lugd. apud Gryphium, 1563. 16. Coloniæ, & alibi.

Reliqua, quæ ſcripſerat, abolenda ipſe cenſuit; idque ut fieret, amicis moriens ſeriò commendavit. Moritur verò Patavii, anno 1522. ætatis XXXIII. apud Franciſcanos, Ordinis illius habitu, conditus. Tumulum & inſcriptionem ſepulcralem *Petrus Bembus*, dein S. R. E. Card. amico & hoſpiti poſuit.

Vitam ſcripſit *Reginaldus Polus* Cardinalis Britannus, ut in ejuſdem Cardinalis Vita *Andreas Duditkius* teſtatur (in cujus etiam contubernio vixerat) quæ ἀδέσποτος cum Epiſtolis hodieque circumfertur.

CHRISTOPHORO LONGOLIO, Belgæ
Romanam Civitatem
Propter eximiam in ſtudiis Litterarum
Præſtantiam adepto,
Summo ingenio, incredibili induſtriâ,
Omnibus bonis artibus prædito,

Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, Ordinis Praedicatorum. Opera omnia. Romae, Typographia Polyglotta, 1882–1948. 25 vols. 4°.

Thomas Aquinas, Doctor Angelicus, Ordinis Praedicatorum. Opera omnia. Romae, Typographia Polyglotta, 1882–1948. 25 vols. 4°.

Digitized by Google

pographæum ſtructurâ ſuâ magnificâ omnia fere reliqua ſuperabat ædificia, maximumque habebatur Antverpiæ ornamentum: tot abundabat opificibus, ut ſupra centenos aureos in ſingulos dies expenderet. Hinc factum eſt, ut eruditorum plerorumque laudem mereretur & amicitiam, atque imprimis Juſti Lipſii, cujus plures extant ad Plantinum Epiſtolæ, ejuſque præ ceteris elegit prælum, cui ſuas lucubrationes committeret.

Cœperat anno 1555. munere typographico Plantinus inclareſcere; anno 1571. *Proto-Typographi Regii* titulo exornatus eſt; ac demum, poſtquam vixiſſet annos 75. deceſſit Antverpiæ anno 1589. Kalendis Julii, à latere dextro chori Cathedralis B. M. V. Eccleſiæ honorificè ſepultus, & hoc Epitaphio donatus.

D. O. M. Sacr.
CHRISTOPHORO PLANTINO,
Turonenſi, Civi & incolæ Antverpiano,
Architypographo Regio,
Pietate, prudentiâ,
Acrimoniâ ingenii Magno,
Conſtantiâ ac labore Maximo;
Cujus induſtriâ atque operâ
Infinita opera, vetera, nova,
Magno & hujus & futuri ſæculi bono
In lucem prodierunt.
JOANNA RIVIERA, Conjux,
Et liberi hæredeſque
Illa optimo viro, hi Parenti,
Mœſti poſuerunt.
Tu qui tranſis, & hæc legis,
Bonis manibus bene apprecare.
Vix. ann. LXXV. Deſiit hîc vivere
Kal. Quintil. anno Chriſti
CIↃ. IↃ. XXCIX.

Chriſtophorus ſitus hîc Plantinus, Regis Iberi
Typographus; ſed Rex Typographûm ipſe fuit.

CHRISTOPHORUS VLADERACCUS,

Geffenſis, qui Brabantiæ pagus eſt altero à Silva-Ducis lapide, gentis Vladeraccæ dominium, cujus loci Dominum habuit parentem, ex illegitimo tamen toro, unde Ducis-Silvius audire maluit; ex Scholarchâ Amersfortiano Præfectus Scholæ patriæ annis decem, Eloquentiam ibidem annos XL. Ciceronem aſſiduè prælegendo, ſimulque Linguas Græcam atque Hebraïcam, publicè docuit. Scripſit

Epitomen Dialectices Hunnæi. Silvæ-Ducis, apud Schefferum, 8.

Leges Scholæ Ducis-Silviæ. Ibid. apud Turnhautum, 1593. 8.

Enchiridion ſelectarum Precum. Ibid. in 16. 1583.

Polyonyma Ciceroniana. Antverpiæ typis Plantin. 1597. 8.

Selectiſſimas Latini ſermonis Phraſes, ex uno ſoloque Cicerone, belgicè redditas. Ibid. 1586. 8.

Formulas Ciceronianas, Epiſtolis conſcribendis utiles. Ibid.

Marci Accii Plauti Florum libros IV. cum *Scholiis* Ibid. 1597. 12.

Apotheoſin, ſive *Carmen Funebre in Georgii Macropedii obitum*, cui in profeſſione ſucceſſit. Ibid. 1565. 8. apud Guil. Silvium.

Moritur Sylvæ-Ducis anno 1601. Idibus Juliis, in Eccleſia Cathedrali conditus, cum hoc Epitaphio.

Dum docui, vixi: lites cane pejus & angue
Exoſus, pacem da mihi, Chriſte, tuam.
M. CHRISTOPHORUS VLADERACCUS,
Profeſſor Trilinguis x. ann.
Rector Scholæ,
Et XL. annos Lector primarius,
Qui obiit anno CIↃ. IↃ. CI.
Idibus Julii.
Huic viator bene precare.

Vitam Joannis Ruſbroquii Prioris Viridis Vallis apud Bruxellam. Ibid. 1623.

Solem Ciſtercienſem in Belgio, item *Arborem Martyrum Ord. Ciſterc.* in magno filio patente. Ibidem 1622.

Quinque prudentes Virgines, ſeu Vitas B. Beatricis de Nazareth, B. Aleydis de Scharenbeca, B. Idæ de Nivella, B Idæ de Lovanio, B. Idæ de Leeuwis. 8. Antverp. 1630.

Phœnicem reviviſcentem; hoc eſt, *de antiquis Angliæ & modernis Hiſpaniæ Scriptoribus Ord. Ciſt.* Bruxellis apud Joannem Meerkeeck, in 4.

Lilia Ciſtercii libros VI. in tribus Tomis, in quibus vitæ SS. Ord. Ciſt. Huic Operi cum immortuus eſſet Author; typographus, qui ſub prelo jam habebat, deſtitit. Cumque poſtea Balthazar Bellerus Duaci anno 1633. editionem reſumpſiſſet, editis prioribus duobus libris in uno Volimine, ultra progreſſus non eſt: adeo ut poſteriores quatuor veriſimiliter perierint.

Plura alia ſcripſit, quorum elenchum vide in Bibliotheca Hiſpanica Nicolai Antonii Tom. I. pag. 194. & in Bibliotheca Scriptorum Ciſterc. Caroli de Viſch, pag. 65.

CHRYSOSTOMUS SANCTIUS,

Neapolitanus, ſcripſit ad Comitem Nugarolum,

Epiſtolam De ſitu & moribus Hollandiæ. Lovanii apud Theod. Martinum, edente *Martino Dorpio.* Coloniæ cum Hiſtoria Batavica *Gerardi Geldenhaurii*, 1541. 4. & alibi cum aliis Bataviæ Illuſtratæ Scriptoribus. Fuit homo exterus, Italus natione, ſed huc referendus, cum nihil ejus exſtet præterquam de Hollandia à ſe luſtrata.

CLAUDIUS BRICOURT,

Cameracenſis, Canonicus Cathedralis Atrebatenſis, *Catechiſmi Romani Epitomen* verſibus Latinis expreſſit. In Academia Duacena creatus fuit J. U. Doctor die 23 Octobris 1590, ibidem etiam Juris Cæſarei Profeſſor Extraordinarius.

CLAUDIUS DE CARNIN,

Duacenſis, Theologus & J. C. ibidem ad D. Petrum Canonicus & Paſtor, eruditione, cùm ſacrâ tum profanâ, clarus; edidit librum, cui titulus:

Malleus ſive Oppugnatio turris Babel, id eſt Defenſio utriuſque Politiæ. Duaci, 1624. 8.

Item *De vi & poteſtate Legum humanarum.* Ibid. 1608. in 4.

CLAUDIUS CHIFFLETIUS,

Burgundio, J. U. D. ac Profeſſor in Academia Dolana, præclarâ Chiffletiorum familiâ oriundus, quæ quot ferme Viros protulit, totidem conſecravit Reipublicæ litterariæ ornamenta. Scripſit ipſe, magnâ vitæ ſuæ parte moratus in Belgio,

De Numiſmate antiquo; qui liber poſthumus prodiit Lovanii in 8. 1628, una cum *Ericii Puteani* Tabulis Rei Nummariæ. Idem ſubjunctus eſt *Diſſertationi de Ottbonibus æreis Henrici Thomæ Chiffletii*, 4. Antv. 1656.

De Vita & libris Monobiblion Ammiani Marcellini, 8. Lov. 1627. Rurſum prodiit Pariſiis anno 1681. cum ejuſdem Amm. Marcellini operibus in fol. curante Adriano Valeſio.

Status Reipublicæ Romanæ ſub Conſtantino Magno & filiis: extat cum præcedente.

Obiit *Claudius Chiffletius*, annos 1580. (teſte P. Niceron Tomo XXV.) annos natus 40.

CLAUDIUS DAUSQUIUS,

Audomaropolitanus, ſeu, ut ipſe ſcribere amat, Sanct-Omarius, natus

anno 1566. Nonis Decembris, primùm per annos aliquot Societati Jesu adscriptus fuit. Dein anno 1610. Duaci S. Th. Licenciatus, Canonicus in D. Virginis apud Nervios, Ecclesiastes insignis, rarâ græcæ linguæ, omnisque antiquitatis cognitione præditus; unus hausit quidquid in Annalibus fidele, quidquid eruditum apud Grammaticos, quicquid in Poëtis varium; justus hæres veterum litterarum. Quantum rerum, quantum sententiarum; quantum antiquitatis in uno pectore? Ita de *Dausquio*, ejusdem tunc Instituti Sodale, Clarus Bonarscius, sive Carolus Scribanius, Amphitheatri Honoris lib. II. cap. XIII.

In plerisque tamen, verbis usus novè cusis atque insolentioribus, & & sermone pridem desito, duriusculum se facit. Bibliothecam habuit exquisitam, quam Capitulo suo legavit, atque imprimis MS. varia Ejus exstant

Basilii Seleucienſis Episcopi Homiliæ XLV. versæ è Græco, Notisque pereruditis illustratæ, typis Commelinianis, 1604. 8. Extant inter Opera S. Gregorii Thaumaturgi.

Notæ uberes *in Q. Calabri* Παραλειπόμενα, & *Cointhi Smirnæi* Ἰλίου ἅλωσιν, Francof. apud Aubrios, 1614. 8. Est hæc continuatio Librorum Iliadis Homeri; quam cum olim Cardinalis Bessarion in quodam Calabriæ Monasterio invenisset, hinc Authori nomen *Quinti Calabri* adhæsit. Prodierunt iterum hæ Notæ *Claudii Dausquii* anno 1734. Lugd. Batav.

Commentaria in Silium Italicum de bello Punico. Libr. XVII. Paris. 1618. 4.

Scutum duplex, alterum *B. Virg. Aspri-Collensis*; alterum *Justi Lipsii*, adversus Agricolam Thiacum, Scotum. Duaci, 1610. typis J. Bogardi.

S. Pauli Sanctitudo in utero, extra, in solo, in cœlo, libros III. Paris. 1627. in 8.

S. Josephi Sanctificatio extra uterum, seu *Binoctium*, adversus *F. Petrum Marchantium* Minoritam. Lugduni, 1631. 8.

Spongia libelli Audomarensium Minoritarum.

Ascia Conciliabuli Dordraceni. Atrebati 1629. 8.

Antiqui novique Sermonis Latii Orthographia, Tomis II. digesta: in quibus &

Notæ ad Valerii Probi Notas. Tornaci 1632. fol. apud Adr. Quinque. Item fol. Parisiis 1677.

Terra & aqua, seu Terræ fluctuantes juxta Audomaropolim. Ibid. 1633. 4. Item Paris. 1677.

Oratio de D Thomæ Aquinatis Turre, sive castitatis cingulo. Duaci 1635. 4.

Reliquit MSS. *Quæstionum Theologicarum* libros V.

De Arte Poscinummia libros II.

Reliquiæ Linguæ Græcæ ex sacris Auctoribus.

Reliquiæ Linguæ Latinæ ex priscis.

CLAUDIUS DESPRETZ,

Atrebas, Dominus de Queant, & in suprema Artesiæ Curia Advocatus, scripsit, teste Ferreolo Locrio in Catalogo Scriptorum Artesiæ,

Comment. & Quæstiones in libros Metaphysicorum & Etices Aristoteiis.

Speculum Vitæ humanæ libris XX.

Notas in Lactantium Firmianum de Divinis Institutionibus.

Analecta ad Summam Juris Canonici Henrici de Segusia Card. Hostiensis.

CLAUDIUS DORESMIEUX,

Atrebas, concinnavit librum cui titulus

Bibliographus Belgicus, seu librorum Index, qui in Regiis, maximè Catholicis Belgii Provinciis, anno 1640. novi, vel emen-



emendatiores vel auctiores prodierunt, in 4. Claſſis I. Inſulis apud Toſſ. le Clerc 1641. Claſſis II. & III. Bruxellis in 4. apud Joann. Mommart.

CLAUDIUS SALMASIUS,

Vernaculè SAUMAISE, magnum olim Academiæ Lugduno-Batavæ decus ac ornamentum, poteſt eâ ratione Eruditioribus Belgis, tametſi natione Gallus, accenſeri.

Divionenſem quidem ſe ſcripſit: ſed in ſuburbano avi ſui, quod prope Semurium viſitur in Alexio Balivatu, in Burgundia natus eſt anno 1596, è familiâ jam à ſæculis illuſtri: patre Benigno, loci de Saumaiſe-le-Duc Toparchâ, in ſupremo Burgundionum Senatu Conſiliario, viro probè Catholico: matre Eliſabethâ Virotte Guilielmi in eâdem Curia Senatoris filiâ, Calvinianis erroribus imbutâ. Hæc filio ſuo ab annis teneris idem virus inſtillavit, inſcio tamen patre ac reluctante: qui tandem octuagenarius anno 1640, Fideique avitæ ſemper tenax obiit, filio in ſua hæreſi perſiſtente.

Salmaſium adhuc juvenem Joſephus Scaliger & Iſaacus Caſaubonus admirati; imo profeſſi ſunt, ſe à litterarum ejus lectione ſemper doctiores diſcedere. Cum vix XIV. annorum eſſet, Nilum & Barlaamum Schiſmaticos de Primatu Papæ recenſuit. Decimo quinto anno Florum edidit, unà cum Notis, & Joanni Grutero dedicavit. Hæc ſcripta pòſt alia ſecuta ſunt, quæ omnia enumerare difficile foret.

In Academia Pariſienſi græcis latiniſque litteris ad ſtuporem eruditus, ad Heidelbergenſem in Palatinatu conceſſit, ubi & Jura didicit, quæ Dionyſius Gothofredus & Janus Grutерus, viri celebres hîc profitebantur, & eorum favore Bibliothecam illic exquiſitiſſimam perluſtravit. Inde reverſus in Galliam, doctiſſimorum virorum amicitiam ſibi conciliavit: ſed & contra Sirmondum & Petavium S. J. Theologos, longè ipſo doctiores, bellum litterale geſſit.

A Venetis multis aureorum millibus promiſſis invitatus eſt, ut ter tantum in anno in Academia Paduana publicè prælegeret: quod modeſtè recuſavit, uti & oblatam in Oxonienſi apud Anglos Academia Profeſſionem. A Curatoribus Univerſitatis Lugduno-Batavæ anno 1631. dignus æſtimatus eſt, ut *Joſephi Scaligeri* locum, licet longo poſt intervallo, impleret. Hîc itaque ſedem laremque fixit, unà cum conjuge Anna Mercier, filia Joſiæ Merceri de Bordes, Gryniaci apud Gallos Toparchæ: atque in actibus publicis locus ante omnes Profeſſores, immediatè poſt ipſum Magiſtratum Urbis, decretus ei fuit. Quin & aulam Auriaci Principis, quæ in civitate Leydenſi ampla eſt & auguſta, ſingulari liberalitate, quoad viveret, anno 1643. illi & familiæ ejus inhabitandam conceſſit idem Senatus: non tamen abſque multorum invidiâ.

Holmiam à Chriſtina Suecorum Regina invitatus, honorificèque receptus eſt: quæ & duorum filiorum Salmaſii, defuncto patre, ſpecialem curam habere voluit. In Galliam à Ludovico XIII. Rege & à Cardinale Richelio revocatus, anno 1641, induc. tamen haud potuit, ut ſuum apud Batavos domicilium derelinqueret, quantumvis ei Diplomate Regio promiſſum fuiſſet annuum ſex mille florenorum honorarium: contentus hoc publico affectûs Regii teſtimonio, quo eum, licet abſentem, Equeſtri Ordine donavit, & in ſanctioris ſui Conſilii ordinem cooptavit.

Magnifica ſane variorum Acatholicorum judicia de Salmaſio proferuntur: apud quos reputatur in omni

Tractatus de Uſuris. ibid. 1638. Has licitas eſſe, nullamque in mutuo fieri alienationem, contra communem Theologorum ſententiam, exiſtimabat Salmaſius.

Annotationes ad pervigilium Veneris. Lugd. Bat.

De modo Uſurarum. Lugd. Bat. apud Elzevir. 1639.

Diſſertatio de fœnore Trapezitico. Lugd. apud le Maire 1640.

Diatriba de Mutui Alienatione, ſub ficto nomine Alexii à Meſſalia, contra Coprianum. Ibid. 1640.

Commentarius in Epictetum & Simplicium. Ibid. eodem anno.

Tabula Cebetis, cum Prolegomenis. Ibid.

Notæ ad Achillem Tatium. Ibid.

Interpretatio Hyppocratæi Aphoriſmi LXXIX. Sect. IV. de Calculo, cum Epiſtolis 2 contra Beverovicium. Lugd. Bat. 1640. in 8.

Reſponſio ad Epiſtolam Joannis Cloppenburgii Theologi. Eodem anno.

Brevis confutatio Notarum in Diſſertationem de Trapezitis, larvati ejuſdam Theologi. Lugd. per Jo. Maire 1640. 8.

Diſſertatio (ſub nomine Wallonis Meſſalini) *de Epiſcopis & Presbyteris*, contra Dionyſium Petavium S. J. Theol. Ibid 1641. in 8.

Commentarius de Lingua Helleniſtica, & origine ac Dialectis Græcæ Linguæ. Ibid. apud Elzevir. 1643. in 8.

Funus Linguæ Helleniſticæ, & ejuſdem Oſſilegium Ibid. apud Maire 1643. 8.

Epiſtola ad Menagium, de Herode Infanticida. Pariſiis 1644.

Dialogus de Cæſarie Virorum, & mulierum Coma, 1644.

Arnobii Textus emendatus. Lugd. Bat. 1645.

Miſcellæ Defenſiones de variis Obſervationibus & emendationibus ad Jus Aiticum & Romanum. Lugd. Bat. 1645. in 8.

Confutatio Diſputationis Joannis Wiſſembachii de Mutuo. Ibid. anno eodem.

Elenchus Echteſeos de Mutuo, & Juriſprudentiæ methodicæ partitionibus elementariis Joannis Otthonis Thabor. Lugd. Bat. apud Maire 1645.

Item contra Caroli Fabrotti Epiſtolam de Mutuo. Ibid.

Epiſtola ad J. Pacium (ſub nomine Simplicii Verini) *de libro poſthumo Hugonis Grotii.* Ibid 1646.

De Tranſſubſtantiatione (ſub nomine Simplicii Verini) *contra Grotium.* Hagiopoli per Theodorum Eudoxium 1646.

Epiſtolæ ad Th. Bartholinum de Crucæ. 1646.

Tractatus de ſubſcribendis Teſtamentis, & Annulis Antiquorum : ſive *Specimen Confutationis Animadverſionum Des. Heraldi.* Lugd. Bat. apud Elzevir. 1648.

De annis climactericis, & antiqua Aſtrologia, Diatribæ. Ibid. eodem anno.

Defenſio Regia pro Carolo I. ad Carolum II. Angliæ Reges : ſepties & amplius recuſa. 4. Pariſiis 1650.

De Re militari Romanorum. Lugd. apud Elzevir 1657. in 4. Extat etiam in Theſauro Grævii Tomo X.

De Calceo. Extat cum Nigronio de caliga veterum, pag. 151.

Epiſtolarum Salmaſii CXXV. liber unus; cui accedunt de laudibus & vita ejuſdem Prolegomena; accurante Antonio Clementio, Ziriczeo: qui & ibidem pag. LXXII. recenſet Catalogum librorum MSS. quos Salmaſius magno numero ad editionem paraverat, & plures dein aliis libris inſerti fuêre, alii vero extant in Bibliotheca Academiæ Lugduno-Batavæ.

CLAUDIUS MAILLARD,

Societatis Jeſu Sacerdos; obiit 1655. Lipſium imitatus, edidit gallicè

Hiſtoriam B. M. V. Hallenſis. 8. Bruxellis 1631. Item Pariſiis 1651.

CLAUDIUS DU VIVIER,

Ordinis FF. Minimorum, Pontisarensis Gallus, diuturnâ in Belgio commoratione nostratibus accensendus, apud quos Provinciam S. Francisci de Paula fundavit, eique tertiùm utiliter præfuit, prout & ante Provinciam Parisiensem secundò rexerat. In SS. Scripturis eruditus, Alberti & Isabellæ Principum Belgii Ecclesiastes plane incomparabilis, XXXIII. annorum cursu singulis diebus per Adventûs & Quadragesimę tempora, tum in Gallia, tum in Belgio emensо, in Leodiensi Conventu, die 7. Augusti 1630. obdormivit in Domino, ætatis anno 62. professionis 45, relictâ sanctitatis opinione; ob quam etiam inter viros illustres annumeratur in Saussaii Martyrologio Gallicano.

Gallicè edidit in 8. stylo eleganti, *Vitam & Miracula S. Francisci de Paula, Ordinis FF. Minimorum Institutoris*, Duaci apud Bellerum 1622.

CLEMENS PRUS,

Duacenus, Ordinis FF. Minimorum S. Francisci de Paula, Concionator & Confessarius, publicavit gallicè *Theatrum tragicum, in quo Christus Dominus exhibetur ut Sponsus Sanguinum, moriens pro salute hominum.* 4. *Duaci.* 1651.

COELESTINUS A S. LUDUINA,

Aliàs Petrus Golius, Batavo-Lugdunensis, celebris viri *Jacobi Golii* (de quo infra) germanus frater, Carmelita Discalceatus, Vir verè Apostolicus, sacrarum linguarum imprimis peritus, Missionarii munus Aleppi in Syria, aliisque Terræ Sanctæ locis, nec non in Indiis Orientalibus cum laude exercuit. Conventum Ordini suo in Monte Libano erexit, ac in eo Venerabilem Dei Servum *Franciscum de Chateuil*, Gallum, excepit; in notoriâ illic sanctitatis opinione defunctum anno 1644. ipso S. Pentecostes die. Orationem ejus funebrem P. Cœlestinus arabicè declamavit.

Unus fuit ex iis, quos *Sergius Risius*, Archiepiscopus Damascenus, Maronita, potissimum consuluit pro editione Bibliorum Arabicorum, Romæ anno 1671. jussu & typis S. Congregationis de Propaganda Fide editorum.

Ad Missiones Orientales FF. Carmelitarum missus à Præposito Generali, Suratæ vivere desiit, virtutibus ac zelo salutis animarum clarus.

Ex latino in arabicum idioma transtulit pium *Thomæ à Kempis de Imitatione* Christi librum, qui eo idiomate fuit editus Romæ, typis de Propaganda Fide.

Vertit etiam arabicè *Vitam S. M. Thereſiæ.*

Ex arabico latinum fecit volumen continens *plurimas Parabolas ac Sententias authorum Arabicorum.*

Pratum Solitarii & consolationem Anachoritæ, opus de virtutibus, à 500 retro annis à Monacho quodam Ægyptio scriptum.

Volumen Alchorani.

De præcipuis controversiis inter Catholicos & hæreticos Orientis.

Sermones aliquot in Euangelia.

Sermonem Historicum S. Gregorii Decapolitæ.

Pios aliquot alios Libellos.

Initia Missionis PP. Carmelitarum in Monte Libano, Italicè. Ita habet R. P. Martialis à S. Joanne in Bibliotheca Scriptorum Ordinis sui, editâ Burdigalæ anno 1730.

CONRADUS,

Gente Suevus, Episcopus Ultrajectensis XXII. anno 1075. electus,

plura bona Eccleſiæ ſuæ donavit, novamque Eccleſiam in D. Virginis honorem Trajecti condidit, unà cum Collegio XXX. Canonicorum, dotavitque ſumptibus Henrici IV. Imp. cujus partes tutatus eſt, ideoque Schiſmaticus audiit. Anno 1099. die 14. Aprilis, inſidiis cujuſdam Friſii interemptus fuit. Sepultus in Eccleſia, quam ipſe fundaverat.

Plura vide in Batavia ſacra Heuſſenii, pag. 134. atque imprimis teſtimonium D. *Lamberti Vander Burch* hujus Eccleſiæ Decani piiſſimi, qui oſſa Conradi Præſulis, impiorum hominum manibus diſperſa, anno 1592. recollegit, & loco honorifico repoſuit.

Putatur hic Præſul à quibuſdam Author *Apologiæ de Unitate Eccleſiæ conſervanda, & ſchiſmate inter Henricum* IV. *Imperat. ac Gregorium* VII. *Pont. Max.* Quidam verò *Venerico* Vercellenſi Epiſcopo, alii *Walramo* Naumbergenſi adſcribunt. Eruit eam è Bibliotheca Fuldenſi Marquardus Freherus; legiturque Tomo I. Rerum Germanicarum.

Lectus quoque fuit Ultrajecti *Ordo Conradi Epiſcopi Trajectenſis, Fundatoris Eccleſiæ* B. MARIÆ &c.

CONRADUS GOCLENIUS,

Mengerichuſanus, Weſtphalus, Canonicus B. M. V. Antverpienſis, Lovanii perpetuò vixit, & vivere deſiit. Primus in Collegio Trilingui, ab *Hieronymo Buſlidio*, Mechlinienſis Eccleſiæ Canonico, noviter erecto, ab anno 1520. Linguæ Latinæ docendæ Provinciam ſuſtinuit; ut meritò & in hoc Scriptorum Belgicorum cenſu locum habeat. Familiariſſimè *Goclenio* uſus fuit *Deſid. Eraſmus*, qui à judicio, doctrinâ, induſtriâ, morumque comitate amicum ſuum non uno loco deprædicavit. Leguntur *Goclenii*

Notæ perbreves *in Officia Ciceronis*, ut titulus loquitur, Baſil. 4.

Lucani Poetæ Opera ab eo recenſita. Ibid. 4.

Elenchus Lucubrationum Deſid Eraſmi verſu elegiaco.

Denique *Luciani Hermotimus*, ſeu *de Sectis Philoſophorum* Dialogus, è Græco Latinè verſus, ac Thomæ Moro inſcriptus. Lovanii, typis Theodorici Martini, 1522. 4.

Obiit anno 1539. die 25. Januarii, ſepultus in Ædc D. Petro ſacra, ſub hoc Epitaphio.

CONRADO GOCLENIO,
Mengerichuſano,
Liberalium Artium,
Trilinguiſque Collegii Latino
Profeſſori facundiſſ.
Ac Conſervatori optimo,
Nec non Canonico Antverpienſi,
Amici poſſ.
Obiit ipſo die Converſionis S. Pauli
Sub horam primam pomeridianam
Anno à Chriſto nato CIↃ. IↃ. XXXIX.
VIII. Kal. Febr.

Conradus jacet hic Goclenius, alter
Eraſmus
Ingenio, linguâ, moribus atque fide.
Hunc lugete virum græcæ charites que latinæ,
Et decus amiſſum Buſlidiana Domus.
Ille Scholarum auxit pomeria lata Lovani,
Traxit eo omnigenûm millia multa virûm.
Immatura quidem rapuit te Parca diſertum,
Vix dum condideras integra luſtra decem.
Præmia ſed voluit Chriſtus tibi digna labore,
Et feſtinatas reddere delitias.

CONRADUS VECCRIUS,

Aliàs VEGERIUS (nam & hoc modo nomen ejus expreſſum extat) Luxemburgenſis, Carolo V. Imp. à Secretis, vir non minûs gnarus politè, bellè, graphicè excepta notare, quàm ex tempore concepta benè, ornatè, copiosè dicere, ſcripſit

Publication Info: Reviewed by Ralph Hancock, Brigham Young University, Provo, Utah.

Hancock, Ralph. *Fulfilling the American Promise: Standing at the Crossroads*. Provo, Utah: Brigham Young University Press, 2000. 256 pp. $19.95.

Ralph Hancock's *Fulfilling the American Promise* is a timely and important book. It is timely because it addresses the crisis of confidence that has overtaken the United States in the last few years, a crisis that has been exacerbated by the recent presidential election. It is important because it addresses the crisis in a way that is unusually thoughtful and penetrating. Hancock's book is not a political tract, but a work of political philosophy. It is not a book that will be read by many people, but it is a book that will be read by those who are interested in the deepest questions about the nature of the American regime.

Hancock's thesis is that the crisis of confidence that has overtaken the United States is not a crisis of economics or of foreign policy, but a crisis of the soul. The American people have lost their sense of purpose, their sense of what it means to be an American. They have become cynical about their institutions, their leaders, and their fellow citizens. They have become preoccupied with their own private concerns, and have lost their sense of public spirit. They have become, in short, a people without a soul.

Hancock's diagnosis of the crisis is that it is the result of the triumph of a certain kind of liberalism, a liberalism that has become dominant in the United States in the last few decades. This liberalism is not the liberalism of the Founding Fathers, but a liberalism that has been corrupted by the influence of modern social science. It is a liberalism that has become obsessed with the idea of progress, and has lost its sense of the limits of human knowledge and human power. It is a liberalism that has become hostile to the idea of virtue, and has replaced it with the idea of tolerance. It is a liberalism that has become hostile to the idea of community, and has replaced it with the idea of individual rights.

Hancock's prescription for the crisis is that the American people must recover their sense of purpose, their sense of what it means to be an American. They must recover their sense of public spirit, their sense of the importance of virtue and community. They must recover their sense of the limits of human knowledge and human power. They must recover their sense of the importance of tradition and of the past. They must, in short, recover their soul.

Hancock's book is a powerful and eloquent plea for the recovery of the American soul. It is a book that will be read by many people, but it is a book that will be read by those who are interested in the deepest questions about the nature of the American regime.

Ejuſdem in fingendis exprimendiſque per ectypas imagines vultibus ſtudium atque elegantiam celebrat elegans Poëta Caſpar Barlæus, cujus extat in effigiem *Caroli V Cæſ ab Hugenio* metallo donatam Epigramma. Filium reliquit *Chriſtianum Hugenium*, Philoſophum ſuo ævo clariſſimum, de quo plura inferius, Parte II.

CORNELIA ADRICHOMIA,

Arnoldi Filia, Batava, Monialis velata Ord. D. Auguſtini Beverowici in Diœceſi Haulem., Nobilitate & ſacræ Poëſios ſtudiis longè clariſſima, *Pſalmos Davidicos* carmine reddidit, aliaque pia ſcripſit poëmata; cujus eruditum ingenium admirati ſunt *Jacobus Faber* Stapulenſis, & *Cornelius Muſius*, Sacerdos Delphenſis & Martyr.

Hoc ſibi ipſa ſcripſit Epitaphium, teſte Swertio in Athenis Belg.

Corpus humo, ſuperis animam CORNELIA *condo*,
Pulverulenta caro vermibus eſca datur.
Non lacrimas, non ſingultus triſteſve querelas,
Sed Chriſto oblatas jam precor umbra preces.

CORNELIUS ADRIANI,

Vulgari ſub nomine *Fratris Cornelii* notiſſimus, Dordracenus, Ordinis FF. Minorum Theologus & Eccleſiaſtes, vir ſingularis cùm eruditionis tum eloquentiæ, trium ſacrarum Linguarum callentiſſimus, quas & Brugis Flandrorum publicè docuit. Populum Brugenſem annis continuis XXX. divini verbi ſuaviſſimo pavit alimento, interque frementium Hæreticorum calumnias, libellorumque ludibria, ſemper conſtans & invictus, verus Brugenſium Apoſtolus, Religioſis omnibus cautâ Fidei proſcriptis, plenus dierum & meritorum obiit anno 1581. pridie Idus Julii, annos natus LX.

Scripta ejus à morte impudicis ſalibus, dicteriis, ac meris ſycophantiis inſperia, maligna hæreſis vitiavit, & in ludibrium viri optimi & innocentiſſimi edidit, teſte Sandero. Ipſa Em. Meterani in Hiſtoria Belg. ad annum 1578. conglomerata in P. Cornelium dicteria mendaciaque, abundè teſtantur implacabile Novatorum odium.

Lectæ pridem fuerunt *Conciones* ejus doctiſſimæ, & *Tractatus de VII. Sacramentis*. Priores ab annis paucis vernaculè editæ fuêre in Hollandia: ſed nullatenus genuinæ.

In Templo FF. Recollectorum Brugenſium poſitum ei fuit hoc Epitaphium.

D. O. M.

„ Rev. Patri Fr. Cornelio Adriani
„ Dordraceno, hujus aliquando Cœ-
„ nobii ante Provinciæ vaſtitatem to-
„ to Belgio ſplendidiſſimi ampliſſimi-
„ que Gardiano vigilantiſſimo, & Sa-
„ cræ Theologiæ Interpreti facundiſ-
„ ſimo, Viro incomparabilis tum eru-
„ ditionis, tum eloquentiæ, trium-
„ que Linguarum, quæ ſacræ ſunt,
„ & dicuntur, callentiſſimo.

„ Qui annis continuis triginta po-
„ pulum Brugenſem incredibili cum
„ gratia, fructu, atque utilitate, di-
„ vini verbi ſuaviſſimo pavit alimonio,
„ ſementem vere ſpargens Evangeli-
„ cam; tantâque contentione zizania è malignorum ſpirituum fibris
„ evellens, ut verus Brugenſium Apo-
„ ſtolus, ſplendor, decus, & orna-
„ mentum Chriſtianæ Reipublicæ, Ca-
„ tholicæ, Orthodoxæ, Romanæ
„ fidei propugnator acerrimus, nec
„ ſecus quam alter Athanaſius validiſ-
„ ſimus hæreticorum malleus dici po-
„ tuerit. Quique inter varias hujus
„ exulceratiſſimi ſeculi calamitates,
„ inter innumeras hæreticorum calum-
„ nias, inter obſtrigillantium ſyco-

Subscribers who change their address will please notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, at least one week before the date of publication, and give both the old and the new address.

Subscribers who do not receive their copies promptly will please notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, at once.

Subscribers who desire to discontinue their subscriptions at the end of the term for which they have paid will please notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, to that effect.

Subscribers who do not notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, to discontinue their subscriptions at the end of the term for which they have paid will be considered as wishing to continue their subscriptions, and the publishers will continue to send the publications until they are notified to discontinue them and all arrearages are paid.

Subscribers who do not receive their copies promptly will please notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, at once.

Subscribers who desire to discontinue their subscriptions at the end of the term for which they have paid will please notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, to that effect.

Subscribers who do not notify the Publication Office, 5 Beekman Street, New York, to discontinue their subscriptions at the end of the term for which they have paid will be considered as wishing to continue their subscriptions, and the publishers will continue to send the publications until they are notified to discontinue them and all arrearages are paid.

Capitulo Generali. Legitur apud Regulares Tungrenſes.

CORNELIUS AURELIUS,

Gaudanus (hanc enim patriam cognomine ſuo adumbravit) cognomento LOPSEN (ut patet ex epiſtola ejuſdem ad Joannem Berium Gymnaſiarcham Roterodamenſem, præfixâ Farragini ſordidorum Verborum Cornelii Croci) Canonicus Regularis S. Auguſtini in Hemſdonc, territorii Dordracenſis, ejuſdem cùm Deſiderio Eraſmo inſtituti, atque adeò præceptor & inſtitutor fuit: Hiſtoriæ ac Poëtices gloriâ ita celebris, ut nihil tale ambienti Maximilianus Imp. per Oratorem ſuum Stephanum de Cracovia laurum Apollineam miſerit, uti ipſe Epiſtolâ ad Joannem Hemſtedium ſcriptum reliquit. Scripſit verò

Defenſionem Gloriæ Batavinæ, uti & *Elucidarium variarum Quæſtionum ſuper Batavina regione & differentia.*

Diadema Imperatorium, ſive De officio boni Imperatoris. Lugd. Batavor. 1586. 8. Raphelingii typis, edente *Bon. Vulcanio.*

De gloria & miſeria ſeptem Artium liberalium lib. I.

Prognoſticon, ſive *Caroli V. Cæſ. Præconia*, verſu elegiaco.

Proſopopœia Phriſiæ, de egregiis illuſtris D. de Waſſenair facinoribus, ad N. D. Joannem de Waſſenair. Extat MSS. in Bibliotheca Academiæ Lugduno-Batavæ.

Querimoniam Pacis, ſimiliter verſu elegiaco.

De B. Virg. Deiparæ doloribus Odarum librum. MS. apud Marcum Zuerium, Leidæ.

De S. Cornelio, Pont. & Martyre, de *SS. Martino* & *Nicolao.*

De Hollandiæ illuſtribus Viris & Locis.

Orationum libros II. & *Epiſtolas* varias &c. MSS. in Bibliotheca Lugduno-Batava.

Claruit, ut apparet, anno 1500. familiaris *Guilielmo Hedæ*, *Alardo Amſtelodamo*, & *Reinero Snoio*, aliiſque doctrinâ tum celebribus.

Ejus ad Eraſmum Epiſtolæ plures, & reſponſoriæ Eraſmi, extant in Appendice Eraſmi Epiſt. CCCCVII. & ſequentibus.

Adſcribitur huic Authori, *Apocalypſis, ſive viſio mirabilis de Miſerabili ſtatu Matris Eccleſiæ, & de ſumma ſpe ejus reparandæ ex inopinata promotione Hadriani VI. in ſummum Pontificem.* Quod opus MSS. Bibliothecæ Academiæ Lugduno Batavæ olim legatum à Bonaventura Vulcanio, illic latuit uſque ad ann. 1727. quo Gaſpar Burmannus J. U. D. Analectis ſuis de Adriano VI. id inſeruit.

CORNELIUS BAERSDORP,

Goeſanus, Zelandus, Eques & Medicus cubicularius Caroli V. Imp. è Galeni traditionibus ſcripſit

Methodum univerſæ Artis Medicæ, in in partes V. diſſectam. Brugis, 1538. fol. typis Huberti Croci.

Obiit Brugis anno 1565. ibique ſepulturam delegit in Eccleſia Cathedrali S. Donatiani; cæruleoque lapidi ære quondam obducto inſculptum legitur hodiedum hoc illius Epitaphium

„ *Cy giſt Meſſire Cornille de Baerſdorp,*
„ *Chevalier, en ſon vivant Conſeiller &*
„ *Archi-Medecin du feu Empereur Char-*
„ *les V & de Madame Leonore Reyne*
„ *de France & de Marie Reyne de Hon-*
„ *grie, qui mourut le 24. de Novembre*
„ *en l'an 1565. Et Dame Anne de Moſ-*
„ *ſchereen ſa compagne, laquelle trèspaſ-*
„ *ſa le . . . . . .*

Reproduced from the Collection of the Science Museum Library

Cymbam, ſive *de Hora veſcendi Dialogum.*

Errores per Germaniam: quibus Germaniæ veteris ritus ferè includit. Lovanii, apud Flavium, 1613. 4.

Obiit Cremſii, in Bohemiâ, dum caſtra Ferdinandi II. Imp. contra rebelles Bohemos ſequitur, anno 1620.

CORNELIUS DE BYE,

Naſcitur anno 1540 die 10. Novembris Hagæ-Batavorum, familiâ Nobili. Parentibus inconſultis, Granatæ in Hiſpania, Ordini FF. Eremitarum S. Auguſtini anno 1559. adſcribi voluit. Hinc anno 1563. provectus ad Indos Occidentales, per annos 20. & ultra pro Dei gloria, Fidei Catholicæ propagatione & animarum ſalute converſatus eſt. Sæpius uno die ipſe ſolus, homines ampliùs 2000 baptizavit. Sępe in ejus concione ſupra 6000 auditores numerati ſunt; ut verè inter Indorum Apoſtolos numerari qucat.

Converſo in Italiam itinere, Romæ S. T. Doctor creatus anno 1600 & à Generali Ordinis ſui dimiſſus cum facultate Vicarii Generalis per Belgium, Angliam, Scotiam, & Hiberniam, poſtremos vitæ dies egit Bruxellis, ubi & Alberto & Iſabellæ Principibus gratus, omnibuſque ob morum ſuavitatem ac vitæ ſanctitatem carus extitit. Denique tibiæ male affectæ diuturnis languoribus exeſus, placidè, ut vixerat, in Domino obdormivit, non ſine ſanctitatis apud omnes opinione, anno 1614. die 26. Julii, ætatis ſuæ 74.

Scripſit, (teſtibus Cruſenio, Curtio & Elſio Ord. Scriptoribus) *Sermones Dominicales, item de Sanctis.*

Conditus fuit Bruxellis in Æde antiquâ, cum hoc Epitaphio.

D. O. M.
Bone lector bene precare
R. P. M. Fratri CORNELIO DE BYE
Theologiæ Doctori, Ordinis S. Auguſt.
Dum viveret Vicario Generali in Belgio,
Qui,
Poſtquam viginti duos annos Indis
Et Americis Euangelium promulgavit,
Et Hiſpaniæ & Italiæ incolas docuit,
Magno ſui relicto deſiderio
Hic quievit XXVI. Julii CIↃ. IↃC. XIIII.
Ætatis ſuæ LXXIIII. Religionis LV.
Amici mœſti poſuêre.

CORNELIUS CAMERARIUS,

Gandavenſis, Inſulis Flandrorum ad D. Petrum Canonicus, vir doctus, dedit

Grammaticam Linguæ Latinæ.

Rhetoricas Præceptiones: & Verſus varios luſit.

CORNELIUS CLAES,

Purmerendanus Batavus, deſcripſit vernaculè Iter ſuum in Indias Orientales 4. Amſtelod. 1651.

CORNELIUS COLUMBANUS VRANX,

Teneræmondanus, quondam in Academia Lovanienſi ſecundus in Scholis Artium è Pœdagogio Caſtri anno 1555, hinc S. Theologiæ Licentiatus, ejuſdemque Profeſſor in Tongerloenſi Norbertinorum apud Brabantos Abbatia. A Reverendiſſ. D. Cornelio Janſenio, I. Gandavenſium Epiſcopo inter primos Eccleſiæ ſuæ Canonicos Graduatos cooptatus ac Pœnitentiarius conſtitutus à 2. Junii 1570, eo munere per annos aliquot laudabiliter functus, tranſiit ad Benedictinam S. Petri Abbatiam in Monte-Blandinio, ibique vitam Monaſticam profeſſus 15. Auguſti 1584. Poſtmodum ex Priore, omnium applauſu electus Abbas anno 1597. ætatis LXII. ac poſt biennium conſecratus.

Collegit de verâ atque reali Corporis Christi in Eucharistia præsentiâ contra Calvinianos, SS. Patrum *Joannis Chrysostomi*, *Ambrosii & Cypriani* Testimonia, inscripsitque *Malleum Calvinistarum*. Antverpiæ apud Joan. Keerbergium, 1607. 8.

Scripsit & alia idiomate teutonico, ut *Consolationem Animarum in Purgatorio*; *de Eucharistiæ Sacramento*; *Colloquia de variis Miraculis B. Mariæ*; *deque Vita & Laudibus ejusdem* &c. Gandavi edita 1602. 8.

Decessit anno 1615. die XV. Augusti, annos natus LXXXIV. professus XXXII. Vir quidem annis obsitus, ac labore studiisque fractus, verùm ingenio floridus; cujus hoc Epitaphium legitur in ambitu, juxta Ecclesiæ ingressum.

Cornelius jacet hoc sub marmore Vranius,
annis
Obsitus, ingenio floridus & meritis.
Candidus & simplex, & prudens sensibus; at cui
Plus aliquid niveæ simplicitatis erat.
Desine, qui miseris turbas hæc busta querelis,
Si vis inferias condere, da violas.

Usurpare pro symbolo solebat, COLUMBARUM INSTAR, SINE FELLE. Anno 1610. Jubilæum quinquagenarium sui Sacerdotii, ac millenarium Monasterii à prima fundatione celebravit, dixitque tunc de hoc argumento Orationem Latinam *Cornelius à Marca*, ejusdem loci Religiosus.

CORNELIUS CORNELII A LAPIDE,

Bucoldianus, ditionis ac Diœcesis Leodiensis, Societ. Jesu, parvus quidem corpore, at ingenio magnus fuit, disciplinarum omnium capax, Orator, Philosophus, Theologus, Historicus, linguarum Græcæ atque Hebraïcæ peritus: cujus in lucubrando, commentando, scribendo, in legendis evolvendisque SS. Patrum atque Interpretum variorum scriptis studium continuum & indefessum meritò omnibus admirationi esse debet.

In sacris litteris erat perdius & pernox, tametsi valetudo plerumque infirma & dubia, viresque debiles essent; quas in Collegio Soc. Jesu cùm Lovaniensi (ubi & linguam Hebraïcam unà profitebatur) tum Romano, quadraginta, & eo ampliùs, annos pari celebritate doctrinæ ac nominis interpretatus est, scripsitque in plerosque libros sacros Commentaria, commendata in primis à soliditate, brevitate, claritate, ac methodo.

Namque ei hoc propositum erat vel maximè (quemadmodum ad Epistolas Paulinas præfando ipse de se testatur, atque id ipsum aliàs non semel repetit & inculcat) ut scilicet solidè breviterque, methodicè & clarè S. Scripturæ universæ (si ita Deo visum esset) sensum traderet, maximè genuinum ac litteralem, stylo ad hoc usus didactico & methodico.

Solos itaque reliquit ineditos Commentarios in librum Job & in Psalmos. Extant in Bibliotheca J. F. Foppens Canonici Mechlin. Dictata præfati P. Cornelii in Psalmos, olim Lovanii in Schola PP. Societatis discipulorum calamo excerpta.

Intervênit Antverpiæ anno 1608. unà cum P. Mangotio, Gaudano, S. J. Disputationibus, præsertim de SS. Eucharistia, publicè habitis contra Franciscum Lansbergium Prædicutium Roterodamensem, ejusque filium Samuelem, Theologum Calvinianum. Sed nullus ex hoc Colloquio fructus evênit: uti nec è tot aliis alibi eandem ob caussam habitis; propter impudentiam & cavillationes hæreticorum.

Staturâ adeo pusillus erat, ut cùm

Romæ ad alloquium pontificium admitteretur, mandaret ei iterato Sanctitas ſua ut aſſurgeret, quia adhuc genuflexum exiſtimabat : cum tamen ibius peroraret. Ipſe autem modeſtè reſpondiſſe fertur : *Beatiſſime Pater, ipſe fecit nos, & non ipſi nos.*

Leguntur autem hæc, ab eo typis edita,

Commentaria in Pentateuchum, ſive libros V. Moyſis. Antver. typis Nutii, 1616. & 1630. fol. 1648. 1659. &c.

In Joſue, Judicum. Ruth, in Libros IV. *Regum*, II. *Paralipomenon, &c.* Ibid. 1642. item Pariſiis &c.

In Eſdram, Nehemiam, Tobiam, Judith, Eſther & Machabæos. fol. Antverp. 1645. 1659. &c.

In IV. *Prophetas*, quos vocant *Majores.* Ibid. 1621. & 1634. &c.

In XII. *Prophetas Minores.* Ibid. 1625. & 1628. item Pariſiis.

In Proverbia Salomonis Ibid. 1635. &c.

In Eccleſiaſten, Cantica Canticorum & Sapientiam. fol. 1635. 1649. &c.

In Eccleſiaſticum. Ibid. 1633. 1643.

In Euangelia Ibid. 1639. 1649. &c.

In omnes B. Pauli Epiſtolas. Ibid. 1614. 1617. 1622. 1635.

In Acta Apoſtolorum, Apocalypſin & Epiſtolas Canonicas. Ibid. 1627. 1648. &c.

Migravit ad beatam felicemque æternitatem (quæ illi, dum vixit, ſemper erat in ore ac calamo) Romæ an. 1637. die XII. Martii. Additur, loco Epitaphii, publicum Societatis teſtimonium : *ipſum ea omnia quæ ad ſe poterant pertinere, vivendo expreſſiſſe; neque ejus vitæ Hiſtoriam poſſe deſcribi luculentiorem ea, quam ſuis ipſe Commentariis tradidit, normâ vivendi.* Ita Imago primi Sæculi, pag. 880.

Poſtmodum omnes ejus Commentarii in XVI. voluminibus recuſi fuerunt ſæpiùs, tum Antverpiæ ac Pariſiis, annis diverſis; tum Venetiis 1710. & Lugduni in Gallia 1732.

CORNELIUS CROCUS,

Amſtelodamenſis, Sacerdos, ac ludo litterario in patria præfectus, præclaris naturæ ac gratiæ donis ornatus, eruditi ingenii laude floruit, omne Terentii myrothecium, Ciceroniſque arculas conſumere adnixus, inquit in Batavia ſua Adr. Junius. Vixit familiaris *Alardo Amſtelodamo*, quocum Lutheranæ factionis homines conſtanter oppugnavit. Natus enim videbatur (Alardi verbis) Crocus, ad factionem peſtemque arrogantiſſimorum ſciolorum comprimendam.

Atque ut intelligant poſteri animum *Croci* Catholicum, zelumque bonum ac ſtudia, lubet hic adſcribere verba ex epiſtola ejus autographa an. 1531. pridie Epiphaniæ ad Officialem Trajectenſem ſcripta, ſuggerente ſuppeditanteque Viro clariſſ. Gisb. Lappio à Waveren J. C. Ultrajectino, apud quem plures Croci Epiſtolæ leguntur.

Vehementer te oro, inquit, *ut liceat mihi Preces meas ad unum menſem tantùm intermittere, quas legere habeo, quòd ſim minoribus Ordinibus initiatus. Nam cupio ſacris laboribus occupari interea, & ſcribere quædam, quæ poſſint animos quorumdam à Lutherana & Oecolampadiana hæreſi avertere aut præmunire, ne, qui adhuc ſynceri ſunt, corrumpantur. Et opus eſt feſtinato : nam ſunt quidam partim cognati mei, partim noti, partim etiam qui fuerunt diſcipuli mei, quorum ſaluti prodeſſe hac in parte mihi videor poſſe, & neceſſe eſt, ut quàm primùm faciam, quia menſe proximo quidam illorum navibus profecturi ſunt in partes orientales, ut hic Amſterdami mos eſt &c.*

Minoribus autem ordinibus (ut hoc quoque curioſi habeant) *Crocum* initiavit Joannes Roffenſis in Anglia Epiſcopus. Scripſit porrò exemplo *Adr. Barlandi*, quo Lovanii eloquentiæ doctore fuerat uſus,

Colloquiorum puerilium Formulas. Antver. 1536. 8. & alibi.

Limam Barbariei, sive *Farraginem sordidorum Verborum.* Coloniæ apud Gymnicum, 1520. 8. & alibi.

Silvulam Vocabulorum, puerilis lectionis exercitationi accommodatam. Salingiaci. 1539. 8.

Josephum, Comœdiam sacram. Antver. apud Steelsium, 1548. 8.

Paraclesis ad capessendam Sapientiam. Josephi casti exemplo.

Hypomnemation in x. *Præcepta Decalogi.*

De vera Ecclesia, Colon. apud Gymn.

Disputationem contra Anabaptistas. Antver. 1535.

Epistolam de Fide & Operibus, adversus Joannem Sartorium. Ibidem 1531.

Meditationes in Passionem Dominicam. Coloniæ 1532. & Antverpiæ 1535. 8.

Orationem in Jesu Christi *laudem.* Antverp. 1548. 8. apud Steelsium. Pleraque hæc simul edita ibid. 1612. in 16. apud Jac. Miesium.

A Joanne Lusitaniæ Rege ad Conimbricensis Academiæ initia magnis honorum invitatus illecebris, ire noluit, ne patriæ juventuti, quam adversus hæreticos in Catholicâ instituebat Fide, deesset. Tandem, defunctâ matre, quam vetulam aluerat, voti caussâ Romam pedibus contendit, & ad ipso B. Ignatio, inter primos Societatis Jesu Clericos, etiamsi quinquagenarius, admitti meruit. Ast paulò post, anno nempe 1550, brevi morbo consumptus, quam serus ad vineæ dominicæ labores accesserat, tam citus ad denarii mercedem pervenit. *Ita Imago primi Sæculi, pag.* 872.

Vitam amici scripto consignarat *Nicolaus Cannius*, Erasmo olim à manibus; sed quam hæredum litterarum rudium incuriâ intercidisse, auctor est Petrus Opmerus libro de Martyribus Hollandiæ.

CORNELIUS CURTIUS,

Bruxellensis, Eremita Augustinianus, S. Theol. Licentiatus, Studiorum apud suos Bruxellæ & Lovanii Præfectus, Conventuum Ingolstadiensis in Batavia, Viennensis in Austria, Pragensis in Bohemia, Bruxellensis in Brabantia Prior, Ordinisque sui per Belgicam Magister Provincialis, sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius & Historiographus: Vir utravis oratione, cùm solutâ tum vinctâ numeris stiloque excellens, ingenio comi & benigno; varia scripsit, genium auctoris sui ubique exprimentia; cujusmodi sunt:

De Clavis Dominicis lib. I. Monachii, 1622. 12. & Antver. 1632. & 1670.

Vitæ SS. Ruperti & Virgilii, Antistitum Salisburgensium. Ingolstadii, eodem anno.

Erotopægnion, sive *Epistolas familiares*, ad Christoph. Eyserum. Ibid. 1621.

Poëmatum libros III. Antver. 1629. in 12.

Amphitheatrum Amorum, Christophoro Fonseca auctore, *Curtio* interprete. Ingolstadii, 1623. 8.

Quadragesimale ejusdem, ex Hispanico Latinè redditum. Coloniæ, apud Corn. ab Egmont.

Vitas quinque BB. Virginum Augustinianarum, Claræ de Monte Falchio, Ritæ de Cassia, Christianæ sive Oringæ, Christianæ de Vice-Comitibus, & Christinæ de Aquila. Coloniæ 1636.

Elogia Virorum Illustrium Ord. Eremit. S. Augustini, cum Imaginibus ad vivum expressis. Antver. 1636. 4. apud Joan. Cnobbarum.

Vitam S. Nicolai Tolentinatis, aliorumque aliquot Ordinis Eremitarum S. Augustini Beatorum. Ibid. 1637. 16.

Imperfecta reliquit, *Syntagma de Annulis.*

Digitized by Google

Vitam S. Joannis Boni Ord. Eremit. S Auguſtini.

Chronicon univerſale Monaſticum; à *Proſpero Stellartio*, ejuſdem Ordinis inchoatum, à ſe auctum & ſuppletum, aliaque.

Obiit in Abbatia Monialium Weſtmonaſterienſium, Ordinis S. Auguſtini in Waſia. VII. Idus Octobris 1638. ætatis anno 48.

CORNELIUS DONTHIER,

Ordinis Minorum Nivellis apud Brabantos Guardianus (ut vocant) & Eccleſiaſtes egregius. Scripſit patrio idiomate pium libellum, ſæpiùs recuſum, *De Effuſionibus Sanguinis Salvatoris.* Obiit anno 1554.

CORNELIUS DANCKAERTS,

Batavus, evulgavit ſermone vernaculo

Hiſtoriam Vitæ & bellorum Guſtavi Adolphi Suecorum & Vandalorum Regis. fol. Amſtelodami ann. 1642. cum fig.

CORNELIUS DREBELIUS,

Alcmarianus Batavus, profeſſione Medicus, Philoſophus & Arithmeticus incomparabilis, celebris Huberti Goltzii aliquando domeſticus, ſororem ejus in uxorem duxit, quacum Angliam adiit, ubi Regis Jacobi I. munificentiâ liberaliter aliquandiu eſt habitus. Motum perpetuum, à temporibus Archimedis incognitum, adinveniſſe ſe jactavit; teſte Swertio in Athenis Belg. Eam ob famam Rodolphus II. Imp. Drebelium ſuum eſſe voluit, ac magnis ſtipendiis auxit. Mortuo Cæſare, Angliam repetiit, ibique circa ann. 1630. vixit. Illius ſunt Tractatus duo,

I. *De natura Elementorum*, quomodo venti, pluviæ, fulgura, tonitrua ex iis ducantur, & quibus ſerviant uſibus.

II. *De Quinta eſſentia*, ejus viribus, uſu, & quomodo ea ex mineralibus & animalibus extrahenda.

Accedit Epiſtola ad Regem Angliæ, *de perpetui Mobilis inventione.* Petrus Laurenbergius vertit hæc opuſcula è belgico in latinum, prodieruntque in 8. Hamburgi 1621. Genevæ item Francofurti 1628.

CORNELIUS DUNIUS,

Amſtelodamenſis, J. C. & cauſſarum patronus in ſuprema Hollandiæ Curia, vir & doctus & pius, ſcripſit

Tractatum *de Alluvionibus*; de cujus editione convenerat aliquando cum typographo Antverpiæ; verùm mors præpropera auctori vitam, operi lucem invidit. Delituit aliquando in Haga Comitis apud hæredes Dimmerios.

CORNELIUS DUPLICIUS SCEPPERUS,

Neoportuenſis, (quidam ſcribunt natum Dunkercæ) patrem habuit *Joannem Scepperum*, vices Regii Architalaſſi gerentem, nullis ſanguinis fortunæve avitæ dotibus inſignem. At patre futurus major filius, poſt Grammatices præcepta probè cognita, Pariſiis Dialectices argutiis, Phyſicæque arcanis imbutus, principem in promotione (ut vocant) locum ceteris præripuit. Ad Rempublicam ubi acceſſit, primùm Chriſtierno II. Regi Daniæ innotuit, eique à ſecretis fuit.

Carolus deinde Cæſar, ob exactam plurium linguarum notitiam, ſenilemque prudentiam, varias obire Legationes juſſit, ad eundem Chriſtiernum Daniæ, ad Franciſcum Galliæ, ad Sigiſmundum Poloniæ, ad Henricum VIII. Angliæ, Reges, & ſecundùm



CORNELIUS GHISTELIUS,

Antverpienſis, Poëta non infelix, luſit carmine elegiaco,

Iphigeniæ immolationem, libris II. 1554. typis Belleri.

Carmen gratulatorium ejuſdem *ad Philippum Regem Angliæ, ac Principem Hiſpaniæ*, excudit Plant. 1556.

Virgilium, *Horatii Satyras*, *Terentium*, alioſque, Teutonicis rythmis ſive modulis expreſſit.

CORNELIUS GISELBERTUS PLEMPIUS,

Amſtelodami natus anno 1574. VIII. Kalen. Septembris, domi abecedarius præceptorem habuit *Petrum Apherdianum*, ob tumultus Geuſicos Ex-gymnaſiarcham; Harlemi Rhetor ac Poëta *Simonem Sovium*: Lugduni Batavorum Dialecticus & Græciſſans *Joannem Geſſelium*, Amersfortium; Lovanii Philologus *Juſtum Lipſium:* ubi & Medicinæ ſtudium illi placuit.

Verùm mox vela vertit, & Jura Duaci amplexus, Lauream ejuſdem ſtudii Aureliis è media Francia in patriam reportavit. Hagæ deinde annos aliquot vixit inter cauſſidicos; ipſe tamen nihil minùs quàm cauſſidicus, ſed ljtteratæ quietis & Muſarum honeſtarum cultor perpetuus, tranſlato Amſtelodamum domicilio, ibidem in in tranquillo otio vixit, & devixit, exeunte anno 1638. Luſit Poëmata varia, ſimul excuſa 1630. 8. in quibus

Elegiarum libri V. *Quiſquilia*, *Suſpiria*, *Quaſillus*, *Crepuſcula*, *Iſchion*, *Saturnalia*

De Vita ſua liber ſingularis, ad Pet. Scriverium.

Amſterodamum, ſeu *De Patria* libri duo.

Tabellæ: *Emblemata quinquaginta*

Muſius ſeu *Rythmi*: *Idyllia* XXI.

Verinus ſeu *Dyſticha Parallela.*

Parodiæ: *Epigrammatum* libri III.

CORNELIUS GRAPHÆUS,

Seu SCRIBONIUS, (vulgari linguâ SCHRYVER) Aloſtanus, Flander, ſed Antverpianâ civitate donatus, eidemque à Secretis: Vir ævo illo diſertus, & variæ eruditionis, Poëta, Orator, Hiſtoricus, & Cantor eximius, ac variarum Linguarum peritus; dedit

Pompam Spectaculorum in ſuſceptione Philippi II. Antver. 1550. fol.

Deſcriptionem Pacis inter Franciſcum I. Galliæ Regem, & Carolum V. Imp. carmine heroïco. Ibid. apud Joan. Coccium, 1540. 8.

Deſcriptionem Senatûs Antverpiani, à Carolo V. inſtituti. Ibid. 1541.

Gratulationem Carolo V. Imp. an 1520. pro reditu illius ex Hiſpaniis per Britanniam in Belgium: item alteram pro reditu ejuſdem 1540. per medias Gallias. Antverpiæ excudit idem Coccius, 1540. 8.

Conflagrationem Templi D. MARIÆ *Antverpienſis*, verſu heroïco. Ibid. apud Joan. Graphæum, 1534.

Sacrorum Bucolicorum Eclogas III. Ibid. 1536. 8.

Carmen Paſtorale, quo Chriſti Nativitas deſcribitur.

Monſtrum Anabaptiſticum, rei Chriſtianæ perniciem, 1535.

Exprobrationem in Diocletianum pro Divo Pancratio. Lovanii apud Theod. Martinum, 1515.

Querelam proditi Chriſti, contra Turco-Chriſtianos, carmine.

Paraphraſin Pſalmi CXXIII. contra Martinum Roſſemium. Antver. 1543.

Enchiridion Principis ac Magiſtratus Chriſtiani: in quo concinnando mutuas contulit operas *Petrus Ægidius*, eidem urbi ab Actis. Coloniæ apud Cervicornum, 1541.

Conjugandi & Declinandi Regulas. Antverp. 1529. 8.

Colloquiorum Formulas, è Terentii Comœdiis.

Excessit è vivis die XIX. Decembris anno 1558. ætatis LXXVI. conditus in D. Virginis, quà meridiem spectat, relicto filio erudito *Alexandro Graphæo*, cujus carmina quædam in Auctorum commendationem leguntur. Extat hoc ejus Epitaphium

CORNELIUS SCRIBONIUS,
Præclaræ hujus Urbis à secretis,
Sibi suisque,
Et ADRIANÆ PHILIPPIÆ
Dulciss. Uxori vivens pos.
Ipsa quidem vixit ann. LXXI.
Decessit autem XVII. Augusti M. D. LVI.
Uno & XL. ann. marita:
Matrona & prudentiss.
Et pietatis cultrix eximia.
Ille vero caram secutus conjugem,
Migravit XIX. Decembris M. D. LVIII.
Cum vixisset annos LXXVI.

CORNELIUS GRASSIUS,

Antverpianus, Cartusiæ Colonienſis alumnus, anno 1592. professus, post mortem *Zachariæ Lippeloi*, ejusdem Ordinis, *Vitas Sanctorum à Surio* collectas, à *Lippeloo* in compendium redactas, auctiores fecit & recensuit. Coloniæ, typis Bernardi Gualteri Tomis IV. 8.

Scripsit etiam idiomate Belgico *De sacrosancta Missæ Sacrificio.* Ibid. 1603. in 16.

CORNELIUS GROTIUS,

Delphis Batavorum nascitur anno 1544. VIII. Kal. Augusti. Studiorum causâ Galliam lustravit; Philosophiamque Lutetiæ Parisiorum, ac Jurisprudentiam Aurelliis ubi perdidicit, utramque in Academia Lugduno-Batava tunc recens condita docuit. Interruptum docendi munus ob debilem sanitatem, post quadriennium resumpsit 1587. & quintò Rector Academiæ præfuit. Laudantur illius,

Commentarii ad libros IV. *Institutionum Juris Civilis.*

Ad primam Partem sive IV. *priores Pandectarum gestorum.*

Commentarii & Observationes Feudales, item *Tract. singularis De differentiis Feudorum à Feudis Hollandicis.* Verùm nihil horum typis excusum est hactenus.

Denascitur anno 1610. ætatis L. ipso quo natus fuit die. Patruus Viri Clariss. Hugonis Grotii.

CORNELIUS GUALTERIUS

Vulgò WOUTERS, Patricius Gandavensis, Joannis Gualteri in supr. Flandriæ Curia Senatoris filius, [illegible] gis ad D. Donatianum Canonicus, que ad annum 1554. quo præbenda nunciavit. Dedit

Annotationes in Hegesippum de Bello Judaico. Coloniæ apud Cholinum, 1 & 1575. 8. Fuit studiorum *Georgii Fandri*, peregrinationumque socius cujus Vita ac laudibus Coloniæ C tionem habuit, atque Epitaphium moriæ ejusdem ibidem apud Fra canos posuit.

Moritur ipse anno 1582. die XII. gusti.

CORNELIUS HAEMRODIUS

Amstelodamensis, *Bataviam*, *besque omnes inter Helium & Fle* descripsit, dum Lovanii studio causâ ageret. Edita est cum Amst damo Joannis Isaaci Pontani; cum Disceptationibus Chorograph ejusdem & Animadversionibus ad *rodium*. Hardervici, 1617. 8.

Decessit è vivis anno 1599. in pa

CORNELIUS HANEGRAVIUS

Loemelius, è Majoratu Sylva censi, Canonicus Regularis Præm

Sir Thomas Gresham, founder of the Royal Exchange, and of Gresham College, in which the Lectures on Physic, Astronomy, Geometry, Law, Divinity, Music, and Rhetoric are read. He died in 1579, and was buried in St. Helen's Church, Bishopsgate.

ſtratenſis, ex Abbatia Tungerloæ, pridem Paſtor in Broechem, dein Romæ ſui Ordinis Procurator, & Collegii S. Norberti in Alma Urbe per Abbates Tungerloenſes inſtituti ſecundus Præſes, obiit ibidem circa ann. 1640. Scripſerat

Vitam S. Hermanni Joſeph, Ord. Præm Italicè.

Compendium Vitæ & Inſtituti S. Norberti Romæ 1632. 8. typis Jac. Maſcardi.

CORNELIUS AB HOOGHELANDE,

Batavus, Philoſophiæ Profeſſor in Academia Batavo-Lugdunenſi, Renati Carteſii familiaris amicus, eidem dedicavit

Cogitationes, quibus Dei exiſtentia & animæ ſpiritualitas demonſtrantur. 12. Amſtel. 1646. apud Elzevir.

CORNELIUS HENRICUS MATHISIUS,

Brugenſis, Medicus, claruit Piſis in Italia circa annum 1526. ac redux factus in Belgium præfuit valetudini Mariæ Hungariæ Reginæ. Latinè reddidit *Auctuarii*, Joannis Zachariæ Filii *de Methodo medendi* libros VI. Venetiis, 1554. 4. & Pariſ. 1555. 8.

Obiit ex equi lapſu, dum in itinere ægrorum ſuorum viſitationi incumberet.

CORNELIUS HERLS,

Medioburgenſis Zelandus, in Urbe patria Chirurgus expertiſſimus, dedit in lucem

Examen Tractatûs Medici de Moſcho, à Davide Ultralæo editi. Middelb. 1613. in 8.

Item vernaculè *Examen Chirurgiæ*, dein evulgatum à Ferdinando Gruiwaert, Goeſano, Middelburg. 1660. in 8.

CORNELIUS JANSENIUS,

Hulſtenſis, Flander, perceptis Gandavi ſub *Eligio Houcharto* ſtudiorum rudimentis, Lovanii in Caſtrenſi Pœdagogio Philoſophiæ biennalem curſum abſolvit anno 1529. ſecundus in Scholis Artium. Hinc exactam trium linguarum, quas in Cruce ſalutifera Chriſtus conſecravit, cognitionem eſt aſſecutus; probè ſibi conſcius, quantopere earum ſcientia, quæ à pleriſque malè cordatis Theologis tam neglectim habetur, ad genuinum perfectumque S. Scripturæ intellectum indagandum eſſet neceſſaria.

His itaque inſtructior, alumnus Collegii Theologici majoris, ſe totum S. Theologiæ ſtudio mancipavit: quam & poſtea in Tongerloenſi Præmonſtratenſium apud Brabantos Abbatia annos plus minus duodecim eſt interpretatus, Concordiamque hîc Evangelicam primò contexuit, & Commentarium in eamdem Religioſis prælegit.

Hinc Paſtor anno 1550. ad S. Martinum Cortraci annis ferè totidem munus illud laudabiliter adminiſtravit. Lovanium reverſus, anno 1562. Laureâ Doctorali inſignitur, Theologorum Collegio præficitur, Decanatu Eccleſiæ Colleg. D. Jacobi donatur, Tridentum, unà cum *Michaele Baio & Joanne Heſſelio*, à Philippo II. Rege Hiſpaniarum Catholico mittitur, ejuſque proſperum exitum intuitus eſt.

Mox à reditu anno 1568. primus Gandavenſium Epiſcopus ab eodem Rege nominatus, à Pio IV. Pont. confirmatur: totumque penè octennium populum non minùs publicâ privataque doctrinâ, quàm ſingularis pietatis

Vol. XXXIII. No. 1.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 2.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 3.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 4.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 5.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 6.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 7.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 8.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 9.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 10.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 11.

Price 1s. 6d.

Vol. XXXIII. No. 12.

Price 1s. 6d.

etiam antiquo vulgi in Belgio more *Cornelius Janſſens*, ſive Joannis filius dictus eſt.

In lucem editus anno 1585. die SS. Simoni & Judæ ſacro, ab ipſa prope infantia ſpecimen memoriæ atque ingenii ſingularis exhibuit. Miſſus primùm Ultrajectum, ibidem in Paleſtrâ litteraria latinitate adeò feliciter imbutus eſt, quantum ejus poſtea ſtyli elegantia demonſtravit. Hinc anno ætatis XVII. miſſus Lovanium ad Pædagogium, quod a ſigno antiquæ domûs Falconis dicitur, diſciplinis Philoſophicis adeo gnaviter feliciterque incubuit, ut ſtudii biennalis decurſo ſtadio, anno 1604. in Academico quatuor Pædagogiorum concurſu (inter 118. promotos) primam ingenii palmam ac prærogativam loci facilè præripuerit.

Pari dein felicitate ſtudio Theologico nomen dedit in Collegio Adriani VI. Pontificis, cui tum præerat Jacobus Janſſonius Amſtelodamenſis Batavus S. T. D. qui Janſenium ſuum paterno affectu excepit. Hic uti quondam fuerat famoſi Doctoris Michaëlis Baii alumnus præ cæteris longè chariſſimus; ita Janſenius Janſonii diſcipulus haud difficulter juravit in verba Magiſtri, ac plura Baii dogmata poſtmodum in famoſo Opere, quod poſthumum reliquit, defendenda ſuſcepit.

Poſt aliquot annorum ſtudium S. Theologiæ impenſum, Licentiæ gradum Lovanii obtinuit. Interea cum Joanne Vergerio du Havrane, ſuaſu Avunculi ſui Bertrandi Deſcaux Bajonenſis Epiſcopi, tunc Lovanii in ſtudiis agente, dein Abbate Sancti Sigirani dicto, amicitiam contraxit; quæ mutuo litterarum commercio firmata fuit, communicatiſque invicem conſiliis non rectis, utrique eorum plurimum nocuit. Cum hoc Abbate diſceſſit in Galliam, ſeu Regni hujus viſendi cauſâ, ſeu curandæ valetudinis per vehementem applicationem debilitatæ, ſive etiam ingenii amplius excolendi ſtudio.

Ac primùm quidem hæſit Lutetiæ Pariſiorum, ibique Linguarum Græcæ atque Hebraïcæ, ulteriori noſtitiæ, quam Lovanii haurire cæperat, inſignem navabat operam, uti & Lectioni SS. Patrum, ac præſertim Auguſtini. Paulò poſt cum eodem Sancirano migravit Bajonam: ubi hic ab Epiſcopo avunculo ſuo Canonicatum in Cathedrali B. M. Eccleſia obtinuit, Janſenius vero dicitur conſtitutus fuiſſe Moderator Seminarii, quod is Epiſcopus Bajonæ erexerat.

Lovanium poſtea revocatus, novo Divæ Pulcheriæ ſeu Batavorum Collegio, curâ Philippi Rovenii Archiepiſcopi Philippenſis & Apoſtolici apud Batavos Vicarii in hac Academia recens erecto, primus Præſes datus eſt, ejuſque ædificia ad eam, quam hodie cernimus formam, compoſuit.

Anno 1617. die 24 Octobris Doctoralem S. Theologiæ lauream recepit, una cum Henrico Lancelotto Mechlinienſi, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologo. De hac celebri Promotione, quæ prima fuit, in qua ſecundum novas Leges Academiæ per Sereniſſimos Archiduces Albertum & Iſabellam præſcriptas per tres diverſos dies ſine Præſide diſputandum erat &c. vide Faſtos Academiæ Lovanienſis ad annum citatum.

Anno 1618. S. Theologiæ Profeſſor Ordinarius, ſimulque Eccleſiæ Divi Petri Lovanii Canonicus à S. P. Q. Lovanienſi nominatur. Quin & ſub eodem tempore, vigore Privilegiorum hujus Academiæ, Præbendam in Eccleſia Collegiata Divi Petri Inſulis adeptus eſt.

Interea ſcribendis evulgandiſque Libris ac Reſolutionibus Theologicis totum ſeſe dedit Janſenius, tum in Scrip-

Ethnic Groups in Conflict, by Donald L. Horowitz. Berkeley: University of California Press, 1985. 698 pp. $35.00.

Donald Horowitz's Ethnic Groups in Conflict is a monumental work. Its 698 pages are packed with information and analysis on the causes of ethnic conflict and the ways in which it can be managed. Horowitz's aim is to provide a comprehensive theory of ethnic conflict, and he succeeds admirably. The book is divided into three parts: the first deals with the nature of ethnic groups and the sources of conflict; the second with the consequences of conflict; and the third with the management of conflict. Each part is subdivided into numerous chapters, which are themselves subdivided into sections. The result is a book that is easy to navigate and to use as a reference.

Horowitz begins by arguing that ethnic groups are not primordial entities but are constructed by human beings. He rejects the view that ethnic identity is fixed and unchanging, and instead emphasizes the fluidity of ethnic boundaries. He also argues that ethnic conflict is not inevitable, but is the result of specific political and economic circumstances. He identifies a number of factors that can contribute to conflict, including competition for scarce resources, political mobilization, and the perception of threat.

In the second part of the book, Horowitz examines the consequences of ethnic conflict. He argues that conflict can have both positive and negative effects. On the one hand, it can lead to violence, instability, and the breakdown of democracy. On the other hand, it can also lead to political reform, the redistribution of resources, and the creation of new institutions. He concludes that the consequences of conflict depend on how it is managed.

In the third part of the book, Horowitz discusses the management of conflict. He argues that there is no single solution to ethnic conflict, but that a variety of approaches can be effective. He discusses a number of institutional arrangements, including federalism, power-sharing, and electoral systems, that can help to manage conflict. He also discusses the role of leadership and the importance of political accommodation.

Overall, Ethnic Groups in Conflict is a valuable contribution to the literature on ethnic conflict. It is a comprehensive and well-written book that will be of interest to scholars, students, and policymakers. Horowitz's analysis is sophisticated and nuanced, and he avoids the simplistic explanations that often characterize discussions of ethnic conflict. The book is also remarkably balanced, and Horowitz is careful to present the views of all sides in a conflict.

One of the strengths of the book is its use of comparative examples. Horowitz draws on a wide range of cases from around the world, including Sri Lanka, Nigeria, Malaysia, and Belgium. These examples help to illustrate his theoretical arguments and to show how they apply in different contexts. The book is also well-documented, with extensive bibliographies and notes.

A few minor criticisms can be made. The book is very long, and some readers may find it daunting. The writing is generally clear, but some sections are dense and require careful reading. The book would also have benefited from more maps and tables. Despite these criticisms, Ethnic Groups in Conflict is an outstanding work that will be a standard reference for many years to come.

M. D. C. XXXVIII. *Ita Janſenius moribundus; utinam idem ſaperent Janſeniani!*

Eadem ſubmiſſionis verba, etiam ampliora protulerat Janſenius, tum in Libro Proæmiali damnati ſui Operis, tum in Epilogo. Atque etiam aliunde certum eſt, eum tum in Theſibus, quas pro adipiſcendo Magiſterii gradu propugnavit, tum in Commentariis in Euangelium (præſertim in Cap. 22. Lucæ) in Sede Apoſtolica agnoviſſe auctoritatem infallibilem in iis quæ ad fidem moreſque pertinent.

Sepulturæ mandatus fuit in choro Cathedralis ſuæ, ad gradum infimum majoris Altaris, ejuſque tumulo primum hoc (ſed tamen à veritate alienum) appoſitum fuit Epitaphium, juſſu Liberti Fromondi S.T.D. Lovanienſis & Henrici Caleni Archidiaconi Mechlinienſis, quos ſui Teſtamenti Executores conſtituerat.

D. O. M.
CORNELIUS JANSENIUS
Hic ſitus eſt;
Satis dixi.
Virtus, eruditio, fama, cetera loquentur.
Lovanii diu admirationi fuerat,
Hic incepit tantùm.
Ad Epiſcopale faſtigium evectus,
Ut Belgio oſtenderetur,
Ut fulgur luxit, & mox extinctus eſt.
Sic humana omnia,
Etiam brevia, cum longa ſunt.
Funeri tamen ſuo ſuperſtes
Vivit in Auguſtino,
Arcanarum cogitationum ejus,
Si quis unquam, fideliſſimus Interpres.
Ingenium divinum, ſtudium acre,
Vitam totam,
Huic Operi arduo & pio dederat,
Et cum eo finitus eſt.
Eccleſia in terris fructum capiet,
Ipſe in cœlo jam mercedem.
Sic vove & apprecare Lector.
Extinctus eſt contagio anno M. D. C. XXXVIII. pridie Nonas Maii,
Ætatis anno nondum L. III.

Anno 1655. die 10. Octobris ad ſextam veſpertinam, mandato Regis Catholici ipſiuſque Epiſcopi Iprenſis Joann. Franc. de Robles, ſublatus eſt prior iſte lapis ſepulchralis, unâ cum ſuo Epitaphio, quòd ultra modum laudaretur Liber, jam tum Romæ condemnatus. Subſtituta fuit hæc Inſcriptio die 26. Martii 1673. inverſo priore marmore:

D. O. M.
Hîc jacet
CORNELIUS JANSENIUS,
Septimus Iprenſis Epiſcopus,
Satis dixi.
Vixit annis LII.
Obiit VI. Maii M. D. C. XXXVIII.
Dic Viator,
Requieſcat in pace. Amen.

Nocte inter 23. & 24. Aprilis 1675. denuo erutus fuit lapis prædictus, de mandato Comitis de Monterey Gubernatoris Belgii, ad juſſa Reginæ Hiſpaniarum Regentis, Matris Caroli II. Regis. Neque pòſt ulla appoſita fuit Inſcriptio; ita ut hodie Sepulchrum Janſenii non aliter diſcernatur, quam per lapidem quadratum cum cifris (1638.) in quadro diſpoſitis.

Lemma ab Epiſcopo Janſenio aſſumptum fuerat: *In veritate & Charitate.*

Orationem funebrem in ejus Exequiis Lovanii in Æde Collegiata Divi Petri celebratis, habuit *Joannes à Lapide* S. T. L. Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis Abbatiæ Grimbergenſis, & Collegii Theologici ejuſdem Ordinis in Academia Lovanienſi Præſes; quæ Oratio typis edita Lovanii anno 1641. paulò poſt Romæ Decreto S. Congregationis Indicis fuit prohibita, ob nimias laudes Janſenio attributas.

Alia Cornelii Janſenii Encomia lege apud Authores ei coætaneos ac quondam familiares amicos *Antonium Sanderum* S. T. L. Cathedralis Iprenſis Canonicum Graduatum ac Pœnitentiarium, in primâ Flandriæ Illuſtratæ Editione; & *Valerium Andream* J. U. Doctorem Lovanienſem, tum in Faſtis Academicis, tum in Bibliotheca Belg. Item vide Synopſim Vitæ ejus a *Liberto Fromondo*, S. T. Doctore Lovanienſi, qui fuit Epiſcopi Janſenii in publica S. Scripturę Profeſſione Succeſſor. De hiſce tamen Elogiis prænonendus Lector, eadem fuiſſe juſtò ampliora, nec non faventia Libro, quem dein Sedes Apoſtolica condemnavit. Sed vel ſcripta fuêre eo tempore, quo necdum Româ Reſcripta venerunt, vel ex nimio erga Authorem affectu, non per omnia probando.

Porrò hęc ſunt quæ edidit Janſenius.

Oratio de interioris hominis Reformatione, habita anno 1627. in Monaſterio Affligemienſi, cum Vener. D. *Benedictus Haſtenius* ejuſdem Præpoſitus & alii, ſub Reformatæ S. Benedicti Regulæ Obſervantia profeſſionem in manibus Archiepiſcopi ſui *Jacobi Boonen* emitterent

Alexipharmacum pro Civibus Silvæducenſibus, adverſus Miniſtrorum ſuorum faſcinum, ſive *Reſponſio brevis ad Libellum eorum provocatorium.* Lovanii 1630. Cauſam huic libro dedit, quod Giſbertus Voetius Pſeudo-Miniſter Silvæducenſis & alii duo, Theologos Catholicos ad diſputationem publicam provocaſſent; quam dum acceptarant Cornelius Janſenius & Guilielmus ab Angelis S. T. DD. Lovan. palinodiam dein cecinit Voetius.

Spongia Notarum, quibus Alexipharmacum aſperſit Gisbertus Voetius. Lovanii typis Haſtenii 1631. in 8. & Jacobi Zegers 1641. in 12. Cauſam Janſenii ad Epiſcopatum promoti, dein contra heterodoxos proſecutus eſt Libertus Fromondus S. T. D. Lovan.

Tetrateuchus, ſive Commentarius in quatuor Euangelia Ibidem typis Zegeri 1639. in 4. & aliâs ſæpius.

Pentateuchus, ſive Commentarius in quinque libros Moyſis. 4. Ibidem 1641. & alibi.

Analecta in Proverbia, Eccleſiaſten, Sapientiam, Habacuc & Sophoniam. 4. Lovan. 1644. 1685. & 1705. apud Guil. Stryckwant.

Reſponſum duplex, alterum Theologorum Lovanienſium, *de vi obligandi conſcientias, quam habent Edicta Regia ſuper re Monetaria*, anno 1633; alterum Theologorum ſimul ac Juriſperitorum, anno 1626, de Juramento, quod publicâ authoritate Magiſtratui Lovanienſi *deſignato imponi ſolet*, utrumque ſtylo Janſenii.

Alexandri Patricii, Armachani, Theologi, Mars Gallicus, ſeu de Juſtitia armorum & Fœderum Regis Galliæ, Libri II. anno 1633. Sæpius dein recuſus Liber magnam authori ſuo Janſenio (licet is nomen ſuppreſſiſſet) famam peperit: neque tamen ab acri Gallorum refutatione immunis evaſit. Vix ultra menſem operi iſti inſudavit Janſenius, hoſpicio exceptus à Clar. Petro Rooſe Sanctioris Conſilii Præſide, qui Tractatus Fœderum aliaque documenta ſubminiſtrabat.

Epiſtolæ Corn. Janſenii ad Joannem du Verger de Hauranne Abbatem S. Sigiraani, inter ſcripta ejuſdem Abbatis in Gallia detectæ ſunt, prodieruntque myſteria iniquitatis hoc titulo: *La Naiſſance du Janſeniſme decouverte, ou Lettres de Janſenius à l'Abbé de S. Cyran, depuis l'an 161[illegible]. juſques en* 1635. Lovanii 1654. in 8. item Pariſiis, & alibi ſæpius. Harum Litterarum authographa Pariſiis in Collegio Ludovici Magni S. J. aſſervantur. Eaſdem dein etiam edidit Gerberonus: Notaſque ſuas

Digitized by Google

ſuas Apologeticas pro Baio, Janſenio & Sancirano appoſuit.

Auguſtinus, Tomi III. liber unus, fol. quorum primo tractat Janſenius de hæreſi Pelagiana; & in ſequent. naturæ humanæ ſtantis ſeu innocentis vires, lapſæ vulnera, & gratiæ per Jeſum-Chriſtum liberatricis naturam, efficaciam, neceſſitatem, è S. Auguſtini principiis eruere contendit. Prodiit Lovanii apud Jacobum Zegers 1640. & Pariſiis eodem anno, ac paulò poſt Rothomagi.

Narrant aliqui, Janſenium hoc Opus meditantem, omnia S. Auguſtini Opera fere decies, libros vero de Gratia & libero Arbitrio ut minus trigeſies à capite ad calcem evolviſſe, decerptis & in adverſaria per claſſes diſtributis, quæ in rem ejus videbantur.

Hic liber, hic eſt, è quo dein tot tantæque contentiones ac ſciſſuræ exortæ ſunt in Eccleſia Dei. Urbanus VIII. Pont. per Bullam *In eminenti*, eum in ipſo ſui exordio proſcripſit die 4. Martii 1641; uti & Innocentius X. per Bullam: *Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus Auguſtinus &c.* datam 31. Mai 1653, quâ ad inſtantiam LXXXV. Præſulum Galliæ quinque Propoſitiones ex eodem libro excerptas ut hæreticas condemnavit. Alexander VII. Pont. die 14. Februa. 1664. per Bullam *Regiminis Apoſtolici*, *Formularium* præſcripſit, quo voluit, quinque Propoſitiones præfatas, *in ſenſu ab authore Janſenio intento damnatas*, ab omnibus rejiciendas eſſe, eidemque Formulæ ſubſcribendum.

Exinde Janſeniana hæreſis, adinſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, per varios gyros & cavillationum deflexus, pondus authoritatis, quâ damnabatur, effugere conabatur. Adinventa fuit *vana Juris & Facti diſtinctio*: ac ſufficere quibuſdam videbatur, ſi quinque Propoſitiones damnando, de ſenſu Janſeniani libri, *obſequioſum* (ſic ipſi vocabant) ſilentium teneretur. Hunc ſubdolum errorem præcidit Clemens XI. Pont. per Bullam: *Vineam Domini Sabaoth*: datam 16 Julii 1705, quâ Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones confirmando & innovando, ſimul declaravit, obedientiæ quæ iiſdem debetur, obſequioſo ſilentio minimè ſatisfieri; ſed damnatum in quinque Propoſitionibus præfati Janſeniani Libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ab omnibus Chriſti fidelibus, ut hæreticum, non ore ſolum, ſed & corde rejici ac damnari debere; nec aliâ mente, aut credulitate, ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe. Sic itaque cum S. Auguſt. dici poteſt. *Româ Reſcripta venerunt: cauſſa finita eſt: utinam & error aliquando finiatur!*

CORNELIUS DE JODE,

Antverpianus, Coſmographus clariſſimus, vitâ, eruditione ac moribus inſignis, Norvegiam, Daniam, Iſlandiam, aliaſque remotas regiones typis evulgandis, perluſtravit. Verùm optimis conatibus præpropera & invida mors lævum pedem oppoſuit: dum enim ex Hiſpaniis in Belgium cogitat, de efferenda magnâ auri quantitate ſollicitus quam ſibi coacervaverat, quamque Edictis Regiis vetitum erat efferre, hoc tandem ſtratagema ſibi profuturum cogitavit. Adaptavit ſibi, non ferreum ſed aureum thoracem ſive pectorale, ſicque itineri ſe dedit: eâ ratione frigus pectus invaſit. Aurum itaque quod aliis vitam, illi mortem & exitum attulit Montibus Hannoniæ anno 1600, in florida 32. annorum ætate. (Ita de eo Swertius.) Sepultus fuit Montibus in Æde primaria D. Waldetrudis, cum ſequente Epitaphio. Edidit

Introductionem Geographicam in Tabulas Europæ, Aſiæ, Africæ, & Americæ, à ſe evulgatas, 1595. fol.

D. O. M. S

Cornelio de Jode, Antverpiano, Coſmographo Clariſſ.

Vitâ, eruditione ac moribus inſigni:
Qui cum Norvegiam, Daniam, Iſlandiam, aliaſque remotas Regiones Typis evulgandis, perluſtraſſet,
Hâc iter ex Hiſpaniis faciens
Morbo correptus
Obiit XVII. Octobris CIↃ. IↃ. C.
Ætatis vero ſuę XXXII.
Fratres mœſti poſſ.

Vita mori dederat, Mors vivere, vita labores
Cum lacrimis, lætam mors dedit huic requiem.

CORNELIUS KEMPIUS,

Natus Doccomii in Friſia, bonis ibidem litteris ac moribus operam dedit. Scripſit

De Origine, Situ, Qualitate & Quantitate Friſiæ, libris III. Coloniæ, 1588. 8. apud Goſuinum Cholinum. De hoc libro habes judicium Suffridi Petri libro de Scriptoribus Friſiæ, quo *Kempii* vitam ac ſtudia breviter complexus eſt.

Obiit Groningæ, circa annum Domini, 1587.

CORNELIUS KILIANUS,

Alias Van Kiel, ex Duffela, Brabantiæ inter Mechliniam & Liram Municipio, conſtantis laboris & perennis induſtriæ laude quinquaginta annis Plantinianæ typographiæ Correctorem egit; quàm fideliter, peritè, doctè, ipſi loquuntur libri, quos typographia illa procudit, in primis nitidos, elegantes, & ſine nævo.

Latinitate diſertus, verſificatu felix, quemadmodum *Epigrammata* varia & faceta (à lepido ac faceto ingenio profecta) ſparſim edita, itemque *Venationes Ferarum, Avium & Piſcium, à Joanne Stradano* depictæ, *à Philippo Gallæo* æri inciſæ editæque, carmine à *Kiliano* illuſtratæ, aliaque id genus fidem faciunt.

Vernaculam quoque linguam excoluit, cultumque illius ac proprietatem revocavit, edito *Etymologico Linguæ Teutonicæ*, ſeu Dictionario Latino-Flandrico, collatis obiter aliis quoque idiomatibus, typis Plantin. 1599. 8. & Alcmariæ, 1605. cum Auctario *Ludolphi Potteri*, Grocningenſis.

Vertit in Linguam Flandricam *Lud. Guiciardini Deſcriptionem XVII. Provinciarum Belgii:* Item

Philippi Cominæi Hiſtoriographi celeberrimi Memorialia; typis Moreti.

Homilias Macarii, ibidem.

Edidit quoque *Icones illuſtrium fœminarum novi veteriſque Teſtamenti*; *Item Icones Prophetarum majorum & minorum Vet. Teſtam: verſibus Illuſtratas.*

Obiit Antverpiæ, ætate provectus, anno 1607, ipſo Paſchatis feſto, ſepultus in cœmiterio Baſilicæ Marianæ, appoſito eleganti Epitaphio.

D. O. M.

Cornelio Kiliano, Duffloeo,
Conſtantis laboris
Et
Perennis induſtriæ laude
Ornato, & amato Viro.
L. annis Plantin. Typographiæ
Correctorem geſſit,
Quam fideliter, peritè, doctè,
Ipſos rogate libros, elegantiâ, nitore,
Famâ æternæ artis primos.
Nec ſemper alienos tractavit,
Cum & ſuos reliquerit,
Latinâ oratione diſertus, verſificatu
Felix, Patriam quoque Eloquentiam
Excoluit, cultumque ejus
Et proprietatem revocavit.

Digitized by Google

Obiit ætate operibuſque gravis, M. D. C. VII. ipſo Paſchatis feſto.

CORNELIUS LANCILOTTUS,

Machlinienſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Doctor Theologus, *Henrici* ejuſdem Ordinis frater germanus, linguarum, præter vernaculam, gallicæ, hiſpanicæ, italicæ callentiſſimus. Variis muneribus in Ordine functus fuit, Conventûs non unius Rector, totiuſque Ordinis ſui per Belgium ann. 1607. Prior Provincialis. Primus coloniam Auguſtinianam in urbem deduxit Antverpienſem, atque Ædem ſacram ſuâ potiſſimùm induſtriâ è piorum eleëmoſynis condidit, ſymbolam in primis conferente *Henrico vander Goeſio*, S. P. Q. Antverp. à Theſauris.

Vir ob ſingularem doctrinam, morum modeſtiam atque affabilitatem, ob prudentiam vitæque integritatem omnis ordinis ac nationis hominibus longè gratiſſimus. Edidit

Nectar & Antidotum, ex Operibus D. Auguſtini collectum, & digeſtum ordine alphabetico, contra ſectatores quoſlibet.

Item *Pancarpium Auguſtinianum*: continens *Vitas SS. Auguſtini*, *Monicæ*, *Nicolai Tolentinatis*, *& B. M. Virginis Encomium*; itemque *Sodalitatis corrigiatæ Privilegia*, *Indulgentias* &c. typis Plantinianis.

Vitam Divi AUGUSTINI, fuſiùs quoque deſcripſit. Ibid. 1616. 8.

Lucerna Vitæ perfectæ, *cum Sacerdotalis tùm Monachalis*, *juxta Regulam D. Auguſtini*, à morte prodiit. Ibid. typis Verduſſii, 1642. 4.

Tollitur è medio Antverpiæ, dum ſauciatis ac moribundis militibus ſolatium ſpiritale impertit, inter ipſa pietatis officia, peſtiferis pœdoribus obnoxia, æger ab ægris reverſus, anno vitæ XLVIII. à Chriſto nato 1622. die 20. Novembris.

Sepultus apud ſuos, hoc Epitaphio, in ſummo Choro.

D. O. M.
Hîc conditur Ædis hujus Conditor
Et Cœnobii Rector,
Admodum Rev. Pater
CORNELIUS LANCILOTTUS, S. T. D.
Qui Provinciæ clavum tenuit,
Et Coloniam Auguſtinianam
Huc deduxit.
Virtus & doctrina hunc extulit.
Sed heu! mors acerba ſuſtulit
Inter officia pietatis
Ægrum ab ægris reverſum.
Finiit anno vitæ ſuæ XLVIII.
M. D. C. XXII. XIII. Kal. Novembr.

CORNELIUS LAURIMANNUS,

Ultrajectinus, Scholæ patriæ moderator, Rhetor & Poëta Comicus, ſcripſit

Odas Annales, juventuti Scholæ Ultrajectinæ modulandas.

Item Comœdias ſacras, *Militem Chriſtianum*. Antver. typis Guil. Silvii: *Heſteram* Reginam, Lovanii apud Ant. Bergaigne; *Exodum*, ſive Tranſitum maris rubri: *Thamar* & *Tobiam*; itemque *Nabath* Tragi-Comœdiam, atque alia Poëmata, quę Manuſc. poſſedit olim *Joannes de Jonghe*, in ſacro Conſiſtorio Machlinienſi Advocatus.

Sed & *Joannis Beleti*, Doct. Pariſienſis *Rationale de Divinis Officiis*, caſtigavit, ediditque cum duplici Præfatione. Antverpiæ apud Steelſium in 16.

Diem ſupremum obiit Ultrajecti, anno 1573. menſe Aprili, ſepultus in Choro Eccleſiæ B. Mariæ de Civibus, ut tunc vocabant. Chorus enim ille an. 1586. authoritate Magiſtratûs divenditus ac dirutus fuit, hodieque ædes novas is locus excitatas habet.

CORNELIUS LIENS,

Urbis Zirixeæ Medicus ordinarius, pòſt municipii Aggeris Martiniani in Tolenſi Zelandiæ inſula Prætor (vulgò Droſſardum vocant) ibidemque inter Toparchas ejuſdem loci ſub magnifico monumento, quod ſibi vivus fieri curaverat, reconditus poſt annum 1636. Edidit

Concertationem Epiſtolicam, cum Adverſariis Phil. Lansbergii. Ziriczeæ 1614. in 8.

CORNELIUS LOOSE,

Sive CALLIDIUS, Gaudanus, ſive Chryſopolitanus (ut enim cognomen latino, ita nomen urbis natalis græco vocabulo expreſſit) anno 1564. promotus Lovanii inter Pœdagogii Porcenſis alumnos, in ſecunda (ut aiunt) linea. Inde Theologus Moguntinus, Canonicus in patria, ac pòſt rebus in Batavia turbatis, Vice-Paſtor ad S. Mariam de Capella Bruxellis. Scripſit

Illuſtrium Germaniæ utriuſque Scriptorum Catalogum. Moguntiæ, 1581. 8. Quo in libro nimis calidè in novorum Epiſcopatuum erectionem incurrit: & dum Scriptores nobis promittit, ſolas ferè Urbes, Scriptorum ſedes natales, depingit.

De Tumultuoſa Belgarum rebellione ſedanda, ſive, ut ipſe inſcripſit, *De ſpiritu vertiginis utriuſque Germaniæ in Religionis diſſidio, &c.* Ibid. 1579. & 1582. 8. Item Luxemburgi, 1580. 4.

Defenſionem Urbis & Orbis: adverſus Chriſtianum Frankenium, ceteroſque Sectarios, ἀρτολατρίαν impiè aſſerentes. Mog. 1581. 8.

Duellum Fidei & Rationis; an in Euchariſtiæ Sacramento verè ſit Corpus Domini: adverſus Paradoxa VI. Frankenii. Ibid. 1581. 8.

Apologiam in Orationem Philippi Marnixii, pro Sereniſſ. Archiduce Auſtriæ Matthia & Ordinibus Belgicis, Wormatiæ habitam. Luxemb. 1578. 4.

Eccleſiæ Venatum. Coloniæ, apud Godef. Campenſem, 1585. 8.

Thuribulum aureum ſanctarum Precationum. Moguntiæ, 1581.

Apparatum Menſæ Dominicæ: in quo ſunt pia Exercitia, Preces ac Meditationes. Coloniæ, 1591. 12.

Officium Venerabilis Sacramenti, cum Precibus. Ibid. 1591. 12.

Epitomen Melchioris Cani, Dominicani, *De Locis Theologicis.* Moguntiæ, in 8.

Denique Scholis, primumquo diſcere incipientibus, libellum dedit, hoc titulo: *Scopæ Latinæ, ad purgandam linguam à barbarie*, Alphabeticâ ſerie. Ibid. 1582. 8.

Conſcripſerat & libros aliquot in Lamiarum patrocinium, *De vera ac falſa Magia*, temerè & præſumptuoſè, ut ipſe in Palinodia ſua coram *Petro Binsfeldio*, Epiſcopi Treverenſis in Spiritualibus Vicario Generali, aliiſque anno 1592. die XV. Martii, teſtatus eſt, quâ illos ipſos libros, à ſe compoſitos, & articulos iis contentos, ut erroneos, ſeditioſos, ac temerarios, contraque communem Doctorum Theologorum ſententiam, revocavit, damnavit, & pro non dictis atque aſſertis â ſe haberi voluit. Palinodiam *Looſei* recitat Martinus Delrius Appendice I. ad librum V. Diſquiſitionum Magicarum.

Obiit Bruxellis, circa annum 1597. quo extremæ ſuæ voluntatis tabulas condidit, & petiit ſepeliri in cœmeterio Eccleſiæ, quam Capellam vocant, ante imaginem Chriſti bajulantis Crucem.

Digitized by Google

CORNELIUS LUMINÆUS A MARCA,

Gandavenſis, Religioſus ad D. Petrum in monte Blandinio, (quod eſt Inſtituti S. Benedicti Cœnobium, juxta Gandavum) Poëta, Orator, Hiſtoricus; in ſingulis ita eminens atque excellens,

- - - - *Ut omnia in unum*
Conſluxiſſe putes cœlica dona virum.

Potiſſimùm tamen in Tragicis, in quibus ea ubique elucet verborum ac ſententiarum majeſtas, ut nihil ferè hîc debeat priſcis, quibus non æquare ſolùm, ſed & præferre eum liceret, niſi vetuſtatis obſtaret reverentia. Orationes certè, perpetuis ad Scripturas ſacras alluſionibus, velut vernantibus quibuſdam floſculis, adornatæ, quoddam Chriſtianæ eloquentiæ ſpecimen exhibent. Fidem hujus rei faciunt,

Tragœdiæ ſacrę III. *Dives Epulo*, *Carcer Babylonius*, *Jephte*. Item *Leſſus ſacri*, *& Miſcellanea*.

Orationes ſacræ VIII. *Encomium D. Virginis aſſumptæ*, *S. Catharinæ Senenſis*, *D. Pauli converſi*, *D. Thomæ Aquinatis* : *De Jubilæo ſacerdotali R. Adm. D. Corn. Columbani Vrancx*, Abbatis : *in Primitiis* R. & Doctiſſ. Viri *Ant Sanderi* : *De Paſtore bono*, *& Paſſione Dominica*.

Duces Burgundiæ, *iidemque Flandriæ Comites*, *& res ab iis geſtæ*. Edita hæc ſimul Lovanii, typis Phil. Dormalii, 1613. 8.

Acceſſere his *Pleias ſacra*, conſtans Orationibus, *Hyas ſacra*, & *Corona Virginea*, ſive de laudibus potiſſimùm Virg. Matris Homiliæ XII.

Item *Muſæ Lacrymantes*, ſeu *Pleias Tragica*, id eſt Tragœdiæ ſacræ VII. *Buſtum Sodomæ*, *Abimelech*, *Jephte*, *Sampſon*, *Saul*, *Amnon*, ſive Inceſtus Thamarę, *Sedecias*. Duaci, 1628. 4.

Denique *Stemmata & Flores*, ſive *Diarium Sanctorum*, verſibus Jambicis. Ibid. 1628. 4.

Meditabatur editionem *Hecatombes*, ſive *Homiliarum centum*, *de variis Religionis Chriſtianæ myſteriis*.

CORNELIUS MANILIUS,

Gandenſis, artem exercuit typographicam, Latinis etiam litteris non vulgariter imbutus, Gualteri itidem typographi pater; deſcripſit, typiſque ſuis excudit,

Pompam Triumphalem Philippo II. Hiſpp. Regi, Gandavi, cùm iſtic Velleris aurei Comitia celebraret, exhibitam; Latinè, Gallicè, Flandricè, 1558.

Drama item vernaculum *de morte*.

CORNELIUS MARTINIUS,

Antverpienſis, Philoſophus, in Academia Julia ſeu Helmſtadienſi apud Germanos vixit, hæreſi Lutheranâ infectus. Edidit

Commentariorum Logicorum, adverſus Ramiſtas, libros V. Helmſtadii, 1623. in 8.

Metaphyſicam, Jenæ eodem anno in 8.

Notas in Apuleium περὶ ἑρμηνείας; cum Notis Gerardi Helmenhorſtii.

De Statibus Controverſis. Helmſtadii ac Lipſiæ 1600.

CORNELIUS MARTINIUS,

Zelandus, edidit gallicè

Genealogias Foreſtariorum & Comitum Flandriæ, cum brevi *Hiſtoria de Vitis eorumdem*, ex melioris notæ Chronographis : ad Sereniſſ. Belgarum Principes ALBERTUM & ISABELLAM. Antverpiæ excudit Joan. Bapt. Vrientius, cum Iconibus.

Scripſiſſe præterea *Genealogias illuſ-*

ſtrium Familiarum Ordinis Velleris Aurei, teſtatur in ſua ad ſtemmata genealogica præfatione Pontus Heuterus.

CORNELIUS MUSIUS,

Vlaerdingâ, opido in Batavis antiquiſſimo, oriundus, naſcitur Delphis an. 1503 Idib. Juniis, patre *Joanne Muys*. Primam pueritiam in patria egit. Philoſophiam Peripateticam Lovanii in Caſtrenſi Gymnaſio edoctus, *Conrardum Goclenium* Latinas, *Rutgerum Reſcium* Græcas litteras profitentes attentè audivit, ſtudiorum nactus ſocios *Gerardum Moringum*, *Joannem Haſſelanum*, & alios. Lovanio Gandavum evocatus, juventutem ibidem inſtituit.

Unde Lutetiam primò, dein Pictavium à Carolo Coquinio, Abbate Aquicinctino, cum nobilibus aliquot adoleſcentibus miſſus eſt. Hîc biennium egit, & clariſſimis Poëtis *Joachimo Politi*, *Juliano Havretio*, *Salmonio Macrino ac Joanni Secundo* innotuit. In patriam reverſus, ſacris D. Agathæ Virginibus annos ferè XXXVI. præfuit, omnibus gratiſſimus, hoſpitalis in pauperes, ævi ſui doctis carus, ingenio comi, feſtivo, ſubtili. Sed de vitæ ſuæ curſu *Muſium* ipſum audiamus canentem, Ode *de temporum fugacitate*, ad Jacobum Sanctaragundum Præpoſitum Thoraltanum in Flandria, ſtudiorum ac peregrinationum ſocium:

Matre probâ exortum, nec non fidoque bonoque
A genitore ſatum,
Delphica *me excepit, quâ non urbs altera terris*
Clarior in Batavis:
Seu ſacra templa Dei longè auguſtiſſima ſpectes,
Sive domos nitidas:
Seu populi integros mores, ſanctamque requiras
Innocuamque fidem.
Heic flevi, heic riſi, primùm heic ut diſcere vellem,
Blandus uterque parens
Cruſtula multa dedit, vel poma aut dulcia liba.
Heic ſtudiis operam
Sed ſegnem impendi, donec, genitore ſepulto,
Lovanium *petitur*:
Nobile Lovanium *turritis mœnibus, atque Artibus omnigenis &c.*
Poſtea Gandavum (*ſi DIs placet*) *inſtituendos*
Evocor ad pueros.
Illinc Cortracum *meliori ſorte vocatus*,
Stemmate magnifico
Prognatos doceo, ſed adhuc multa ipſe docendus.
Hîc ego Præpoſitum,
Sed non Præpoſitum, te primùm ludere vidi,
Nunc nuce, nunc que trocho.
Unde & Lovanium, *gelidæ poſt tempora brumæ*,
Teque tuumque ſimul
Cognatum, vere in primo ducoque ſequorque.
Aſt ibi qualis eram,
Nemo te melius novit: me dicere cuncta
Et refricare piget.
Prætereo Atrebatum, *ſtudiis ubi rara, culinæ*
Plurima cura data eſt.
Tandem Pariſiam *læti properamus ad urbem*,
Nec tamen ergo diu
Manſimus, aſt morbis nos inde fugantibus aſpris,
Sive jubente Deo,
Rurſus Lovanium *remeamus, poſtea rurſum*
Pariſios *petimus*:
Queis perluſtratis, tecum per & ampla vireta,
Per Genebaſque domos,
Per Ligerim atque Andes, ſociis comitantibus, altum
Pictavium *venio* &c.

Scripſit verò Musius carmine familiari, ac faventibus Muſis,

Digitized by Google

Inſtitutionem Fœminæ Chriſtianæ, ex ultimo Proverbiorum capite.

Odas & Pſalmos aliquot. Pictavii, typis Marneffiorum. 1536. 4.

De Temporum Fugacitate, deque ſacrorum Poëmatum Immortalitate. Ibid. 1536. 4.

Imaginem Patientiæ, verſu elegiaco.

Tumulorum Deſiderii Eraſmi libellum. Lovanii 1536. in 4. apud Reſcium.

Encomium Solitudinis, Rythmicè. Antver. typis Plantini, 1566. 4.

Hymnum de S. Cornelio S. Agatha &c.

Denique *Monachum*, & *Silvulam Precationum Regiarum*, quas ferunt *Guilielmum II.* Hollandiæ Comitem & Rom. Imp. recitare ſolitum, cum *Muſæi Precibus honorariis*, à morte ejuſdem evulgavit *Lucas ab Obmeer*, Delphius J. U. D. Lugd. Batavor. 1582. 16. apud Joann. Stratium.

Ceterùm *Muſio* Muſarum non ſuffecit laurea: acceſſit & martyrii altera ab impio atque inſano homine *Guilielmo Lumeio*; qui Lugduni Batavorum virum annis LXXII. & laboribus piis fractum, variis & immaniſſimis cruciatuum generibus exagitatum, naſo & auribus truncatis, manuum pedumque digitis, & iis, quæ naturæ honeſtas abdidit, præciſis, per nivem ſanguine innocenti rubentem, ad forum (cui à marmore cæruleo nomen) trahi & in crucem agi juſſit, decimo Decembris die, horâ noctis decimâ, anno 1572.

Plura de *Muſii* Vita ac morte Guilielmus Eſtius S. T. D. in Martyrum Gorcomienſium Hiſtoria (quæ rurſus extat in Actis SS. Julii ad diem X. per PP. Societ. Jeſu) ac Petrus Opmeerus libro de Martyribus Hollandiæ. Epitaphium ipſe ſibi vivens ſcripſerat, è quo viri modeſtiam agnoſcas:

Quod CORNELIUS MUSIUS
Hic in ſepulcro cluditur,
Nemo indecorè lacrumet,
Vivus reſurget denuò.

Æternitati
CORNELII MUSII, Delphii
Sacerdotis, Poëtæ, Martyris,
JUSTUS RYCKIUS Gand. pon.

Sancte ſenex, reſluos mare dum volvetur in æſtus,
Dum feret Eoo Phœbus ab axe diem,
Dum roſeum gelidæ fugient Titana tenebræ,
Humidaque in tenebris Cynthia lumen erit,
Dum LUMINÆI *ſcelus exitiata Tyranni,*
Et Batavûm furias utraque noſcet humus,
Doctrinæ laus rara tuæ intemerata manebit,
Stabit & invicti GLORIA *Martyrii.*

CORNELIUS NEOSTADIUS;

Brielanus, Batavus, Dominus in Sevenhoven, Coppel &c. natus anno 1549. juvenis Duaci, in ipſis ferè Academiæ auſpiciis, ſtudiorum ſuorum auſpicia fecit. Primus Legum Doctor anno 1575. Lugduni apud Batavos renunciatus, poſtmodum ejuſdem Academiæ Curator fuit, atque anno 1580. in ſuprema Hollandiæ Curia Senator.

Filiam *Pauli Buys*, ſupremi Hollandiæ Advocati, (*Penſionarium* vulgo dicunt) uxorem habuit. Et quamquam dignitate & operâ ſoceri ſui favorem procerum meritus eſſe videretur, tamen quidquid dignitatis adeptus eſt, id ſane jure ei contigit. Nam & in litteratura & jure nulli ſecundus, etiam Conſuetudinis moriſque patrii perſcrutator ſummus fuit: eaque quæ per annos 34. ex fori frequentatione didicerat, publici juris fecit. Obiit Hagæ-Comitis anno 1606. ætatis 57. Opera ejus primùm ſeorſim, deinſimul edita, ſunt hæc.

Utriuſque Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæque Curiæ Deciſiones, item

Tractatus de Feudi Hollandici Friſiciquæ Occidentalis origine & ſucceſſione, nec non

Curiæ Feudalis ejuſdem Provinciæ Obſervationum Feudiſticarum Decades ſex,

Digitized by Google

quarum quinque poſthumæ nunquam antehac editæ. Accedunt

De Pactis antenuptialibus Obſervationes & Deciſiones. 4. Hagæ-Comitis 1667.

CORNELIUS OOMS,

Gelenſis, J. U. L. primò Secretarius Illuſtriſſ. Epiſc. Trieſt, tum in Cathedrali Eccleſia Gandavenſi Canonicus Graduatus & Officialis, atque gradatim Archipresbyter, Archidiaconus, ac Decanus. Cum in poſtrema dignitate vixiſſet annis 13. mortem obiit Gandavi anno 1654, ætatis 55. Scripſit

Vindicias pro perilluſtri ac Reverendiſſimo D. Antonio Trieſt Epiſcopo Gandavenſi, adverſus Vindicias aliquot externorum Patrum & Monialium Monaſterii Teneramundani Ordinis Sanctæ Brigittæ. 4. Gandavi 1640. Attamen, ad ſubortas diſſentiones tollendas, utraſque has Vindicias prohibuit S. Congregatio Indicis Romę anno 1646. die 18. Decembris.

CORNELIUS PETRUS,

Leydenſis, Medicus, græcè doctus, ſcripſit

Annotationes in Dioſcoridis libros IV. priores *de Herbis.*

Experimenta & Antidota contra varios morbos; cùm à ſe, tum à *Joanne Spiringo*, celebri Academiæ Lovanienſis Phyſico, quo cum familiariter vixiſſe videtur, obſervata.

De Rebus occultis in Natura mirandis: aliaque Antverpiæ, apud Joan. Graphęum 1533. 8. ſimul edita. Præfatur in indoctos & imperitos Medicos, qui vel Montepeſſulano, vel ſalutatâ tantùm à limine Italiâ, hinc ſine litteris, ſine doctrina aliqua proficiſcentes, novâ transformatione nobis non ſtudioſi Medicinæ ſed Doctores veniunt, veſtibus crepantibus obambulantes, digitos obæratos oſtentantes, & neſcio quid ſplendoris præ ſe ferentes, cùm non plus luminis habeant, quàm lucerna illa Lucianica extincta &c.

CORNELIUS PERDUCCIUS,

Winocibergenſis Flander, è Societate Jeſu, Philoſophiam per annos aliquot in Academia Duacena profeſſus, ſcripſit gallicè

Acceſſum animæ ad Deum per ſemitam confidentiæ Duaci 1635. Tornaci 1642.

Item *les Entretiens & douceurs du S. Amour, enſuite & en vertu d'une attentive conſideration des bienfaits reçus de la main de Dieu.* 12. Valencenis 1656.

Tractatum de Arte bene moriendi. Montibus 1642.

Conſiderationes piæ ſuper beneficio vocationis ad Statum Religioſum & ad cælibatum. Montibus 1647.

Admonitiones piæ ac ſalutares pro facilitando ingreſſu in exercitium Orationis. Valencenis 1651; aliaque plura aſcetica.

Mortuus eſt Valencenis anno 1671. die 6 Decembris, ætatis 78.

CORNELIUS A PYNACKER,

Batavus, è vico cognomine prope Delphos natus, J. C. juvenis honeſtâ ac laudabili ἀποδημία ſtudiorum cauſſâ Galliam, Germaniam & Pannoniam utramque luſtravit, linguaſque varias, etiam orientales, didicit. Patriæ redditus, animum ad forum & forenſes cauſſas tractandas in ſuprema Hollandiæ Curia applicuit. Unde mox evocatus, anno 1611. Profeſſionem Juris in Academia Lugduno-Batava ſuſtinuit, primuſque dein in excitata recens ab illius Provinciæ Ordinibus Groningana Academia Jura ab anno 1615. docuit.

Anno 1624. auſpiciis Ordinum fœderati

derati Belgii, ad Algerianos & Tunetanos profectus fuit, ipſeque de hac ſua Legatione, & rebus aliquot Africanis, quædam ſcripſit. Evulgavit

Jura & Privilegia Militum, è variis auctoribus collecta.

Item *Andreæ Fachinei Controverſias Juris* Centuriis XIII. juxta Pandectarum ſeriem diſpoſuit, ac breviter decidit, 1619. 4.

Mortuus Groningæ die 22. Januarii 1645. ætatis anno 74.

CORNELIUS A SANTVLIET,

Brabantus, ex oppido ſui cognominis apud Antverpiam oriundus, Monaſterii S. Jacobi Leodii circa ann. 1460. Monachus Benedictinus, ingens *Chronicon* ab initio mundi exorſus, ad annum Chriſti 1461. protraxit, ſimulque ſcripſit *De Geſtis Epiſcoporum Leodienſium*; dictus à Joanne Chapeavillo *Scriptor fideliſſimus ac diligentiſſimus*: quippe qui Chronico ejus non ſemel uſum ſe fuiſſe teſtatur.

Fuit autem illud è Manuſcriptis dicti Cœnobii primò editum anno 1729. per Monachos Benedictinos Congregationis S. Mauri Pariſiis in ſua Collectione ampliſſima Veterum Monumentorum Tomo V.

CORNELIUS T'SAS,

Turnhautanus, S. T. Lic. olim Lovanii quartus in Scholis Artium anno 1617. dein Philoſophiæ in Pœdagogio Caſtri, ut & poſtea Theologiæ in Seminario Mechlinienſi Profeſſor, ubi & Præbendam in Eccleſia Metropolitana D. Rumoldi anno 1627. per Privilegia Academica adeptus eſt. Ab Archiepiſcopo *Jacobo Boonen* ad Romanam Curiam pro negotiis & Præſulis & Diœceſios anno 1632. deputatus.

Hinc anno 1638. ad Iprenſem Eccleſiam conceſſit, Præbendâ de Membro S. Martini obveniente viâ permutationis cum *Amato Coriache*, Mechlinienſi poſtmodum Archidiacono. Prodierunt eo Authore libri ſequentes.

Epitome Praxeos Virtutum Theologicarum, Fidei Spei & Charitatis, præſertim quà media ſunt ſalutis. Romæ typis Vaticanis 1632. in 12. Ex qua Epitome deducta dein fuit neceſſitas VII. Punctorum ſeu Articulorum Fidei neceſſitate medii ad ſalutem credendorum. Quod Symbolum prætenſum Innocentius XI. Pont. damnavit 16. Auguſti 1682. unà cum pluribus libellis vernaculis & anonymis id-ipſum inculcantibus.

Tractatus de Singularitate Clericorum, eorumque cum mulieribus vetitâ cohabitatione. 4. Bruxellis 1653. in 4.

Neque ſtudio Theologico tantum, ſed & Juriſprudentiâ claruit *Saſſius*; unde & per annos plures Officialis, & etiam Sede vacante Vicarius Generalis extitit. Ipris, ubi diem ſupremum obiit 8. Octobris 1656, legitur in Eccleſia Cathedrali hoc ejus Epitaphium.

D. O. M.
Piis Manibus ſacrum
R. D. Cornelii Sas, S. T. L.
In hac Eccleſia Cathedr. Canonici.
Qui Pietate, an doctrinâ melior,
Cum dubites,
Certus ſis, in utraque enituiſſe.
Quod de ſe judicium,
publicè legendo, ſcribendo,
Aliis ad exemplum vivendo,
Abundè adſtruxit.
Muniis
Officialis & Vicarii generalis
In hoc Epiſcopatu,
Cum honore functus,
Orbi ereptus eſt VI. Idus Novemb.
M. D. C. LVI. annum agens LXIII.
Quiſquis hæc legis,
Quam tibi optas, beatam æternitatem,
Defuncto apprecare.

CORNELIUS SCHONÆUS,

Gaudanus, Poëta Comicus, Doctorem Philoſophiæ Lovanii habuit *Joannem Beverum*, virum famâ & ingenii ſubtilitate notum. At naturæ ductum ſecutus *Schonæus* Poëſin amplexus eſt, & rem Comicam.

Dedit Comœdias ſacras XVII. quibus ad imitationem P. Terentii veteris Ævi Poëtæ, nomen *Terentii Chriſtiani* indidit. Sunt autem iſtæ: *Naaman Tobæus*, ſeu Tobias, *Nehemias* ſeu de inſtauratione Hieroſolymæ, *Sauli* converſio, *Joſephi* caſtitas, *Judithæ* conſtantia, *Suſannæ* innocentia, *Danielis* Judicium, *Triumphus* CHRISTI, *Typhlus*, *Pentecoſte*, *Ananias*, *Baptiſtes*, *Diſcoli*, *Pſeudoſtratiotæ*, *Cunæ*, *Vitulus*: partim Antver. editæ typis Plant. 1570. 8. & junctim Coloniæ apud Ger. Grevenburchium, 1614.

Item *Carminum libellum*. Ibid. apud Guil. Silvium.

Grammaticam Linguæ latinæ. Harlemi, 8. aliaque.

Deceſſit Harlemi, Scholę illius Moderator per annos XXXVI. anno 1611. ætatis LXXI. die XXIII. Novembris, ſepultus in Eccleſia D. Bavonis, quondam Cathedrali.

Rector juventæ, Muſici doctor gregis,
Schonæus *egi fabulam fictam p. iùs.*
Veram peregi; ſummus hic actus mihi.
Scenam relinquo. Vos valete & plaudite.

CORNELIUS SCHREVELIUS,

Gymnaſiarcha Lugduno-Batavus, Medicinæ Doctor, ſed Scholiaſtes celebrior, illuſtravit Notis libros Homeri, Heſiodi, Ovidii, Claudiani, Virgilii, Martialis, Juvenalis, Perſei, & Lexicon Heſichii.

Edidit quoque *Lexicon manuale græco-latinum & latino-græcum*, ad uſum ſtudioſæ juventutis ſæpius in Hollandia reimpreſſum; ut & Cantabrigiæ apud Anglos 1685. in 8.

Obiit anno 1667.

CORNELIUS SCHULTINGIUS,

Natus Steinwichii, apud Tranſiſalanos, ſacræ Theol. Licentiatus Colonienſis, ac Regens Burſæ (ut vocant) Laurentianæ in Ubiis, ibidemque ad S. Andream Canonicus, vir pius ac doctus, edidit

Eccleſiaſticæ Diſciplinæ libros VI. Coloniæ.

Bibliothecam Eccleſiaſticam. Ibid. 1599. & 1602.

Opus variarum Lectionum & Animadverſionum adverſus lib. 1. Inſtitutionum Joan. Calvini. Ibid. 1601. 4.

Refutationem totius Theologiæ Calvinianæ, præſertim Inſtitutionum ejuſdem Calvini. Ibid. 4.

Theſaurum Antiquitatum Eccleſiaſticarum; è VII. prioribus Annalium Baronii Tomis, contra Centuriatores Magdeburgenſes ac Calviniſtas, totidem Tomis ordine alphabetico contextum. Ibid.

Tragicomœdiam Conſtantini Magni & S. Helenæ. Ibid. 1602.

Confeſſionem Hieronymianam, è D. Hieronymi Operibus, juxta Locorum Theologicorum capita, Tomis IV. apud Mylium, 1584. fol.

Denique *Hierarchicam Anacriſin*, adverſus varios Calviniſtarum libros, & celebratas ab iiſdem Synodos. Ibid. apud Herm. Hobergium, 1604.

Inter vivos agere deſiit, anno 1604. die D. Georgio Martyri ſacro, ad S. Andream ſepultus, appoſito ſequenti Epitaphio. Fratrem habuit *Petrum Schultingium*, J. U D. & Profeſſorem, ac Senatûs Agrippinenſis per XXX. annos Syndicum. De proſapia

Digitized by Google

Schultingiorum legitur Carmen *Guil. Halcandri*, Colonienſis, præfixum Bibliothecæ Eccleſiaſticæ.

Hæc tibi CORNELIUM SCHULTING
præſentat imago
Vivum, quà vivus conſpiciendus erat.
Robore vaſtus erat, canus, vultuque decorus,
Dotibus ingenii ſummus & oris erat.
Laurentî primùm docuit, poſt rexit alumnos,
Hinc gravitas, illinc dulcor & oris erat.
Illud Apoſtolicæ fecit, hoc Ædis alumnum
Andreæ, merito præmia digna viro.
Hæc ubi pertæſus, ſcriptis inclaruit urbi,
Quin orbi, ingenii dans monumenta ſui.
Oſſa ſub hoc ſaxo latitant defoſſa ſepulcro,
Spiritus in cælo, carcere miſſus, agit.

CORNELIUS SCHYLANDER,

Albiſſenſis, Batavus, Medicus Antverpienſis, ubi & apud Bogardos Chirurgiam ſe publicè prælegiſſe præfando teſtatur. Scripſit autem

De Medicina Aſtrologica libros IV. Antver. apud Joan. Withagium, 1575.

Practicam Chirurgiæ. Ibid. typis Nutii, 1577. 8.

CORNELIUS SCUTIUS,

Medicus & Mathematicus Brugenſis, in Academia Lovaniensi Medicinæ Doctor creatus anno 1541. Edidit

Diſſertationem de Medicina, habitam Brugis, cum ibidem Galeni Therapeutica publicè explicaturus eſſet. Antverp. 1546.

Diſputationem Aſtrologicam ac *Medicam* contra Diarium (quod Almanachum vulgò vocant) *Petri Brubeſii* à Rithoven; Græcè ad Franciſcum Craneveldium (ut vel inde hominis ingenium agnoſcas) & Latinè ad D. Haloinum Equitem. Antver. 1547.

CORNELIUS DE SNEKIS,

Friſius, natus in Indick, propè Snekam, Ordinis S. Dominici, S. Theol. Doctor & Profeſſor in Roſtochienſi Academiâ & Prior Provincialis per Saxoniam, Franciam, Poloniam, ac Congregationis Hollandiæ anno 1505. Vicarius generalis. Scripſit

Defenſionem Eccleſiaſticorum, adverſus Sebaſtianum Polonum, Miniſtrum Lutheranum, in 4.

Sermones XXI. ſuper Fraternitate de Serto Roſaceo B. MARIÆ *Virginis*, cum adjunctis, à Judoco Badio Lutetiæ evulgatos, 1514. Roſtochii 1517. & MSS. Lovanii ad S. Martinum.

Accedunt *Conciones Synodales* ejuſdem, Halberſtadii 1511. & ſequent. habitæ ſub Erneſto Duce Saxoniæ, Magdeburgenſi & Halberſtadienſi Præſule.

Sermones XV. de Roſario, ſeu Tomus alter Concionum ejus, ſervatur MSS. apud Prædicatores Moſætrajectinos.

Sermones LXXV. ſuper Miſſus eſt: extant MSS. apud Prædicatores Calcarienſes in Clivia.

Priorem agebat Conventûs Roſtochienſis, dum peſtis Lutherana illic invaluit: quin & cum ipſo Martino ſæpius diſputaſſe fertur: Fideique Romano-Catholicæ veritatem adeo evidenter demonſtravit, ut ab adverſariis ad necem conquiſitus refugium apud Joachimum Electorem Brandeburgicum quærere cogeretur: apud quem toto fermè biennio egit.

Tandem in Friſiam, caram patriam reverſus, in Conventu ſuo Leovardienſi, ubi vitæ regularis ſpiritum hauſerat, mortalis vitæ terminum poſuit, die 14. ſeptembris 1531. ſepultus ibidem in choro, morum gravitate & vitæ ſanctimoniâ reverendus.

CORNELIUS A SOMEREN,

Dordraci natus anno 1593, hauſtis in Academia Leidenſi Medicinæ principiis, ac dein inſtitutâ peregrinatione in Galliam, Doctoralem Medicinæ Lauream anno 1615 ſuſcepit ibidem in Univerſitate Cadomenſi. Dumque Artem illam ſummâ omnium laude proſequitur in Patria, ibidem quoque extitit Scabinus, Præſes, Theſaurarius, Commiſſarius Admiralitatis in Zelandiâ. Tandem obiit Dordraci die 11. Decembris 1649. ætat. 57, relicto filio *Joanne à Someren* J. C. Clariſſimo, de quo inferius.

Scripſit Epiſtolas & Tractatus *De calculo renum & veſicæ*.

De variolis & morbillis 8. Dord. 1641.

De Vitæ termino.

De Unitate librum ſingularem ad S. P. Q. D. Dord. 1639. Reliquit item plures Tractatus ineditos, qui penes heredes remanſerunt.

Conſilia & Obſervationes Medicinales.

Librum ſingularem Conſiliorum de Morbis mulierum.

Obſervationes Chirurgicas.

Methodum curandarum febrium.

Epiſtolas ſuas, cum Doctorum Virorum Reſponſis.

CORNELIUS A SWANENBURG,

Juris U. D. & Profeſſor Leidenſis, apud Batavos, natus ibidem anno 1574. die XII. Septemb. quinque ante Academiæ diem natalem menſibus. Puer admodum à patre optimis præceptoribus traditus erudiendus, optimam quoque de ſe ſpem ad altiores ſcientias præbuit laboremque ſuum ſtudio Juris Leidæ ac Duaci impenſum ejuſdem Leidenſis Academiæ Curatoribus ita probavit, ut an. 1597. publicum profitendi munus adhuc juveni impoſuerint: quam provinciam totis annis XXXIII. ſuſtinuit. Scriptorum nihil reliquit præter unicum libellum,

De Jure accreſcendi, Leidæ editum, 1633. 12.

Defunctum 12. Maii 1630. pro funere laudavit *Petrus Cunæus*, J. C. Leidenſis.

CORNELIUS VALERIUS,

Veteraquenſis (quod Hollandiæ opidum eſt, vulgo *Oudewaeter*,) natus eſt circa an. 1512. Puer *Georgii Macropedii* diſciplinæ traditus, triennio nondum exacto, Lovanium miſſus eſt, & annos ferè ſex *Conrardum Goclenium* latinas, *Rutgerum Reſcium* græcas in Collegio Trilingui docentes litteras audivit. In patriam revocatus, annos totidem Rhetoricen tradidit.

Mox Lovanium rediit cum nobilibus aliquot adoleſcentibus, & luſtratâ cum iiſdem Galliâ, iterum Lovanium reverſus, decimo pòſt anno amico ſuo *Petro Nannio* linguæ Latinæ in Collegio Trilingui Profeſſori anno 1557. ſucceſſit; provinciamque illam ita fideliter ſubivit, nihil ut puriùs ac terſiùs dici quàm à *Valerio* poſſe videretur, *utrique paginæ factum ingenium*, (ut in Batavia ſua ſcribit Junius) *in utroque dicendi genere pænè par*; atque adeò *non minùs diſertus utiliſque, poſtquam loqui deſiit, quàm clarus & æternus, poſtquam ſcribere*, uti in Monumento legitur ſepulcrali; quod dudum neglectum, Præceptori de ſe deque Nobilitate Belgica optimè merito gratus diſcipulus perilluſtris atque Ampliſſ. D. *Georgius ab Auſtria*, Cancellarius, anno 1610. poſuit.

In docendo eâ utebatur methodo, quam volebat omnibus bonas Litteras profitentibus inculcatam, ut Philoſophiam in ſocietatem vocarent; Dialecticam, dico, Phyſicam, eamque

Digitized by Google

Ioannes Calvinus Noviodunensis Ætatis suæ 54 Anno 1563

Digitized by Google

quæ de Moribus eſt : contrà atque putidi quidam magiſtelli, qui bonas litteras barbaro & impuro, ne dicam Sophiſtico ore profanant.

Deſcripſit verò nitidè ac terſè totam Artium encyclopædiam ;

Grammaticarum Inſtitutionum libros IV.

Rhetorices & Dialectices Tabulas.

Phyſicæ, ſeu *de Naturæ Philoſophia Inſtitutionem.*

Sphæram, ſeu *Primæ Aſtronomiæ ac Geographiæ Præcepta.*

Ethicæ ſive *Moralis Philoſophiæ Epitomen.* Omnia typis Plantinianis, & alibi, non ſemel edita ; à nonnullis Erotematibus, ab aliis verſibus adornata.

Dedit & breves *Animadverſiones in Officia Ciceronis, cum Canteri ac Cauchii Notis.*

Orationem Funebrem in obitum Jacobi à Meloduno, Lovanii apud Velpium, 1560. 4.

Triumphum Caroli V. Cæſaris, urbem Ultrajectinam ingredientis, carmine heroïco ; typis Plantini, 1566. 16. cum *Andreæ Scorelii* Poëmatibus.

Colloquia Gallica Noëlis Barlemontii Latinè reddita. Lovanii, & alibi.

Viſæ ſunt præterea variæ *Cornelii Orationes ac Præfationes* in Profeſſionis ſuæ auſpiciis dictæ ; itemque *in Funere Petri Nannii*, *& Caroli V.* Cæſaris : aliaque, quæ in Collegio Trilingui Manuſſ. adſervari dicuntur.

Vivere Lovanii deſiit an. 1578. ætatis LXI. die 11. Auguſti, in D. Petri depoſitus, hocce Epitaphio

D. O. M.
CORNELII VALERII
Ultrajectini
Oſſa
Heic condita & conſumpta :
Nomen
Adſcribere aliena pietas voluit,
An aliena tamen ?
A Diſcipulo venit.
Et quantus ille cui venit ?
Meruit
Juventutem Belgicam
Ore & ſtylo.
In Collegio Trilingui
Docuit,
Non minus deſertus utiliſque,
Poſtquam loqui deſiit ;
Quam clarus & æternus,
Poſtquam ſcribere.
GEORGIUS AB AUSTRIA
Præpoſitus hujus Eccleſiæ
Et Academiæ Cancellarius
Neglectum XXXII. ann.
Monumentum Præceptori P. C.
Ann. M. D. C. X.
Vixit ann. LXVI. Docuit XXI.
Obiit M. D. LXXIIX. III. Eid. Sext.

CORNELIUS VERDONCK,

Turnhautanus, Campinienſis, Muſicus excellens, nec phonaſcis Italiæ impar. Primos juventutis annos *Cornelio Prunio* Senatori & Theſaurario Antverpienſi conſecravit, poſtremos *Joanni Carolo de Cordes*, Topharchæ in Wichelen & Cerſcamp.

Inſignem ejus in arte Muſica peritiam extollit familiaris ejus Franciſcus Swertius, in Athenis ſuis Belgicis, eique adſcribit *Cantiones prophanas*, *quas & Moteta vocant*, typis Phaleſii Antverpiæ & Amſtelodami.

Deceſſit Antverpiæ, anno 1625. die 4 Julii, ſepultus apud Carmelitas, hoc Epitaphio.

D. O. M. S.
Siſte gradum Viator,
Ut perlegas quam ob rem
Hic lapis litteratus ſiet.
Muſicorum Delitiæ
CORNELIUS VERDONCKIUS
Hoc cippo cheu clauſus!
Perpetuum ſilet.
Qui
Dum vixit..

Voce & arte muſicâ
Mortem,
Surda nî eſſet,
Flexiſſet.
Quam dum fruſtra demulcet,
Cæli choris vocem æternùm
Sacraturus abit,
IV. Non. Jul. anno M. D. C. XXV.
Ætat. LXII.
At tu bene precare Lector
Et vale.
Clienti ſuo mœſtus ponebat
DE CORDES.

CORNELIUS VANDER WOUDE,

Alcmarienſis Batavus, edidit vernaculè

Chronicon Alcmarienſis Oppidi ejuſque Diſtrictûs. 8. Alcmariæ 1645. & 1658.

CORNELIUS WYTFLIET,

Lovanienſis, J. C. & ampliſſimo Brabantiæ Senatui primùm à Secretis, ac dein ab Actis (Graphiarium vocant) vir ut in Jure, ita in ceteris artibus, multùm ac variè verſatus: dedit

Deſcriptionis Ptolemaicæ augmentum, ſive *Occidentis Notitiam* brevi Commentario illuſtratam: quo inventionem, ſitum ac mores illarum Provinciarum proponit. Lovanii, 1598. fol. typis Gerardi Rivii, & gallicè Duaci libris II. quorum primus Hiſtoriam continet Indiæ Occidentalis; alter Orientalis, auctore *Antonio M.* typis Franciſci Fabri, 1605.

CUNERUS PETRI,

A Brouwers-Havia, quod Zelandiæ opidum eſt, in pago *Duyvendyckio* natus, ſed Brouwers-havii educatus; Lovanii in Pædagogio Caſtrenſi curſum ſtudii Philoſophici abſolvit, promotus anno 1550. duodecimus primæ Lineæ. Datâ hinc Litteris ac ſtudiis ſacris diligenti operâ, eadem in vicina Parcenſi Norbertini Ordinis Abbatia ipſe interpretatus eſt. Inde ad D. Petrum Plebanus, ac S. Theol. Doctor anno 1560. creatus. Fuit omnis novitatis oſor, ideoque præſertim *Michaelis Baii*, Doctoris Theologi, ejuſque doctrinæ adverſarius, cui & palam & ſcriptis ſæpius reſtitit.

Tandem primus Leovardienſium, apud Occidentales Friſios, conſtitutus eſt Epiſcopus, Cathedræque poſſeſſionem an. 1570. Kalendis Februarii accepit, Clero Senatu populoque ad Eccleſiam S. Viti comitante.

Synodum primam habuit eodem anno, die XXV. Aprilis, *Statutaque* Lovanii edidit, Hieron. Wellæi typis; edita rurſum anno 1719. in Hiſtoria Epiſcop. Leovard. per Heuſſenium.

Quamdiu licuit, nihil prætermiſit quod boni eſt Epiſcopi. Verùm invaleſcente factioſorum Calviniſtarum atque Anabaptiſtarum adverſus legitimum ſuum Principem rebellione, occupatâque ab iiſdem Leovardiâ captus, arcique Harlinganæ mancipatus, biennio exacto, dimiſſus, & Epiſcopatu depulſus, Monaſterii Weſtphalorum aliquamdiu ſubſtitit, Coëpiſcopi ſeu Suffraganei munere functus, ac reliquum deinde vitæ Coloniæ in Ubiis exul tranſegit, Sacraſque ibidem Litteras publicè interpretatus eſt. Scripſit

De Sacrificio Miſſæ. Lovanii, 1572. 8.

De Meritorum Chriſti & Sanctorum conſenſu. Ibid.

Quæſtiones Paſtorales, & de Cœlibatu Sacerdotum Ibid.

Veræ ac germanæ Eccleſiæ Chriſti Deſignationem, per XIV. proprietates ſive Notas. Ibid. 1568. 8. Eundem Tractatum anno 1698. inſeruit Tomo VII. ſuæ Bibliothecæ maximæ Pontificiæ Illuſtriſſ. *Thomas Roccabertus* Valentinus Archiepiſcopus.

Digitized by Google

De Principis Chriſtiani officio. Coloniæ, typis Mat. Cholini, 1580. 8.

Ad Principes Electores, de Pace cum Hiſpp. Rege

De Gratia, libero Arbitrio, Prædeſtinatione, Juſtificatione, Indulgentiis, & Divi Petri cathedræ firmitate Ibid. 1583. 8.

Scripſit etiam nonnulla vernaculo ſermone, ut *contra Anabaptiſtas, de Purgatorio* &c.

Moritur ærumnis confectus Coloniæ, anno 1580. die XV. Februarii, ætatis ann. XLIX. in Æde ſumma ad Aram SS. trium Magorum humili ſarcophago conditus, appoſito hoc Epitaphio; Vir longiore vitâ & fortunâ feliciore dignus.

Pietati ſacrum.
Occiduæ Friſiæ CUNERUS *Epiſcopus*
(Hoſpes)
Primus & extorris dormit in hoc tumulo.
Gauko Gauk ma, Friſius,
Canonicus Aquiſgranenſis
Ponebat
InItIo annI UnDeCIMI.
R. I. P.

CYPRIANUS CORNELIUS GRAPHÆUS,

Aloſtanus, *Poëmata* quædam edidit Lutetiæ, Aſcenſii typis: ut & *Vitam S. Guilielmi*, Carmine, ad Guilielmum Cardinalem Croyum. An idem cum *Corn. Graphæo*, de quo ſupra actum, adhuc dubito.

CYRIANUS CROUSERS,

Antverpianus, Ordinis FF. Minorum Capucinorum per Tractum Rheni Commiſſarius, ſcripſit

Lectiones paræneticas ad Regulam S. Franciſci, in quibus plurima non vulgaria ad formandos mores Religioſorum, aliarumve ſpiritualium perſonarum documenta ſuggeruntur. 4. Coloniæ 1625. Liber à S. Congregatione Indicis Romæ prohibitus ann. 1656. & 1662. donec corrigatur.

CYPRIANUS A S. MARIA,

Dictus in ſæculo, *Philippus de Plouy*, Dixmudanus Flander, ex Ordine FF. Carmelitarum Diſcalceatorum, Lovanii Prior ac S. T. Profeſſor; obiit Bruxellis die 23. Martii 1653. Edidit

Theſaurum Carmelitarum, ſive *de Confraternitatis S. Scapularis excellentiâ.* Coloniæ 1625. in 4. poſtmodum etiam Monachii & Auguſtæ Vindelicorum recuſum.

Item *Joſeph & Thereſiam, ſeu modum colendi S. Joſeph*, juxta doctrinam & exemplum S. Thereſiæ.

CYPRIANUS A POPMA,

Eloſtanus Friſius, unus fratrum Popmannorum, *Auſonii, Sixti, Titi*, eruditione atque editis ingenii monumentis illuſtrium; ſtudiorum tirocinia Lovanii ac Coloniæ egit, atque æquales inter ingenio induſtriaque excelluit.

C. Salluſtii Opera è membranis emendavit, & *Emendationum* rationes adjecit. Lovanii 1576. 16. apud Wellæum, & Antverp. typis Plant. cum Rivio, Carrione &c.

Henrici etiam *Mediolanenſis Libros de Controverſiis Hominis & Fortunæ*, verſu elegiaco ſcriptos, primus eruit, & *Commentario* illuſtravit. Coloniæ, 1570.

Moritur Eloſti, in patria, & in paternum monumentum infertur, an. 1582. ætatis XXXII. poſtridie Kalen. Octobr.

CYPRIANUS REGNERI AB OOSTERGA,

Swollanus, J. U. Doctor ac Inſtitutionum Profeſſor in Academia Ultrajectina, inauguratus die 19. Martii 1641. *Bernardo Schotano*, ex hac Academia ad Franekeranam tranſeunti ſuc-

ceſſit. Fuit & quartò ejuſdem Rector Magnificus, ac ſenex in fata conceſſit die 24. Octobris 1687. Opuſcula ejus ſunt hæc.

Logica Juridica 12. Ultraj. 1638.

De injuſtitia Legum quarumdam Romanarum; ſimul cum Apologia pro Manibus Petri Cunæi J. U. D. Leydæ 1647. 12.

Diſſertatio de Mutuo, quod ſit alienatio, adverſus Claudium Salmaſium. Leydæ 1640. in 8.

Propempticon ad Salmaſium Ibid. 1640.

Diſſertatio de Jure Canonico. 4 Lugd. 1644.

Cenſura Belgica, ſive Notę & Animadverſiones in Pandectas & Codicem. 4. Ultraj. 1661. 1669.

Cenſura in omnes & ſingulos Canones Juris Canonici. Lugd. 4. 1669.

Cenſura in Novellas, Conſtitutiones Juſtinian. & Conſuetudines Feudorum. 4. Ultraj. 1669.

Item *Methodum Feudorum Ever Bronchorſti* Notis illuſtravit. 8. Ultraj. 1652.

CYPRIANUS RORUS,

Machlinienſis, omnium muſicorum Princeps; teſtantur id cantiones quamplurimæ ab eo in Italia editæ, nunquam auditæ abſque ſumma admiratione. (Ita Swertius in Athenis Belgicis.) Moritur Parmæ, & ſepultus in æde Cathedrali hoc Epitaphio:

CYPRIANO RORO, Flandro,
Artis muſicæ
Viro omnium peritiſſimo,
Cujus nomen famaque
Nec vetuſtate obrui
Nec oblivione deleri poterit;
Herculis Ferrarienſis Ducis II.
Deinde Venetorum,
Poſtremo
Octavii Farneſii Parmæ & Placentiæ
Ducis II. Chori Præfecto,
Ludovicus Frater, Fil. & heredes
Mœſtiſſimi poſuerunt.
Obiit anno M.D.LXV. Ætatis XLIX.

CYPRIANUS STAPERTIUS,

Vulgo dictus VOMELIUS, à Friſiæ occidentalis pago, in quo natus eſt anno 1515. Primis litterarum elementis imbutus in patria, ſolidiora his præcepta Gaudæ, Harlemi, atque alibi adjecit, ſtudiumque Juris, Wittenbergæ feliciter inchoatum, Coloniæ ac Lovanii ad maturitatem perduxit, creatuſque J. U. Doctor Moguntiæ, Comes Palatinus, & Aſſeſſor Cameræ Imperialis, munere illo ab anno 1563, uſque ad diem obitûs annos XV. functus eſt. Scripſit

Silvarum libros III. Erphordię, 1540. quibus acceſſit liber quartus, ibidem 1547. 8.

Odam ad Deum, pro tranquillo Chriſtiani orbis ſtatu, 1546.

Epicedium ad Carolum V. Imp. cùm Palatinatu ornatus eſſet.

Miſcellaneorum librum. Argentorati, 1544.

Virorum aliquot celebrium civitatis Magdeburgenſis Epitaphia.

Deceſſit Spiræ anno 1578. III. Nonas Martii. Depoſitus ad S. Joannem, ſcripto ſibi hoc Epitaphio:

Hoc Friſius condor tumulo CYPRIANUS, *avitâ*
VOMELIDUM à STAPERT *gente demoque ſatus.*
Aoniâ lauri licet arte merebar honorem,
Eſt Aſtræa tamen plus Dea culta mihi.
Teſtis erit Mogani præclara Academia, quæ me
Tradentem audivit Civica Jura frequens.
Teſtis erit Cameræ ſimul Imperiale Tribunal,
Quod colui Aſſeſſor per tria luſtra Spira.
Ut hic, Chriſte, tuum ſupremum exſpecto Tribunal,
Tu mihi non Cenſor, ſed pius eſto Pater.

DAMA-

Digitized by Google

D.

DAMASUS BLYENBURGIUS,

PAtricius Dordracenus, natus anno 1558. è Poëtis variis contexuit

Centonem Ethicum. Lugd. Batavor. 1599. 8.

Veneres Blyen-burgicas, ſive Carmina erotica è diverſis ſimiliter Poëtis congeſſit, & digeſſit. Dordraci, 1600. 8.

Dedit & *Epitomen Operum B Fulgentii*, in XXX. capita diſtributam. Amſtelodami, 1612. 8.

Profectus in Bohemiam anno 1616. deceſſiſſe ibidem creditur.

DAMIANUS A LIGNO,

Antverpianus, Ord. S. Dominici, S. Theologiæ Profeſſor, eruit è tenebris

Jacobi de Vitriaco Sermones de Tempore. Antver. 1575. fol. typis Steelſii.

Obiit ann. 1577. XV. Octob. Regens, ut vocant, Studii Duacenſis.

DANIEL BOMBERGUS,

Antverpianus, vir pius & doctus, de litteris Hebraïcis ita meritus, ut nomen ſuum omnium ſæculorum memoriæ conſecraverit ſempiternæ, & vel ideo quoque hîc memorandus. Nam typographicam exercens artem Venetiis, neque labori nec ſumptibus parcens, publicæ utilitatis gratiâ, plurimis collatis exemplaribus evulgavit ibidem

Biblia Hebræa, cum Maſora & Targum, ſeu Paraphraſi Chaldaïca Onkeloſi *in Pentateuchum*, Hieroſolymitana *in eundem*, Jonathanis *filii Uzielis in Prophetas &c. item cum Commentariis Rabbinorum; unde Biblia Rabbinica dicta:* cum Præfatione latinâ Leoni X. Pont. dicata à Felice Pratenſi, qui relicto Judaiſmo Chriſtianam fidem ſuſceperat. Fol. Venetiis anno 278. minoris ſupputationis: hoc eſt, à Chriſto incarnato 1518.

Eadem *Biblia Hebraïca, cum quibuſdam variantibus lectionibus*, in 4. Venetiis per ipſum Bombergium, eodem anno 1518.

Editio ſecunda eorundem Bibliorum prodiit 4. Venetiis, in domo Bombergii, operâ fratrum filiorum Baruc menſe Alul, anno 281. Chriſti 1521.

Tertia editio ibidem anno 1525. quarta 1533. de quibus vide Bibliothecam Sacram P. Le Long, Tomo I. pag. 63.

Bombergii cum laude meminit Benedictus Arias Montanus (in Præfatione ſua ad Biblia Regia Antverpienſia) uti & filii ejus Danielis Bombergii, æquè pii, ac docti, qui paterni tum nominis, tum ingenii hæres, Novi Teſtamenti antiquiſſimum exemplar Syriacum Coloniâ ad Ariam Montanum attulit. Obiit autem Bombergius pater Venetiis anno 1549.

DANIEL EREMITA,

Vulgo l'Hermite, Antverpiæ natus circa annum 1584. parentibus Acatholicis, adoleſcentior factus amicitiam *Joſephi Juſti Scaligeri* & *Iſaaci Caſauboni* promeruit. His eum commendantibus, à D. de Vic Gallico ad Nationem Helveticam Legato, in familiam adſcriptus, eoque hortante, Religionem Catholicam amplexus eſt.

Hinc in Italiam profectus, *Coſmo Medicæo*, magno Etruriæ Duci innotuit, eique à ſecretis fuit, ac variorum Legatorum comes. Eâ occaſione Rudolpho II. Cæſari, aliiſque Principibus Germaniæ Viris gratus fuit, multiſque muneribus honoratus. E vi-

tâ exiit Liburni, urbe maritima Etruriæ, anno 1613. ætatis 29. Aliqui ex morbo gallico, alii veneno extinctum ſcribunt: ait Swertius in Athenis Belgicis. Edidit

Panegyricon Coſmo Medicæo, Ferdinandi filio, Magno Etruriæ Principi, cum Mariæ Magdalenæ Auſtriacæ nuptiarum ſacris inauguraretur. 4. Florentiæ 1608.

Epitaphium, ſive Laudationem in funere Ferdinandi Medicæi, Magni Hetruriæ Ducis, dictam Idibus Martii 1609.

Iter Germanicum, ſive Epiſtolam ad Equitem Camillum Guidum ſcriptam, de Legatione ad Rodulphum Cæſarem & aliquot Germaniæ Principes. Lugd. Bat. 1637. in 16.

De Helvetiorum, Rhætorum, Seduneníium ſitu, Republica & moribus Epiſtolam, ad Ferdinandum Gonzagam Mantuæ Ducis filium. Lugd. apud Elzevir 1627. in 24.

Ad Janum Gruterum, cum antiquas Inſcriptiones ederet, Carmen.

Aulicæ Vitæ ac Civilis libros IV, ejuſdemque *Opuſcula* varia, *Joannes Georgius Grævius* primùm luce donavit in 8. Ultrajecti anno 1700. Latuerat toto pene ſæculo hoc Opuſculum in Italia; donec à D. *Magliabechio* traditum fuit *Grævio*, qui Vitam Danielis Eremitæ eidem præfixit. Laudatur etiam à PP. Societatis in Ephemeride Trivoltiana, ad Menſem Septembris 1701. pag. 3.

Epiſtola nobiliſſ. & literatiſſ. Viri Patavio ad Gaſparem Scioppium Romam ſcripta. 1610. in 4.

Auvertimenti civili di Aſcanio Piccolomini, eſtratti da i primi VI. libri degli Annali di Cornelio Tacito, dati in luce da Dan. l'Heremita. Florentię 1609. in 4.

Plura de eodem Authore vide in Notitia Litteraria P. Niceron Tomo XXIX. pag. 31.

DANIEL HEINSIUS,

Nicolai Filius, Gandavi natus anno 1582. trimulo vix major, dedito Regi ac legitimo ſuo Principi Gandavo, aliò delatus, prima litterarum elementa Hagæ-Comitis, ipſo patre manuducente, didicit: quocum in Zelandiam migrans, ibidem Philoſophiæ potiſſimum Moralis ac Naturalis præceptis imbutus fuit. Ab eodem parente ſuo miſſus inde Franekeram Friſiorum, anno ætatis XIV. cœpit operam dare ſtudio Juris. Seſquianno hic exacto, altero quoque anno, & eo amplius, Lugduni Batavorum ſe quoque Juris ſtudioſum profeſſus eſt. Verùm utrobique græcæ litteræ primas ſibi in adoleſcente partes vindicarunt, quas puer vix novennis ita arripuerat, ut jam tum verſus luderet græcos, & quicquid deliquiſſet in ſcholis etiam verſibus expiaret.

Lugduni in amicitiam venit *Joſephi Scaligeri*, qui deperire juvenem ſolebat: docereque ibidem publico ſalario adoleſcens annorum XXIII. cœpit Latinos Græcoſque Scriptores. Poſtea Politicis Hiſtoricisque interpretandis anno 1605. deputatus fuit, demandatâ eidem & Bibliothecæ anno 1608. præfecturâ.

Eundem Regni ſui Conſiliarium atque Hiſtoricum Suecorum Rex *Guſtavus II.* habuit; Reſpublica denique Veneta per Delegatum ſuum *Marcum Antonium Moroſinum* Hagæ-Comitis Ordinis Equeſtris D. Marci ornavit inſignibus. Mirus in quolibet ſcriptionis genere artifex, ſeu carmen pangat, idque variis numeris, etiam rythmo vernaculo, ſeu ſolutam texat orationem: adeoque ſummis Europæ ingeniis meritò foret comparandus, nedum anteferendus, niſi nomen illud ſuum, quod aliàs, etiam apud Italos ac Catholicos pleroſque, audiebat non

Digitized by Google

DANIEL HEINSIVS EQVES

Digitized by Google

malè, ipſe Conventui Reformatorum Dordracenſi adſidens Actuarius, Calviniani dogmatis Sectæque novitate non parum obſcuraſſet.

Obiit die 25. Februarii 1655. ætatis anno 74. relictâ præclarâ ac eruditâ poſteritate, de qua, ævo noſtro, Vir illuſtris *Antonius Heinſius*, è Syndico Delphenſi, ſupremus per annos XX. Reipublicæ Fœderatæ Penſionarius, fato functus 3. Auguſti 1720.

Dicto, ſeu lemmate vulgari utebatur *Daniel Heinſius*: QUANTUM EST QUOD NESCIMUS? quod ſi uſpiam, in hoc Viro ad ſtuporem erudito adimplevit eventus: nam morti proximus omnium pene rerum oblitus fuit. Hinc *Conſtant. Hugenius* de morbo ejus & morte elegans Epigramma poſuit.

Sciverat Heinſiades, quantum neſcire fatentur,
Quos neſcire nihil credere fama jubet.
Ultima lento ſubrepens inſcitia morbo
Reddidit infantem, nec ſine laude ſenem.
Succeſſit melior fugiente ſcientia; poſtquam
Omnia deſcivit, ſcire mori didicit.

Quantùm porrò aliquando ſciverit, oſtendit hic librorum ejus ſyllabus.

Crepundia Silia.a: Notæ in *Silium Italicum* Lugd. Batavor. 1600. 16.

Heſiodus, ejuſque *Interpretes*, cum *Notis*, atque *Introductione in Opera ac Dies* Ibid. 1603. 4.

Theocritus, ejuſque *Interpretes*, cum *Scholiis Theocriticis* Ibid. 1604. 4.

Q. Horatius Flaccus, cum *Animadverſionibus* & *Notis*: & libro *de Satyra, Horatiana*, 1612. 8. Item cum *Reterum Scholiis*, 1620. 4.

L. Annæi Senecæ Tragœdiæ; cum *Animadverſionibus*. Ibid. 1611. 8.

P. Terentii Comœdiæ, cum *Diſſertatione de Plauto ac Terentio*. Amſtelod. 1618. 8. & Lugd. typis Elzevirii, 1625. 12.

Ariſtoteles de Poëtica, ordini ſuo reſtitutus, cum *Interpretatione* & *Notis*. Accedit *de Conſtitutione Tragica* liber, ſecundùm Ariſtotelem. Ibid. 1611. 8.

Paraphraſis Andronici Rhodii in Ariſtotelis Ethica ad Nicomachum, græco-lat. Ibid. 1607. & 1617. 4.

Maximi Tyrii Platonici Diſſertationes XL. græco-lat. cum *Notis*, 1607. & 1614. 8.

Theophraſti Ereſii Opera paſſim emendata ac ſuppleta, & *Gazæ* interpretatio interpolata, 1613. fol.

Clemens Alexandrinus, Latinâ item interpretatione interpolatâ. fol. Pariſiis apud Carolum Morel. 1629.

De contemptu Mortis, libri II. verſu & proſâ, 1621. 8.

Paraphraſis perpetua in Politica Ariſtotelis, 1621. 8.

Ariſtarchus ſacer, ſive *Exercitationes ad Nonni Paraphraſin in Joannem*, 1627. in 8. prohibitæ Romæ 19. Martii 1633. & 18. Decembris 1646.

Sacrarum Exercitationum in Novum Teſtamentum libri XX. 1641. fol. prohibiti Romæ 18. Decembris 1646.

Poemata varia, vario metri genere, in quibus *Elegiarum* libri III. & alter Monobiblos ſive ſingularis: *Manes Joſ. Scaligeri, J. Lipſii, Douſæ*: *Hipponax*, qualis eſſe debeat verè litteratus: *Silvarum* lib. I. *Peplus Græcorum Epigrammatum*, aliaque Græcè ſcripta, & è Græcis Latinè reddita, 1613. 1616. & aliàs. Item rythmo Belgico de *Bacchо Hemskerckio*, claſſis navalis ductore, edente *Petro Scriverio*. Ibid. 4.

Jambi, partim morales, partim ad amicos. Ibid. 1602. 4.

Auriacus, Tragœdia. Ibid. 4. item *Herodes Infanticida*, 1632. 8.

Orationes item argumenti varii; pleræque in Prælectionum auſpiciis habitæ, uno ſimul volumine ſemel iterumque evulgatæ, 1615. 1620. 8. & aliàs. In his *Homilia* elegans eſt *In Theophaniam*, ſive *Domini Natalem*: item *In*

cruentum CHRISTI *Sacrificium*, ſive *Paſſionem Domini.*

Panegyricus Joſepho Scaligero dictus.

Oratio in Funere ejuſdem Scaligeri, anno 1609.

Panegyricus, ſive *Laudatio Funebris Jani Douſæ.* Lugd. Bat. 1605. item 1627.

Gratiarum Actio, pro Bibliothecarii munere.

In Pindarum: Quomodo veteres Philoſophi Poëtarum ſcriptis ſint uſi

De conjungendis Græcorum Lingua & Diſciplinis.

De Civili Sapientia; & *Præfatio* in librum II. Politic. Ariſtotelis.

De Præſtantia ac Dignitate Hiſtoriæ: in auſpiciis Profeſſionis.

De Prima Romanorum ætate & virtute: ad L. Florum.

De Secunda & poſtrema Romanorum ætate; ad Corn. Tacitum.

Julius Cæſar, ſive *de mutatione Reipubl. Romanæ.*

Socrates, ſive *de Doctrina & moribus Socratis.*

De Stoica Philoſophia.

De Utilitate, quæ ex Tragœdiarum lectione percipitur.

De Poëtis, & eorum Interpretibus.

Oratio & Præfatio in librum de Mundo, vulgò *Ariſtoteli* inſcriptum.

Diſſertatio De libello L. Annæi Senecæ, quem *Claudii Ludum*, ſive Ἀποκολοκύντωσιν inſcripſit.

Diſſertatio Epiſtolica, An Viro literato ducenda Uxor, & qualis?

Diſſertatio Epiſtolica De ſervitute naturali; quâ expenditur atque conciliatur Juriſconſultorum & Ariſtotelis hac de re ſententia.

Laus Aſini; ad S. P. Q. eorum, qui, ignari omnium, ſcientias hoc tempore contemnunt. 1632. 4. nomine Auctoris ſuppreſſo.

Laus Pediculi, ad conſcriptos Mendicorum Patres &c. Extat inter Diſſertationes ludicras & amænas, Leidæ 1638. in 12.

Gratulatio ad Senatum Reip. Venetæ pro fœdere cum Ordinibus Belgii fœderati inito.

Orationes in obitum Reineri Bontii, Doct. Medici, & *Philippi Cluverii* habitæ, 1624.

Laudatio Funebris Mauritio, Principi Auriaco &c. anno 1625. dicta.

Rerum ad Sylvam-Ducis atque alibi in Belgio aut à Belgis an. M. D. C. XXIX. geſtarum Hiſtoria, 1631. fol.

Panegyricus Guſtavo, Suecorum Regi &c. conſecratus, 1632. fol.

Denique *Heinſio* adſcribuntur *Satyræ Menippeæ III. Hercules tuam fidem: Virgula Divina: Cras credam, hodie nihil.*

DANIEL JONGTYS,

Dordracenus, Medicinæ Doctor, fuit Roterodami Scabinus item Medicus Practicus, ibique obiit anno 1654. Plura ſcripſit vernaculè, Medica, Poëtica & Hiſtorica.

De præcellentia Viri ante Mulierem, contra Joannem Beverovicium, pro præcellentia mulieris ſcribentem. Rotter. 1646.

De Torturæ abuſu & neceſſaria moderatione. Ibid. 1651.

Dialogus inter Venerem & Minervam. Dord. 1641.

Theatrum Zelotypiæ. Rott. 1664.

Varia item Opera *Danielis Sennerti*, Vratiſlavienſis Med. Doct. celeberrimi, è latino flandrica reddidit. Dordr. 1638.

DANIEL MIVERIUS,

Medicinæ Doctor, ac Reipublicæ Goeſanæ in Zelandia ſtipendiarius, Matheſi operam. Heidelbergæ dedit ſub *Hermanno Witekindo*, Profeſſore Academico. Scripſit

Digitized by Google

Apologiam pro Philippo Lansbergio, adverſus *Jacobum Chriſtmannum* Profeſſorem Logices Heidelbergenſem. Mittelburgi, 1607. 8.

Epiſtolæ quædam Medicæ, extant cum Miſcellaneis Henrici Smetii, Francofurti 1611. in 8.

DANIEL PETRI,

Bergi-Zomenſis, Canonicus Regularis in Viridi Valle, & ibidem anno 1523. electus XIII. Prior, litterarum Mœcenas, Bibliothecam Monaſterii CXX. volumimibus adauxit. In fata conceſſit die 17. Maii 1534, relicto

Tractatu de compunctione cordis: item *Brevi exercitio ad dignè celebrandum*, & aliis, MSS. ibid.

DANIEL RAYMUNDI,

Leodienſis, ad S. Maternum in Eccleſia Cathedrali Canonicus ſecundæ fundationis, Poëta non infelix, atque hiſtoriarum quarumcumque, præſertim verò Eccleſiaſticæ, in primiſque Eccleſiæ Leodicenſis, ſtudioſus ac diligens indagator. Quo nomine plurimum commendatur â *Joanne Chapeavillio*, qui operâ illius in edendis rerum Leodienſium Scriptoribus uſus fuit: ut & à *Cæſare Cardinale Baronio*, ad quem *Diſſertatiunculam de S. Huberto* Leodienſium primo Epiſcopo ſcripſerat. Hæc *Baronio* adeò grata accidit, ut câ lectâ quædam ſuis in Annalibus immutarit, memoriamque *Raymundi*, ſi quid hîc immortale, immortalem reddiderit.

Multa ad artem Muſicam ſpectantia (nam & hîc excelluit) ut & Poëmata varia, ſcripſit: multa, quę ad hiſtoriam pertinent Eccleſiaſticam, & præcipuè patriæ ſuæ, ſummo judicio congeſſit; necdum tamen evulgata.

Migravit ad Superos anno 1634. die XXIV. Martii, ſeptuagenario major.

DANIEL SANTBECHUS,

Noviomagus, Gelder, inſignis Mathematicus, edidit

Problematum Aſtronomicorum & Geometricorum Sectiones VII. Baſil. apud Henr. Petri, 1561. fol.

DANIEL A VLIERDEN,

Patricius Bruxellenſis, Oorſchoto & Dominio *de Vlierden*, quod vetus eſt familiæ cognominis peculium, oriundus, Philoſophiæ operam dedit Lovanii, atque à Theologia, cui annis quattuor, & ultra, incubuerat, tranſiit deinde ad Medicinam, ejuſque addiſcendæ gratiâ in Italiam profectus, Bononiæ gradu Doctorali inſignitus fuit.

In Belgium reverſus, valetudini præfuit *Mariæ Auſtriacæ*, Caroli V. ſororis, viduę Ludovici Regis Hungariæ. Fratres habuit, *Petrum*, *Ægidium*, *Gabrielem*, S. Theol. Licent. & Canonicum Gandavenſem, *Joannem* J. U. Doct. Carolo V. ejuſque filio Philippo II. à Secretis, & *Adolphum*, Domanii Principalis Parem ſive Commiſſarium, ut vocant. Scripſit ad *Gabrielem* fratrem

Epiſtolam, libelli inſtar, quâ oſtendit *Medicum non corpori ſolùm, verùm etiam animæ ſuppetias dare.* Baſil. apud Froben. 1544. 8.

Item *Concluſiones Medicas*, Bononiæ diſputatas, & anno 1543. excuſas.

DAVID GORLÆUS,

Ultrajectinus, edidit Commelini typis

Exercitationes Philoſophicas; quibus Philoſophia Theoretica ferè univerſa diſcutitur, 1620. 8.

DAVID HAECX,

Antverpienſis, J. C. Cathedralis Eccleſiæ in patria Canonicus, Ur-

bano VIII. Pont. Max. à Cubiculis, aliisque in Urbe muniis clarus edidit

Dictionarium Malaïco-Latinum, & Latino-Malaïcum. 4. Romæ typis Congregationis de Propaganda Fide. 1631.

DAVID LINDANUS,

Gandensis, J. C. è Gymnasiarcha Teneræmondano, Territorii illius Syndicus, utroque dicendi ac scribendi genere promptus, & historiæ, præsertim patriæ, peritiâ instructus : dedit

Orationem de Homine ejusque Institutione; è veterum ac recentium scriptis solerti curâ contextam. Antverp. 1609. 4. apud Verdussium.

De Teneræ-mondanæ Urbis Antiquitate, Situ, Nobilitate, libros III. Ibid. 1612. in 4. Prodierunt rursum anno 1708. Lovanii, unà cum Antiquitatibus Belgicis J. B. Grammaye.

Poëmata varia, latinè & belgicè, in amicorum gratiam scripta.

Paradoxon pro Nuditate contra Vestes non fuit editum.

Meditabatur quoque, exemplo *Petri Meniæ*, Hispani, *Dissertationum* libros III. Verùm has illi meditationes invidit dira fati necessitas.

DAVID A MAUDEN,

Antverpianus, nascitur anno 1575. primisque litteris in patria eruditus, Lovanium deinde missus, emenso Philosophiæ stadio, Theologiam Jurisprudentiamque simul didicit; ratus utrumque hoc studium non inutile, nedum necessarium futurum ei, qui animarum sit curam susceperus, gradumque Licentiæ, ut vocant, ann. 1606. VIII. Idus Junii accepit. Quondam inter Canonicos graduatos Cathedralis Ecclesiæ Daventriensis cooptatus : dein fuit Bruxellæ, in Ecclesia B. Mariæ de Capella per annos XXV. Pastor, & in opido Bredano Ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Decanus, scriptoque se Jurisconsultum ac Theologum professus est. Quò spectant sequentia, in usum potissimùm concionantium collecta ac concinnata :

Discursus Morales in Præcepta Decalogi Lovanii, 1625. fol. typis Henr. Hastenii.

Antidotum, adversus calumniosos libellos *Joannis Lillers*, Practici, è Belgio proscripti, seu *Discursus III. de Montibus Pietatis* &c. Ibid. 1627. 4.

Speculum aureum Vitæ moralis, quo *Tobias* ad vivum delineatur atque explicatur. Antver. typis Joan. Meursii, 1631. fol.

Alithologia, sive *Veritatis Explicatio, quâ Præpositura nuncupata Capellæ* (quæ ab aliquibus à Godefrido Barbato Duce Brab. fundata asseritur) *ad incudem revocatur* &c. Brux. apud God. Schovartium, 1635. 4.

Naturæ debitum persolvit Bruxellis, anno 1641. VI. Idus Aprilis, sepultus in sacello B. M. V. Ædis suæ parochialis.

DAVID MICHAEL REGIUS,

Religiosus tertii Instituti S. Francisci Antverpiæ, Vir doctus & magnæ lectionis, cui Ordo Bibliothecam debet : multa meditatus est : sed pauca in lucem prodierunt, quia morte præventus. Extant ejus tantummodo *Indices Romani Missalis*, compendio quicquid in eodem continetur, dilucidè ante oculos ponentes, quos amico optimo *Christophoro Plantino* inscripsit, qui & typis mandavit anno 1573. Moritur Antverpiæ anno 1588. legiturque hoc ejus Epitaphium apud Swertium in Athenis Belgicis.

Hic situs est DAVID MICHAEL REGIUS ; *omen*
Esse sub his titulis res dedit ipsa fidem.

Digitized by Google

DAVIDEM *Hymnographum expreſſit meditatio verbi*
Divini, & facilis condere vena melos.
Belligerum Cœli doctorem rettulit ardens
Zelus in hæreticæ dogmata perfidiæ.
REGIUS *emicuit regali pectore, Mundi*
Præmia cum rigidus ſprevit inani ſtui.
Sumptibus immenſis conflarat Bibliothecam,
In qua ποιδιας quâ patet Orbis erat.
Hic ſe verſabat, curiſque ſuavibus ultrò
Victus Apollineas mellificabat apes.
Hanc & amicorum ſtudiis proſtare volebat,
Nam neque cum Muſis ſtat comes invidia.
Ævi hic florentis primos vix legerat annos,
Cum mox attonito mors inopina ſubit.
Hoc reliquum ſupereſt nobis, pia fundere vota,
Ut lux defuncto cœlitus irradiet;
Quâ paſtus mentem, calidoque incenſus amore,
Pro nobis validas fundat & ille preces;
Ut pax in terris, miſero hoc dum jungimur ævo,
Nos gremio foveat Sedis Apoſtolicæ.

DAVID THEODORUS PLASEER,

Ziriczæus, Zelandus, Medicus Antverpienſis, edidit

Commentarios Belgicos in Aphoriſmos Hippocratis.

Item *Enchiridion, continens remedia contra peſtem.* Antver. 1603. typis Jac. Meeſii.

DESIDERIUS ERASMUS,

Antea *Gerardus Gerardi* dictus, nomine *Gerardi*, ob cognatam idiomatis Belgici ſignificationem, mutato in prænomen *Deſiderii*, & agnomen *Eraſmi*, quæ ejuſdem notionis græca vox eſt. Natus eſt anno 1467. pridie SS. Simonis & Judæ, Roterodami, vel, ut quidam volunt, Gaudæ: id enim olim affirmaſſe non ſemel Reynerum Snoyum, Conſulem & Medicum Gaudanum, *Eraſmo* familiarem, in ſchedis Monaſterii Steinenſis lectum fuit; qui Gaudæ natum, Roterodami (quò matrem partui propinquam deſtinari placuit) educatum dicere ſolebat: tametſi conſtans modò teneat opinio, Gaudæ fuiſſe conceptum, Roterodami in lucem editum.

Patrem habuit *Gerardum* Septimontanum, civem & incolam urbis Gaudanæ, honeſto genere natum, nec expertem humaniorum litterarum, tum verò ad omnem urbanitatem ac jocorum elegantiam ita factum, ut *Eutrapeli* (vulgò *Praet*) cognomentum inde tulerit; matrem verò *Margaretam*, Petri Medici filiam. *Gerardus*, quia Margaretam ducere uxorem per parentes fratreſque non licebat, Romam conceſſit. Reverſus, ſacris initiatus eſt: unde parente parocho, Gaudanæ civitatis vicino, natum fuiſſe, præpoſterè Jovius ſcripſit.

Eraſmus verò puer admodum Ultrajecti in Æde ſacra, muſicis imbutus, Chorauli, ut vocant, munere functus eſt. Inde Daventriam deductus, primum pueritiæ ſuæ doctorem habuit haud pœnitendum, *Alexandrum Hegium*, Weſtphalum. Ubi illud memorabile accidit, quòd, cùm *Hegii* diſcipuli ſui ſcholam viſitaret *Rodolphus Agricola*, probaretque tirocinium & adoleſcentum ſcripta, prætulerit tamen Eraſmum, propter inventionis acumen, orationis puritatem, & figuras aptè, ceu floſculos, interſperſas, atque accerſito ad ſe è ſua claſſe adoleſcentulo, dum propiùs eum intueretur, quaſi conſideratâ indole ex lineamentis, adjecerit hanc vocem, *Tu eris magnus.*

Parente utroque orbus, Canonicis Regularibus in Syon juxta Delfos inſtruendus formandusque traditus, Dialecticas, ut de ſe alibi ſcribit, nænias didicit non omninò infeliciter, annos tum natus tredecim. Ætate maturior

anno 1486. Inſtituti ejuſdem familiam in Steinenſi juxta Gaudam Cœnobio amplexus, adhæſit ibidem *Cornelio Aurelio*, Poëſios lauru celebri, & Hiſtorico, ut ejus erat ævi genius, inſigni; itemque *Guilielmo Gaudano*, quocum in Steinico rure annis ferè decem vixit, non minori animorum obſervantiâ, quàm ſtudiorum ſimilitudine; atque anno 1492. v. Kalendas Majas, die S. Marco ſacro, Sacerdos factus eſt.

Jamque ingenii dare ſpecimen cœperat, ſcriptiſque famam extendere, cùm *Henrico à Bergis* Cameracenſi Antiſtiti, Romam iter paranti, *Eraſmum* Superiorum auctoritate in familiam ſuam evocare placuit: qui mutato de adeunda Roma conſilio, eumdem ſtudiorum gratiâ, & potiſſimùm ſacris imbuendum litteris, Lutetiæ Pariſiorum, in Collegio Montis Acuti, aluit.

Hic igitur dum Theologiæ, quam Scholaſticam vocant, operam daret, rediit ſimul & ad græcas litteras, utcumque adhuc puero deguſtatas, coactuſque eſt in maxima Græcorum codicum ac doctorum inopia ipſe ſibi eſſe præceptor; primumque in Luciani Dialogis aliquot latinè interpretandis experimentum fecit. Nobiles in eodem Collegio adoleſcentes quoſdam Anglicæ nationis nactus diſcipulos, per eos viam in Angliam, atque ita in *Mori*, *Linacri*, *Tonſtalli*, aliorumque amicitiam aperuit, annum tunc agens ætatis primum ſupra triceſimum.

Hinc Belgium reviſit; atque ut erat ingenio excitato, vario, & peregrinationis amante, Italiam, Germaniam, Galliam, & pleraque Europæ Gymnaſia docendo obivit. In Taurinenſi Galliæ cis-Alpinæ ſive Pedemontanæ ditionis Academia, cum ſocio Anglo, S. Theol. Doctor renuntiatus eſt anno Pontificatûs Julii II. ſecundo. Servarat hactenus ſemper habitum religioſum, quem poſtea Bononiæ ejuſdem Julii II. & Leonis X. Summorum Pontificum conſenſu in veſtem ſacerdotalem mutavit: ut ex Eraſmi ad Servitium Priorem ſuum litteris videre licet.

Incredibile dictu, quantum in colendo atque ornando *Eraſmo* certatum ab omnibus fuerit; aliis rei litterariæ principatum ei deferentibus: unde tot in illum congeſta elogia, *Renaſcentis elegantiæ Parens*, *Litterariæ Reipubl. Ocellus*, *ævi ſui Phœnix*, *Doctorum decus*, *columen*, *lumen* &c. aliis eum adſe pertrahere conantibus, aliis è diverſo retinere ſatagentibus. In aulam Caroli V. Cæſaris adſcitus fuit titulo & ſalario Conſiliarii, Guidone Morillonio eidem Cæſari à Secretis potiſſimùm agente, qui ſic *Eraſmi* fortunas illas primas ſuſtentavit & auxit, ut ſcribit Petrus Nannius Miſcellan. libro V. cap. 1.

Quod ad Scripta attinet, fatetur ipſe in Purgatione ſua adverſus Epiſtolam non ſobriam Martini Lutheri, ſe *quodam genii affectu propenſiorem fuiſſe ad jocandum, tam in ſcriptis, tum in familiaribus colloquiis: nec eam rem ſibi ſemper ceſſiſſe feliciter, dum aliorum animos ex ingenii ſui ſimplicitate metiretur.*

Quod ipſum alibi non ſemel repetit, ad Petrum Barbirium Decanum Tornacenſem lib. 1. Epiſt. 11. *Ut ingenuè*, inquit, *quod verum eſt fatear, ſum naturâ propenſior ad jocos, quàm fortaſſe deceat: & linguæ liberioris, quàm nonnumquam expediat.* Quædam etiam eo ſæculo ſcripſit, *ſcripturus fortaſſis circumſpectiùs, ſi præſciſſet exoriturum hoc ſæculum plus quàm tragicum*, ut eidem ibidem ſcribit. Et ad Adrianum VI. Pont. lib. XXIII. Epiſt. 11. *Nos olim quædam liberiùs luſimus: ſic tum ferebat temporum tranquillitas, non ſuſpicantes hoc ſæculum exoriturum.*

Dum enim diſciplinarum humaniorum excedit limites, dum SS. Patrum ſcripta

Digitized by Google

Scripta cenſoriâ notat virgulâ, nimiùm ſibi in Theologicis ac Fidei controverſiis tribuens, dum in vitam moreſque potiſſimùm Eccleſiaſticorum ac Religioſorum nimis acrem ſæpè ſtilum ſtringit, ſcripta ſua dicteriis atque erroribus quibuſdam aſperſit; digna propterea, quorum promiſcua omnibus lectio minimè permitti debeat. Legatur de eo Petri Caniſii Epiſtola in ſelectas D. Hieronymi Epiſtolas, Mariale ejuſdem libro V. cap. x. itemque Ant. Poſſevini Apparatus ſacer.

Exſtant Lovanii in Bibliotheca Academica, *Eraſmi Roterodami*, Doctoris Bullati (ita prę ſe fert titulus) *Propoſitiones erroneæ, ſcandaloſæ atque hæreticæ*, juſſu Facultatis Theologicæ Lovanienſis anno 1552 dum ad Concilium Tridentinum eundum eſſet, ex omnibus illius Operibus à *Joanne Hentenio*, Doctore Theologo ex Ordine Prædicatorum collectæ; cum hoc Epilogo de *Eraſmi* Apologiis.

Annotandum, quòd Eraſmus *ad omnia, quæ ipſi ex Paraphraſibus, aliiſque ejus lucubrationibus objiciuntur, de conſtitutionibus humanis ac ceremoniis, de Votis, cœlibatu, matrimonio, poteſtate Pontificis, de delectu ciborum, feſtis ac jejuniis, de bello, de calumnia adverſus Theologos, Monachos, Epiſcopos & Principes, ubique tueatur ſe, nuſquam agnoſcens errorem, quantumvis aperta ſint loca; nunc dicens, quod egerit Paraphraſten, non Commentatorem, nunc contrà, juxta quod ipſi commodum eſt. Alibi dicit, ſe in perſona Chriſti, Apoſtolorum aut Euangeliſtæ loqui, & pro illo primitivæ Eccleſiæ tempore, nihil ſuſpicatum de his temporibus exulceratis. Quod ſi apertiùs, quàm ut tergiverſari poſſit, alluſum eſt ad ceremonias hujus temporis, id ſe feciſſe dicit ad tollendum abuſus, non ipſas ceremonias. Præterea ad legalia veteris legis confugit, quod de illis locutus ſit, dum aliàs nequit effugere. Denique cautus eſt* Eraſmus, *dum ſcribens temperat ab aſſertionibus, ſed denſis argumentis trahit lectorem in ſuam ſententiam; multoque cautior eſt in defendendo quæ ſcribit. Omnem ictum adverſarii ut inſtructus dimicator à ſe depellit, aut in adverſarium detorquet ferientem.* Hactenus *Hentenius*.

Ut ut ſit, illud quoque diffitendum non eſt, quoſdam imprudentiùs & ſæpè præpoſtero quodam zelo *Eraſmum* aggreſſos fuiſſe, eidem ſiniſtriora de Fide dogmata, adeoque & Arianiſmum, falsò impingentes: quibus ille quacumque ratione ſatisfacere eſt conatus. Et certè laude is ſuâ fruſtrandus non eſt, vel ob vivax & promptum ad omnia ingenium, quod in Operibus illius, non unius generis, paſſim elucet: adeò ut de *Eraſmo* & ad *Eraſmum* ſcripſerit Adrianus VI. Pont. *Ineſt tibi magna ingenii vis, varia eruditio, ſcribendi promptitudo, quanta noſtrâ memoriâ pauciſſimis aliis, ne dicam nullis.*

Porrò Eraſmianarum lucubrationum, prout eæ Baſileæ anno 1540. typis Frobenianis in IX. Tomos digeſtæ atque editæ ſunt, ordo hic eſt.

Tomo I. continentur, quæ ad Litterarum inſtitutionem pertinent.

De duplici copia Verborum ac Rerum libri II.

Theodori Gazæ Grammatices libri II. *Eraſmo* interprete.

Syntaxis, ſive *de Conſtructione* VIII. *Partium Orationis.*

Luciani Opuſcula varia latinè interpretata; *Saturnalia, Chronoſolon, Epiſtolæ Saturnales, de luctu, Abdicatus, Icaro-Menippus, Toxaris, Alexander ſive Pſeudomantis, Somnium, Timon, Tyrannicida* (item Declamatio *Eraſmi* Lucianicæ reſpondens) *De iis, qui mercede conducti ſunt, Dialogi Amatorii* XVIII. *Hercules Gallicus, Eunuchus, de Sacrificiis, Lapithæ ſive Convivium, de Aſtrologia.*

De Ratione conſcribendi Epiſtolas.

De Pueris ſtatim ac liberaliter inſtituendis.

De Ratione & ordine Studiorum.

Declamatio in Laudem Medicinæ.

Libanii aliquot *Declamationes* è Græco *verſæ*

Parabolarum ſeu *Similium* liber.

Colloquiorum Familiarium liber, ſæpius editus ac tranſlatus : notatus in prima claſſe librorum prohibitorum. Interpolarat olim ea, reſecatis iis, quæ offendere poterant, *Nicolaus Cannius*, Eraſmo à Manibus; ſed periit labor ille. Et certè Eraſmus ipſe lib. XXVII. Epiſt. ad Amicos Lectores, ſtili exercendi gratiâ ſcripſiſſe ea ſe refert, nihil minùs cogitans, quàm ut ederentur. Et in Purgatione ſua adverſus Epiſtolam non ſobriam M. Lutheri, *Colloquia*, inquit, *me invito atque etiam irato prodierunt, quibus adjeci quædam in gratiam typographi, levi ſanè brachio, ut qui uno die interdum tria abſolverim Colloquia. Quamquam non ubique jocor in Colloquiis, & ſi jocor, non jocor otiosè.* Idem lib. XXI. Epiſt. ad Thomam Volſæum Cardinalem Angliæ ſcribit, ut Colloquia ſua alicui græcè ac latinè docto, nec in odium, nec in favorem notabiliter propenſo, perlegenda tradat : *Si deprehendantur*, inquit *impia, me quoque ſuffragante eripiantur juventuti : ſin offendant leviora quædam, poterunt ex bonorum virorum judicio corrigi, quò penes juventutem maneat utilitas.* Quod cùm factum adhuc non ſit, è juventutis ea manibus excurienda ſunt, nec purgationi Eraſmianæ dandus locus.

De recta latini græcique ſermonis Pronunciatione.

Ciceronianus, ſive *de optimo dicendi genere Dialogus.*

De civilitate morum puerilium.

Galeni Exhortatio ad bonarum Artium ſtudia, Latinè reddita.

Idem *De optimo dicendi genere*, eodem interprete.

Item de eo, *Quod optimus Medicus, idem ſit & Philoſophus.*

Epitome in Elegantias Laurentii Vallæ.

Euripidis Hecuba & Iphigenia, latino verſu expreſſæ.

Commentarius in Nucem P. Ovidii Naſonis.

Epigrammata varia, aliaque *Carmina.*

Tomo II. continentur *Adagiorum Chiliades* IV. Opus variæ atque omnifariæ tum lectionis, tum doctrinę.

Tomo III. *Epiſtolarum* ad diverſos, & *Præfationum* in auctores varios, libri XXVIII. ſeu Epiſtolę 1299. cum Appendice aliarum 517. Opus ſimiliter varium, ex quo totam *Eraſmi* vitam, genium, ingenium, moreſque colligere liceat.

Tomo IV. *è Plutarcho* libelli varii latinè interpretati; veluti *de Diſcrimine Adulatoris & Amici. Quomodo utilitas capiatur ab inimicis.*

De tuenda bona valetudine.

Principi maximè philoſophandum.

Utrum graviores morbi Animi, an Corporis.

De cupiditate Divitiarum.

Num rectè dictum ab Epicureis Λάθε βιώσας.

De Curioſitate.

De cohibenda Iracundia.

De vitioſa Verecundia.

Apophthegmatum libri VIII.

Moriæ, id eſt, *Stultitiæ Encomium*; ſæpius editum; verùm damnatæ lectionis. Quin & Eraſmus ipſe alibi, *Moriam*, inquit, *ſcripſi tranquillis rebus, cùm mundus altùm indormiret cæremoniis ac præſcriptis hominum, haudquaquam ſcripturus, ſi horum temporum tempeſtatem exorituram præſciſſem.* Ita ille in libello, quem inſcripſit, Detectionem præſtigiarum &c. Et in Purgatione ſua adverſus Lutherum, *Moriam*, inquit, *luſi tranquillo ſæculo, quam facilè, ſi ita videatur, noxæ dedidero.* Feciſſet prudentiùs, ſi è conſilio *Martini Dor-*

Digitized by Google

pii, Doctoris Theologi Lovanienſis, *Encomio Moriæ*, parum feliciter edito, repoſuiſſet *Apologiam Sapientiæ*. Quamquam non ignorentur fuiſſe viri, etiam magni, interque eos *Thomas Morus*, cui *Moria* inſcripta eſt, qui hac in re *Eraſmi* partes egerint.

Panegyricus Philippo I. Regi ſcriptus, de triumphali ejus in Hiſpaniam profectione, & reditu.

Inſtitutio Principis Chriſtiani, ad Carolum V. Imp.

Iſocrates de Regno adminiſtrando, Latio donatus.

Declamatio de Morte.

Querela Pacis, undique profligatæ & ejectæ.

Lingua, ſive de ejus uſu atque abuſu. Liber cenſurâ in prima claſſe notatus.

Xenophontis Rhetoris Hieron, ſive *Tyrannus*, Latinè verſus.

De Senectutis incommodis Carmen, ad Guilielmum Copum, Baſileenſem.

Tomo V. *Enchiridion Militis Chriſtiani.*

Oratio de Virtute amplectenda.

De ratione veræ Theologiæ.

Paracleſis ad Chriſtianæ Philoſophiæ ſtudium.

Exomologeſis, ſive *Modus confitendi.*

Enarratio Pſalmorum I. II. III. IV. XXII. XXXIII. XXXVIII. LXXXV.

De puritate Tabernaculi, ſive Eccleſiæ Chriſtianæ, in Pſal. XIV.

Conſultatio de Bello Turcis inferendo, in Pſalm. XXVIII.

De ſarcienda Eccleſiæ concordia, in Pſalm. LXXXIII.

Concio de magnitudine miſericordiarum Domini.

Concio de Puero Jesu.

Virginis & Martiris comparatio.

Epiſtola conſolatoria ad Virgines ſacras, quâ exponitur illud Eſaiæ: *In ſilentio & ſpe erit fortitudo veſtra.*

Chriſtiani Matrimonii Inſtitutio. Eſt prohibitæ lectionis.

Vidua Chriſtiana

Eccleſiaſtes, ſive de Ratione concionandi libri IV.

Catechiſmus, ſive *Explanatio Symboli Apoſtolici & Decalogi.*

Modus orandi Deum. Et *Precationes* aliquot.

Pæan ad Virginem Matrem. Item *Obſecratio in rebus adverſis.*

Epiſtola de contemptu Mundi.

Diſputatiuncula cum Joanne Coleto, de tædio, pavore & triſtitia Jesu, *deque verbis, quibus viſus eſt mortem deprecari:* Pater ſi fieri poteſt &c.

De præparatione ad mortem.

Ode de caſa natalitia Jesu: *deque puerperio Virginis Deiparæ.*

Expoſtulatio Jesu *cum homine*, ſuapte ſponte pereunte.

Hymni varii in Christum, B. Mariam, Annam &c.

Liturgia Virginis Lauretanæ.

Carmen votivum S. Genovefæ.

Commentarius in Hymnum Prudentii de Natali pueri Jesu, *& de Epiphania* Jesu *nati.*

Chriſtiani hominis Inſtitutum, verſibus Jambicis.

Epitaphium Odiliæ, & de ejus filio.

Tomo VI. *Novum Teſtamentum*, ex *Eraſmi* Interpretatione, cum *Annotationibus* ejuſdem.

Tomo VII. *Paraphraſes in Novum Teſtamentum.*

Tomo VIII. è Græcis Patribus converſa; ac primò è S. Joanne Chrisostomo,

Adverſus Judæos, Homiliæ V.

De Lazaro & Divite IV.

De Viſione Eſaiæ, V.

De Philogonio Martyre. Homilia I.

De orando Deum, libri II.

De Davide & Saule, deque tolerantia, Homiliæ III.

Cum Presbyter eſſet deſignatus, Homilia I.

Cum Saturninus & Aurelianus acti eſſent in exſilium, Homilia I.

De Fide Annæ, II.

Commentariorum in Acta Apoſtolorum, Homiliæ IV.

Commentariorum in B. Pauli Epiſt. II. *ad Corinthios*, Homiliæ VIII.

Commentaria in B. Pauli Epiſtolam ad Galatas.

In Epiſtolam ad Philippenſes, Homiliæ II.

Ex S. Athanasio : *de S. Spiritu* Epiſtolæ II.

Epiſtola *De Synodo Nicena*, contra Euſebium.

Apologetici II. adverſus eos, qui calumniabantur, quod in perſecutione fugiſſet.

De Paſſione Domini, ac de Cruce, Homilia I.

Homilia de eo, quod ſcriptum eſt: Euntes in Caſtellum &c.

De Virginitate.

De peccata in Spiritum Sanctum.

De S. Spiritu liber *Athanaſio* inſcriptus.

Origenis Fragmentum in *Euangelium Matthæi.*

Eraſmus de Vita, Phraſi & Operibus Origenis.

Ex S. Basilio; *Principium Iſaïæ.*

De S. Spiritu.

De Laudibus Jejunii, Homiliæ II.

Item additamenta quædam, ut *Oratio de pace & diſcordia contra factioſos*; *Oratio in funere Berthæ de Heyen*, &c.

Tomo IX. Apologetica Erasmi includuntur.

Epiſtola Apologetica, ad Martinum Dorpium S. T. D. Lov. *pro Moria.*

Apologia de Elohim, ad Jacobum Stapulenſem S. T. D. Pariſienſem.

De Linguis liber I. ad Jac. Latomum, S. T. D. Lov.

De Novo Teſtamento, adeundem Dorpium.

Pro Matrimonii Encomio, ad Joann. Briardum, S. T. D. Lovan.

Apologia de eo, quod verterat, *in principio erat Sermo.*

Apologiæ tres ad Notationes Eduardi Leï.

Apologia ad Jacobum Lopez Stunicam; cum Appendice adverſus libellum ejuſdem, cui titulum fecerat *Prodromus.*

Adverſus Concluſiones ejuſdem.

Adverſus Sanctium Caranzam de tribus locis ab eo notatis.

De loco Pauli, Omnes quidem reſurgemus &c. adverſus *Nicolaum Egmondanum*, Carmelitam, S. T. D. Lovan.

Adverſus Natalem Beddam, Theologum Pariſienſem.

Annotatiuncula quædam ad Notulas Beddaicas.

Apologia adverſus Petrum Sutorem, Cartuſianum : cum Appendicibus duabus, unâ *adverſus Antapologiam Suteris*; alterâ *de Scriptis Jodoci Clichtovei.*

Declarationes ad XXXII. Articulos Cenſuræ Facultatis Theol. Pariſienſis.

Reſponſio ad Petri Curtii S. T. D. Lovan. Defenſionem.

Apologia ad Phimoſtomi cujuſdam Diſputationes de Divortio.

Apologia ad juvenem gerontodidaſcalum.

Apologia ad Monachos quoſdam Hiſpanos.

Ad Epiſtolam Alberti Pii, Carporum Principis.

Apologia adverſus ejuſdem libros XXIII.

De ciborum delectu, ſive *De eſu carnium Epiſtola*, ad Epiſcopum Baſileæ.

Diatribe, ſive *Collatio De libero arbitrio.*

Poſtrema editio anni 1703. Tomo X. diſponit ſequentia :

Hyperaſpiſtes Diatribæ adverſus librum de ſervo arbitrio Martini Lutheri.

Purgatio adverſus Epiſtolam ejuſdem Lutheri non ſobriam.

Detectio præſtigiarum libelli cujuſdam, de Cœna Domini.

Epiſtolæ adverſus Pſeudo-Euangelicos, ad *Eleutherium* : ad *Grunnium* : ad *Fratres Germaniæ Inferioris.* In quibus nar-

Digitized by Google

voſe ſtringit Lutheranos alioſque Novatores.

Spongia adverſus aſpergines Ulrici Hutteni.

Pantalibus, ſive adverſus febricitantem quendam.

Antibarbarorum liber.

Adverſus impudentes quoſdem graculos.

De Termino ſuo Epiſtola apologetica.

Accedit eodem Tomo X. Martini Lydii Apologia pro Eraſmo, ejuſdemque Oratio funebris per Guilielmum Inſulanum, & Indices &c.

A morte Eraſmi anno 1544. typis Rutgeri Reſcii prodiit etiam *Compendium Rhetorices*, olim ab *Eraſmo* conſcriptum in gratiam *Damiani à Goes*, Equitis Luſitani.

Plures quoque veteres Scriptores, qui antea, quòd undique ſcaterent mendis, negligentiùs habebantur, minoreque cum fructu legebantur, prodierunt *Eraſmi* operâ ſtudioque ad manuſc. Codices recogniti, caſtigati, argumentis Scholiiſque illuſtrati.

P. Terentii Afri Comœdiæ VI.

Catonis Diſticha moralia. Et *Mimi Publiani*, cum *Scholiis.*

Ciceronis Officia, & *Quæſtiones Tuſculanæ*, cum *Scholiis.*

Senecæ Philoſophi Opera, è MSS. caſtigata & tertiùm recognita: cum *Judicio Eraſmi de Seneca, & Scriptis ejuſdem.* Et plures alii: videlicet, *Q. Curtius, Suetonius, Ælius Spartianus, Cyprianus, Hilarius, Irenæus, Ambroſius, Lactantius de Opificio Dei*, cum *Scholiis: D. Auguſtini* Opera; itemque *D. Hieronymi*, cum *Scholiis: Origenes*, deque *Vita, Phraſi, docendi ratione, & Operibus Origenis: Algerus de Euchariſtia.*

Præterea in Eraſmi libellum *De civilitate morum* Scholia ſcripſit *Gybertus Longolius*, non uno loco edita. Libellum *de Conſtructione*, eodem auctore, Scholiis illuſtratum ab *Henrico Primæo*, edidit Antver. 1537. Hillenius.

Denique in *Moriam* ejuſdem exſtat *Commentarius Gerardi Liſtrii*: cujus tamen auctorem facit ipſum *Eraſmum* in Opere ſuo Chronographico Petrus Opmerus. Holbenius figuras appoſuit.

Obiit *Deſiderius Eraſmus*, dum à Maria Hungariæ Regina in Brabantiam revocatus, relicto Friburgo, ubi ſexennio vixerat, Baſileæ hæret, Eccleſiaſten editurus, anno ſalutis partæ 1536. ætatis LXX. die 11. Julii, ante chorum Ædis primariæ ſepultus, addito hoc Epitaphio.

Chriſto Servatori Sacr.
DESIDERIO ERASMO,
Roterodamo,
Viro omnibus modis max.
Cujus incomparabilem in omni
diſciplinarum genere eruditionem
Pari conjunctam prudentiâ,
Poſteri & admirabuntur
Et prædicabunt.
Bonifacius Amerbachius,
Hieronymus Frobenius,
Nicolaus Epiſcopius,
Hæredes, & nuncupati
Supremæ ſuę voluntatis vindices,
Patrono opt. non memoriæ,
Quam immortalem ſibi
Editis lucubrationibus comparavit,
Iis tantisper, dum orbis terrarum ſtabit,
Superfuturo,
Ac eruditis ubique gentium
Colloquuturo,
Sed corporis mortalis,
Quòd reconditum ſit ergo,
Hoc Saxum poſuêre.
Mortuus eſt V. Eid. Jul.
Jam Septuagenarius,
Anno à Chriſto nato M. D. XXXVI.

In Saxo Sepulchrali.

DESID. ERASMUM Roterodamum
Amici ſub hoc Saxo condebant,
V. Eid. Jul. M. D. XXXVI.

Optaverat quidem ille ante obitum alibi in ditione Cæſaris vivendi commodum locum: nam conſtans fama eſt,

eum anno 1534. à Paulo III. Pont. opulentâ Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis Præpoſiturâ fuiſſe donatum; & ad altiora propediem evehendum. Sed ingraveſcens valetudo coëgit Baſileæ hibernare. Ita enim in poſtremis ſuis ad *Conradum Goclenium*, amicorum ſynceriſſimum, ſcribit litteris, decimo-quinto ante obitum die. Nam Baſileæ quamquam eſſet apud amicos quoque ſynceriſſimos, quales Friburgi non habebat; *tamen*, inquit, *ob dogmatum diſſenſionem, malim alibi finire vitam.* Verùm ſic erat in fatis.

Lemma ſibi propoſuerat Eraſmus, magnanimâ mente conceptum, CONCEDO NULLI. *Fuiſſet tamen major, ſi minor eſſe voluiſſet*; ut aiebat J. Scaliger.

Vitam autem ſcripſit *Beatus Rhenanus*, ad Carolum V. Cæſarem: & *Eraſmus* ipſe, ad *Goclenium* ſuum, quam cum Epiſtolis poſtumis Paulus Merula vulgavit Lugd. Batavorum, in 4. 1607. Librorum elenchum carmine dedit idem *Goclenius*: item *Adrianus Barlandus* Epiſt. ad Cornelium fratrem, ipſeque *Eraſmus* Epiſtolâ, ad Joannem Boltzhemum, Canonicum Conſtantienſem, & alterâ ad Hectorem Boëthium. Orationem funebrem *Guilielmus Silvius* Menapius; Elogium *Aubertus Miræus*, & in Batavia ſua *Adrianus Junius*: aliique variis Epitaphiis defunctum honorarunt, ſimul editis Antverp. typis Mart. Cæſaris, 1537. 8.

In morte Eraſmi quidam luſit hoſce Verſus.

Fatalis ſeries nobis invidit Eraſmum;
Sed Deſiderium tollere nemo poteſt.

Opera omnia Eraſmi ex recenſione *Joannis Clerici*, emendatiora & auctiora, atque ad optimas Editiones collata, denuo prodierunt anno 1703. magnificè impreſſa Lugduni Batavorum apud Petrum Vander A. fol. XI. Vol.

Primo præfixa eſt Vita Authoris, per varios conſcripta, ac ſimul etiam omnia ejus Epitaphia & Elogia. Ultimum autem Vol. continet Indicem ad omnia ejus Opera generaliſſimum; item ſententiam Eraſmi quoad Religionem.

Viſitur hodieque Roterodami in Hollandia exigua domus ad cæmiterium, in quâ natus fuit Eraſmus; cuique appoſita fuit hæc Inſcriptio.

Ædibus his ortus, mundum decoravit Eraſmus
Artibus ingenuis, Religione, Fide.
Item
Hæc eſt parva domus, magnus quâ natus Eraſmus.

Anno 1547. *Philippo*, Belgarum Principe, Caroli V. Cæſ. filio, dein Hiſp. Rege, Roterodamum introeunte, Magiſtratus Roterodamenſis *Eraſmo* Civi ſuo erexerat ad pontem Moſæ Statuam primùm ligneam, dextrâ manu calamum tenente, ſiniſtrâ verò Scriptum continens ſequentia: *Sereniſſimo Hiſpaniarum Principi D. Philippo à Burgundia, Deſiderius Eraſmus Roterodamus.* Porro ſtatua hæc anno 1622. mutata fuit in æneam, artificioſè fuſam, de ſublato inde Crucifixo pariter æneo. Hinc ortum hoc Epigramma vernaculum.

En was-het dogh niet jammer,
Dat Chriſtus niet en was een Rotterdammer?

Id eſt: *numquid dolendum, Chriſtum non fuiſſe Roterodamenſem?* quo ſignificatur ironicè, tunc forſitan Imaginem Crucifixi contra Iconoclaſtarum rabiem fuiſſe conſervandam.

Jacobus Marſollier, Pariſinus, Cathedralis Eccl. Uzetienſis Præpoſitus evulgavit anno 1713. gallicè *Apologiam Eraſmi*, quâ probat eum in unitate Romano-Catholicæ Fidei vixiſſe ſemper, & obiiſſe. Non defuêre tamen Scriptores, qui hanc *Marſolerii* ſententiam impugnaverint. Unde vulgata jam olim proverbia: *Eraſmus poſuit*

Digitized by Google

ova, Lutherus excluſit. Aut Eraſmus Lutherizat: aut Lutherus Eraſmizat &c Vide Memorialia P. Niceron de Viris illuſtribus Tomo VII. pag. 66.

DETHARDUS HORSTIUS,

Friſius, J. C. claruit in Helmſtadienſi ſeu Julia Academia. Edidit

Juriſprudentiam Juſtinianeam. Helmſtadii, 1579. 8.

Synopſin Theſium ſive Axiomatum Juris, ad ſecundam partem Pandectarum. Ibid. 1583. 4.

DIODORUS TULDENUS,

Nicolai J. C. Filius, *Joannis* in ſuprema Brabantiæ Curia Senatoris ac Vice-Cancellarii frater, natus eſt Silvæ-Ducis patriciâ & clarâ familiâ *de Tulden*; maternâ ſtirpe *de Auwen*, etiam nobili atque Equeſtri. Litteris humanioribus, Logicâque ac Phyſicâ compendioſè à privato Magiſtro in patria paterniſque ædibus inſtitutus, inde Lovanii, naturæ genio inſtigante, præcipuo conatu Ethicen, Politicen, Juriſprudentiamque amplexus fuit, ſummus ſectator cultorque cultiſſimæ doctrinæ ac ſuaviſſimi commercii Viri, *Erycii Puteani.*

Poſt ſuſceptum anno 1615 VII. Idus Octobris Juriſconſulti titulum, ſe foro dedit, cauſaſque Advocatus egit aliquantiſper in patria, ejus mox Senatui ac Magiſtratui inſertus. Scripſit tunc *Diſſertationum Socraticarum* libros II. qui partim Ethicen, partim Politicen ſpectant, Lovanii anno 1620. typis excuſos. Qui libri concepti conſcriptique ab eo jam tum adoleſcente, oſtendunt judicii maturitatem, ſtili elegantiam, lectionis varietatem, ſtudii ac laboris conſtantiam, pertinaciamque.

Quò factum, ut, genio eum velut manuducente ad liberiorem ac liberaliorem doctrinarum cultum, eodem ipſo anno ad vacantem Juris Civilis ac Paratitlorum Profeſſionem Lovanii competitores ſuos facilè vicerit. Jurium Doctor interea renuntiatus anno 1631. unà cum Clariſſ. *Petro Stockmans*, poſt totos tredecim annos in ea Profeſſione pari conſtantiâ diligentiâque exactos, S. P. Q. Lovanienſis ſuffragiis Primariam Legum Cathedram obtinuit; cùm etiam jam antè in Germaniam cum ſimili prærogativa ad Cathedram Profeſſoriam vocatus fuiſſet. Conſtitutis itaque Lovanii laribus, ductâque conjuge *Catharinâ Clarâ de Grevenbroeck*, nobilis Oirſchotanæ in Campania Brabantica familiæ, liberos ſuperſtites tres, mares binos genuit.

Vocatus inde ad ſupremum Belgicæ Conſilium, quod Mechliniæ reſidet, anno 1645. ut qui ante tot Judices formarat, ipſe quoque pro meritis Judex fieret. Verum eâ in dignitate vix quadrimeſtri ſedit, obiitque eodem anno die 19. Novembris, ſepultus in Eccleſia Metropolitana S. Rumoldi.

Paterni nominis famam proſecutus eſt filius *Joannes Florentius Thuldenus*, in ſupremo Mechlinienſi Senatu conſtitutus anno 1668. Conſiliarius, dein etiam Fiſci Regii Advocatus, ac tandem Madriti apud Carolum II. Regem Conſiliarius intimus. In cujus gratiam idem Rex anno 1696. erexit Baronatum de Thulden & Rumſdorp.

Libros verò atque ingenii foetus plures dedit Diodorus Thuldenus.

De Principiis Juriſprudentiæ libros IV. Lovanii, 1621. 8.

De Cauſis ac Remediis corruptorum Judiciorum, libros IV. cum Diſſertatione *De conſultiſſima ad Juriſprudentiam via.* Coloniæ. 1624. 4.

De Juriſprudentia Extemporali, ſeu *de Regulis Juris* libros II. Lovanii, 1629.

4. quos deinde tertiâ parte auctiores fecit.

Initiamenta Juriſprudentiæ, ſive *Orationes auſpicales* XIII. quibus adjecta eſt *Laudatio Funebris V. C. L. Stephani Weymſii*, J. C. Ibid. 1635. 4.

Commentarium ad Inſtitutionum Juris Civilis libros IV. Ibid. 1633. 4.

Commentarium ad Cod. Juſtinianeum. Ibid. 1633. fol.

De ſui Cognitione libros V. Ibid. 4.

Reliquit editioni paratum *Commentarium in Digeſta ſive Pandectas Juris*, Methodicum, Ætiologicum, Pragmaticum.

Rerum ex facto propoſitarum Caſus enucleatos.

De Civili Regimine, libros VIII.

Sophiæ Eclecticæ, ſive *Placitorum & Monitorum ex omni Antiquitate ſelectorum, digeſtorum & illuſtratorum*, libros IX.

De Providentia, libros IV.

Orationes de Officio operantium Juri.

Opera omnia Diod. Tuldeni ſimul fuerunt edita Lovanii ann. 1701. & 1702. typis Ægidii Denique in IV. Vol. in fol.

DIONYSIUS DE BERSACQUES,

J. C. Nobilis Atrebas, ſcripſit

De origine, ſerie & rebus geſtis Comitum Arteſiæ Hiſtoriam Latinam, quâ in Chronico ſuo Belgico concinnando Ferreolus Locrius non mediocriter uſus fuit, vel ipſomet teſte.

DIONYSIUS COPPEE,

Condruſius, Poëta vernaculus, cui non minus honoris ſuis ab Hujenſibus debitum, quàm Danti Aligerò à Florentinis tributum fuit. Scripſit Tragœdias III. verè tragico & apto, ſed gallico ſtilo & rithmo, quarum hi tituli:

Lambertias, ſive de crudeli Martyrio S. *Lamberti*, Leodienſium patroni &c.

De Paſſione Dominica. Leodii apud Leonar. Streel. 1624. 12.

Vita SS. Juſtinæ & Cypriani, Martyrum. Ibid. apud Joann. Ouwerx, 1621. in 12.

Item *Panegyricum Caroli Comitis Bucquoy*; aliaque.

DIONYSIUS HARDUINUS,

Franciſci frater, Gandenſis, J. U. D. Juridicus militum, ſeu Auditor per Flandriam orientalem, & Proto-Scabinus ad S. Bavonem Gandavi, vir cùm doctus, tum doctorum elogiis paſſim celebratus: ac tametſi vivus videnſque nihil conſcripſerit, quod quidem typis divulgari paſſus ſit; conſtat tamen inſignem illuſtrandæ præſertim Flandriæ ſuæ locaſſe operam, ejuſque laboribus alios non parum uſos fuiſſe.

Etenim in primis adſcribi *Harduino* debent, quæ *de Nobilitate* Joannes Hollanderus anno 1621. vulgavit, ex Analectis & adverſariis, ut fatetur, *Harduini.* Quæque de *Flandriæ Scriptoribus Antonius Sanderus* edidit, partim ex *Harduini* Elencho ſive Catalogo tranſcripta ſunt; quod nec ipſe diffitetur. Ac verendum eſt, ne aliquando idem aliis ejus contingat lucubrationibus; ut ſunt,

De Magiſtratibus Flandriæ, liber I.

De Præſidibus Curiæ Provincialis in Flandria, & Concilii Sanctioris in Belgio.

De Cancellariis Burgundiæ.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Flandriæ.

De illuſtribus Zelandiæ Familiis.

De Nobilitate Burgundica, Namurcenſi & Leodicenſi.

De Nobilitate Hiſpanica.

De Titulis ac Principibus Regni Neapolitani.

Elogia Gentis Farneſiæ. Et ſi quæ alia alibi fortè latitant.

Diem

Digitized by Google

Diem extremum clauſit in patria anno 1605, & ſepultus in D. Michaëlis Parochia, hoc Epitaphio.

DIONISIO HARDUINO,
Thomæ F. J. U. D.
In Italia, Belgio,
Civilib. militarib. Magiſtratibus
Honeſtè functo:
Hîc quidem præter alios
Juridici militum, ſeu Auditoris
Per Flandriam orientalem,
Et Proto-ſcabini perpetui ad S. Bavonem
In patria Gandavo,
Illîc vero Diœceſis Caſſanenſis
In Calabria Vicarii,
Et Gubernatoris generalis.
Obiit IV. Januarii, M. D. C. V.

Juſtus Ryckius concivi ſuo adoleſcens hoc Epitaphium luſit:

Si mens juſtitiæ cultrix, probitaſque Fideſque
Communi eriperent pectora ſancta nece;
Immortalis eras Dionyſie, *ſanctaque nunquam*
Stamina fatalis diſſoluiſſet anus.
Sed quia communi nihil exit lege ſolutum,
Juſtitia heic, probitas, & jacet alma fides.

VENERABILIS PATER, DIONYSIUS A LEEWIS,

Patriâ RYCKELIUS, (quod Haſbaniæ municipium eſt, ditionis Leodicenſis, juxta Loſſam ſive Los-Caſtrum, quo in opidulo ipſa ejus conſanguinitas adhuc perſeverat, atque in tanti Viri memoriam *Dioniſii* nomen eidem familiæ etiamnum eſt familiare) Religione Cartuſianus, Profeſſione Ruræmondenſis, Univerſitatis Colonienſis alumnus, in qua eruditionem hauſit non vulgarem, atque in primis Sacrarum Literarum cognitionem tam uberem, tamque felicem, ut vix parem invenerit.

Tot namque Vir iſte, Deo plenus, (teſte *Theodorico Loërio* ejuſdem Inſtituti Religioſo) ſcripſit atque edidit libros, ut, niſi eoſdem propriâ etiam manu ſcripſiſſet, incredibile foret, unum hominem, qui vel nulli alteri operi animum adjiceret, potuiſſe omnia legere, nedum meditari, componere, ſcribere atque corrigere.

Aderat in tractandis rebus mira quædam diligentia & raritas, in eruendis myſteriis ſedulitas: plenus eruditione, copioſus varietate, pietate refertus ac ſanctitate conſpicuus; utpote qui divinis etiam revelationibus dignus ſit habitus; unde & DOCTORIS EXSTATICI nomen meruerit.

Utitur quidem nonnumquam rudioribus atque aſperioribus, minuſque receptis vocabulis, ſed tamen vivis, animatis, flammeis, ad imum ſpiritum penetrantibus, Lectoremque mirabili poteſtate transformantibus. Nam eâ tempeſtate vixit, quâ genus omne ſtudiorum ſola barbaries occupârat, cui propterea etiam ſtylum ſuum accommodavit.

Fertur *Eugenius* IV. Pont. Max. cùm ex libris Dionyſii neſcio quem ſibi vidiſſet oblatum, dixiſſe, LAETETUR MATER ECCLESIA, QUÆ TALEM HABET FILIUM, teſte Papirio Maſſono in Vita Pauli II. Ex lucubrationibus illius, curante in primis eodem *Loerio*, edita ſunt ſequentia Coloniæ, non uno anno, typis Quentelianis, in fol. Tomis VII.

Enarrationes, ſive *Commentarii in Vetus ac Novum Teſtamentum*; quadruplici ſenſu, literali, tropologico, allegorico & anagogico: *In Pentateuchum*, 1547. fol. *In Libros Joſue, Judicum & Paralipomen.* 1552. *In Libros Job, Tobiæ Judith, Eſther, Nehemiæ & Machabæorum*, 1551. *In* IV. *Prophetas Majores*, 1548. *In* XII. *Prophetas Minores*, 1549. *In Pſalmos Davidicos*: quibus accedunt *Comment. in Cantica* VII. *ma-*

tutinalia; *in Symbolum Fidei*; *in Hymnum Te Deum laudamus &c.* 1531. *In Proverbia*, *Eccleſiaſten*, *Canticum Cantic. &c.* 1555. *In* IV. *Euangelia*, 1543. & Venetiis 1569. *In omnes B. Pauli Epiſtolas*, 1545. *In Epiſtolas Canonicas: in Acta Apoſtolorum*, & *Apocalypſin*, eodem anno.

Monopanton, id eſt, *Unum ex omnibus S. Pauli Epiſtolis ad materias certas contractum Opuſculum.* Venetiis, 1518. & Lugduni apud Gryphium, 1547. 16.

Enarrationes in Dionyſii Areopagitæ Opera. Coloniæ, 1546.

Commentarii in libros IV. Magiſtri Sententiarum. Ibid. 1535. & Venetiis 1584. Tom. IV.

Summa Fidei Orthodoxæ. Ant. 1569. 8. & Venetiis in 16. Tomis II.

De Fide Catholica contra Gentiles Dialogion, libris VIII. partitum. Coloniæ, 1534. 8.

De IV. *Hominis Noviſſimis*: & *de particulari Judicio & obitu ſingulorum.* Delphis Batavor. 1487. Coloniæ, 1568. & 1591. 12. & alibi. Monet Cardin. Bellarminus de Scriptor. Eccleſ. libellumhunc cautè legendum circa ſtatum animarum in Purgatorio degentium.

Speculum omnis ſtatus Humanæ Vitæ. Norimbergæ, 1495. 4.

Opuſcula alia minora ejuſdem *Dionyſii* in unum volumen congeſta, & tribus claſſibus diſtincta, edidit *Gerardus Hamontanus*, Cartuſianus Colonienſis, typis Joan. Birckmanni, 1559. fol. Prior claſſis ea complectitur, quæ ad Clerum pertinent,

De Regulis & Doctrina Chriſtianorum libros II.

De Vita & Regimine Præſulum.

De Vita & Regimine Archidiaconorum.

De Vita Canonicorum, anno 1532. Antverpię, item 1645. Gandavi.

Contra pluralitatem Beneficiorum lib. II.

De Simonia Tractatum duplicem.

Contra Ambitionis peſtem.

De Vita & Regimine Curatorum, *ſeu Parochorum.*

De Doctrina Scholarium, *ſeu Scholaſticorum.*

Altera claſſis concernit Vitæ Monaſticæ profeſſores.

Exhortatorium Novitiorum, per modum Dialogi.

De Votis & Profeſſione Monaſticis.

De Reformatione Clauſtralium.

De Reformatione Monialium Dialogus.

De Vita Incluſarum.

De Vita Purgativa.

De Laude & præconio Vitæ Solitariæ.

De Vita & fine Solitarii.

De Præconio, *ſive laude Ordinis* CARTUSIENSIS.

De Remediis tentationum.

Tertia claſſis continet concernentia Sæculares Laïcoſque.

De Vita & Regimine Principum libros III.

Epiſtolam parenæticam, ad Imp. & Principes Catholicos, *de bello inſtituendo adverſus Turcam.*

De Vita & Regimine Nobilium.

De Regimine Politiæ.

De Vita & Regimine Militum.

De Statu Vitæ Virginalis.

De laudabili Viduarum vita.

Adverſus Avaritiam Epiſt. ad quandam Viduam.

De laudabili converſatione Conjugatorum.

De Vita Mercatorum, & *juſto rerum pretio*, Dialogum.

JESU & *Pueri Dialogum.*

JESU & *Senis Dialogum.*

His deinde acceſſerunt Tractatus VII. ſimul excuſi Lovanii, 1576. 4.

De arcta via ſalutis, & *contemptu Mundi.*

Speculum Amatorum Mundi.

De gravitate & enormitate Peccati.

De converſione Peccatorum, Dialogus.

De Fonte Lucis & ſemita vitæ.

Devotum Præcordiale.

Dialogus inter Patronum & Canonicum.

Digitized by Google

Item *Inflammatorium divini Amoris.* Coloniæ apud Butgen. 1605.

Exhelcoſis, ſive *Medulla* atque *Excerptum Summæ S Thomæ Aquinatis.*

Exhelcoſis ex Summa Guilielmi Antiſiodorenſis.

Commentarium in Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ; qui denuo cum Notis uberioribus, olim à Petro Bertio adjectis, prodiit Lugduni Bat. 1671.

Enarratio Hymnorum, præſertim veterum.

Expoſitio librorum Joannis Climaci.

Tranſlatio librorum Joannis Caſſiani ad ſtilum faciliorem.

De exemplis & Documentis authenticis.

De Ente & Eſſentia.

De Scientia Univerſalium.

Compendium Philoſophicum, ſeu *Elementatio Philoſophica.*

Compendium Theologicum, ſeu *Elementatio Theologica.*

De lumine Chriſtianæ Theoriæ, lib. II.

Contra Alchoranum ac perfidiam Machometi & Sarracenorum, libri IV. Coloniæ 1533.

Dialogus inter Chriſtianum & Sarracenum, *de Lege* CHRISTI.

Contra artes Magicas & errores Waldenſium.

Contra Superſtitiones.

De Natura æterni & veri Dei.

De venuſtate Mundi, & pulchritudine Dei.

Creaturarum in ordine ad Deum Conſideratio Theologica.

De diſtantia perfectionis divinæ & humanæ.

De Munificentia & Beneficiis Dei.

De Laudibus ſuperlaudabilis Dei.

Laudes Dei devotiſſimæ.

De Donis S. Spiritus, libri IV. Manuſc. in Corſendoncano Canonicorum Regul. Cœnobio, apud Turnhautum.

Horæ de Sanctiſſima Trinitate.

Horæ de Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Meditationes de Paſſione Domini.

Expoſitio Paſſionis ſecundùm IV. Euangeliſtas MS. in Corſend.

Expoſitio Miſſæ MS. Ibid.

Dialogus de Celebratione & Sacramento Altaris.

Tractatus de ſacra Communione frequentanda.

Sermones VI. *de Venerabili Sacramento.*

De Laudibus Virginis Dei-paræ, libri IV.

De Præconio & dignitate ejuſdem, libri IV.

De mutua cognitione in patria MS. in Corſend.

De Sanctorum Reliquiarumque veneratione, & de Proceſſionibus ſacris.

De cauſa diverſitatis eventuum.

De Auctoritate & officio Summi Pontificis.

De Poteſtate & juriſdictione ejuſdem.

De Auctoritate Conciliorum generalium.

Enarratio in Tertiam Regulam S. Franciſci.

De Vita Solitariorum. MS. Ultrajecti in Bibliotheca.

Sermones de Tempore & Sanctis, ad Sæculares.

Sermones de Tempore & Sanctis, ad Religioſos.

Summa de Vitiis & Virtutibus, ſive *Illuminatorium ſalutaris Sapientiæ.* MS. in Corſend.

Contra vitium proprietatis Monachorum.

De modo devotè pſallendi.

De modo & ordine judicandi & corripiendi.

De fructuoſa temporis deductione.

De mortificatione vivifica & reformatione interna.

De Paſſionibus Animæ. MS. Ultrajecti in fol.

De puritate & felicitate Animæ.

De cuſtodia Cordis, & profectu ſpirituali.

De Gaudio ſpirituali.

De Pace interna.

De Contemplatione. MS. Ultrajecti.

De Oratione. MS. in Corſend.

De Meditatione.

De Regulis vitæ Chriſtianorum.

Unguentum Myſticum de rebus Tungrorum MS. apud Regulares Tungrenſes.

Collationes II. pro Capitulo generali Ordinis Carthuſienſis.

Apocalypſis, ſive *Revelationes ſibi à Deo factæ.*

Epiſtolæ, ad diverſos. Et alia: quorum Catalogum ipſe Auctor conſcripſit, quem in Bibliothecam ſuam Cartuſianam *Theodorus Petreius* retulit. Pleraque Coloniæ lecta fuêre; inde Ruræmondam, ubi primùm nata, tranſlata ſunt, teſte ibidem Petreio, qui deſiderari ex illis, nondumque reperta eſſe notat ſequentia.

De divina Eſſentia

De deformatione & Reformatione Eccleſiæ.

De Regimine Prælatorum.

De officio Legati.

De honeſta converſatione Clericorum.

Dialogus inter Chriſtum & Principem.

De Vita & exemplis Antiquorum Patrum.

De actu Viſitationis. De triplici Via.

De Diſcretione Spirituum.

De Elevatione mentis in Deum.

Dialogi, *De charitatis profectu, & de perfectione charitatis.*

Neque prætermittendum, inſtante Dionyſio Ryckelio, & ſatagente Carolo Audace Burgundiæ Duce fundatam fuiſſe circa annum 1470. *Domum S. Sophiæ*, Carthuſiani Ordinis juxta Sylvam-Ducis: cujus ipſe Dionyſius primus Prior deſignatus fuit.

Vir hic, tot lucubrationum & excellentium librorum (quorum ultimus fuit *Meditationum* volumen, quod ſe ait ſcripſiſſe anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo nono) auctor, vitæque ſanctimoniâ clariſſimus, animam Deo beatam reddidit in Cartuſia Ruræmundenſi, anno 1471. ætatis 79. profeſſionis 48. menſe Martio, die *D. Gregorio Magno* Eccleſiæ Doctori ſacro, qui ſtilo veteri fuit viceſimus ſecundus, hodie eſt duodecimus.

Quo etiam die (ut id quoque ad tanti Scriptoris laudem commendationemque hoc loco adjiciam) anno 1608. ab obitu *Ryckelii* centeſimo trigeſimo ſeptimo, ſacra ejus oſſa per *Henricum Cuyckium*, Epiſcopum Ruræmundenſem, exhumari juſſa, inventa ſunt ſibi mutuò majorem partem cohærentia, & (quod tota miretur poſteritas) pollex & index manus dexteræ, duo nimirum ſcribendorum librorum inſtrumenta maximè neceſſaria, integri, carnoſi & vividi. Vide Litteras Epiſc. Cuyckii apud *Arnoldum Havenſium* de Erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum lib. III. cap. X. & XI.

De Vita autem Scriptiſve qui plura deſiderat, legat Præfationem ante ejus Commentarium in Epiſtolas D. Pauli, curâ Doctorum Theologorum Colonienſium primùm editum anno 1530; item libellum *Theodori Loërii*, Operibus *Dionyſii* adhærentem; Bibliothecam Carthuſianam *Theodori Petreii*, & *Petrum Dorlandum* Chronici Cartuſ. lib. VII.

Anno 1718. conventum fuerat inter R. P. Joſephum Engelgraeve Priorem Bruxell. ac Viſitatorem Carthuſianorum in Belgio, & Franciſcum Foppens typographum Bruxellenſem, de nova editione Operum omnium Dionyſii Carthuſiani, typis ſuis exhibendâ, unà cum quibuſdam Tractatibus ineditis, qui in Ruræmundenſi Carthuſia aſſervantur. Aſt ubi de eadem Editione actum fuit in Generali Capitulo Majoris Carthuſiæ, voluerunt PP. Galli eam fieri in Gallia, omniaque Manuſcripta illuc transferri. Quod dum recuſarunt noſtrates, conatus iſte evanuit.

Digitized by Google

DIONYSIUS MUDZAERTS,

Tilburchius, (quod eſt Sylvæ-Ducenſis territorii inſigne municipium) Canonicus Regularis Abbatiæ Tongerloenſis, Norbertini Ordinis, primò Paſtor in Calmpthaut, dein Virginum velatarum ſui Ordinis Vallis S. Catharinæ, olim in civitate Bredana Præpoſitus, edidit idiomate vernaculo

Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab orbe condito uſque ad an. 1624. ex probatiſſimis Auctoribus optimâ fide concinnatam.

Hiſtoriam Eccleſiæ Belgicæ, ſimiliter ex fideliſſimis rerum Belgicarum Scriptoribus contextam, Antver. 1624. fol. Tomis II. apud Verduſſium.

Litanias de S. Auguſtino.

Vitam S. Norberti, cum tranſlatione S. ejus corporis Magdeburgo Saxoniæ in Pragam Bohemiæ anno 1627. Ant. 4.

Vitas omnium SS. Ordinis Præmonſtratenſis, quæ nitidiſſimè deſcriptæ aſſervantur Tongerloæ ad editionem paratæ.

Obiit Antverpiæ, die 19. Novembris 1635.

DIONYSIUS TRIVERIUS,

Lovanienſis, Hieremiæ Filius, Reipublicæ atque urbis Ziriczeæ in Zelandia Medicus, *Methodum Medicinæ univerſæ*, opus poſtumum patris, in lucem protulit. Præfatur adverſus Empiricos & impoſturam eorumdem. Lugd. Batavor. typis Raphel. 1592. 12.

DIONYSIUS DE VILLERS,

Tornaci Nerviorum in D Virginis Canonicus & Cancellarius, concinnavit *Officium proprium SS. Patronorum Eccleſiæ Tornacenſis*; Duaci editum, 1591. 8.

Vir fuit antiquitatis omnis, præſertim quæ in Nummis eſt Romanorum, admodum curioſus & gnarus. Indicio hujus rei domus erat, quam habitabat, cimeliorum ac librorum generis omnis locuples theſaurus, & velut ſpirans Bibliotheca.

De familiis Principum ac Nobilium Belgii, deque Genealogiis eorumdem moliebatur opus; verùm ſera illius aut nulla potiùs exſpectatio erit, auctore anno 1620. ætatis LXXIV. ipſo S. Andreæ die feſto, humanis exempto. Libri Codiceſque manuſcripti hodie ſunt Bibliothecæ Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis, quę curâ ac liberalitate Canonicorum, Dioniſii Villerii, Hieronymi Winghii, & Claudii Dauſqueii inchoata fuit.

Memoriæ Æviternæ
V. R. DIONYSII VILLERII,
Antiquarii & Genealogi.

Deſine terra tuos, VICOS, SRADASQUE, *latina*
Jactare, *vel* PANVINIOS:
Non PASQUALINOS *mater generoſa Quiritum*
Claroſque dic BURGHESIOS.
Teutona non Tellus VELSERI *ſcrinia* MARCI,
Ditemque Gallia CHOULIUM:
Belgica nec geminos LAURINOS *dicere malis*,
TORRENTIUMQUE *nobilem:*
Innumeroque alios aliæ deſiſtite terræ
Laudare, queis Numiſmatum
Cura fuit veterum dilectas quærere gazas
Cum divite elegantia.
Unus cunctorum vicit DIONYSIUS *artem*,
Urbe hoſpitatus NERVIA.
Soſpite quo, miſeros dignata inviſere cœtus
Moneta mater copiæ,
Plutus & effoſſo terrarum apparuit imo;
Sacris notatus litteris,
Romulcoſque Duces referens, atque ora priorum,
Pelaſgidarum & Barbarûm.
Qui nunc ad tumulum DIONYSI *peditus atrum*,

Pullo indecorum ſyrmate,
Funereamque gerens taxum, lacrymâque madeſcens,
Triſtem refundit Næniam:
Gloria quæ tecum fleterat, Dionyſie, noſtra,
Tecum heu! jacente concidit.

Juſtus Ryckius, Gandenſis Canon. pro veteri in amicum affectu Poſ.

DIONYSIUS VOSSIUS,

Celeberrimorum Virorum, Gerardi Joannis Filius, Iſaaci frater, Batavus, Dordraci natus, anno 1606. XI. Idus Martii, juvenis excellentis ingenii, variæ eruditionis, non in latinis modò græciſque litteris, quæ ſolæ totam hominis ætatem occupent, verùm etiam in Hebræis, Syris, Chaldæis, Arabicis; ut præteream gallicam, italicam, hiſpanicam linguas, quibus loquebatur. Edidit

Panegyricum duplicem, dicatum *Frederico Henrico*, Arauſionenſium Principi &c. proſâ oratione & verſu heroico. Amſterod. 1633. 4.

Annales Belgarum, aliarumque gentium, auctore *Everardo Reydano*, latinè reddidit. Leidæ, eodem anno, fol.

C. Julium Cæſarem caſtigatum. & Notis ſuis illuſtratum prelo paraverat.

Item *Moyſen Maimonidem de Idololatria*, ex Hebræo fonte in latinam linguam à ſe derivatum & Commentario illuſtratum, (cui, ut & Cæſari, non multum ad perfectionem ſuam deerat) aliaque communicare Reipublicæ Litterariæ geſtiebat: verùm ſuccreſcentem illum florem mors nimis præpropera in ipſa velut herba ſuccîdit.

Obiit Amſtelodami anno 1633. VIII. Kalendas Novembris, annos vix natus XXI. ſepultus in Ædc nova, ſeu S. Catharinæ: cum paulò ante, ob vulgatam eruditionis famam, in Dorpatenſem Livoniæ Academiam, à Rege Suecorum Guſtavo-Adolpho recens conſtitutam, litteris Academiæ ejuſque Cancellarii, ad Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſionem perhonorificè accerſitus fuiſſet.

DIONYSIUS VUELSTEKIUS,

Iprenſis Flander, J. C. & Poëta ſuaviſſimus, luſit

Epigrammatum, librum I. Middelburgi 1612.

DOMINICUS ACRONIUS,

Friſius, Hiſtoricus, evulgavit

Hiſtoriam Civitatis Franekeræ. 12. Franek. 1651.

DOMINICUS ARUMÆUS,

Friſius, J. U. D. atque ab anno ætatis XXI. Profeſſor in Salana ſive Jenenſi Saxonum Academia, ac Dicaſterii Provincialis & Scabinatûs Aſſeſſor, obiit ibidem quaſi ſubito, dum academico munere fungeretur, anno 1637. Edidit

Deciſionum & Sententiarum in Dicaſterio Jenenſi pronunciatarum libros II. Jenæ, 1608. & 1612. 4.

Commentarium methodicum *de Mora*, 1608. 12.

Exercitationes Juſtinianeas ad Inſtitut. Juris Civilis.

Diſputationes ad præcipuas Pandectarum & Cod. Leges.

Ad Conſuetudines Feudales.

Ad L. 2. Cod. de reſcind. vendit. Simul edita, 1620. 4.

Diſcurſus Academicos ad Bullam Auream Caroli IV. Imp. 1617. 4.

Diſcurſus item *Academicos de Jure publico.* Tomis III. ibid. ann. 1616. & 1621. ordine excuſos.

Diſputationes de Appellationibus, Depoſito, Jure emphiteutico, Mulierum matrimoniis, Judiciis, Fignoribus, Regaliis, Vicariatu Imperii &c. diverſo tempore editas.

Digitized by Google

De Comitiis Imperii Romano-Germanici. 4. Jenæ 1660.

Sepultus eſt Jenæ in templo primario, ſub hoc Epitaphio.

Juris eram, Græcique potens Sermonis amator,
Cui radicalis cognita lingua fuit.
Cauſas tractavi, ſubſellia prima ſubivi,
Cauſidicæque fui lumen, honorque Togæ.
Juridicâ ſubito ſenſus in ſede reliqui,
Nec breve mors brevis eſt dicere paſſa vale.
Quam dicas aliena, prius tua diſcito judex
Vicinum capiti dicere cura Jovem.

DOMINICUS BAUDIUS,

J. C. natus Inſulis Flandrorum anno 1561. VI. Idus Apriles, prima litteraturę elementa diſcere cœpit Aquiſgrani, quò pater de gente Reformatorum, rerum apud Belgas potiente Ferdinando Duce Albano, cum familia profugerat, ipſeque ſe Theologaſtrum aliquanto tempore profeſſus eſt. Verùm poſtea verſis velis Lugduni Batavorum per menſes XV. aſſiduam Juri operam cùm navaſſet, Doctoris titulum ab *Hugone Donello* accepit pridie Nonas Junias, 1585. Ibidemque, poſt luſtratam Angliam Galliamque, primò Eloquentiæ anno 1602. deinde Hiſtoriarum Profeſſor deſignatus eſt, cum onere ſcribendæ Hiſtoriæ ei ab Ordinibus Fœderatis anno 1611. impoſito.

Ceterùm in *Baudio* vivente memoriam, ingeniumque plerique admirati ſunt: geniumque hominis Epiſtolæ ejus paſſim produnt, quas ſcribere ad amicos incredibili facilitate ſolebat, in quibus ita ſe expreſſit, ut in iis vivere adhuc & ſpirare videatur: nec abludunt alia ejus opuſcula, cùm ſoluto tum adſtricto ſermone compoſita.

Poëmata varia, vario metri genere, Lugd. Batt. 1607. 8. ſed quorum bona pars in Pont. Max. ac Regem Catholicum effuſa, meritò pias offendit aures. Prodierunt rurſus 1640. Amſtelod. apud Janſſonium.

Carmina gratulatoria, honori *Ambroſii Spinulæ* dicata. Ibid. 1609. 4.

Monita Civilis Sapientiæ verſibus Jambicis.

Monumentum Honori & Memoriæ Sereniſſ. Britaniarum Principis Henrici Frederici conſecratum, 1613. 4.

Orationes aliquot, à morte *Baudii* ſimul editæ, 1619. in 8. & die 11. Aprilis 1628. Romæ per S. Congregationem Indicis prohibitæ; videlicet

In C. Plinii Panegyricum Oratio Auſpicalis, publicis Lectionibus præmiſſa, anno 1603.

Ad Studioſos Leidenſes, ob cædem commilitionis tumultuantes.

Ad Jacobum I. Angliæ Regem, ſub perſona Ordinum Belgii fœderati, de non ineundo fœdere cum Hiſpano.

Oratio Funebris dicta honori & Memoriæ Joſephi Scaligeri, anno 1609.

Hortatio ad amplectendas belli Belgici Inducias, anno 1609. edita ſub nomine *Juliani Rosbecii.*

Diſſertatio de Induciis belli Belgici, edita ſub nomine *Pacati Latini.*

De Induciis belli Belgici lib. III. 1613. in 4.

Epiſtolarum Centuriæ III. Ibid. 1615. 8. & Amſtel. 1639. 12.

Commentariolus de Fœnore. Ibid. 1615. 8.

Obiit anno 1613. XI. Kal. Septembris, Lugduni apud Batavos; putidus aſſentator nequiſſimorum ſui ſæculi hominum Theodori Bezæ, & Fratris Pauli Servitæ Veneti &c. Non inficiandum tamen, fuiſſe Poëtam ſuaviſſimum, & latini ſermonis elegantiâ priſcis Romanis parem. Ita de eo Scaliger & Grotius.

DOMINICUS BENDIXIUS,

Snecanus, Friſius, S. T. L. Paſto-

rem egit in patria ac Leovardiæ, primusque Canonicus Graduatus & Archidiaconus novellæ Cathedralis Ecclesiæ S. Viti Leovardiensis à *Cunero Petro* Episcopo constitutus, cum eodem Præsule à Calvinistis ejectus, Coloniæ aliquamdiu vixit; moriturque Dusseldorpii Canonicus, anno 1586 XIV. Januarii.

Scripsit, Suffrido Petro teste,

Sermones de vitanda peccati occasione.

De Humilitate.

De Ira, Invidia & Continentia.

Contra luxum & crapulam. Et alia, non visa.

DOMINICUS CUSTOS,

Antverpiensis, civis Augustanus & Chalcographus, æri incidit ac vulgavit,

Principum Christianorum Stemmata, ab *Antonio Alibizio*, nobili Florentino, explicata. Augustæ Vindelic. 1611. in fol.

Atrium Heroïcum, sive Impp. Regum, Principum &c. effigies Ibid. fol.

Sanctos Augustanos, cum explicationibus. Ibid.

Comites Tirolenses, &c. *Electores Saxoniæ*, cum *Commentario*. Ibid. 1599. & 1601.

Duces Bavariæ, cum *Commentario*. Ibid. 1605.

Regum Neapolitanorum Vitas & Effigies, 1605. fol.

Delicias Urbis Romæ. Ibid.

Itinerarium Georgii ab Ehingen Tabulis illustravit.

DOMINICUS DE FLANDRIA,

Ordinis Prædicatorum Theologus fuit ac Philosophus, ut illa ferebant tempora, excellens. Claruit anno 1470. docuitque annos plures Bononiæ, Regens Studii, (unde quidam Bononiensem non rectè faciunt) & posteris reliquit

Quæstiones Metaphysicales in Aristotelem

Quæstiones XX. in libros posteriorum Analyticorum Aristotelis.

Quæstiones XXIII. in Elenchos Aristotelis: omnia Venetiis edita, 1496. & 1565. apud Juntas.

Quæstiones Quotlibetales, Venetiis. 1500.

Quæstiones & Annotationes in libros Aristotelis de Anima. Ibid. 1503. typis Octaviani Schoti.

DOMINICUS JANSSEN-BOY,

Unus ex quatuor fratribus germanis, Ordinis Prædicatorii Religiosis, Missione Apostolicâ & scriptis claris; nativitate Ziriczæus, professione Conventûs Antverpiensis alumnus.

A Sacra Congregatione *de Propaganda Fide* anno 1623. Hamburgum missus, ibidem se fortissimum fidei athletam, & Missionarium verè Apostolicum exhibuit, à Lutheranis plurima perpessus. Nam quidam Joannes Muller, ad S. Petrum pseudo-Pastor Lutheranus, ferre non valens fructus, quos P. Dominicus quotidie reportabat, socios suos contra ipsum adeò exacerbavit: ut simul omnes ex condicto in spseudoprædicationibus suis multa scommata, & contumelias non solum contra P. Dominicum, verum etiam contra ipsum Senatum evomerent, exclamantes: contra leges patriæ tolerari Sacerdotem pontificium, ipsumque, velut malum pestiferum, urbe pellendum fore.

Cùm verò clamoribus se nihil efficere perspicerent: libellum famosum, multis convitiis & calumniis refertum, contra P. Dominicum, & Senatum in vulgus sparserunt, quo indocta plebs ad tumultum excitaretur. Ad quem præveniendum Senatus P. Domi-

Digitized by Google

Digitized by Google

Dominicum è civitate discedere jussit, concesso tamen biduo ad præparandas sarcinas: sed sedatâ plebe, in urbe remansit usque ad annum 1634. quo tandem abire coactus fuit.

Hinc Coloniam tetendit, & indè Antverpiam rediit. Ne autem talentum adeò pretiosum in Conventu absconderetur, à Superioribus Amstelodamum missus fuit, ubi ea, quæ Missionarii Apostolici sunt, maximo zelo, & non sine ingenti animarum fructu strenuè peregit usque annum 1647. quo ex hac vita migravit die 14. Martii.

Scripsit idiomate germanico *Tractatum de Jejunio* contra Lutheranos

Librum, cui titulus: *Scriptor veridicus Christianæ Confraternitatis gloriosissimi nominis Dei.* In cujus fine habetur *Davidicum gloriosissimi Nominis Dei Officiolum.* Latinè. Hamburgi anno 1634. in 8. absque typographi nomine.

Ob hujus libri impressionem P. Dominicum Hamburgo à Senatu pulsum scribit P. Guilbertus de La Haye Conventûs Insul. Iterùm ab Authoris exilio prodiit liber ille Coloniæ, quo tunc secesserat, illique adjecit germanicè *brevem methodum pro Confessione & Communione*, unà cum *Orationibus*, *ac Hymnis de nomine Jesu* Coloniæ typis Joannis Kinckii anno 1636. in 8.

Postea, Antverpiæ degens, prælo supposuit *alteram partem Miraculorum S. Patris Dominici in Soriano*, flandricè scriptam à suo fratre P. Cornelio ex italico Frangipani. Antverpiæ typis Gerardi van Wolschaten anno 1643. in 8.

DOMINICUS LAMPSONIUS,

Brugensis, Poëta & Pictor excellens, vixit in Anglia, domesticus *Reginalai Poli* S. R. E. Cardinalis, eoque vitâ functo, anno 1558. in Belgium trajecit, & reliquum vitæ egit Leodici, tribus ex ordine Episcopis Leodicensibus, Roberto Bergio, Gerardo Groesbequio & Ernesto Bavaro à Secretis. Scripsit solutâ Oratione

Vitam Lamberti Lombardi, pictoris Leodicensis, Brugis editam, Goltzii typis, 1565. 8.

Elogia in Effigies Pictorum celebrium Germaniæ Inferioris, carmine. Antver. 1572. 4. apud Crocum.

Psalmos VII. Pœnitentiales, Lyricis versibus reddidit, edente *Jano Lernutio.* Pleraque simul Leodii edita, unà cum *Poëmatiis* quibusdam fratris sui *Nicolai Lampsonii*, ibidem ad S. Dionysium Decani, 1626.

Decessit Leodici, anno 1599. ætatis LXVII. in Ecclesia Collegiata S. Dionysii sepultus, hoc Epitaphio.

Ad Dei Omnipotentis Honorem
Et
DOMINICI LAMPSONII
Variâ scientiâ & functione publicâ
Clari,
In hac Ecclesia sepulti,
Suique memoriam
NICOLAUS LAMPSONIUS
Ejusdem Ecclesiæ Decanus,
Ejus Frater pos. anno CIↃ. IↃC. III.
SIC erat hoC Latè notUs LaMpsonIUs anno,
Ipsâ defUnCtUs qUâ sanCtUs aLeXIUs horâ.

DOMINICUS SCHENKELIUS,

Silvæ-Ducensis, Medicus in patria, & Collega *Joannis Nemii* in Schola moderanda; vir de politiori litteratura optimè meritus, præter *Carmina* aliquot, sparsim edita, edidit libellum juventuti studiosæ utilem, cui titulus

Orationes Terentianæ, cum germanica interpretatione. Silvæ-ducis apud Joan. Turnhautum, 1557. 8.

DONATUS,

Diaconus & Monachus ad S. Trudonem in Hasbania, ſcripſit circa annum 800. ad Angilramnum, Archiepiſcopum Metenſem,

Vitam ejuſdem *S. Trudonis.* Meminit Theodoricus Abbas, & ex eo Molanus ad Uſuardum 23. Novembris. Extat quoque apud Mabillonum ſæculo II. SS. Ord. S. Ben. pag. 169.

DOROTHEUS LOEFFIUS,

Gravienſis (quod eſt controverſum Brabantos inter & Geldros Oppidum) Societati Jeſu adſcriptus anno 1619, Philoſophiam, Theologiam Sacraſque Litteras Lovanii dudum profeſſus eſt, græcæ atque hebraicæ linguæ peritiſſimus; Bruxellis fato functus circa ann. 1677. Edidit

Paraphraſin & Theſes ſacras in Epiſtolam D. Pauli ad Romanos, fol. Lovanii 1640.

Breve artificium legendi hebraïcè. fol. Antv. 1640.

Defenſionem brevem Conſtitutionis Innocentii X. de V. Propoſitionibus Janſenii, ſub nomine Alexii Philoromæi. 4. Leodii 1654.

Cultum Immaculatæ Conceptionis B. V. ſolidum, ac Deo Deiparæque pergratum. 12. Bruxellis 1663.

Vitam P. Bernardi Colnagi Societ. Jeſu. Flandricè. 8. Antv. 1666.

DOROTHEUS WALRAVIUS,

Hornanus, Batavus, J. C. ſcripſit juvenis Legumque ſtudioſus Lovanii, Carmina ſacra

De B. Mariæ Virginis Conceptione, Annuntiatione, Purificatione, Aſſumptione. Lovanii, typis Maſii, 1608. 4.

Moritur anno 1599. tertio Idus Aprilis, annos natus XXVI. extra opidum Hornanum, in pago dicto Binnenwyſent, cæſus à ruſtico.

DROGO,

Ex Monacho Benedictino Bergenſi ad S. Winocum, primùm Presbyter ſeu Paſtor Giſtellenſis juxta Brugas, ac deinde Morinorum ſive Teruanenſium anno 1036. creatus Epiſcopus XVI. non litteris minùs quàm pietate nobilis, ſcripſit, teſte Valerio Andrea,

Vitam, Miracula ac Tranſlationem S. Levuinæ, Virg. & Martyris, libris II. MSS. Bergis S. Winoci. Extant etiam in Mabillonii ſæculo VI. Benedictino Parte II. p. 112.

Vitam & Paſſionem S. Oſvaldi Regis: & de eodem *Sermones* duos. Ibid. & Camberonæ in Hannonia.

Libro ſingulari Auctoris anonymi *de Vita S Winoci* Confeſſoris, adjecit alios duos: qui ibidem Manuſcripti adſervantur.

Vita & Martyrium S. Godelevæ, Giſtellæ juxta Brugas anno 1070. pridie Nonas Julias paſſæ, *Drogone* auctore, ad Radbodonem Epiſcopum Noviomenſem & Tornacenſem, legitur apud Surium 6. Julii, & olim duplo prolixior Duaci apud Georgium Colvenerium S. Theol. Doctorem, ac Tomo XI. Biblioth. PP. editionis Colon. 1618. Poſtremò extat apud Hagiographos Societ. Jeſu, ad diem VI. Julii, item in Opuſculo ſeparato, quod *R. P. Joannes Baptiſta Sollerius* ejuſdem Societatis Theologus anno 1720. Illuſtriſſ. D. *Van Suſteren* Brugenſium Epiſcopo, unà cum eruditis Obſervationibus ſuis dedicavit.

Obiit Drogo Morinorum Præſul, ac quondam Monachus Sithienſis, circa annum 1077. cum Epiſcopatûs ſui quinquageſimum attigiſſet. *Ita Mabillonius in Annalibus Benedictinis.*

Notet autem hîc Lector, nonnullos harum Vitarum duos facere Auctores, alterum Monachum S. Andreæ juxta Brugas & Paſtorem ſeu Sacer-

Digitized by Google

dotem Giſtellenſem, qui Vitam S. Godelevæ circa annum 1070. ſcripſerit; alterum Monachum Winoci-Bergenſem, ac Morinorum poſtea Præſulem: cùm unus idemque videatur, conveniantque in tempore, quo vixêre, locorum viciniâ ac nomine. Quamquam dubitari quoque poſſit, an idem ſit *Drogo*, qui Monachus Bergenſis, & Teruanenſium fuit Epiſcopus, cùm libro III. cap. XIII. Vitæ S. Winoci, *Drogonis* Epiſcopi fiat mentio. Sanè ſupra-laudatus *P. Solerius*, qui dubium hoc penitiùs examinavit, tres cenſet fuiſſe *Drogones*, atque unum ex his utroque juniorem, Monachum S. Andreæ, verum Authorem Vitæ S. Godelevæ.

DURANDUS,

Ex Henrici II. Imp. Cancellario Leodienſium Epiſcopus creatus anno 1021., humili licet loco natus, plurimùm tamen tum litteris tum moribus nobilem illam ſuo tempore illuſtravit Eccleſiam. Scripſit ad Henricum Franciæ Regem,

Epiſtolam de Corpore & Sanguine Domini, contra Brunonem, Andegavenſem Epiſcopum & Berengarium, Turonenſem. Inſeruit eam Annalibus ſuis Baronius, ad ann. 1035. legiturque Tomo III. Biblothecæ Patrum. Meminit ejuſdem Epiſtolæ Guitmundus libro I. de Corpore & Sanguine Domini.

Vivere *Durandus* deſiit Kalendis Februarii anno 1025. ſecundùm Ægid. Bucherium, in ſua Hiſtoriæ Leodienſis Chronologia. At Baronius putat *Durandum* adhuc ſediſſe anno 1035. quia Henricus Rex, ad quem ſcribit, ab anno 1033. cœperit regnare ſolus, coronatus à patre Roberto an. 1028. ac propterea falli Sigebertum, qui *Durandi* ingreſſum ponat anno 1021. atque alium in ejus locum anno 1025. ſurrogatum fuiſſe ſcribat. Unde Clariſſ. Valerio Andreæ aliquando veriſimile videbatur, *Durandum* non ad Henricum, ſed ad Robertum Regem ſcripſiſſe.

Verùm cùm eundem Durandum ante hæreſin à Berengario publicatam obiiſſe conſtet, falli videtur Baronius, magiſque probanda opinio Claudii Roberti, in ſua Gallia Chriſtiana, & Auberti Miræi ad Sigebertum de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 154. prædictam Epiſtolam *Deoduino* adſcribentium, qui anno 1048. Leodicenſibus Epiſcopus datus, anno 1075. vivere deſiit.

Fallitur verò & Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, qui unum eumdemque facit hunc *Durandum*, cum *Durando à S. Portiano*, Ord. Prædicat. Theologo & Epiſcopo Meldenſi, qui claruit anno 1310. id eſt toto ſæculo poſteriùs.

E.

EBRARDUS,

CAnonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini Monaſterii Watinenſis, olim nobilis Præpoſituræ in Diœceſi Morinenſi uſque ad Erectionem Epiſcopatûs Audomarenſis, quo redditus ejus Menſæ Epiſcopali attributus; domus vero Regularis tandem PP. Anglis Societatis Jeſu conceſſa. Reliquit *Ebrardus Chronicon Watinenſis Monaſterii*, quod è Manuſcripto Abbatiæ Dunenſis Brugis, evulgarunt primùm Domni *Edmundus Martene* & *Urſinus Durand*, Monachi Benedict. ex Congr. S. Mauri in Theſauro novo Anecdot. Tom. III. pag. 798. Pariſiis.

Author etiam fuit Ebrardus *Opuſculi de Miraculo* quod Brugis contigit anno 1088. cum S. Donatiani meritis paralyſi curatus eſt Tancradus Canonicus Regularis Watinenſis. Extat in Actis Tranſlationis S. Donatiani apud Surium 14 Octobris, apud Hariulphum in libro Miraculorum S. Richarii cap. 1. & apud Mabillonium ſæculo V. Benedictino.

ECKEBERTUS,

Clericus Eccleſiæ Leodienſis, ſcripſit, teſte Trithemio,

De Ænigmatibus Ruſticanis libros II.

Vivebat anno 1060. regnante Henrico III. Imp.

EDO NEUHUSIUS,

Leovardienſis Friſius, ibique per annos plures Gymnaſii Litterarii Rector; à Senatu Groningano ad idem munus illic obeundum anno 1619, promiſſo etiam ampliore ſtipendio, invitatus, Scholam tamen Leovardienſem deſerere noluit, ibique peſte correptus interiit anno 1636. Scripſerat

Theatrum ingenii humani, ſive de cognoſcenda hominis indole, & ſecretis animi morbis, libros II. 8. Amſtelod. 1633. & 1664.

Fatidica Sacra, ſive de divina futurorum prænunciatione libros II. 8. Amſtel. 1635. Romæ per S. Congregationem Indicis prohibitos, die 26. Octobris 1640.

De Infantia Romani Imperii, ſub ſeptem Regibus, item verſu heroïco *Manes Naſſovios*, ſeu *Epicedion Wilhelmi Ludovici Comitis Naſſovios*, anno 1620.

In Victorias Belgicas, &c. quæ omnia Amſtelodami evulgavit anno 1657. filius *Reinerus Neuhuſius* Gymnaſiarcha Alcmarianus.

EGBERTUS VAN DEN HOOFT,

Alias Hoofdius, Enchuſanus Batavus, vernaculè edidit

Hiſtoriam Oppidi Enchuſani, 4. ibid. 1666.

EGBERTUS HOPP,

Clivius, Jurium Licentiatus & in Curia Clivienſi Cauſſarum patronus, deſcripſit germanicè brevem patriæ ſuæ Hiſtoriam, cum Genealogia Comitum ac Ducum Cliviæ, hoc titulo:

Kurtſe Beſchreibung deſs Lants, ſampt angehenckter Genealogia *der Graffen und Hertogen zu Cleve.* 8. Cliviæ 1655.

EGBERTUS SPITHOLDIUS,

Zutphanius, S. Theol. Licentiatus Colonienſis, Canonicus & Plebanus in D. Virginis Antverpiæ, ab anno 1595. Librorumque Cenſor, vir pius & morum ſuavitate amabilis, dedit

Pia Precationum & contemplationum Exercitia. Antver. typis Plantin. 1604. 12. Latinè ac Flandricè.

Digitized by Google

Meditationes in Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti. Ibid. 1612. 12.

Animam Deo reddidit anno 1627. die XV. Aprilis, ſepultus in Sacello Circumciſionis, ubi vivens ſibi hoc monumentum delegerat.

Hunc lapidem poſuit ſibi
EGBERTUS SPITHOLDIUS
S. T. L.
Canonicus & Plebanus Antverp.
Qui hic reſidentiam ſuam habuit
Ab anno Domini M. D. XC. V.
Et obiit die XV. menſis Aprilis
M. D. C. XXVII.
Cujus animam Deo opt. ter max.
Tranſiens precor commenda.

EGGERICUS BENINGA,

Nobilis ex Grimerſum in Friſia Orientali, Conſiliarius Comitum Friſonum & Gubernator in Lieroort, in fata conceſſit anno 1562. *Chronicon* ſeu *Hiſtoriam Orientalis Friſiæ* contexuit, quam Notis illuſtratam evulgavit *Antonius Matthæus* J. U. D. in Analectis ſuis anno 1706. Tom. VIII.

EGINHARDUS,

Sigeberto & aliis EINARDUS, AINARDUS vel AGENARDUS, dictus, è Francia orientali oriundus circa nemus Ottonicum, à Carolo Magno in Regia aula enutritus, ac Palatii Regalis Notarius ſeu Cancellarius, ingenio, doctrinâ, rerumque uſu ita excelluit, ut inde *Magni* ac *Sapientis* cognomentum promeruerit, Walafrido Strabone, Abbate Augienſi, indicium ejus faciente.

Fuit poſtea primus Abbas Monaſterii Selingſtadienſis in Diœceſi Moguntina ad Mœnum fluvium, à ſe conſtructi ac dotati; inde IX. ad S. Petrum in Monte Blandinio apud Gandavum anno 826 creatus, Abbas quoque Fontanellenſis in Gallia; ac poſtremò XV. ad S. Bavonem Gandavi. Scripſit

Vitam CAROLI *Magni Imp* tantò veracius, inquit Sigebertus, quantò adhæſit ei familiarius; Coloniæ non ſemel editam, Lipſiæ 1617. 4. & alibi.

Meminit hujus operis Chronicon Gandenſe MS. apud Molanum ad Uſuardum 28. Januarii: *Anno* 826. *Vir venerabilis* Einhardus, *Ludovico piiſſimo Imperatori multùm familiaris, factus eſt Abbas Gandenſis Cœnobii, qui Geſta inclyta & Acta glorioſi Imp.* Caroli magni *lucido ſtilo deſcripſit.* Meminit & *Lupus* Abbas Ferrarienſis epiſtolâ ad Eginhardum ſcriptâ.

Extat etiam hęc *Vita Caroli magni*, in Actis SS. per PP. Hagiographos Societ. Jeſu, Tomo II. Menſis Januarii pag. 877. item inter Scriptores Francicos Andreæ Du Cheſne Tomo II.

Varii quoque eam Notis illuſtrarunt, ut Frantzius, Marquardus Freherus, Georgius Helwich Moguntinus Francofurti 1631. Fredericus Beſſellus Boruſſus, Helmſtadii 1667. Joannes Henricus Boeclerus Argentorati 4. 1644. Demum prodiit cum Notis variorum 4. Ultrajecti 1711. curante Joh. Hermanno Schminckio.

Annales Regum Francorum, Pippini, Caroli Magni, & Ludovici Pii, ab anno 741. *ad an.* 829. Extant inter Scriptores Francicos Du Cheſnii, & Germanicos Reuberi.

Epiſtolas ad diverſos: quas Tomo II. Scriptorum Francicorum inſeruit idem *Du-Cheſnius*, edito Pariſ. 1636. fol.

De Tranſlatione & Miraculis SS. Marcellini & Petri (quorum ſacras reliquias Gandavum attulit,) libros IV. à Surio Tomo VII. 2. Junii primùm evulgatos, cum *Rythmo ſeu Carmine Jambico de iiſdem Sanctis.* Extant quoque in Actis SS. Junii Tom. I.

Pſalterium Gallicanum abbreviatum, teſte Sigeberto.

Obiit Gandavi, anno 844. VIII. Kalendas Auguſti; ſed juxta Mabillonum anno 839.

EILARDUS AB ALMA,

Friſius, Poëta non infelix, juvenis admodum verſus ſcribillare cœpit, & deſcripſit

Bellum Gigantum libris IV. typis Sanctandreanis, 1587. 4.

Obiit Heidelbergæ, Kalendis Octobris anni 1586. ætatis XXII. *Lambertus Ludolphus*, Daventrienſis, amico ſuo hoc Epitaphium poſuit.

Memoriæ & honori
Præſtantiſſimi Poëtæ
EILARDI AB ALMA.

Conditur hoc tumulo primis extinctus in annis
EILARDUS, *Friſii ſpeſque decuſque ſoli.*
Scilicet hoc vivo meruiſſet Patria, quid quid
Cum Latio veræ Græcia laudis habet.
Si juveni pietas, doctrina, modeſtia, forma,
Ingenium, vitæ tempora longa darent;
Ingenium, pietas, pudor & doctrina dediſſent
Huic merito vitæ tempora longa ſuæ.
Sed pede mors pulſans æquo mortalia cuncta,
Cum pueris juvenes & rapit atra ſenes.
Non tamen extinctum jacet hic cum corpore nomen;
Uſque tui vivet nominis, ALMA, *decus.*
Hoc tua promeruit (nulli ſic condita Vatum
Tempora, quos hæc vel priſca tuliſſe liquet)
Muſa, Gigantæos grandi quæ carmine motus,
Geſtaque cum ſuperis impia bella canit.
Cæleſtem jam læta tui migravit in aulam
Pars melior, molli hac oſſa teguntur humo.
Hæc quicumque legis tumulo ſuperaddita metra,
Nil niſi, dic tacitè, pulvis & umbra ſumus.

EILHARDUS VERIUS,

Vulgo DE VEER, Amſterodamenſis, Batavus, pleraque idiomate vernaculo conſcripſit, aut ex aliis linguis in vernaculam tranſcripſit; *Vetuſque Hollandiæ Chronicon*, novo ſupplemento auxit, atque ab anno 1515. uſque ad 1591. ſeu ad ſua tempora deduxit. Prodiit Dordraci.

ELBERTUS LEONINUS,

Vulgò DE LEEUW, Gelder natione, à procera & heroïca ſtatura LONGOLII cognomentum Lovanii tulit. Elementaria litterarum principia didicit Bommeliæ, natali in ſolo, parentes ibi nactus cives mediocrium fortunarum: à quibus deinde deſtinatus Trajectum ad Rhenum, ſub *Georgio Macropedio* circiter triennium operam dedit diſciplinæ Grammaticæ.

Trajecto Embricam migravit, exortâ famâ inſtantis belli inter Carolum Ducem Gelriæ ac Domum Burgundicam, ubi per quadriennium ſub doctore *Matthia Bredenbachio* ſcribendis Orationibus & Carminibus feliciter exercitatus, Lovanium profectus *Petrum Nannium* Profeſſorem in Collegio Trilingui percelebrem audivit, & ſimul Juriſprudentiæ ſtudiis vacavit: in quibus eos progreſſus fecit, ut anno 1547. Licentiæ gradu inſigniri meruerit.

Tum Atrebatum profectus, linguæ gallicę diſcendæ gratiâ, vix annum ibi ſubſtitit, reverſuſque Lovanium uxorem duxit *Barbaram de Haze*, filiam *Joannis*, primarii Legum Profeſſoris, conciliatore nuptiarum *Dominico Cakaert*, primario Canonum Prof. Qui cùm biduo poſt nuptias ipſoque adeò tempore nuptiarum vivere deſiſſet, in ejuſque locum *Vulmarus Bernaerts*, Canonum Anteceſſor horis pomeridianis, eſſet ſurrogatus, ad hanc

Digitized by Google

ſic vacantem cathedram *Leoninus*, adhuc ſponſus à Magiſtratu Lovanienſi vocatus fuit.

Anno 1550. XIII. Kal. Junii Doctoralia ſuſcepit inſignia; â quo tempore celebritatem aliquam nominis conſecutus fuit ex docendi officio, & frequentia reſpondendi de Juris quæſtionibus, quæ ex omnibus Europæ partibus adferebantur, tunc adhuc ſuperſtite celeberrimi nominis Juriſconſulto *Gabriele Mudæo*, primario Legum Profeſſore.

Quo anno 1560. decedente, ad cathedram primariam, S. P. Q. Lovanienſis conſpirantibus ſuffragiis, *Leoninus* adſumptus fuit; creſcentequeinde nominis ac famæ celebritate, ab omnibus ferè Belgii Principibus ac Magiſtratibus conſuli colique cœpit.

Gratus inſuper Margaretæ Parmenſi Duciſſæ, Cardinali Granvellano, Guilielmo Principi Auraico, Egmondano & Megenſi Comitibus, inprimiſque Philippo Duci Arſchotano: qui omnes, quamvis inter ſe graviſſima exercerent odia, tamen omnia ſua negotia, etiam ſecretiſſima, querelaſque, quas fovebant inter ſe, *Leonino* utrimque libenter communicabant & credebant, nec interceſſionem ejus repudiabant; at pertinax odium reconciliationem non admiſit.

Sanè inter cauſſas, quibus ipſe, de Vita ſua ſcribens, refert ſe motum fuiſſe, cur Ordinum ſecutus partes, deinceps cum iiſdem remanſerit, ponit & hanc, quod propter nimiam benevolentiam ac familiaritatem, fidemque, quâ pollebat apud Principem Auraicum, veniſſet in ſuſpicionem apud Regios, atque etiam Regem ipſum, alicujus molitionis contrariæ, &, quod deterius, ſeditioſorum conſiliis conſentire diceretur; quod à ſe ſcribit fuiſſe alieniſſimum.

Addit & illam, quod, quia Conſiliarius erat Statûs, ac præcipua Reipublicæ negotia ſibi concredita notaque haberet, ideo infidum exiſtimaverit illa prodere, & tranſire in alteram partem. Sed & Solonis dictum, inquit, ac conſilium ob oculos habebam, quod bonus vir in civilibus diſſentionibus partem eligere debeat inferiorem, & magis periculoſam.

Anno 1581. à diſceſſu Matthiæ Archiducis conſtitutus fuit Cancellarius Geldriæ; Principeque Auraico, anno 1584. è vivis ſublato, ſubeundæ, Ordinum auſpiciis, Gallicanæ Legationi cum aliis admotus fuit, & inſtante urgenteque majori parte Collegarum, Orationem ipſe ad Regem habuit, & verba fecit in communicationibus ſuper delato Principatu Belgii habitis.

Poſtea cùm actum eſſet cum Regina Angliæ, & Comes Leiceſtrius ut Gubernator Hagæ-Comitis exciperetur, iterum *Elberto Leonino*, Ordinum nomine, congratulationes & orationes habendæ fuerunt: magnoque tum ſumptu & ſtudio coluit familiaritatem cum præcipuis Angliæ Proceribus, illoſque, quantum potuit, AD MODESTÆ GUBERNATIONIS STUDIUM (ita ipſemet ſcribit & loquitur) unà cum ipſo Leiceſtrio commovere ſemper adlaboravit; uti & antè, inquit, apud Joannem Auſtriacum, & deinde apud Archiducem Matthiam laboraverat: ſed aliorum perſuaſionibus circumventus & deceptus Leiceſtrius, ad benè agendum moveri non potuit; id quod breve imperium habuit & infelicem exitum.

Addit deinde de Scriptis ſuis, deque Religione, cujus controverſia, judicio *Leonini*, totam Rempublicam perturbavit, *Ego*, inquit, *ſimplicem Religionem amplectendam ſemper prædicavi, & etiam nunc prædico: prorſus divina & humani ingenii captum excedentia, divinitati & ſecreto Dei atque Angelorum judicio*

relinquens : honorandam potiùs & admirandam divinitatem quàm definiendam judicavi. Enixè laboravi, ut nimiùm ſubtiles diſputationes è Republica ejicerentur, de quo memini in Oratione ad Ordines habita, quæ poſt primam Centuriam Conſiliorum meorum impreſſa eſt. Ita ille, ſuo ſe ſenſumque ſuum circa Religionem ſatis ſuperque prodens. Legendæ ſunt Orationes doctiſſimæ *Henrici Cuyckii* tunc in Academia Lovanienſi Doctoris Theologi, dein Ruremundenſis Epiſcopi, adverſus iſtam quorumdam Belgarum pſeudo-politicam.

Vivere deſiit Leoninus Arnhemii anno 1598. pridie Nonas Decembris, annos natus LXXIX. ſepultus in Collegiata D. Euſebii. Vixit in primo atque unico matrimonio annos quinquaginta duos. Superſtes vidua Bruxellam ad ſuos reverſa, annis XXXVI. marito ſupervixit. Epitaphium ejus ſic habet.

ELBERTO LEONINO J. C. ampliſſ.
In florente quondam Academia
Lovanienſi Primario Juris Profeſſori,
Conſiliario Statûs,
Ducatûs Geldriæ
Comitatûſque Zutphaniæ
Cancellario.
Obiit anno M. D. XCVIII.
Die VI. Decembris,
Ætatis ſuæ LXXIX.
Natus Bommeliæ
Vixit in primo ac unico matrimonio
Annos LII.

E ſcriptis Elberti Leonini pleraque à morte auctoris typis excuſa ſunt.

Centuria Conſiliorum. Antver. 1584. fol. typis Plantini.

Oratio habita in conventu Ordinum Generalium Antver. an 1579. tempore Colloquii Colonienſis, *De Bello, Religione & Pace per Belgium* Ibid.

Emendationum ſive *Obſervationum* libri VII. Arnhemii, 1610. 4.

Prælectiones ad Tit. Cod. De Jure Emphiteutico Francof. 1606. 8.

Item *ad Lib. IX. Cod.* in quo Tituli & Leges omnes ad inſtar *Proceſſûs Criminalis* explicantur. Coloniæ, 1604. 4. edente *Joanne Philippo Steinhauſen.*

Commentarius ad Tit. Dig. De Uſufructu. Lichæ, 1600.

Plura alia avi ſui ſcripta poſſidebat, *Leonini* è filia nepos, *Elbertus Zoeſius*, Amersfortius J. C. Thomæ filius, primò cauſſarum in Curia Ultrajectina patronus, dein ab anno 1611. Curiæ Senatoriæ ibidem Aſſeſſor, vitâ functus 22. Januarii 1622. Qui quidem aliquos è libris præcedentibus prelo dari curavit; ſequentes vero reliquit ineditos.

Conſiliorum Centurias alias II. à *Leonino* editioni paratas.

Notas in V. Libros Decretalium, juſſu Gregorii XIII. congeſtas.

Commentarios in Libros V. VI. VII. & VIII. *Pandectarum.*

Diſſertationem Leonini de Trapezitis Belgii, vulgò *Lombardis*, publici juris fecit *Marcus Zuerius Boxhornius*, Lugduni Bat. 1640. in 8. item Groningæ 1668. in 4.

S. ELEUTHERIUS,

Epiſcopus Eccleſiæ Tornacenſis ordine tertius, natus eſt Tornaci, Sereno & Blandâ parentibus Chriſtianis, ac multa à paganis pro CHRISTO paſſus legitur. Nam bis Romam propter fidei negotia profectus fuit, Synodumque contra Acephalos hæreticos celevit. Scripſit

Sermones de Sancta Trinitate, de Incarnatione Chriſti, de Nativitate Domini, de Annuntiatione Dominica Qui omnes Manuſcr. exſtabant Tornaci ad S. Martinum, & plerique in Monaſterio Bonæ Spei apud Hannones. Editi dein fuerunt Inſulis anno 1726. in Summa Statutorum Synodalium Tornacenſium pag. XI.

Item

Digitized by Google

Item ibidem pag. 1. *Acta Synodi habitæ ſub B. Eleutherio Epiſc. Tornacenſi contra hæreticos, circa ann.* 520. Ex antiquiſſimo Codice MS. Bibliothecæ Cœnobii S. Martini Tornaci.

Vitam ejus ſcripſit *Guibertus de Tornaco* Ord. Minorum Doctor Theologus, MS. ibidem, hoc initio: *Reverendo Patri ac Domino Joanni* &c. Quam vide in Actis SS. ad diem 20. Februarii.

Obiit verò *S. Eleutherius* an. 531. aliis 523. die 20. Februarii, Epiſcopatûs ſui anno XLV. Sepultus Blandinii (qui juxta Tornacum vicus eſt) à S. Medardo Epiſcopo Tornacenſi ac Noviomenſi.

B. ELIAS DE COXIDA,

Cognomen ſortitus à patria, Agri ſcilicet Furnenſis vico *Coxida*, Religioſus Ciſtercienſis Inſtituti, & Abbas VII. Dunenſis, olim juxta Furnam Cœnobii, modo Brugis conſiſtentis. Vir doctrinâ ac ſanctimoniâ eminens, ad vitam immortalem tranſiit anno 1203. Menologio Ciſtercienſi inter Sanctos inſcriptus ad diem 8. Octobris.

Plures olim in Bibliotheca Ciſtercienſi legebantur *Sermones* illius; qui temporum injuriâ nunc perierunt, exceptis duobus, in Capitulo Generali Ciſtercii habitis, quos ab interitu vindicavit *Carolus de Viſch*, Monachus Dunenſis, coſque Bibliothecæ ſuæ Scriptorum Ciſtercienſium pag. 90. & ſequentibus inſerut.

ELIAS PUTSCHIUS,

Antverpiæ naſcitur anno 1580. die XXVI. Novemb. puerque in Germaniam delatus; politiori litteraturæ potiſſimùm Lugduni apud Batavos operam dedit. Edidit

Saluſtii Opera, Fragmentis & Notis aucta; typis Raphel. 1601. 8.

Grammaticos veteres XXXIII. quà editos antea, quà ineditos. 1601. Hanoviæ typis Marnii 4.

Elegiæ illius nitidæ ac fluidæ, prodierunt Lipſiæ & Hanoviæ, in 8.

Obiit juvenis, ann. 1606. VII. Idus Martii Stadæ, in Archiepiſcopatu Bremenſi, ſepultus in D. Nicolai. Vitam ejus ſcripſit *Conradus Rittershuſius*, Aſſeſſor Noricus.

ELIAS SCHEDIUS,

Batavus, Hiſtoricus, ediderat juvenis

De Diis Germanis, ſive veteri Germanorum, Britannorum, Gallorum, Wandalorum Religione, Syntagmata quatuor. Amſtel. apud Elzevir anno 1648. 8. Imprimi curavit parens Authoris, qui ætatem 26. annorum agens, apoplexiâ correptus interiit 2. Martii 1641. cum Cracoviam tenderet, auditurus ibi Jus Canonicum profitentes.

ELIAS A S. THERESIA,

In ſæculo JOANNES BAPTISTA WILS dictus, domo Antverpiâ, S. Theol. Baccalaureus, ad S. Willibrordum in ſuburbanis ejuſdem opidi Paſtor, poſt Carmelita Excalceatus: Vir magni zeli, & Concionator indefeſſus, qui potiorem vitæ partem, quà verbum Dei diſſeminando, quâ confeſſiones peccatorum excipiendo, maximo cum fructu in Ordine conſumpſit. Luſit in ſæculo

Epigrammata de Viris vitæ ſanctimoniâ illuſtribus ex Ordine Præmonſtratenſi. Lovanii, typis Joan. Maſii, 1615. 4.

In Ordine pium & Concionatoribus utiliſſimum Opus magno ſtudio ac labore collegit, latineque evulgavit, cui titulus,

Legatio Eccleſiæ Triumphantis ad Militantem pro liberandis Animabus fidelium de-

functorum è Purgatorio. Antver. 1640. fol. Tomis II.

Reliqua vernaculo, id eſt Brabantico ſermone conſcripſit, ut

Vitam S. Matris Tereſæ, ex Hiſpanico, cum *Notis* in loca aliquot obſcuriora. Antverp. 1632. 8.

Vitam Annæ de S. Bartholomæo, individuæ comitis *S. Tereſiæ*, quæ anno 1626, cum famâ Sanctitatis atque miraculorum deceſſit. Ibid.

Palatium Spirituale Begginagiorum. Ibid. 1628. 8.

Obiit in Urbe natali Antverpia, anno 1640. die 6. Septembris.

S. ELIGIUS,

Epiſcopus Noviomenſis ac Tornacenſis, Flandrorum & Antverpienſium Apoſtolus, ſcripſit ad Clerum, plebem ſacram, & pœnitentes *Homilias* XVI. à Margarino Bigneo in Appendice ad Bibliothecam Veterum PP. editas Tomo II., in Lugdunenſi verò Tomo XII.

Item *Sermonem de rectitudine Catholicæ converſationis*, qui in Appendice Tomi IX. Operum D. Auguſt. Tractatu XX. ſine nomine authoris legitur.

Epiſtola S Eligii ad Deſiderium Cadurcenſem Epiſcopum, extat in Lectionibus Henrici Caniſii Tomo V.

Obiit anno 666. teſte Sigeberto in Chronico. Vitam ejus ſcripſit *S. Audoënus Dado*, Epiſcopus Rotomagenſis, apud Surium 1. Decembris, quo die feſtum ejus colit Eccleſia.

ELIGIUS BASSÆUS,

A loco natali, Flandriæ Gallicanæ Oppidulo, ſic dictus, Ord. FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum, Provinciæ Gallo-Belgicæ, multæ vir lectionis, edidit Duaci anno 1637. item Antv. 1643. fol.

Flores totius Theologiæ Practicæ, tum Sacramentalis, tum Moralis, ordine Alphabetico. Item *Supplementum ejuſdem libri* anno 1659. fol. Prodiit iterum Venetiis apud Nicolaum Pezzanam 1690. Tom. II. in fol.

ELIGIUS EUCHARIUS,

Sive Houcharius (quo primùm agnomine uſus eſt) Gandenſis Preſbyter, ac Ludi Litterarii moderator in patria, vir doctus, & Poëta pro ſæculi ſui genio inter primos Belgii cenſendus. Logicam Phyſicamque didicit Lutetiæ Pariſiorum, in Collegio Montis-Acuti, ſub *Ludovico Coronello*, Segovienſi, poſtea Concionatore aulico apud Carolum, Regem Hiſpaniarum, tunc Imp. electum, & anno 1504. Philoſophiæ Magiſter promotus fuit.

Ædes Gandavi in monte arenoſo incolebat, unde ſe Ludimagiſtrum Arenæmontanum inſcribebat: nactuſque ibidem hypodidaſcalos *Paſchaſium Zeuterium*, *Georgium Caſſandrum*, alioſque diſcipulos è ſuo illo ludo emiſit doctrinæ præſtantis, ſuoque non inferiores magiſtro. Nomine *Houcharii* edidit,

In laudem Salvatoris à morte reſurgentis Carmen Elegiacum, Pariſ. 1511. 4. typis Aſcenſianis, & Gandavi 1519. 4.

Vitas S. Lævini, Epiſc. & Martyris; *S. Coletæ*, Virginis Gandavenſis; *S. Bertulphi* Confeſſoris: item *Comœdiam de Patientia Chryſellidis*, *Pæana ſacrum & laudes in S. Agnetem & S. Catharinam*, *Tract. de Pœnitentia*, *Morales Inſtitutiones*, omnia carmine. Ibid. 1511. & & Gandavi. 1513. 4.

Eucharii verò *Dialogum Charitis & Gandæ*, ſuper obitu *Maximiliani* Rom. Imp. Auguſti, ob canonicam electionem *Caroli*, ex Philippo filio nepotis, ſe viciſſim conſolantium. Gandavi, 1519. 4.

Digitized by Google

Genethliacon Chriſto JESU, ex Bucolicis Virgilianis depromptum, interlocutoribus Gaſpare, Melchiore & Balthaſare.

Dialogum De moribus Urbanorum & Ruſticorum, verſu heroïco, Gandavi anno 1520. exhibitum. Pariſ. 1521. 4.

Apologiam rythmicam *Annæ Bynſiæ*, virginis Antverpienſis, *adverſus Hereticos*, verſu elegiaco redditam. Antv. apud Guil. Vorſtermannum, 1529. 8. formâ oblongâ.

EMBERTUS EVERAERTS,

Arendoncanus, Brabantus, quondam Lovanii in Scholis Artium, primus ſecundæ (ut aiunt) lineæ, dein anno 1584. die 29. Auguſti S. Theol. Doctor, unâ cum Viris celeberrimis *Henrico Cuyckio*, dein Epiſc. Ruremund. *Jacobo Janſonio* & *Joanne Clario* renunciatus; fuit primùm in D. Jacobi, pòſt D. Petri Paſtor, Eccleſiaſtes celeberrimus. Operas mutuas dedit in D. Auguſtini Operibus ſtudio & curâ Lovanienſium caſtigandis.

Laborarunt autem in ſingulis Tomis ſinguli. In I. *Mart. Baccius*, Tiletanus: in II. ſive in Epiſtolis, *Jac. Baius*: in III. *Henr. Cuyckius*; IV. *Embertus Everaertus*: V. qui libros De Civitate Dei continet, *Petrus Coretus*: VI. *Chriſtoph. Broideus* Arienſis: VII. *Henricus Gravius* Lovanienſis: VIII. qui Pſalmos habet, *Claudius Porta*, Bapalmenſis: IX. *Guil. Eſtius*, Gorcomius: X. *Martinus Lipſius*, ejuſque diſcipuli ac ſocii, *Joan. Coſterius* & *Joan. Vlimmerius*.

Vivere deſiit Everartius, anno 1604. VII. Idus Junii.

EMERICUS ANDREÆ,

Hooghſtratanus, Brabantus, ad S. Michaëlem Ord. Norbertini, in Urbe Antverpienſi, Abbas, reliquit

Notationes in pleraque anni totius, ut & Quadrageſimæ, Euangelia, atque Epiſtolas, è probatiſſimis Scriptoribus collectas. Leguntur ibidem auctoris manu nitidè ſcriptæ.

Anno regiminis tertio necdum expleto, deceſſit Antverpiæ; eique poſitum eſt Monumentum, cum hac inſcriptione.

„ Hic jacet ſepultus Dominus „ EMERICUS ANDREÆ, Abbas hujus „ Monaſterii, qui obiit anno Domini „ M.D.XC., Auguſti 31. Orate pro eo.

EMANUEL DE ARANDA,

Brugis Patriciâ natus familiâ, J. U. L. Regię Majeſtati à Conſiliis, & in Dictrictu Brugenſi & Territorio Franconatenſi Juſtitiæ Militaris Præfectus. Hic anno 1640. ætatis ſuæ 28, ex Hiſpania rediturus mari in Belgium, quarto die poſtquam è portu S. Sebaſtiani ſolviſſet, unà cum Joanne Baptiſta Caloen', ac Renero Saldens Brugenſibus, in manus Pyratarum Algerienſium incidit. Ab his Algerium deducti, durâque per biennium captivitate oppreſſi, tandem anno 1642. contra quinque Turcas in Belgio captivos commutati ſunt, eodemque anno incolumes rediêre. Hiſtoriam hanc ſuam deſcripſit Emanuel de Aranda libello gallico, cui titulus:

Relation de la captivité du Sr. Emanuel de Aranda: avec un Sommaire de l'antiquité de la Ville d'Algers, & des Relations particulieres durant ſon eſclavage. 12. Bruxellis apud Joan. Mommaert 1656. Dein ſæpius editus; ac quidem Gallicè Pariſiis, Londini Anglicè, Brugis & Hagæ-Comitis Flandricè, ac ſignanter cum auctario Brugis 1682. Auctor ipſe librum ſuum dedicavit anno 1671. Petro Ludovico de Aranda, filio ſuo è 14. liberis ultimo-genito, tunc triennali.

Edidit præterea idiomate vernaculo

Digitized by Google

Poëmata ; vulgo *den Leerenden lacchenden Waerſeggher* 12.

Symbolum ei familiare erat : *Virtus aranda.*

EMMANUEL METERANUS,

Sive DEMETRIUS, vulgo *van Meteren*, Antverpiæ natus, anno 1535. VII. Idus Julii, celeberrimi Viri Abrahami Ortelii Conſanguineus. Denatus eſt Londini in Anglia, inter mercatores Belgicos Vir Conſularis, anno 1612. VI. Idus Aprileis, ætatis LXXVII. Scripſit ſermone patrio

Hiſtoriam Rerum potiſſimùm in Belgio geſtarum, â Caroli V. natali ad ſua uſque tempora ; Tumultus ſcilicet Belgici anſam & initium ; ſcopum & exitum : ſæpiùs editam, & gallicè ac latinè ex parte redditam. Diligens quidem Hiſtoricus, ſed ſæpe-numero maledicus ; quippe qui ſtudiis factionis hæreticæ plus nimium abreptus, Sectarios ſuos laudavit ad nauſeam, ſimulque infarſit in Commentarios ſuos calumnias atrociſſimas, quibus famam Virorum Catholicorum vitæ optimæ & integerrimæ conatus eſt proſcindere, pro more omnium ſæcurum hæreticis uſitato.

Symbolo utebatur, *Emmanuel ; quis contra nos ?*

Poſuit ei hoc Epitaphium *Jacobus Colius* Ortelianus.

EMMANUELI DE METEREN,
J. F. Antverpiano,
Viro ſingulari,
Mercatori exacto,
Hiſtorico eximio,
Qui prono genii ſui ductu
Tumultus Belgici pluſquam
Quadragenarii anſam & initium
Scopum & exitum
Poſteritati Litteris conſecravit ;
ESTHERA DE CORPUT, conjugi B. M.
Liberique IX. Parenti opt.
M. H. P.
Obiit anno ab Incarnatione Chriſti
M. D. C. XII.

Aliud.

D. O. M. S.
Et Memoriæ
EMANUELIS DEMETRII,
Domo Antverpiâ,
Londini quondam Belgarum
Mercatorum Conſulis :
Qui ſic Mercator, ut Litteras
Odiſſe crederes :
Sic Litteratus, ut odiſſe merces.
Teſtis una Belgii, quam dedit, Hiſtoria.
Mercurius & Pallas amicum,
ESTHERA DE CORPUT Virum ſuum,
Pro ſe quiſque collugent.

EMMANUEL SWERTIUS,

Septimontius, ſive ex Sevenbergen, Hollandiæ Oppidulo oriundus, edidit *Florilegium, tractans de variis floribus, & aliis Indicis plantis, ad vivum delineatum, in duabus partibus & quatuor linguis concinnatum.* Fol. Francof. ad Mænum 1612. cum fig. Poſtea hoc quoque titulo: *Florilegium, in quo diverſorum florum, nunquam antea exhibitorum genera & rarè Indicarum plantarum & radicum formæ ad vivum delineantur.* Fol. Amſtelodami 1647. fig.

EMMANUEL RODRIGUEZ,

Ordinis Eremit. S. Auguſtini, & Scholarum Antverpienſium Præfectus, Poëſios & melioris litteraturæ cognitione excelluit. Legitur Drama ejus Tragicum, cui titulus, *Herodes Seviens.* Joan. Cnobbarus Antver. excudit, 1626. 8. Item Comœdiam, cui titulus *Rodericus Fatalis*, Lovanii anno 1631. excuſam.

Eodem auctore edita eſt *Grammatica Angelorum myſticorum*, ſive *Labyrinthus Cryptographicus*, quo ſibi mutuò ejus artis periti occultos animi ſui concep-

Digitized by Google

Digitized by Google

Ioannes Ferrerius Vercellensis Abbas Casinensis, Congregationis Casinensis Visitator, Sacræ Theologiæ Professor, Sacri Palatii Apostolici Magister, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

tus per litteras omni ſuſpicione carentes multifariam, tutè, ſecretè & fideliter ſignificare poſſunt. Antver. apud Ger. Wolſſchatium, 1639.

EMMANUEL SUERIUS,

Vulgò Sueyro, Eques Ordinis ſeu Militiæ Chriſti, naſcitur Antverpiæ anno 1687. x. Kal. Martii, parentibus Didaco Lopez Sueyro, & Leonorâ Sueyro, Luſitanis; politiſſimi vir ingenii, variarum linguarum & diſciplinarum, in primis verò Hiſtorices ac Mathematices, gnarus fuit.

Præter *Corn. Tacitum* ac *Salluſtium*, quos apud nos loqui Hiſpanicè docuit, dedit eadem linguâ

Deſcriptionem brevem Belgii. Antver. 1622. 8.

Annales Flandriæ, Tomis II. Ibid. 1624. fol.

De Antverpia Tractatus MSS.

Plura meditanti longiorem vitam nimis præpropera invidit mors, Bruxellæ anno 1629.

BEATUS EMO,

Friſius, Religioſus Ordinis Præmonſtratenſis, atque ex Præpoſito creatus primus Abbas Horti Floridi, vulgo Werumenſis Monaſterii ejuſdem Ordinis apud Omelandios Groningam inter & Dammonam, in Diœceſi Groningana apud Batavos. Sanctè in Domino obdormivit anno 1237. Scripſit

Chronicon Cœnobii Werumenſis ſeu Horti-Floridi ab anno 1203. uſque ad 1237; quod primùm luce donavit anno 1700. *Antonius Matthæus* Tomo III. *Analectorum Veteris Ævi* 8. Dein rurſus edidit anno 1728. *Carolus Ludovicus Hugo* Ord. Præm. Abbas Stivagii & Epiſcopus Ptolemaïdis, inter ſacræ Antiquitatis Monumenta Hiſtorico-Diplomatico Tom. I.

Porrò *B. Menco*, Abbas tertius Werumenſis, Emonis Chronicon, ibi is deſiit, continuavit ad annum 1273, & Emonis elogium facit primis Hiſtoriæ paginis. Annus is putatur, quo & Menco obiit.

EMUNDUS DINTERUS,

Seu de Dinter (qui vicus eſt Maeſlandici territorii, in agro Silvæducenſi) Brabantus, Antonio I. Joanni III. Philippo I. & II. Burgundionibus, Brabantiæ ex ordine Ducibus, à Secretis.

Pòſt aulicæ pertæſus vitæ, memor illius *Exeat aulâ, qui vult eſſe pius*, ſacris eſt initiatus, à Philippo Bono conſtitutus Canonicus in D. Petri Lovanii. Inde ad Corſendoncanum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Cœnobium, prope Turnhautum, quinquagenario major, ſeſe contulit. Bruxellas reverſus, vitâ exceſſit in Palatio anno 1448. & in Eccleſia Abbatiali D. Jacobi in Monte-Frigido ſepultus; ubi hodieque effigies ejus vetuſto habitu viſitur.

Scripſit in gratiam Philippi II. Boni cognomento, latinè, ſed ſtilo rudiori, primò quidem Fratris, ut ait, *Andreæ* Chronica & veſtigia inſiſtendo, deinde ex aliis antiquis Chronicis Regiſtris ac ſcripturis,

Chronicon Brabantiæ, quod lectum fuit Manuſcriptum apud Regulares Corſendoncanos, creditur que illud autographum eſſe, item Antverpiæ apud Caſp. Gevartium, J. C., & alibi.

Annales Brabantiæ per Dyntherum, ab anno 1255, uſque ad 1425, extiterunt etiam gallicè Manuſcripti in Bibliotheca D. Marchionis de Weſterloo.

Editus eſt & Francofurti anno 1529. *Dinteri* libellus paucarum pagellarum, & rurſum inſertus Tomo III. Scriptorum Germanicorum Marquardi Freheri, hoc titulo:

Vita Philippi Burgundi, Ultrajectenſis Epiſcopi, unà cum Genealogia Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, &c. quam ab Hectore Troiano fabuloſè deducit.

D. O. M. Hic jacet
Magiſter EMUNDUS DINTERUS,
Illuſtrium Principum & quondam
ANTONII, JOANNIS & PHILIPPI &c.
Ac etiam PHILIPPI
Burgundiæ & Brabantiæ Ducum
Secretarius;
Qui obiit anno Domini M. CCCC.
XLVIII. Menſe Februario XVII.
Cujus anima requieſcat in pace.

ENGELBERTUS CULTIFICIS,

Vulgo MESMAKER, Neomagenſis Gelder, S. Theol. Magiſter Ord. S. Dominici in patriâ: fuit & fundator & primus Prior Conventûs Zwollenſis in Tranſiſalania. Obiit circa annum 1491. Scripſit

Epiſtolam declaratoriam, quâ Mendicantium Privilegia defendit adverſus Paſtores quoſdam. Extat typis excuſa, anno 1479. 8. & Pariſiis 1507. 8.

Tractatum *de Simonia in receptione vitanda*. Ibid. 8.

Eidem tribuit Joannes Bunderius in Indice ſuo ſequentia:

Speculum veræ Religionis.

De audientia Confeſſionum, ad Canonicos Clivenſes.

De tribus Votis.

In *Regulam* B. AUGUSTINI.

In Euangelium Joannis.

Idioma Juris. Et alia, quæ Swollis, Calcariæ Clivorum, Noviomagi, & Hagæ-Comitis teſtatur fuiſſe lecta.

ENGELBERTUS DES-BOIS,

Bruxellenſis, nobili & per-antiquâ apud Burgundos familiâ ortus, J. U. L. Metropolitanæ Cameracenſis Eccleſiæ Canonicus & Archidiaconus Valencenenſis; hinc anno 1619. Præpoſitus S. Petri Inſulenſis, indeque elapſo decennio VII. Namurcenſium Epiſcopus. Primus inter omnes Belgii Antiſtites Bullam Urbani VIII. Papæ contra librum & doctrinam Janſenii ſuſcepit & promulgavit. In Abbatiam Bronienſem (Menſæ Epiſcopali jam pridem unitam) ſtrictiorem Regulæ Benedictinæ obſervantiam, evocatis ex Abbatia Lætienſi quibuſdam ſpiritu Ludovici Bloſii imbutis, anno 1647. pariter introduxit. Ibidem etiam humari voluit, fato functus Namurci anno 1651. addito Epitaphio ſequente.

Praxin bonarum Intentionum, a quodam Societ. Jeſu Sacerdote conſcriptam, latinè reddidit. Duaci, typis Joannis Bogardi, 1619. in 12.

Decreta Synodi Diœceſanæ Namurcenſis, quam anno 1639. Epiſcopus habuit, ipſe ibidem publicavit, denuò edita Namurci 1720. in 4. unà cum præcedentibus ac ſubſequentibus Epiſcoporum Decretis, apud Carolum Gerard. Albert.

D. O. M.
Monumentum hoc ſui corporis
Suique in Cœnobium Bronienſe
Amoris eximii pignus poſuit
Per-Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus
Dominus
D. ENGELBERTUS DES-BOIS,
VII. Namurcenſium Epiſcopus,
Quem præſtans virtus,
Ex Archidiacono Cameracenſi,
Inſulenſi Eccleſiæ præpoſuit.
Ac tandem
Ad Pontificalem Cathedram
Namurcenſem
Summâ omnium approbatione
Evexit.
Illum dedit orbi vir Nobilis
CATHARINUS DES-BOIS Burgundus,
Angiæ Gubernator,

Digitized by Google



ANSTURIUS D. THE. MONASTERII

Ex Nobili lectiſſimaque Conjuge
FRANCISCA VERREYCKEN
Anno partæ ſalutis M. D. L.
XXVIII. Julii IX.
Reluxêre in eo
Magni Paſtoris decora,
Catholicæ Religionis propagandæ
Zelus & conſtantia,
Erga ſummum Pontificem obedientia,
In Regem patriamque ſumma propenſio
Inexplicabilis in omnes humanitas,
Mira in pauperes liberalitas.
Abiit è vivis anno M. D. C. LI.
XV. Julii, ab inito ſacrorum
Magiſtratu XXII. vitæ LXXIV.
Ab inductâ in hoc ſuum Aſceterium
Jam à ſe multis nobilitatum ædificiis
Bloſianâ Inſtitutione IV.
Tantum Præſulem venerare, mi Lector
& benè apprecare.

ENGELBERTUS LAMELIN,

Cameracenſis, Medicus, evulgavit *De Vita longa* libros II. quibus adjuncta ſunt *commoda & incommoda ſobriæ & moderatæ vitæ.*

Nec non etiam *Tractatus de Peſte ejuſque præſervatione*, à patre ſuo olim exaratus, ab ipſo autem è gallico verſus in latinum. 1628. 12. Inſulis apud Petrum Rache.

ENGELBERTUS SCHUT,

Leydenſis, *Verſificator* & *Grammaticus* à Gerardo Noviomago appellatur, ejuſque

Tractatum metricum de locis Rhetoricis citat Joan. Mauburnus, auctor Roſeti Exercitiorum ſpiritualium, Tit. XVII. Alphab. XLI.

De Moribus Menſæ Carmen: itemque *Dialogum de Pane*, Interlocutoribus Pane, Piſtore, & Eſore, verſu heroïco ſcriptum, excudit Leydis in 4. 1509. Joannes Severi, cum verſibus quibuſdam *Petri de Rivo & Reineri Wael.* Et fortè hic ille eſt, de quo Eraſmus de ſcribendis Epiſtolis: *apud Hollandos orbis lumen habebatur* ENGELBERTUS *quidam, qui ſuis Epiſtolis nihil aliud docebat pueros, quàm ineptè ſcribere:* & ad quem Weſſeli Groningani exſtat Epiſtola anno 1480. ſcripta.

ENGELBERTUS KENNIPHOVIUS,

Hagæ-Comitanus, S. Theologiæ Licentiatus, primò quidem prælegit eandem in Abbatia Averbodienſi Ordinis Præm. in Campinia, dein ab Archiepiſcopo Sasboldo evocatus ad operandum in vinea Domini, conſtitutus ab eo fuit Paſtor Hagæ-Comitis & illius Diſtrictûs Archipresbyter. Tandem functionibus hiſce penè exhauſtus, ultimos vitæ dies Dieſtemii in Brabantia finivit.

Scripſit patrio idiomate,

Refutationem Cathechiſmi Heidelbergenſis.

Tractatum *De Purgatorio & Indulgentiis.*

ENGELBERTUS OLIVERIUS,

Baſtonienſis, è Ducatu Luxemburgenſi, ex Italico ac Gallico reddidit Latinè

Joannis Dominici Candelæ, Societ. Jeſu, *de bono Statu Virginitatis & Continentiæ* libros tres. Moguntiæ, 1613. 12.

ENGUERANDUS DE MONSTRELET,

Vir Nobilis, Cameracenæ Urbis Præfectus, nec non Ballivus ſeu Prætor Wallincuriæ. Claruit anno 1450. Hiſtoricus laborioſus & fidelis, tametſi à Gallis accuſetur de nimiâ in partem Principum ſuorum, Burgundiæ Ducum, propenſione. Ne quid tamen perperam ſcripſiſſe videretur, Edicta varia,

Ioannes Ferrerius Vercellensis Abbas Casinensis, Congregationis Casinensis Visitator, Sacræ Theologiæ Professor, Sacri Palatii Apostolici Magister, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

BRVTVS · PVTEANVS.

Vita Philippi Burgundi, Ultrajectenſis Epiſcopi, unà cum Genealogia Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, Flandriæ, Hollandiæ, &c. quam ab Hectore Troiano fabuloſè deducit.

D. O. M. Hic jacet
Magiſter EMUNDUS DINTERUS,
Illuſtrium Principum & quondam
ANTONII, JOANNIS & PHILIPPI &c.
Ac etiam PHILIPPI
Burgundiæ & Brabantiæ Ducum
Secretarius;
Qui obiit anno Domini M. CCCC.
XLVIII. Menſe Februario XVII.
Cujus anima requieſcat in pace.

ENGELBERTUS CULTIFICIS,

Vulgo MESMAKER, Neomagenſis Gelder, S. Theol. Magiſter Ord. S. Dominici in patriâ: fuit & fundator & primus Prior Conventûs Zwollenſis in Tranſiſalania. Obiit circa annum 1491. Scripſit

Epiſtolam declaratoriam, quâ Mendicantium Privilegia defendit adverſus Paſtores quoſdam. Extat typis excuſa, anno 1479. 8. & Pariſiis 1507. 8.

Tractatum *de Simonia in receptione vitanda*. Ibid. 8.

Eidem tribuit Joannes Bunderius in Indice ſuo ſequentia:

Speculum veræ Religionis.

De audientia Confeſſionum, ad Canonicos Clivenſes.

De tribus Votis.

In *Regulam* B. AUGUSTINI.

In Euangelium Joannis.

Idioma Juris. Et alia, quæ Swollis, Calcariæ Clivorum, Noviomagi, & Hagæ-Comitis teſtatur fuiſſe lecta.

ENGELBERTUS DES-BOIS,

Bruxellenſis, nobili & per-antiquâ apud Burgundos familiâ ortus, J. U. L. Metropolitanæ Cameracenſis Eccleſiæ Canonicus & Archidiaconus Valencenenſis; hinc anno 1619. Præpoſitus S. Petri Inſulenſis, indeque elapſo decennio VII. Namurcenſium Epiſcopus. Primus inter omnes Belgii Antiſtites Bullam Urbani VIII. Papæ contra librum & doctrinam Janſenii ſuſcepit & promulgavit. In Abbatiam Bronienſem (Menſæ Epiſcopali jam pridem unitam) ſtrictiorem Regulæ Benedictinæ obſervantiam, evocatis ex Abbatia Lætienſi quibuſdam ſpiritu Ludovici Bloſii imbutis, anno 1647. pariter introduxit. Ibidem etiam humari voluit, fato functus Namurci anno 1651. addito Epitaphio ſequente.

Praxin bonarum Intentionum, a quodam Societ. Jeſu Sacerdote conſcriptam, latinè reddidit. Duaci, typis Joannis Bogardi, 1619. in 12.

Decreta Synodi Diœceſanæ Namurcenſis, quam anno 1639. Epiſcopus habuit, ipſe ibidem publicavit, denuò edita Namurci 1720. in 4. unà cum præcedentibus ac ſubſequentibus Epiſcoporum Decretis, apud Carolum Gerard. Albert.

D. O. M.
Monumentum hoc ſui corporis
Suique in Cœnobium Bronienſe
Amoris eximii pignus poſuit
Per-Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus
Dominus
D. ENGELBERTUS DES-BOIS,
VII. Namurcenſium Epiſcopus,
Quem præſtans virtus,
Ex Archidiacono Cameracenſi,
Inſulenſi Eccleſiæ præpoſuit.
Ac tandem
Ad Pontificalem Cathedram
Namurcenſem
Summâ omnium approbatione
Evexit.
Illum dedit orbi vir Nobilis
CATHARINUS DES-BOIS Burgundus,
Angiæ Gubernator,

Digitized by Google

BRVCIVS . PVTEANVS.

Digitized by Google

Ab ipſis quaſi unguiculis nil niſi martem ſpirans, non alia ferè crepundia quàm arma tractabat, ſæpiuſque inter milites quàm pueros verſabatur. Verùm à matris obitu Dordracum tranſlatus, & litteris elegantiiſque admotus, æquales inter mox excelluit, & varia induſtriæ præmia tulit, à præceptoribus, uti fieri aſſolet, propoſita.

Eloquentiam deinde & Philoſophiam Coloniæ Aprippinenſium à Patribus Societatis Jeſu hauſit; jam inde mirum in modum Matheſi, muſicæ, picturęque deditus. Jus Civile Lovanii didicit, tituloque Baccalaurei ſeu Lytæ anno 1597. XV. Kalen. Julii inſignitus fuit; *Juſto Lipſio* tunc perquàm familiaris & carus: quem ut audiret, oblatam à Sereniſſ. Bavariæ Duce per Præceptores ſuos Cimeliorum præfecturam & cuſtodiam neglexit.

Ejus ſuaſu atque auſpiciis, tranſacto Lovanii biennio, eodem anno in Italiam profectus, ab Illuſtriſſ. atque Excell. *Joanne Fernandæo Velaſcio* Mediolanenſi Gubernatore aliquamdiu detentus, in magnatum amicitiam penetravit; quamvis præcipua illi & litteraria conſuetudo intercederet cum Clariſſ. Viris, famâ & ſcriptis illuſtribus, *Ludovico Septalio*, *Joanne Baptiſta Sacco*, *Joanna Baptiſtâ Silvatico*, aliiſque. Eminentiſſ. Cardinali *Frederico Borromæo*, Archiepiſcopo Mediolanenſi, S. Caroli Nepoti ac ſucceſſori digniſſimo imprimis gratus fuit intimuſque, ac dein continuo litterarum ejus commercio honoratus. Patavium deinde, valetudinis & ſimul ſtudiorum cauſſâ, ſe contulit, ac domo perilluſtris Viri *Joannis Vincentii Pinelli* uſus eſt.

Hinc verò anno 1601. cùm XXV. ætatis ageret, Mediolanum ad publicam & Palatinam Eloquentię Cathedram revocatus, magis magiſque ingenium intendere cœpit, & ſparſâ nominis famâ, Hiſtoriographi quoque titulo à Rege Catholico auctus, Romæque in Civium patriciorumque numerum cum tota poſteritate ſolemni Senatuſconſulto anno 1603. adſcriptus, ac Mediolani in ordinem Doctorum J. U. more rituque majorum cooptatus, firmatâ ibidem ſede, cùm familiam aleret, anno 1604. pridie Kalen. Martii, uxorem ſibi elegit, curarum ſociam, *Mariam-Magdalenam-Catharinam Turrianam.*

Verùm anno 1606. à Sereniſſimis Belgarum Principibus, Brabantiæque Ordinibus in Belgium evocatus, & ſucceſſor *Juſto Lipſio* datus, familiam tranſtulit Lovanium, qua in urbe totos XXXVI. annos docuit & ſcripſit; viris principibus ac magnatibus ceteriſque omnis ordinis primoribus in Belgio, & extra, in primis gratus, vel modeſtiæ ac doctrinę gratiâ, ut vel Epiſtolarum ingens moles atque apparatus fidem facit.

Talem adhuc juvenem deprædicabat Lipſius, *Vitâ* ſcilicet *moribuſque modeſtum*, *ingenio ad optimas artes facili & tenaci*, *verſu & proſâ bonum*: & porrò talem ipſe ſe egregiè præſtitit. Superavit enim hæc, aut ſi quæ alia ſunt encomia; Atticumque ſtili acumen pari elegantiâ & facilitate uſurpans, oſtendere non minùs vivendo quàm docendo ſemper ſtuduit, in litteris etiam ſapientiæ ac virtutis ſtudium contineri. Aliquid Juſti Lipſii etiam in vultu ac voce ejus eſſe, plures confeſſi ſunt, præſertim qui Lipſium eâ ætate noverunt.

Una ei cura ſemper fuit, benè de juventute & Republica mereri. Dignus proinde, qui Sereniſſimo Alberto Pio à conſiliis eſſet, & Philippo IV. Regi Catholico in Belgio quoque hoc noſtro ab Hiſtoriis. Dignus etiam, cujus Palladi, ingenio, ſtudiiſque Arx ipſa Lovanienſis, Præfecturæ titulo, ſerviret.

Scripſit multa, partim in Italia, partim in Belgio; Oratoria, Epiſtolica, Philologica & Philoſophica, Hiſtorica, Politica, & Mathematica: utrâque oratione, ac rythmo quoque vernaculo, Atticus.

ORATORIA.

Suada Attica, ſive *Orationes ſelectæ, pleræque conjunctim editæ* Lovanii, 1615. 8. typis Joann. Chriſtop. Flavii.

Pro titulo Profeſſorio gratiarum actio, ſive *Eloquentiæ Auſpicia*, ad Senatum Mediolanenſem: antea *Panegyrici* titulo edita Mediolani, apud Malateſtam, 1601. 4.

Biennii Apologiſmus; de perfecti Rhetoris officio, ſive *Eloquentiæ Auſpicio ſecunda*. Ibid. 1602. 4.

De Rhetoribus & Scholis Palatinis Mediolanenſium Ibid. 1603. 8.

Pro Libertate Litterarum. Ibid. 1604. in 8.

De Uſu fructuque Librorum, & Bibliotheca Ambroſiana. Ibid. 1606. 8.

De Facilitate Linguæ Græcæ. Ibid. 1605. 8.

Pro Raphaele Montorfano. Alexandriæ, 1605. 4.

De L. Julio Floro; deque titulo ac munere Hiſtoriographico.

Juventutis Belgicæ Laudatio. Lovanii, 1607. fol. & aliàs.

Lipſiomnema Anniverſarium, ſive *Laudatio Funebris* JUSTI LIPSII, die anniverſario habita. typis Plantin. 1607. 4.

De Libris & Libellis. Lovanii, apud Rivium, 1609. 12.

Stimulus ſive *Exhortatio ad Litterarum ſtudia* Ibid. 1610. 12.

De Sapientia Myſtica, in Griphum Auſonii.

Democritus, ſive *De Riſu*. typis Flavii, 1614. 4.

De Puteali Libonis. Mediolani, 1606. in 8.

In Q. Curtium Præfatio, de præſtantia Hiſtoriæ Curtianæ.

In Corn. Tacitum Affectus, ſive *Præfatio*. Lovanii, typis Maſii, 1619. 4.

Encomium Ovi. Lovanii in 8. & Monachii, 1617. 12.

De Eloquentiæ ſtudiis Diſſertatio, quâ Suadæ FRANC. WOVERII Joannis filii duodecennis applauditur. typis Plant. 1622. 4.

Homilia de Purificatione Matris Virginis. Lovanii, typis Flavii, 1612. 4. Item *De Annuntiatione*. typis Plan. 1618. 4.

De Aſſumptione. typis Dormalii, 1610. 8.

De Pharmacopoliis Diſſertatio, ad Senatum Bruxellenſem, & quædam alia inedita.

EPISTOLICA.

Epiſtolarum Atticarum Apparatus: nimirum *Promulſis*, in Centurias tres diſtributa; typis Flavii, 1612. 4. & Elzevirianis, 1616. 8. *Miſſus Secundi*, item in Centurias III. iiſdem typis: *Bellaria*, Centuriæ totidem: *Delitiæ adoptivæ* Centuria una.

Epiſtolarum Atticarum Centuria ſingularis & nova: ad V. N. & A. *Franc. Kinſchotium*, ſupremum Belgicæ Theſaurarium. typis Dormalii, 1625. 4.

Epiſtolarum Atticarum Apparatus novus: Centuria I. & II. anno 1637. III. & IV. anno 1639. 12. Antver. typis Cnobbari.

Pompa Proſphonetica, ſive *Præfationum Syntagma* Lovanii, apud Everardum de Witte, 1639. 8.

Cryptographia Epiſtolica: cum Epiſtolis edita, typis Flavii. 1612. 4.

Item *Epiſtolarum Apparatus poſthumus*, in VII. Centurias diſtributus. in 8. Tomi II. Lovanii apud Bouvetium. 1662.

PHILOLOGICA PHILOSOPHICA, ac MISCELLANEA: è quibus ſeorſim ac deinde junctim editę ſunt Diatribæ X. ſequentes.

I. *Geniales Sermones*. Francof. typis

Wechel. 1601. 8. antea Mediolani, 1598. 4. *Reliquiarum* titulo.

II. *Mu athenæ*, ſive *Septem Diſcrimina Vocum*; typis Wechel. 1602. 8. antea Mediol. 1599. 8. titulo *Palladis Modulatæ*.

III. *Iter Nonianum*; typis Wechel. 1602. 8. antea Venetiis, 1600. 8. titulo *Pleiadis Muſicæ*.

IV. *Facula Diſtinctionum*. Lovanii apud Ger. Rivium, 1610. 12.

V. *De Diſtinctionibus Schediaſma*. Mediolani, 1601. 12.

VI. *De* Erycio *Nomine Syntagma*. Francof. typis Wechel. 1606. 8.

VII. *De Laconiſmo*. Ibid. 1606. 8.

VIII. *Thyrſi Philoteſii*, ſive *Amor Laconiſſans*. Lovanii, 1609. 12. antea *Teſſerarum* titulo Mediolani, 1604.

IX. *Comus*, ſive *Phageſipoſia Cimmeria: de Luxu Somnium*; typis Rivii, 1608. 12.

X. *Conſolatio Cæcitatis* Ibid. 1609. 12.

De Cometa anni 1618. *Paradoxologia* libris II. Ibid. apud Maſium, 1619. 12. & Coloniæ apud Butgen. eodem anno.

Pecuniæ Romanæ Ratio, facillimo ad noſtram calculo revocata. Ibid. apud Rivium 1620. 8. edita rurſus anno 1719. Tomo III. *novarum Antiquitatum Romanarum*, per Alb. Sallengre.

De Stipendio Militari apud Romanos Syntagma. Ibid. 1620. 8.

Martyremata Academica: doctrinæ & Probitatis Teſtimonia. typis Elzevir. 1618.

De Symbolo. Ibid. 1615.

Ænigma Regium. Monachii, apud Raph. Sadelerium, 1622. 12.

Strictura in Iſaacum Caſaubonum Lovanii, typis Flavii, 1622. 4.

Unus & Omnis, *Vis & proprietas* Unius. Ibid. typis Coeneſtenii, 1623. 4.

Enchiridion Ethicum ex Ariſtotele olim collectum, *Puteano* interprete. Ibid. apud Dormalium, 1620. 8.

Reliquiæ Convivii Priſci, *ac ritus alii & cenſuræ*. Prodierunt rurſus Tomo XII. Antiquitatum Romanarum per Grævium 1699.

Brumæ Chimonopægnion, ſive *de laudibus hyemis*. Monachii 1619. 8.

De Jurejurando antiquorum; item apud Græv.

De Natatu liber, ineditus.

De Ternario numero, *in Auſonii Griphum Commentarius*. Inedit.

Eortologium Romanum: dies Romanorum feſti & ſolemnes. Inedit.

De Nundinis Romanis Syntagma, ſeu nova Faſtorum velut Facula. Lovan. 1646. item in Grævii Antiquit. T. V.

Chironomia Antiquorum, ſive *de ratione Geſtuum*. Inedit.

De Anagrammatiſmo, quæ Cabalæ pars eſt, Theoreſis. 12. Bruxell. 1643.

Vitæ humanæ Bivium, lineis Ariſtotelicis conſtitutum, *De Virtutibus & Vitiis* Lovanii 1645.

Inſcriptionum Sylloge. Aliaque inedita.

Historica & Politica.

Hiſtoriæ Inſubricæ ſive *Barbaricæ* libri VI. qui irruptiones Barbarorum in Italiam continent. typis Elzevirii, 1614. 8. & Joann. Cnobbari, 1639. 16. item plenis *Commentariis* illuſtrati: cum *Barbarorum Encomio*, ad Eminentiſſ. Franc. S. R. E. Card. Barberinum. Lovanii, typis Dormalii, 1630. fol. Item Lipſiæ 1678.

Hiſtoriæ Mediceæ libri II. Res à *Joan. Jacobo Medicæo* circa Lacum Larium geſtæ. Ibid 1614. 4. & Antver. 1634. in 16. item in Græv. Theſ. Italiæ.

Hiſtoriæ Belgicæ liber ſingularis, *De obſidione Lovanienſi ann.* 1635. Antver. typis Cnobbari, 1636. 16.

Arx Lovanienſis à principibus luſtrata. Lovanii apud Maſium, 1619. 12.

Genealogia Puteanea Bameſrodiorum Venlonenſium ab origine urbis ſive anno 1343. *deducta*. Excudit Dormalius, 1630. fol.

Hiſpaniarum Vindiciæ Tutelares : veniſſe in hæc Regna S. Jacobum Apoſtolum &c. Ibid. apud Rivium, 1608. in 8.

Diva Virgo Aſpri-Collis : Beneficia ejus & miracula noviſſima. Lovanii, apud Henr. Haſtenium, 1622. 4.

Pietatis Thaumata in Protheum Partheniun, unius libri verſum & unius verſûs librum ſtellarum numeris ſive formis ∞. XXII. variatum, typis Plantin. 1617. 4.

Divæ Virginis Bellifontanæ Deſcriptio. Ibid 1631. 4.

Diva Virgo Thenenſis in Lacu. Manuſc.

S. Genovefæ, Ducis Bnab. filiæ, Iconiſmus. Lovanii, apud Maſium, 1618. 4.

De S. Flavia Domitilla, Martyre, Obſervatiuncula Epiſtolica ; ad locum Martyrologii Rom. Nonis Maii. Ibid. apud Coeneſtenium, 1629. 4.

Phœnix Principum, ſive ALBERTI PII *morientis vita*. Ibid. typis Haſtenii, 1622. 4.

Idea Virtutis, Principis unius omnium optimæ ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ *Vitâ & Morte in exemplum delineata*. Ibid. apud Coeneſtenium, 1634. 4.

Purpura Auſtriaca Hiero-baſilica Sereniſſ. Principis FERDINANDI, *Hiſp. Infantis S. R E. Cardinalis effigiem colore panegyrico repræſentans*. Antverp. typis Cnobbari, 1635. 4.

Theatrum Heroicum, Impp. Auſtriacorum, Ducum Burgundiæ & Regum Hiſpaniarum. Bruxellæ, typis Joan. Mommartii, 1642. fol.

Elementa Baſilica : quibus Educatio Principis continetur ; typis Coeneſtenii, 1626. 4.

Doctrinæ Politicæ Fontes, ex Ariſtot. libro I. & II. de Republica, perpetuis Aphoriſmis deſcripti. Ibid. 1627. 4.

De Induciis belli Belgici Diſſertatio Politica. Ibid.

Belli & Pacis Statera. Ibid. 1633. 4.

Ærarium Pietatis novum & militare, ſine tributo, vectigali, onere &c. Bruxellæ, 1630.

De officio Judicis, typis Elzevirianis, 1619. 8.

Auſpicia Bibliothecæ publicæ LOVANIENSIS. 1639. 4.

BRUXELLA, *incomparabili exemplo Septenaria : Griphus panegyricus Scholiis heptadicis, civile regimen pleno numeri ſplendore referentibus, explicatus*. fol. Bruxellis apud Mommartium 1646.

MATHEMATICA.

Diſſertatio Epiſtolica de primis mundi annis. Manuſc.

Olympiades, ſolâ manu, ut verè annis mundi reſpondent, computatæ. Lovanii typis Coeneſtenii, 1626. 4. item in Theſauro Antiquit. Græc. Gronovii Tomo IX.

Indigitamenta Temporum, ſive *Faſti perpetui digitorum articulis computati*. Antv. apud Abrah. Verhoevium, 1630. 4.

Circulus Urbanianus, ſive *Lineæ ἀρχιμηνίαι compendio deſcriptæ* : quâ Dierum Civilium principium Hieraticum, hactenus deſideratum, conſtituitur. typis Coeneſteni, 1632. 4.

De quatuor Principiis Diei, à *Joanne Boyvino* propoſitis, *Theoreſis*. Ibid.

Circuli Urbaniani Vindiciæ, adverſus *Jac. Michalorum*, Urbinatem. Ibid. 1633. 4.

De Biſſexto : nova temporis Facula, quâ intercalandi arcana hactenus obſcura illuſtrantur. Item in Theſauro Antiquit. Roman. Grevii Tom. VIII.

Item *Corona Radiata*, ſive *Dierum apud Indos Diorthoſis*, Faſtis exæquandis neceſſaria. Ibid. 1637. 4.

Diſſertatio de Belli Fulmine Langrenano, quo plures ordine, & diſtincto incendio globi ex uno eodemque tormento exploduntur. Bruxellæ, typis Mommartianis, 1640. fol.

Pyrgometria, ſive *Munitionum Lineæ*, proportione conſtitutæ, inventione novæ, ductu faciles. Manuſc.

Digitized by Google

Calendarium perpetuum Inedit.

Deceſſit Erycius Puteanus Lovanii in arce Cæſaris XV. Kal. Octobris 1646. annos natus LXXI. menſes x. dies 12. In Eccleſia Colleg. S. Petri, Sacello S. Carolo Borromæo conſecrato, & non ita pridem extructo, primus omnium ſepultus eſt, cum ſequenti Epitaphio, quod ſibi ipſe mortis memor ſcripſerat. Reliquias etiam ejuſdem Sancti in hoc ſacello ſummæ venerationi expoſitas ipſe Puteanus favore ſuo apud Cardinalem Fredericum Borromæum obtinuerat.

ΣΠΟΥΔΑΙΩC ZHN ΑΡΙΣΤΟΝ.
Vixiſſe ne me neſcias, adhuc loquor.
PUTEANUS *ego ſum; mentis ardor quem bonæ*
Evexit, ore publicè utilem, & ſtylo.
Quid plura? tu quod es; fui. Te cogita.
An non ubique cura, crux, moleſtia?
Ceu naviges, vel Scilla vel Charybdis eſt.
Poſt fata portus, vita morte naſcitur.
Mori neceſſum eſt; non neceſſum eſt emori.
Vixiſſe pulchre in rebus eſt æternitas.
Mortuum audis,
Ut ego te vivum.
Benè precare mortuo.

EVERARDUS DE AMERSFORDIA,

SS. Litterarum Licentiatus, Burſæque Laurentianæ Regens Coloniæ, claruit circa ann. 1490. ediditque

Commentaria in libros Ariſtot. de Cœlo & Mundo, ad finem uſque libri I. copioſiſſime deducta; quoad reliquos verò libros à *Joanne Nurtingen* ſimiliter ſacræ Paginæ Licentiato continuata & expleta. Coloniæ typis Henr. Quentelii, 1497. fol. Vide infra de *Jacobo Tymæo*.

EVERARDUS BALCK,

Daventrienſis, J. U. Doctor & Profeſſor publicus in Gymnaſio Hardervi-ceno apud Geldros, Jura ipſe in Bituricenſi Galliarum Academia atque alibi didicerat. Vitâ functus eſt in patria, die 11. Martii 1628. Edidit

Electorum Juris Civilis libros II. Hardervici, 1628. 8.

Orationem de commodiori perdiſcendi Juris Civilis ratione, Hardervici in Prælectionum auſpiciis anno 1625. habitam. Ibid.

Commentarium ad L. Quiſquis C. Ad L. Juliæ Majeſtatis. Franekeræ, 1625. 8.

EVERARDUS,

Sive EBRARDUS à BETHUNIA, vulgò GRÆCISTA dictus, eo quod an. 1212. librum carmine conſcripſerit *Græciſmi* titulo, *de Figuris, deque octo Orationis Partibus*, de quo hic verſus eſt:

Anno milleno centeno bis duodeno,
Condidit Ebrardus *Græciſmum* Bethunienſis.

Hunc recitat Arnoldus de Roterodamis in Opere ſuo manuſcr., quod Vaticanum inſcripſit. Fuit aliquando in pretio liber ille, cum *Alexandro de Villa-Dei*. Hodie verò doctis ac litteratis hominibus ferè diſplicet & ridiculus eſt, tametſi ſuis eum Expoſitionibus *Joannes Vincentius Metulinus* ſpecioſiorem reddere ſit conatus. Editus eſt in 4. Lugduni anno 1490.

Leguntur & *Elementa Grammaticæ*, auctore *Ebrardo*, cum Commentariis, neſcio an *Metulini*, Lovanii ad S. Martinum.

Item *Epiſtolæ ſecundùm artem dictatæ*, ut titulus habet, in Monaſterio Dunenſi, Ordinis Ciſtercienſis, Brugas tranſlato.

Scripſit præterea *Everardus* Opus quadripartitum in illud Joannis Euangeliſtæ, *In principio erat Verbum*. Manuſc. Coloniæ, apud Dominicanos.

Item *Antihæreſin contra Waldenſes Hæreticos*: cujus meminit *Jacobus Pamelius*

Scholiis ad Epiſt. 63. Cypriani; ediditque ex eodem ipſius Manuſcripto *Jacobus Gretſerus* Ingolſtadii. 1614. 4. cum Notis marginalibus: dubitat tamen, an *Ebrardi* ſit, vel *Everhardi*, quem Græciſtam vocant. Certè nomen & patria concordant. Hæc Anti*hæreſis* extat quoque in Bibliothecâ PP. Lugdunenſi Tomo XXIV.

Ad calcem ſui libri adjecit *Ebrardus Diſputationem contra Judæos.*

EVERARDUS A BILLICH,

Patriâ & Ordinis Carmelitani profeſſione Colonienſis Agrippinas, S. T. Doctor ejuſdem Univerſitatis, in Concilio Tridentino magni nominis Theologus, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & deſignatus Epiſcopus Cyrenenſis ac Suffraganeus Colonienſis. Vigeſimo ante Conſecrationem die obiit, anno 1557. XI. Januarii. Laus ejus (inquit Ægid. Gelenius in Deſcriptione Coloniæ Ubiorum) integrum potius Commentarium requirit, quam ut poſſit hoc loco breviter perſtringi. Vitam edidit Gaſpar Gennepæus. Illius eſt

Defenſio judicii Univerſitatis & Cleri Colonienſis, adverſus calumnias Philippi Melanctonis, Martini Buceri, Oldendorpii & eorum aſſeclarum. Pariſiis per Carolum Guillard 1545. in 8.

Oratio illius *habita ad Patres Tridentinos*, extat in Concilii Labbæi Tom. XIV. col. 1088.

Hanc ei poſuêre Coloniæ Inſcriptionem ſepulchralem Carmelitani Patres.

Reverendiſſimus P.
EVERARDUS BILLICUS,
Epiſcopus Cyrenenſis,
Poſtquam, ut erat præcellentis
Lectiſſimique ingenii,
Acerrimique judicii,
Differendo, concionando,
Commentando, quam-plurima
Atque egregia præſtitiſſet,
In Wormatiano Colloquio A. 1540.
Et in Ratiſponenſi Congreſſu A. 1541.
In Trident. Concilio A. 1546.
In Auguſtanis Comitiis A. 1548
A Cæſare R. I. Carolo V. coactis,
Orthodoxam Religionem
Mirificè tutatus eſſet:
Poſtquam Legationes varias
Cleri Univerſitatiſque Colonienſis
Nomine obiiſſet:
Poſtquam Allemanicam Provinciam
Ordinis Carmelitani
Annos XV. moderatus eſſet:
Tandem eo quo fuerat anno
Ab Ill. D. Antonio Schauwenburgico
Principe, Suffraganeus conſtitutus;
Animam Deo reddidit
Anno M. D. LVII. die XI. Januarii.

EVERARDUS BRONCHORSTIUS,

Daventrienſis, Joannis J. C. Noviomagenſis, & Claræ Coſteræ filius, Coloniæ, Marpurgi, Erphordiæ, & Witebergæ, decurſo Juris ſtadio, ſtudii fructum Baſileæ tulit, & Doctoris titulo atque inſignibus donatus eſt, anno 1579. XVI. Kal. Septemb. Witebergam reverſus, anno uno jura privatim docuit; eademque biennio integro Erphordiæ publicè explanavit.

Patriæ redditus, Conſulari munere functus eſt: quo tempore Adelheidam à Middelburgo, Gerardi Conſulis Swollani filiam, uxorem duxit, è qua liberi ei ſuperſtites fuerunt tres, inter quos filius Gerardus Bronchorſtius, J. U. & ipſe Doctor. Anno 1586. Profeſſorum Juridicorum numero in Academia Lugduno-Batava adſcriptus, Rectoratum anno 1604. geſſit: è vivis exceſſit ibidem anno 1627. Edidit

Orationes II. unam *De Studio Juris rectè inſtituendo*; alteram *de Juriſprudentiæ laudibus.*

Digitized by Google

Tractatum *De Privilegiis Studiosorum, tum Professorum ac Doctorum.*

Ἐναντιοφανῶν *Centurias IV. & Conciliationes eorumdem.*

Controversiarum Juris Centurias II. Miscellaneas. Hanoviæ, 1615. 8. & ab ultima manu auctoris, Lugd. Batavor. 1621. 4.

Methodum Feudorum, Leidæ in 8. editam.

Enarrationem in Tit. Digest. De diversis Regulis Juris antiqui : quem Coloniæ, Juris studiosus, privatim sodalibus suis prælegerat. Francof. 1607. 8. & 1636. 12.

Aphorismi politici, primò è variis Scriptoribus per Lambertum Danæum collecti, dein per Bronchorstium multis exemplis illustrati. Liber Romæ prohibitus die 18. Decembris 1646.

Pro funere *Bronchorstii* dixit *Petrus Cunæus* J. U. D. pridie Kalen. Junii. Extat Leidæ hæc Inscriptio.

Opt. Memoriæ
EVERARDI BRONCHORSTII,
Daventriensis J. C.
Qui in juventute
Per celebriores Germaniæ Academias
Munere primùm discendi,
Mox etiam docendi,
Ac deinde Doctoris laureâ insignis,
In Urbe Patriâ
Consulatu laudabiliter perfunctus,
A Curatoribus illustris Academiæ
Lugdunensis in locum Viri Clarissimi
Hugonis Donelli J. Cti. suffectus est;
Rarâ eruditione, industriâ,
Diligentiâ, ac comitate usus,
Ordinarii Professoris atque Antecessoris
Juris, per annos plus minus XL.
Et subinde Magnifici Rectoris titulo;
Tandem publicis functionibus
Scriptisque & senio
Confectus ac emeritus,
Lugduni Batavorum vivere desiit
Anno 1627, cum vixisset annos 73.
Monumentum, si non æternum,
Saltem durabile,
ALITHA A MIDDELBURGO,
Conjux liberique pietatis ergo P. C.
Inferius habebatur.

EVERARDI BRONCHORSTII
Daventriensis, Juris-Consulti eximii,
Quod mortale fuit, heic quiescit.
Præclara ingenii Monumenta
In hominum manibus & admiratione
Versantur.
Obiit anno M. D. C. XXVII.
XXVII. Maii

Astreæ columen, tuus hîc Daventria Consul,
Professor tuus, hîc, Leyda Batava jacet.
Quâ mortalis erat BRONCHORSTIUS, *excidit ævo.*
Nescit at è libris gloria parta mori.

EVERARDUS FOECK,

J. C. (dictus FRIECK apud Valerium Andream, sed ab Antonio Mathæo & Heussenio, antiquitatum Ultrajectensium peritioribus, cognominatus FOECK) Decanus Ecclesiæ S. Salvatoris Ultrajectensis circa annum 1390. Scripsit ad instantiam *Gerardi Magni*, Clericorum Vitæ Communis in Belgio Institutoris,

Conclusiones, quibus vitam in communi degentium multis argumentis approbat & tuetur.

Insignem fuisse suæ Ecclesiæ benefactorem, probat ejus Testamentum, inter Analecta Ant. Matthæi Tom. II. pag. 552. Obiit autem VIII. Kal. Aprilis 1418.

EVERARDUS MERCURIANUS,

Luxemburgensis, olim Lovanii in scholis Artium anno 1544. inter primos promotus, tum Pastor in Parochia de *Voit* Diœcesis Leodiensis. Inde Parisiis Societati Jesu adscriptus; Romæ à S. Ignatio per-benignè acceptus,

factus est Domûs Professorum Romanæ Vice-Præpositus aliaque dein munia adeptus. Anno 1557. reversus in Belgium, ut res illius Provinciæ componeret, Commissarii appellatione, quæ anno vertente in Provincialis illi nomen dignitatemque transivit. Anno 1565. Assistens designatur Romæ novo Præposito Generali S. Francisco Borgiæ, cui consensu communi in eo munere suffectus est 23. Aprilis 1573. quartus ipse Præpositus, Generalis à S. Patriarcha Ignatio. Vir gravis & prudens, magnâ moderationis laude Societatem rexit. Vitâ functus est Romæ Kalendis Augusti 1580. Ita habet Catalogus Scriptorum ejusdem Societ. ubi memoratur,

Epistola à Mercuriano ad Superiores Societatis scripta, documenta bona gubernationis continens, legiturque inter Epistolas Præpositorum Generalium ordine quinta.

EVERARDUS N.

Prior in Zelemensi apud Distemium Cartusia, scripsit

Tractatum *De tentationibus, earumque Remediis.* MS. apud Regulares Tungrenses.

De Accessu & Conversione cordis ad Deum.

Sermones & Epistolas varias.

EVERARDUS NICOLAIUS,

Nicolai Præsidis Filius natu major, patris defuncti *Topica Legalia* cum fratribus Lovanii evulgavit. Aliud illius non scitur. Circumfertur quidem *Ordo studii Juris Civilis*, nomine *Everardi*, apud Bavaros aut Batavos nati; duos enim fuisse cognomines in Elogiis Aub. Miræus observat.

Obiit *Everardus* noster Machliniæ, Concilii Præses, anno Dom. 1561. ætatis LXIII. Fuerat primò caussarum patronus in Haga-Comitis; atque hinc Frisiæ, pòst Machliniæ supremi Concilii Belgici Senator; indeque Frisiæ Præses: ex hoc secretioris Concilii Assessor, & demùm Machliniæ ab anno 1556. Præses. Mortuum *Nicolaus* frater versibus hisce prosecutus est:

EVERARDUS *tegor hoc tumulo: de Præside Præses*
Qui genitus, juvenis respondi civica jura;
Grandia dum fugio, dum tuta & parvula sector,
Inde Senatorem Frisius me vindicat ordo.
Quæ Regio ut multos languentem viderat annos,
Jam meliore velut cœli fruiturus & aurâ
Machliniæ jubeor magni pars esse Senatûs.
Mox iterùm Frisias Præses ablegor in oras.
Inde sed in propriam me clemens evocat aulam,
Postque senem summo Rex ornat honore Philippus,
Exantlatorum pretium non vile laborum.
Namque priùs genitor quâ sederat arce, locavit.
Cujus ego ut mores vivens imitatus & artes,
Haud Regi ingratus, nulli gravis, omnibus æquus,
Et carus patriæ vixi, & dilectus amicis.
Sic etiam ante pedes illius habere sepulcrum
Nunc juvat, extinctum neque deseruisse parentem.

Extat Mechliniæ in choro Eccl. Colleg. B. M. V. hoc Epitaphium.

D. O. M.
Clariss. Consult. Doctiss. Viro ac Dño,
EVERARDO NICOLAI, Equiti Aurato,
Et Summi Belgicæ Concilii
Præsidi,
Parenti pientiss.
Liberi mœsti Poss.
Vixit annos LXIII.
Obiit anno à Christo nato
CIↃ. IↃ. LXI. VI. Idus Maii R. I. P.

EVE-

Digitized by Google

EVERARDUS REIDANUS,

Vulgò VAN REYD, J. U. D. Conſul primùm Arnhemienſis, dein Conſiliarius Joannis Naſſovii Comitis, Gelriæ Zutphaniæque ſupremi Præfecti, tùm etiam Guilielmi Ludovici Naſſovii Friſiæ Gubernatoris familiaris intimus, & inter Ordines Belgii fœderati Generales Deputatus; Juſti Lipſii Epiſtolis clarus. Scripſit vernaculo idiomate

Hiſtoriam rerum in Belgio geſtarum, ab anno quidem 1566. ad annum 1583. ſummariè, & exinde ad an. 1601. prolixiùs exactiuſque, ac politicè, ut erat ſecretorum multorum conſcius, & rerum pace belloque geſtarum tum veterum tùm recentium admodum peritus. Liber editus eſt à morte auctoris, Arnhemii, 1626. 4. & 1633. fol. Latinè verò, interprete *Dionyſio Voſſio* Leidæ in fol.

Moritur Leovardiæ Friſiorum anno 1602. ætatis ſuæ LII. die XXV. Februarii, Epicedio laudatus ab Adolfo Dans Poëta Amſtelodamenſi.

EVERARDUS WASSEMBERGIUS,

Embricæ in Clivia natus anno 1610. Parentibus avitæ fidei tenaciſſimis, diſciplinis cum humanioribus, tum etiam Theologicis Lovanii operam dedit, & juvenis admodum, editis ingenii monumentis, famam aliquam nominis captare ac mereri cœpit. Tum à Ferdinando IV. Romanorum, Philippo IV. Hiſpaniarum, Uladiſlao IV. Polonorum Regibus, atque ab Archiduce Leopoldo Guilielmo in Hiſtoriographum, Bibliothecarium & Secretarium latinarum expeditionum aſſumptus fuit: atque ab eiſdem Principibus nec non à diverſis Electoribus S. R. I. catenis aureis, numiſmatibuſque liberaliſſimè remuneratus. Scripſit ſequentia hiſtorica atque politica.

Humanæ vitæ ſcbena, conditiones hominum & mores ad amuſſim repræſentans. 8. Lovanii 1636.

Florus Germanicus, ſive *Commentariorum de bello Germanico liber ſingularis.* 16. Antverpiæ 1641.

Commentarii de bello inter Imperatores Ferdinandos II. & III. & Fredericum Palatinum, alioſque. 12. Francofurti 1648.

Embrica ſeu Civitatis Embricenſis deſcriptio libris III. fol. Clivis 1667.

Panegyricus Leopoldo Guilielmo Archiduci poſt expeditionem Belgicam 1647. *dictus.* fol. Antv. typis Plantin. 1648.

EVERHELMUS,

Abbas primùm Altimontenſis in Hannonia, poſt Blandinienſis Gandavi (in cujus loci Chronicis vocatur EVERELIMUS, notaturque electus Abbas, ordine XVIII. anno 1058. defunctus verò anno 1069.) ſcripſit

Vitam B. Popponis, cognati ſui, & Abbatis Stabulenſis, quod eſt ditionis Leodicenſis Monaſterium. Exſtat apud Surium, 25. Maii, & apud Hagiographos Societ. Jeſu.

EUSTACHIUS LENSIUS,

Ordinis Præmonſtratenſis Doctor Theologus, atque ex Monaſterii Viconienſis, apud Valentinianas Hannoniæ opidum, Canonico, Vallis Chriſtianæ & Serenæ in Diœceſi Sueſſionenſi Abbas, ſcripſit

Coſmographiam Moſis, libris III.

Seminarium Verbi Dei: alphabetico digeſtum ordine.

In Regulam S. Auguſtini: ad Gervaſium, Præmonſtratenſium Primatem.

In Hymnos, ab Ordine Præmonſtratenſi receptos.

De Metris, lib. I.

De Tropis & Schematibus. lib. I.

De Significationibus Nominum & Qua-

litatibus Rerum, ex D. Gregorio.

De Myſteriis S. Scripturæ lib. I.

Poſtremò *Tractatum de SS. Trinitate*, quem morte præventus reliquit imperfectum. Dum namque ſublimi huic meditationi ac myſterio totus inhæret, animam plenus dierum decrepituſque efflavit, anno 1225. Dicitur & in *Geneſin*, *Exodum*, *Deuteron.*, ac *Paralipomena Commentarios* ſcripſiſſe. Exſtant operum iſtorum pleraque MSS. apud Viconienſes.

EUSTACHIUS,

In Monte S. Eligii, Ordinis Canonicorum Regul. S. Auguſtini, juxta Atrebatum Religioſus, & S. Theol. Profeſſor, reliquit

Quæſtiones in libros Magiſtri Sententiarum, MSS. ibid.

EUSTACHIUS WILTHEIM,

Luxemburgenſis, Curiæ Provincialis ibidem per annos plures Conſiliarius, ac dein Præſes ab anno 1648. uſque ad 1667. quo è vivis exceſſit. Collegerat (teſte Rev. P. Abbate Calmet in Procœmio Hiſtoriæ ſuæ Lotharingicæ) Acta ac documenta quamplurima ad exarandam Hiſtoriam Ducatûs Luxemburgenſis. Extiterunt illa MSS. tribus voluminibus in folio in Bibliotheca quondam Domini de *Balonfaux*, Conſiliarii Senatûs Luxemburgenſis, viri in antiquitatibus patriæ verſatiſſimi, qui & multa ſtudio proprio adjecit, & hanc Hiſtoriam in lucem edere meditabatur.

EUSTACHIUS A ZICHENIS,

Quod Brabantiæ opidum eſt, cognomento VANDER RIVIEREN, honeſtâ atque antiquâ familiâ ortus, quintus in Promotione Magiſtrorum in Scholis Artium anno 1500; hinc Inſtitutum S. Dominici profeſſus Lovanii, multâ commendatione regularis obſervantiæ & ſingularis eruditionis præfuit Prior; anno 1517. S. T. D. Lovanienſis ac Studii ſuæ Provinciæ Regens.

Hic putatur omnium primus, vel ſaltem è primis, Lovanii in Martinum Lutherum, Catholicæ Romanæque fidei deſertorem, & Religionis ſuæ apoſtatam, acuiſſe ſtilum; ediditque

Confutationem brevem Errorum ejuſdem Lutheri, eorum potiſſimùm, quos Lovanienſis ac Colonienſis Theologica damnavit Facultas. Antver. typis Mich. Hillenii in 4.

Tractatum *De VII. Sacramentis*. Ibid. 1523. 4. apud Simonem Cocum.

Scripſit & *contra Canonem V. Enchiridii*, *ab Eraſmo editi*. Ibid. apud Vorſtermannum, 1531.

Lovanii an. 1538. die 16. Ap. moritur.

EUTICHIUS DE CORDES,

Antverpianus, Monachus S. Juſtinæ de Padua, & ejuſdem Congregationis Benedictinæ Abbas, interfuit Concilio Tridentino. Reliquit

Commentaria in omnes Pauli Epiſtolas.

In *Symbolum Apoſtolorum.*

Dictionarium Biblicum. Extant hæc MSS. in dicto Monaſterio, teſte Arnoldo Wiono in Ligno Vitæ.

Vivere auctor deſiit anno 1582. menſe Septembri.

EWALDUS GALLUS,

Rector Scholæ Weertenſis in Gelria opidi, ſcripſit

Grammaticam latinam, libris III. Antver. 1563. 8. apud Nutium.

Dialogos & *Leges Morales*, ex *Eraſmi* libello, de morum civilitate.

EWALDUS VOGELIUS,

Medicus, Brabantus natione, ſcripſit librum

De Lapidis Phyſici conditionibus: quo Gebri & Raimundi Lullii methodica continetur explicatio. Coloniæ, 1595. 8

F.

Fr. FAUSTINUS CRANIUS,

Dieſtenſis, Ordinis Capucinorum S. Franciſci, ex nota Dieſtemii Craneorum familia natus, auctor eſt libri, cui titulus, *Alter Alexius, natione Scotus, Capucinus, ſub nomine F. Archangeli* &c. Coloniæ, apud Joan. Chriſtophori, 1620. in 12.

Deſcribitur eo libro Vita *Joannis Forbeſii* & Dominæ *Margaretæ Gordonicæ*, piiſſimi filii, parentis piiſſimæ; utraque tam mirabilis, ut Jacobus à Caſtro, Epiſcopus Ruræmundenſis, datis ad P. Commiſſarium Generalem Provinciæ Rhenanæ litteris, eundem obnixè rogaverit, has Vitas, prout à noſtro Dieſtemienſi conſcriptæ ſunt, evulgari ad commune bonum ut pateretur.

Idem libellus iteratò prodiit Leodii, 1632. 12. titulo paullulum immutato: *Converſio & converſatio P. Archangeli, Regio ſanguine clari, in Ordine Capucinorum beata morte demortui* &c. anno ſcilicet 1606. Teneræ-mondæ, ubi Guardianum agebat, ætatis ſuæ XXXVI. Tertiò prodiit vernaculè Brugis anno 1704. in 8. curâ P. *Gregorii Brugenſis*, Capucini, dicti in ſæculo *Grenier*.

FEDERICUS JAMOT,

(Sic enim auctor prænomen ſcribere ſolebat) Bethunienſis, Doctor Medicus, Linguæ utriuſque peritiſſimus, Poëta excellens, carmine præſertim Pindarico: quo in genere principem fere locum tenuit.

Tryphiodorum Ægyptium de Ilii captivitate verſibus Latinis reddidit, & *Scholiis* illuſtravit. Pariſiis, 1578.

Idyllia aliquot Theocriti è Græcis Latina fecit, Pariſ. 1574.

Auſonii Idyllion de Vita humana, græcis verſibus expreſſit.

Poëmata item varia, græca ac latina; *Hymnos*, *Idyllia*, *Odas*, *Funera*, &c. typis dedit Plantinianis, 1593. 4.

Paraphraſis Poëtica, græca & latina, *in VII. Pſalmos pœnitentiales*, ad ad Michaelem D'Eſnæum Epiſc. Tornac. adſervatur in Bibliotheca publica ejuſdem Eccleſiæ.

Præterea *Galeni Paraphraſin in Menodoti Exhortationem ad Artium liberalium ſtudia*, ab *Eraſmo* latinè redditam, recenſuit & *Annotationibus* auxit. Pariſiis, 1583. 4.

Ac poſtremò Tractatum *Demetrii Papagomeni de Arthritide*, græcè conſcriptum, fecit gallicum, additis *Notationibus* & *Correctionibus* ſcitu digniſſimis. Pariſ. 1567. 8. Vide de Joanne Borgeſio.

FERDINANDUS DE CARDEVACQUE,

Atrebas, nobilis ac patriciæ familiæ, Dominus de Beaumont, puer *Antonio Meiero*, viro docto ac pio, Scholæ Atrebatenſis Moderatori, à parente *Carolo* in diſciplinam traditus, reliquos facilè ut ingenio, judicio, memoriâ, ita & doctrinâ anteceſſit. Maior factus, hiſtoriæ ac politicæ ſcientiæ ſe totum dedit, atque in eruendis patriæ antiquitatibus ſedulam poſuit operam: deciſque Conſul Rempublicam non minùs feliciter quàm fideliter accuratèque adminiſtravit: Vir ob vitæ integritatem, morumque elegantiam, gratus & amatus omnibus. Scripſit

Hiſtoriam Comitum Arteſiæ.

Hiſtoriam Epiſcoporum Tornacenſium.

Næniam in obitum Alexandri Farneſii, Parmæ ac Placentiæ Ducis, verſu elegiaco.

Gallico verò rythmo librum reliquit,

cui titulus, *Amor divinus*. Legi iſta ſolebant apud *Joannem Franciſcum Cardevacquium*, auctoris nepotem.

Obiit *Ferdinandus* præmaturè, in ipſo ætatis velut flore, vixdum ſecundum ſupra quadrageſimum numerans annum, Kalendis Decembribus anno 1614. in templo Minorum apud Majores ſuos depoſitus.

FERREOLUS LOCRIUS,

San-Paulinas Arteſius, natus anno 1571. apud Atrebates ad D. Nicolaum Parœcus, in hiſtoria ſacra profanaque juxtà verſatus, & Poëta non infelix, edidit

MARIAM *Auguſtam* in VII. libros diſtributam, *Chronico* & *Notis* illuſtratam. Atrebati, 1608. 4.

Chronica Anacephalæoſis edita ſeorſim, 1606. 8. typis Guil. Riverii.

Chronicon Belgicum, ab anno Dom. 257. ad annum 1600. perductum: in quo Arteſiæ potiſſimùm geſta proponuntur. Accedit *Catalogus Scriptorum Arteſiæ*. Atrebati, 1616. 4. à morte auctoris.

Laudationem Funebrem Matthæi Moullartii, Atrebat. Epiſcopi, anno 1600.

De Nobilitate & Virginum Præfectura, gallicè.

Carmina item luſit varia, *Epigrammata*, *Anagrammata*, *Chronologica*.

Denique *Hiſtoriam Comitum ac Comitatûs S. Pauli, & Genealogiam Comitum Arteſiæ* prætexuit: quas tamen videre adhuc non contigit.

Vivere deſiit an. 1614. XI. Kalendas Septembris, poſt fidelem multis annis Reipublicæ Chriſtianæ navatam operam, iiſdem ſtudiis, quibus contentus vixerat, feliciter immortuus.

LoCrIUs oCCIdIt (beI) doCta LUgeto CaMœnæ.

FESTUS HOMMIUS,

Friſius, ex Hielſum in territorio Leovardienſi natus anno 1576. patre *Hommero Homminga*; ſtudiorum tyrocinia in Franekerana & Lugdunenſi Academiis poſuit. Calviniſtarum dein miniſter fuit in Oppido Doccumenſi, inde etiam Lugduni Batavorum, & anno 1618. Conciliabuli Dordraceni pro Gomariſtis contra Arminianos aſſeſſor & ſcriba. Hîc fuit ei commiſſum ſtudium transferendi Biblia ſacra in linguam Batavam; quod unà cum aliis Theologis aggreſſus Leydæ anno 1629, perfecit poſt triennium, prodiitque vernaculè, hoc titulo.

Biblia Sacra, juſſu Generalium Ordinum Fœderati Belgii juxta Decretum Synodi Dordracenæ, ann. 1618 1619. ex idiomate Originali in linguam Belgicam fideliſſimè tranſlata: cum novis adjunctis declarationibus marginalibus & locis parallelis &c. Fol. Leydæ & Hagę-Com. cum privilegio Ordinum Fœderat. 1637.

Fuit & Regens Collegii Theologici in Academia Lugduno-Batava ab anno 1619. ac paulò poſt deputatus in Angliam, ut Acta ſupradictæ Pſeudo-Synodi Jacobo I. Anglorum Regi exhiberet: ubi & à Pſeudo-Præſulibus Anglis benignè exceptus, & inter Doctores Theologos Academiæ Oxonienſis ſolemni ritu cooptatus eſt.

Scripſit latinè

Diſputationes LXX. adverſus Pontificios, ſeu Collegium Anti-Bellarminianum.

Specimen Controverſiarum Belgicarum.

Narrationem Hiſtoricam ortûs & progreſſûs controverſiarum Belgicarum.

Diſputationum Belgicarum adverſus Pontificios Decadem unam, de S. Scriptura.

Belgicè verò hæc: *De bello Libros III. in uſum militum*; cum eſſet prædicutius, in expeditione Brabanticâ.

Tabulas Exegeticas in Catechesin Ecclesiarum Palatinarum & Belgicarum.

Responsionem ad argumenta Remonstrantium, in Collatione Hagiensi proposita.

Considerationem super vocatione Conradi Vorstii. Is erat Theologus Arminianus.

Declarationem Collationis Delphensis.

Responsionem ad Remonstrantium secundam Remonstrantiam. Et alia quædam scripta, quæ proscripta sunto, ipseque Author damnatæ memoriæ habetor. In templo primario D. Petri Leydæ legitur hoc ejus Epitaphium.

Hoc tumulo conditur
Vir celeberrimus
FESTUS HOMMIUS, S. Theol. Doctor,
Eccl. Leid. Pastor, Coll. Theol. Regens.
Docuit Eccl. hanc annos XL.
Rexit Coll. annos XX.
Vixit annos LXVI. menses sex
Denatus V. Julii M. D. C. XLII.

FLORENTIUS BROUCHORSTIUS,

Nobilis Hollandus, Societatis Jesu Presbyter (quem ad Sodales Marianos dicentem Lovanii *Justus Lipsius* numquam audire neglexit) edidit anno 1562. 4. Pictaviis apud Franc. Zoyzarellum, *Urbis Pictaviæ tumultum, & ejusdem restitutionem*, carmine Elegiaco. Tumultus hic fuit Hugnotarum, templa atque imagines evertentium.

Obiit *Florentius* anno, nisi fallor, 1610. De Stemmate verò *Brouchortio* vide Valerium Gouthovium, in Additamentis ad Chronicum Hollandico-Belgicum.

FLORENTIUS CONRIUS,

Hibernus, Ordinis FF. Minorum Recollectorum Theologus ac Provincialis, magnam vitæ partem in Academia Lovaniensi docendo exegit, ibique Conventum S. Antonii à Padua, Fratribus suis, ob veram fidem, persecutionem in patria continuam patientibus, munificentiâ Philippi III. Hispan. Regis fundari anno 1606. impetravit.

Vir in S. Scripturis ac SS. Patribus, præsertim Augustino apprimè versatus, scriptis partim in lucem editis, partim prælo necdum traditis, & summâ eruditione longè clarissimus. Ob eximia merita ad Archiepiscopatum Tuamensem in Hibernia evectus, ab ipso Maphæo Cardinale Barbarino, tunc Archiepiscopo Nazareno ac Nuncio Apostolico ad Regem Galliæ dein Urbano VIII. Pont. Max. anno 1608. consecratus. Sed ob furorem hæreticorum pœne continuò è Diœcesi sua exulans, eandem per Vicarios Generales administrare coactus est.

Obiit anno 1629. in Urbe Regia Madritensi, quò negotiorum caussâ concesserat: unde ossa ejus postmodum relata fuêre ad Conventum Recollectorum Hibernorum Lovaniensium, appositio ad cornu dextrum summi Altaris sequenti ejus Elogio funebri.

Scripsit autem hic Archiepiscopus *Tractatum de statu parvulorum sine baptismo decedentium.* 4. Lovanii 1627. qui qui dein etiam editus fuit Rothomagi anno 1652. ad calcem *Augustini* Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi.

Alium quoque de Gratiâ librum edidit Conrius, cui hunc titulum præfixit: *Peregrinus Jerichontinus* &c. opus ejus posthumum Parisiis 1641.

Illustrissimus ac Rev. P. F.
FLORENTIUS CONRIUS,
Ordinis Minorum Regularis observantiæ
Archiepiscopus Tuamensis,
Provinciæ Hibernicæ quondam
Minister, pietate, doctrinâ,
Prudentiâ maximus,
Æternâ memoriâ dignissimus,

Quo ſollicitante, pro reſtauranda
In Hibernia Fide orthodoxa,
Hoc S. Antonii à Padua Collegium
Munificentiâ Philippi III. Hiſp. Regis
Fundatum eſt, anno Chriſti M.D.C.VI.
Laboribus variis, Fidei & Patriæ ergo,
Fractus, piè obiit, in Conventu
S. Franciſci Madriti ann. M.D.CXXIX
XIV. Kal. Dec. ætatis LXIX.
Archiepiſcopatûs XXI.
Hujus Collegii Patres anno M.D.CLIV
Quo ejus oſſa ex Hiſpania tranſlata,
Et hîc immortalitatis præmium
expectant, grati poſuêre.

FLORENTIUS VANDER HAER,

Lovanii naſcitur patre *Lamberto*, Medicinæ Doctore, matre *Maria vander Borch*, patriciæ apud Lovanienſes familiæ. Ipſe verò origine fuit Ultrajectinus, ex equeſtri ibidem proſapia oriundus, jam inde à *Godeſcalco Woerdeno*, Equite, poſtmodum dicto *Vander Haer*, à dominio ſcilicet, ac domo, quam ipſe in Parochia Vleutenſi, ad ſecundum ab Ultrajecto lapidem, ædificavit, obiitque anno 1186. *A Godeſcaleo* deſcendit *Gisbertus Boeckelius Vander-Haer*; ab hoc, poſt intermedios aliquot, *Ludolphus Vander-Haer* an. 1501. cui ex uxore *Foeytia* filii duo fuerunt, *Joannes*, Quæſtor Domanii Principis per Provinciam Ultrajectinam, & *Lambertus* hujus *Florentii* noſtri pater.

Educatus is fuit Lovanii in Collegio Trilingui Buſlidiano apud *Cornel. Valerium*, accuratiſſimum ingeniorum formatorem, boniſque in litteris inſtitutorem. Pluribus deinde annis Canonicus & Theſaurarius fuit Inſulenſis, atque innovando ibidem quotannis Magiſtratui Regiâ auctoritate Delegatus ordinarius: Vir ob ſingularem prudentiam, & multiplicem eruditionem Principibus aliiſque primoribus longè gratiſſimus. Scripſit eleganter ac fideliſſimè

De initiis Tumultuum Belgicorum libros II. Duaci, apud Bogardum, 8. 1587. & Lovanii, cum auctariolo aliquo, atque interſectione Capitum; typis Judoci Coppenii, 1640.

Antiquitatum Liturgicarum arcana, ex Scriptoribus partim editis, partim ineditis concinnavit, Duaci, typis Belleri, 1605. 8. Tomis III. Eſſe verò *Florentium Vander-Haer* harum Antiquitatum auctorem ac collectorem, cùm nomen ipſe ſuum ſuppreſſum voluerit, conſtat vel ex Præfationis ad Lectorem hac clauſula: *Vale, Lector, & Auctori tam Florido, & tantùm caſtis* ARIS *addicto, quantum ab inceſtis* HARIS *alieno, fave &c.*

Præterea gallico idiomate evulgavit *De Caſtellania Inſulenſi* libros II. in quibus diſſerit de ſtatu, officio & familia Caſtellanorum, deque ſtatu Comitum ſub Romanis, Gothis, &c. Inſulis, 1611. 4.

Deſiit agere inter vivos planè decrepitus, ætatis anno LXXXVII. qui fuit Incarnationis Dominicæ 1634. menſe Februario.

FLORENTIUS AB HANSWYCK,

Mechlinienſis, Ord. FF. Minorum Capucinorum, Provinciæ Flandro-Belgicæ Concionator ac Definitor, obiit in Ordine Jubilarius Bruxellis 7 Martii 1651.

Edidit *Cornucopiam Concionatorum, abundantem enarrationibus ſymbolicis & moralibus diverſorum conceptuum* fol. II. vol. Antverp. per Leeſtenium 1646.

FLORENTIUS HARLEMENSIS

Batavus, Carthuſiæ Lovanienſis Prior, vir magnæ religionis, neque

contemnendæ eruditionis, ſcripſit belgico idiomate,

Viam Vitæ, ſive *de Chriſtianæ Vitæ Inſtitutione*, libros V. primùm quidem *Tacito Nicolao Zegero*, ex Ord. Minorum, Antver. typis Henr. Petri, 1552. pòſt *Laurentio Surio* Cartuſiano interprete; qui & auctarium operi adjecit lectu dignum. Coloniæ apud Quentel. 1595. 8. & aliàt.

Fratres habuit germanos, *Vincentium* & *Rudolphum*, Ord. Minorum per Belgium Provinciales.

FLORENTIUS LEYDANUS,

Batavus, Ord. Minorum, collegit *Hiſtoriam novorum in Germania Inferiori ſui Ordinis Martyrum*. Ingolſtadii, apud Wolfgangum Ederum, 1582.

FLORENTIUS RADEVINIUS,

Leerdamus, alter à *Gerardo Magno*, ejus Congregationis, quam ille Daventriæ collegerat, quæque poſt mortem in Cœnobium Canonicorum Regularium Capituli Windeſemenſis coaluit, primus atque unicus fuit, quem idem *Gerardus* ex omnibus ſuis Clericis ad ſacerdotium promovit, quique iiſdem Clericis vitæ in communi degendæ, ad Apoſtolicæ vitæ normam, primus quoque auctor extitit.

Plura videtur ſcripſiſſe, citatque *Exercitia* ejus *ſpiritualia* Joannes Mauburnus, auctor Roſeti Exercitiorum ſpiritualium Tit. IV. Alphab. XIV. Sed unicus hodie ſupereſt libellus, cui titulus, *Formula Novitiorum* MS. apud Regulares Tungrenſes.

In Domino magnâ ſanctitatis opinione, obdormivit anno 1400. Vitamque illius deſcripſit Venerabilis *Thomas à Kempis*, tanto magiſtro dignus diſcipulus.

FLORENTIUS SCHOONHOVIUS,

Gaudanus, Batavus, J. U. Doctor, Poëta elegans, edidit admodum adoleſcens,

Carminum variorum libros III. *Lalagen*, ſive *Amores Paſtorales*. Lugd. Batavor. 1613. 8.

Bucolicorum ſive *Eclogarum* librum I.

Hymnorum lib. I.

Item *Emblemata*, partim civilia, partim moralia, *Commentario* illuſtrata. Gaudæ. 1618. 4. ac rurſum Amſtelod. 1648.

FLORUS,

Monachus Benedictinus ad S. Trudonem in Diœceſi Leodicenſi (teſte Trithemio) vulgo FLORUS MAGISTER dictus; ſcripſit, vel potiùs auxit,

Martyrologium, ut colligo ex Adonis ad Martyrologium ſuum præloquio, qui *nomina quædam Martyrum Venerabilis Flori ſtudio in labore Bedæ accreviſſe* memorat. Unde etiam colligitur eum paullò poſt tempora Venerabilis Bedæ vixiſſe, ſub annum 760. Uſuardus in ſuo quoque concinnando Martyrologio præfatur *ſe Flori memorabilis viri latiora jam in eo ipſo ſequi veſtigia*. Exſtat fragmentum apud Agobardum, Lugdunenſem Epiſcopum, à Papirio Maſſono vulgatum.

Flori ejuſdem *Exegeſis* ſive *Expoſitio Miſſæ*, legitur Tomo IV. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Pariſ. & Tomo IX. edit. Colon. 1618. editionis denique Lugd. 1677. Tomo XV.

Meminit autem *Flori Magiſtri* Dionyſius Petavius, & Lugdunenſis Eccleſiæ facit Diaconum, qui nomine ejuſdem Eccleſiæ ſcripſerit contra *Hincmarum*, Remenſem Epiſcopum, circa annum 843. Ut valde dubitem, an rectè Trithemius *Florum* Martyrolo-

giographum ſcribat Monachum fuiſſe Trudonopolitanum.

Sed & Sigebertus libro de Viris Illuſtr. cap. 92. *Florum* quendam memorat; & *S. Pauli Epiſtolas* ex integro expoſuiſſe auctor eſt; idque diverſa D. Auguſtini loca Epiſtolis Paulinis adaptando: ſicque, ut idem ait Sigebertus, *novo & mirabili ſtudio de alieno labore magnum ſui Operis Volumen edidit.* Lectum id fuit MS. Leodici ad Laurentium.

Conſulendus hîc eſt *Joannes Bollandus* S. J., in præfatione ad Tomum II. Actorum SS. Menſis Martii, ubi Martyrologium Bedæ ac Flori è MSS. Codicibus produxit in lucem; illudque non Floro Trudonenſi Monacho, ſed Lugdunenſi Diacono adſcribit. Ita etiam diſſeruit eruditè *Gaſ. Oudinus* Tom. I. & II. de Scriptoribus Eccleſ. citans Mabillonum alioſque.

FOLCARDUS,

Sive FOLCHARDUS, Monachus Bertinianus, Ord. S. Benedicti, vixit Leonis IX. Pont. temporibus, circa annum 1050. & fuſè deſcripſit

Vitam S. Bertini, Abbatis.

Vitam S. Audomari, Morinorum Epiſcopi. Extat utraque manuſc. Audomaropoli ad S. Bertinum, legiturque apud Surium 5. & 9. Septembris. Item apud Mabillonium Sæculo III. Benedictino.

Meminit Folcardi Scriptoris hujus, Cardinalis Baronius, in Notis ſuis ad Martyrologium Romanum: ſed non rectè eum dixit Abbatem Monaſterii Bertiniani.

FOLKERUS SIMONIS,

Snecanus, Friſius, ex Rectore Scholæ patriæ Conſul urbis floruit circa ann. 1496, ſcripſitque

Chronicon Friſiæ, latinè. Extat Manuſc. in Friſia paſſim.

FOPPIUS SUETONIUS AB AETZEMA,

Friſius, J. U. Doctor, atque in Academiis Lugdunenſi, Helmſtadenſi ac Wirtembergenſi Jurium Profeſſor, edidit

Diſſertationum ex Jure Civili lib. II. Helmſtadii 1607.

Poëmata Juvenilia, Odas, aliaque varii generis ac materiæ, Pariſ. 1605. 8. typis Mich. Sonnii vulgata.

FRANCISCUS AGRICOLA,

Lonenſis, qui pagus eſt Aldenhoviæ vicinus, in Ducatu Juliacenſi, vir fuit antiquæ probitatis & eruditionis, ſi quis alius: primùm Rodingenſis, pòſt Sittardienſis Eccleſiæ Paſtor & Canonicus, Conciliique ſeu Diſtrictûs Suſterenſis Archipresbyter. Senio piiſque laboribus confectus, deceſſit Sittardiæ anno 1621. pridie Nonas Decembris. Edidit

Commentarium de Verbo Dei ſcripto & non ſcripto. Leodii, 1597. 8.

De Lectione S. Scripturæ, ejuſque Interpretibus Orthodoxis.

De Lectione Horarum Canonicarum: ſimul edita, ibid. 1600. 12.

De æterno & vero Deo, nec non indubitato Chriſto & Meſſia Chriſtianorum, libros III. adverſus Calviniſtas. Coloniæ, 1605.

Demonſtrationum Euangelicarum libros IV. quibus demonſtratur, Chriſtum ſecundùm animam revera ad inferna deſcendiſſe, & piorum animas inde è Limbo liberaſſe. Ibid 1578. 8. apud Colinum.

De Chriſto Salvatore, ejuſque regno gratiæ & gloriæ cùm cognoſcendo tum capeſſendo.

Tracta-

FRANCISCVS BALESIVS

Pallium & mantilla. Pontifex Maximus. Archiepiscopus mitra pontificali. Patriarcha. Primas. Cardinalis.

Ordo Episcopalis. Ordo Presbyteralis. Ordo Diaconalis. Ordo Subdiaconalis. Ordo Acolythalis. Ordo Exorcistalis. Ordo Lectoralis. Ordo Ostiarius. Ordo Clericalis. Ordo Monachalis. Ordo Canonicalis. Ordo Eremiticus. Ordo Militaris.

Ordo Equestris. Ordo Ducalis. Ordo Regalis. Ordo Imperialis.

Ordo privilegiatus. Ordo Matrimonialis. Ordo Sacramentalis. Ordo Sacramentalium. Ordo Sacrificalis. Ordo Sacrificandi. Ordo Sacrificatus. Ordo Sacrificatorius. Ordo Sacrificatorum. Ordo Sacrificatorii. Ordo Sacrificatoriorum. Ordo Sacrificatoriis. Ordo Sacrificatoriorumque. Ordo Sacrificatoriisque. Ordo Sacrificatoriisque Ordo. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificalis. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificandi. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatus. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatorius. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatorum. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatorii. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatoriorum. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatoriis. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatoriorumque. Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatoriisque.

Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatoriisque Ordo Sacrificatoriisque

duxit *Catharinam Biton*, viduam Philippi Labbæi (qui fuit abavus P. Labbæi celebris è S. J. Theologi) ex eaque unicam filiam reliquit.

Anno 1556, dictâ *Baronis* Magiſtri ſui Oratione funebri, Bituricenſem Academiam reliquit, Turingiamque ad excitanda ibidem purioris Juriſprud. ſtudia evocatus eſt. Verùm in itinere exiſtens, cùm *Carolum Molinæum* redire eò velle intellexiſſet, Argentoratum deflexit, ibidemque Jus civile anno uno docuit.

Inde Heidelbergam conceſſit, ubi, præter ordinariam Juris profeſſionem, etiam Hiſtoriæ prælectionem ſuſtinuit annis ferè quinque ; donec in comitatu exiſtens *Caſimiri*, Comitis Palatini ad Rhenum, à *Friderico* patre in Lotharingiam miſſi, ab *Antonio Borbonio*, Navarræ Rege, in Galliam revocatus eſt, & in clientelam ejuſdem adſcitus: qui & Carolum filium naturalem diſciplinæ illius tradidit, atque in Reipublicæ negotiis ac controverſiis Religionis, quæ tum agitabantur, operâ *Balduini* uti voluit.

Quo factum, ut miniſtelli tunc quidam, panico veluti terrore perculſi, & cæcâ invidiâ incitati, multa adverſus *Balduinum* molirentur, ipſeque Joannes Calvinus minùs æquo ferre eum animo cœperit ; fortè quia à *Balduino* ſibi mutueret, quem plurimorum conſiliorum teſtem conſciumque aliquando habuerat : quâ de re operæ fuerit pretium ea legere, quæ Florentius Vander-Haer ſcribit de initiis Tumultuum Belgicorum lib. I. cap. xxv.

Certè erraſſe ſe fatetur ingenuè *Balduinus*, & dum adoleſcens, amens, ſuique oblitus Calvino obſequitur, perdidiſſe optimos adoleſcentiæ florentis annos : amicum tunc nactus *Joannem Criſpinum*, gentilem ſuum, omnis poſtea humanitatis oblitum, ex quo ille factus fuit ſervus Allobrox, quemadmodum ipſe ſcribit Reſponſione ſua ad Calvinum, Coloniæ ann. 1562. edita.

Antonio Rege Navarræo apud Rothomagum, bello adverſus Ludovicum fratrem Condæum Principem, occiſo, Carolum filium Tridento in Galliam reduxit ; fortunis omnibus, direptâ etiam bibliothecâ, exutus. Dum in patriam tandem cogitat (nimis enim deſultoriam egerat, prudens ceteroquin homo, vitam) ad excitatam recens auſpiciis Philippi II. Hiſp. Regis Catholici Duacenſem invitatur Academiam : id apud Duacenates per Maximilianum à Bergis Archiepiſcopum Cameracenſem potiſſimùm fatagente Bergenſi Marchione, aliiſque Belgii Principibus, ut haberent, quocum de Religione ac Republica deliberari atque conſtitui poſſet. Nam *Balduinus* in ea erat ſententia, ut veterem Edictorum ſeveritatem leniendam profiteretur, affirmaretque retinere eâ ratione Eccleſiæ auctoritatem, neque veteres conſueſſe, neque iis, quæ tunc erant, temporibus diu poſſe.

Verùm cùm ab ambitioſis illis aulæ ſtudiis eſſet alienior, non diu hîc ſubſtitit, atque è Belgio bellorum civilium motu metuque pulſum, iterum excepit Lutetia ; inde Andegavum : exactoque ibidem triennio, dimiſſâque quæ ei oblata fuerat in Academia Veſuntinenſi publicâ Juris cathedrâ, Henrici Andium Ducis, in Regem Poloniæ electi, juſſu, Pariſios rediit, & altero pòſt menſe vitâ deceſſit, anno 1573. ætatis LIII. xi. Novembris.

Morienti oculos clauſit *Joannes Maldonatus*, Societatis Jeſu Theologus ac Profeſſor præſtantiſſimus. Mortuo Epitaphium & Elogium breve poſuit *Papirius Maſſonus* J. C.

CUJACI,
BALDUINUS hîc jacet.
Hoc tecum reputa, & Vale.

Mortuis vobis, Juriſprudent. corripiet
Gravis ſopor.

FRANCISCUS BALDUINUS J. C.
Obiit anno ætatis LIII. XI. Novembris,
A partu Virginis M. D. LXXIII.
Papirius Maſſonus Balduini Auditor pos.

De Vita ejuſdem verius pluſculos luſit *Joannes Auratus*, Poëta Regius, quos ex parte *Miræus* in Elogio ſuo tranſcripſit. In Religione ſuâ multum inconſtans, dimiſſâ Catholicâ nunc uni, nunc alteri ſectæ ſeſe addixit: dumque omnes ad concordiam adducere meditatur, novam ex omnibus ſectam fabricare videbatur, quam nec capiebat ipſe, nec ab aliis capiebatur.

Ad ſcripta quòd attinet, in iis eâ methodo quâ profitendo quâ ſcribendo uti ſolebat, ut Juriſprudentiam cum hiſtoria perpetuò conjungeret. Qua in conjunctione tantam litterarum & antiquitatis ſcientiam proferebat, ut minimè pigeret Doctiſſimos Curiæ Pariſienſis patronos, in juris & legum ſtudio uſuque diu & multùm verſatos, ſeſe *Balduino*, tamquam Moloni cuidam Apollonio, recoquendos tradere, uti Joannes Vetus ad Reſponſionem *Balduini* alteram præfando teſtatur.

Hæc autem ejus ſcripta ad publicam notitiam pervenerunt.

Leges de re Ruſtica: item *Novella Conſtitutio prima*, *De hæredibus*, *& Lege Falcidia Juſtiniani Imp.* interprete & Scholiaſte *Balduino*. Lovanii, typis Rutgeri Reſcii, 1542. 4. & Baſil. 1543. 8. apud Oporinum.

Prolegomena ſeu Præfata de Jure Civili. Pariſ. 1545. 4.

Commentarii in libros IV. Inſtitut. Juris Civilis Juſtiniani Imp ad ejus methodi, quam à *Gabriele Mudæo* acceperat, exemplum adumbrati: quod nec ipſe diffiteri, & ſic grati diſcipuli officium prætermittere, voluit, poſt Tit. XII. De ſucceſſ. ſublatis &c. libro III. Inſtitut. Pariſ. 1546. Francof. 1582. & Lugd. 1583. fol.

Commentarii ad Leges Romuli & XII. Tabularum Lugd. cum Comment. Inſtitut. & ſeorſim Lugd. Baſileæ 1557. & Pariſiis.

Juris Civilis Catechesis. Baſil. apud Oporinum, 8. 1557.

Diſputationes duæ de Jure civili, ex Papiniano, cum *Papiniani Vita.* Heidelbergæ, 1561. 8.

Notæ ad libros I. & II. Digeſtorum ſeu Pandectarum. Baſil. 1557. 8.

Ad LL. Voconiam, Falcidiam, Juliam Papiam Poppæam, Rhodiam, Aquiliam. Ibid. 1559. 8.

Commentarios *De Pignoribus & Hypothecis: de Conditionibus: de diviſione Stipulationum*, ad l. 2, & l. 4. §. *Cato D. de Verb. obligat. De Cautione*, ad Paulum *in L. Lecta* 40. *de Rebus creditis: de Evictione & duplæ ſtipulatione*, ad *L. Ex mille de Evictionib. & ad Regulam Catonianam* ibid. 8.

Scævola, ſive *Commentarius de Juriſprudentia Muciana.* Ibid. 1558. 8.

Explicatio L. Si pacto C. de Pactis. Pariſiis, 1570. apud Sonnium.

De Calumniatoribus: Ad LL. de famoſis libellis. Ibid. 1562. 4. apud Wechelum.

Ad Leges Majeſtatis ſive perduellionis Commentarius. Ibid. apud Claudium Fremy. 1563. 8.

Juſtinianus, ſive *de Jure novo* Commentariorum libri IV. Baſileæ, 1560. in 8.

Conſtantinus Magnus, ſeu de Legibus Conſtantini Imperatoris eccleſiaſticis atque civilibus. Ibid. 1556. 8. Hunc Belgici Cenſores, & auctor ipſe, repurgandum cenſent. Denuo editus, curâ Joachimi Cluten de Parcha, Megalopolitani. Argentorati 1612. in 8.

Leges & Edicta veterum Impp. de Chriſtianis. Ibid. 8.

Addit his Locrius *Chronicon Artheſiæ*, *& Notas ad Conſuetudines Arteſienſes* MSS. quas anno 1704. primùm edidit Pariſiis *Adrianus Maillard*, Ambianenſis J. C. & in ſuprema Curia Pariſienſi cauſſarum Patronus, in ſuo Tractatu ad Conſuetudines Artheſiæ.

Hactenus memorata ad Jus civile pertinent : cetera Hiſtoriam ferè ſpectant, maximè Eccleſiaſticam.

De Inſtitutione Hiſtoriæ univerſæ ; deque Hiſtoria cum Juriſprudentia conjungenda, libri II. Pariſiis, 1551. 4. apud Wechelum.

Hiſtoria Carthaginenſis Collationis : ſive Diſputatio de Eccleſia, olim inter Catholicos & Donatiſtas habita. Ibid. 1566. 8.

Delibatio Africanæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſive *Optati Milevitani de Schiſmate Donatiſtarum* libri VII.

Item *Victoris Uticenſis de Vandalica perſecutione* libri III. cum *Prolegomenis & Annotationibus Balduini*. Ibid. 1569. 8. apud Sonnium.

Prolegomena in Minucii Felicis Octavium : qui falsò ad eum diem octavus eſt habitus *Arnobii* (cui hæſerat) *contra Gentes* liber. Heidelbergæ, 1560. 8.

Relatio ad Henricum Andium Ducem, Poloniæ ac pòſt Galliæ Regem, eo nomine Tertium.

De Legatione Polonica Oratio. Pariſ. 1573. 4.

Hiſtoria Regum & Principum Poloniæ, gallicè, ex latino *Joannis Herburti de Fulſtin*. Pariſ. 1573. 4. non appoſito quidem nomine, Traductorem tamen fuiſſe *Balduinum* ſcribit in Biblioth. ſua gallica Antonius Verdierius.

Apologia triplex *adverſus Joannem Calvinum ac Theodorum Bezam*, Hæreſiarchas, quâ fraudes illorum erroreſque detegit, quòd *Balduinum* crederent auctorem libelli *De Officio pii viri, & publicæ tranquillitatis amantis in hoc Religionis diſſidio ; qui Georgii Caſſandri* erat. Prima eſt *Commentarius ad LL. de famoſis libellis & calumniatoribus*, quem eâ occaſione ſcripſit : altera Reſponſio edita eſt Pariſ. & Coloniæ, 1562. 8. ac tertia ibid. 1564. hoc titulo, *Pro Fr. Balduino Reſponſio ad Calvinum & Bezam, cum refutatione Calvini de Scriptura & Traditione.*

Addi meretur *famoſa Supplica*, quam die 3 Aprilis 1566. Nobiles Belgæ 300. Margaritæ Duciſſæ Parmenſi Bruxellis obtulerunt, pro obtinendo novellæ Religionis libero exercitio : quâ etiam occaſione famoſum *Geuſiorum* nomen eis adhæſit. Habuit hæc Supplica authorem *Balduinum.*

Denique in cauſa Reformationis Eccleſiæ, *Informationem* quandam gallicè ſcripſit, cum Apologia, adverſus calumniatorem, qui nomine & titulo Principis alicujus Galliæ ſeſe prædictæ Informationi oppoſuit. Pariſ. apud Nic. Cheſneau, 1578. 16.

Addit & Franciſcus de la Croix du Maine in Bibliotheca ſua Gallicâ *Hiſtoriam Andegavenſem*, *Genealogias Ducum Andium*, *aliaſque Memorias illuſtrium aliquot Familiarum Franciæ* &c. non excuſas hactenus, ſed quæ paſſim à curioſis poſſideri & legi ait Author iſte. Certè hæc MSS. habuit Andreas Du Cheſne Galliæ Hiſtoriographus, eaque nunc aſſervantur in Bibliotheca Regia Pariſiis, teſte P. le Long.

Legitur & *Franciſci Balduini* nomine, Argentinæ editus libellus, titulo *Chriſtianorum Juriſconſultorum contra Duarenum*, ſed ſuppoſititio, uti in Apologiis ipſe affirmat.

Sed & quæ eidem in Bibliotheca Conrardi Geſneri adſcribuntur *Annotationes in Officia Ciceronis*, non hujus, ſed *Petri Balduini* ſunt.

Vide plura de Balduino in Collectaneis P. Niceronii de Scriptoribus illuſtribus Tomo XXVIII. pag. 255.

FRANCISCUS DE BAR,

Ex Seizencourt juxta Veromanduum vulgo S. Quentini fanum in Picardiâ ortus, Religioſus Monaſterii S. Salvatoris Aquicinctini propè Duacum, ejuſdemque Magnus Prior per 32. annos, Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum & profanarum peritiſſimus, Vir magnæ virtutis neque minoris eruditionis, quam editis pluribus monumentis poſteritati teſtatus eſt. Vivere deſiit Aquicincti die 25. Martii 1606. ætatis anno 68.

Tredecim Tomos in folio MSS. reliquit Bibliothecæ Aquicinctinæ, inter quos ampliſſima Cœnobii ſui perſpicitur Hiſtoria, ſicut & alia infra citata Opera.

Tomus I. *De Epiſcopatu Tornacenſi. De Monaſterio S Amandi De Epiſcopatu vel Diœceſi Audomarenſi. De Monaſterio S. Bertini*

Tomus II. *De Ordinibus SS Baſilii & Benedicti Annales Congregationis S. Juſtinæ De Ordinibus Vallis Umbroſæ, Carthuſianorum, Ciſterſienſi, Humiliatorum, Montis Virginis, plurium militum, S Auguſtini, Eremitarum S. Hieronimi, Præmonſtratenſi, Guillelmitarum, Carmelitarum, Prædicatorum. S. Pauli Eremitæ, De Vita & Ordinibus S. Franciſci; De externis Ordinibus Ethnicorum in Indiâ.*

Tom. III. & IV. *Compendium Annalium Eccleſiaſticorum.*

Tom. V. *De Monaſteriis Franciæ, Italiæ, & Hiſpaniæ.*

Tom. VI. *De Veneficiis. Annotationes in Tractatum de Veneficiis, Compendium Hiſtoriæ Eccleſ Euſebii Epiſc Epitome F. Joannis Faziardi, Celeſtini, ab origine Mundi, uſque ad Regnum Franciſci I Francorum Regis. Catalogus Hereticorum. De Tartarorum moribus, & Paradiſo terreſtri*

De Antiquitatibus Urbium totius Galliæ, ex Egidio Carrezet Pariſienſi & Claudio Champus Lugdunenſi. Compendium Hiſtoriæ Angliæ

Tom. VII. VIII. *Tractant de ſex ætatibus mundi, ab hujus Creatione uſque ad annum Chriſti 1573. Joanne Doboeuf Collectore, quondam Rev Dom. Epiſcopi Atrebatenſis Franciſci Richardoti Audientiario ac Promotore, cujus ſcripta variis chartis diſperſa in hunc Ordinem redigi curavit præfatus Franciſcus de Bar 1586.*

Tom. IX. *De Ciſtercienſis Ordinis Scriptoribus. De Carmelitarum, Prædicatorum, Franciſcanorum, Celeſtinorum, Canonicorum Regularium, Congregationis Montis Caſſini, Eremitarum S Auguſt. Congregationis S. Brigidæ, Fontis Avellanenſis, Bonorum Hominum, SS. Trinitatis Ordinibus, & Scriptoribus.*

De Sacerdotibus Regularibus S. Pauli juxta Mediolanum, ejuſdemque urbis Antiquitate.

De Societate Jeſu. De Monaſteriis Æthiopiæ, de Religione Militari Hieroſolimitana, de Templariis, de Equitum Teutonicorum Ordine, de Religioſis Militaribus Hiſpaniæ, de Religionibus Indiæ & Japoniæ. Converſio Bonzorum

Tom. X. *De Epiſcopis Cameracenſibus. De Monaſteriis & Abbatibus Lobienſibus, S Giſleni, Criſpinienſibus & Altimontenſibus.*

De Collegio Canonicorum Nivellenſium.

De Monaſteriis Maricolenſi, Sancti Sepulchri Cameraci, Fidemienſi, S Salvii juxta Valencenas, Valcellenſi, Camberonenſi, de Fontinellis, Ciſonienſi, S Joannis Baptiſtæ Valencenenſis, Cantipratenſi, de Premiaco, Cameraci, Vallis Scholarium Montibus, de Beaumont Valencenis.

Alii tres Tomi in folio continent ampliſſimam Monaſterii Sancti Salvatoris Aquicinctenſis Hiſtoriam, nec non plures Annotationes circa tempora quibus vivebant ſupremi totius Europæ Principes.

Extat inſuper in Archivis Aquicin-

ctinis Epiſtola Cardinalis Baronii, prædictum de Bar de Annalibus Eccleſ. conſulentis. Ita retulit anno 1734. Antonius Lancry, dicti Monaſterii Aquicintini Religioſus ac Bibliothecarius.

FRANCISCUS DE-LE-BOE, SYLVIUS,

Hannovienſis Germanus, aſt longo apud Batavos incolatu Belgis accenſendus. Natus anno 1614. patre *Iſaaco de le Boë*, è nobili quondam apud Cameracenſes familiâ oriundo, matre *Anna de la Vignette*. In Academia Baſileenſi Doctoris Medici titulum adeptus anno 1637. die 16. Martii, artis hujus penitiùs diſcendæ cauſâ per Galliam Germaniamque peregrinatus eſt. Hinc anno ætatis circiter 28. ad celeberrimum Amſtelodamenſe emporium ſedem tranſtulit, eâque felicitate curandis morbis ſeſe applicuit, ut mox præcipuus Amſtelodamenſium Practicus haberetur.

Inde à Curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ evocatus, anno 1658. in locum *Alberti Kyperi*, Medicinæ Practicæ Profeſſor primarius conſtituitur: neque minorem docendo, quam ante practicando, famam ſibi conciliavit: à peritioribus omnium ferme regionum Medicis per litteras in caſibus difficilioribus conſultus: & ab ægris cujuſcumque conditionis, ad obtinendam medelam conquiſitus.

Agitari tum temporis inter Medicos ceperat nobilis illa de circuitu ſanguinis controverſia; quæ ſive primùm mota, ſive publicè propoſita à Nobili Viro *Harvæio* Anglo (ut fere omnia in principio paradoxa ſolent, licet veriſſima) omnes ſibi ferme contrarios habebat Medicos in tota Europa celeberrimos. Sed his non obſtantibus, ſententiam iſtam de circulatione ſanguinis, tum frequentioribus cadaverum diſſectionibus, tum ſolidioribus ab ipſa experientia deſumptis argumentis probatam, primus in Academiam Lugduno-Batavam invexit *Sylvius*. Tantam vero res illa Doctori huic famam conciliavit, ut niſi quis in ejus Anatome diſcipulus fuiſſet, ille pene illius ignarus judicaretur.

Matrimonio bis junctus fuit: primò quidem cum *Anna de Ligne*, Amſtelodamenſi, quam anno 1657. amiſit: ſecundis vero nuptiis cum *Magdalena Lucret à Schletzer*, quam anno 1669 poſt biennalem thorum peſtis, quæ per Hollandiam graſſabatur, abſumpſit, uti & multos è primariis Leidenſis Academiæ Profeſſoribus. De hac itaque epidemicâ lue, ejuſque cauſis, *Sylvius* anno 1670. Rectoratu Academico defungens, eruditam habuit Orationem. Neque diu poſt ſupervixit: nam laboribus ac languoribus debilitatus, mortem obiit in urbe ſua Academica die 14. Novembris 1672, ætatis anno 58. laudatus pro funere à Collega ſuo & amico *Luca Schacht*, Medic. Doctore ac Profeſſore.

Porro Opera Silvii primùm ſeorſim variis locis temporibusque edita, ſimul prodierunt in 4. Amſtelod. apud Danielem Elzevirium anno 1680, quorum hic eſt elenchus.

Diſputationum Medicarum Decas.

De Methodo medendi libri II.

Praxeos Medicæ Idæa nova, libri III. cum Appendice, per Tractatus X.

Opuſcula varia, in quibus, Dictata ad C. Bartholini Inſtitutiones Anatomicas. Per libros III.

Oratio ejus inauguralis de Hominis cognitione, habita Lugduni XV. Kal. Octobris 1658. dum Medicinæ Practicæ Profeſſionem ordiretur.

De Medicamentis Chymicis Theſes.

Epiſtola Apologetica adver us Antonium Deuſingium Medic. Doctorem Acade-

miæ Groninganæ : qui continuas habuit cum Doctore Sylvio altercationes medicas, ac ſimul graviter rixoſas.

Oratio de affectûs epidemii, anno 1669. Leidenſem civitatem depopulantis, atque primariis habitatoribus orbantis, cauſis naturalibus, dicta 8. Febr. 1670. cum Academiæ Rectoratum deponeret.

Denique *Oratio funebris in obitum Franciſci de le Boë Sylvii*, habita 19. Decembr. 1672. *à Luca Schacht M D.*

Occurrunt etiam in quadam editione Pariſienſi Operum Sylvii, Tractatus duo, unus *Inſtitutionum Medicarum*, alter *de Chimia :* at ipſe eos repudiavit, & pro ſuis minimè agnovit.

Paraverat ſibi in Templo D. Petri Leydæ hoc Epitaphium.

FRANCICUS DE LE BOE, SYLVIUS,
Medicinæ Practicæ Doctor,
Tam humanæ fragilitatis,
quam obrepentis pleriſque mortis
Memor,
De comparando tranquillo
Inſtanti cadaveri ſepulcro,
Ac de conſtituenda commoda
Ruenti corpori domo,
Æquè cogitabat ſerio,
Lugduni Batavorum
Anno M. D. C. LXV.

FRANCISCUS BONÆ SPEI,

Aliàs dictus CRESPIN, Inſulenſis, Ord. FF. B. M. V. de Monte Carmelo, inter primos facile præcipuus ſtrictiorem Carmelitani Ordinis obſervantiam in Belgium introduxit ſpe bonâ, charitate & authoritate fulcivit. Adverſâ, ac per totam fermè vitam continuâ, uſus valetudine, aſthmatis anguſtias, quæ potiſſimam quietis nocturnę partem pœne quotidie præpedientes, ipſum ad extremum exhauriebant, perpetuo ſtudio ſuperavit.

Tot annis Philoſophiam ac Theologiam Lovanii & alibi Regens docuit, ut fuerit Profeſſor facilè bis emeritus. Applicatus dein Provinciæ regimini, bis Provincialem, ac ſæpius Definitorem ac Priorem egit. Pro negotiis Ordinis ter Romam, ac ſemel Madritum ivit.

Obiit *Bonæ Spei* plenus, in Conventu Bruxellenſi anno 1677. die 5. Januarii, ætatis anno 60. Profeſſionis 42. Sacerdotii 36.

Eruditum ac indefeſſum Viri hujus in librorum ſcriptione calamum, produnt toti mundo prędara in Philoſophia, Theologia, Juriſprudentiâ, Hiſtoriâ Ordinis ſui, aliiſque his affinibus edita Monimenta ſequentia, tam ſubtiliter elaborata, ut de eorum ſolidâ intelligentiâ meritò deſperet, qui non verè fuerit *Bonæ Spei*.

Hiſtorico-Theologicum Carmeli armamentarium, proferens omnis generis ſcuta, quibus tela ſeu argumenta in Ordinis Carmelitani Antiquitatem, Originem &c. vibrata fortiter & ſuaviter enervantur. 4. Antverpiæ apud Marcell. Pariſ. 1669.

Apologêma retortum, ſeu retorta Diſputatio Apologetica de Ignorantia invincibili & Opinionum Probabilitate, pro Proſperi Fagnani Doctrina Cap Ne innitaris, contra Doctrinam de Probabilitate Illuſtriſſ. D. Joannis Caramuelis. 4. Antverpiæ 1665.

Theologia univerſa. fol. Antverpię 1662.

Philoſophia univerſa.

Noctua Belgica, ad Aquilam Germanicam Ex P. Caramuelis.

Chriſti Fidelium Parochiale Apologeticum, contra Parochophylum. 4. Bruxellis 1667.

Chriſti Fidelium Contritionale, cum SS. Synodi Tridentinę, & antiquę Facultatis Theologicæ Lovanienſis vindiciis & venditiis. 4. Mechlin. 1667.

Viſio Eliæ de Immaculata Conceptione.

Motivum Juris pro excuſatione legitima

Provincialium Ordinum Mendicantium, à contributionibus, impoſitionibus, gabellis &c. data iis quorum intereſt. in 4.

Liber Apologeticus pro Joanne XLIV. Epiſcopo & Patriarcha Jeroſolymytano directè, & Lucifero Sardorum Epiſcopo indirectè, adverſus criminationes (ut ait) Ex. P. Chriſtiani Lupi. 4. Antv. 1666.

Chriſtianum Monitum ad P. Chriſt. Lupum, ſuper Appendice apologetica pro Joanne XLIV. Patriarcha. Ibidem.

Cauſa Chriſtorum Dei, ſive SS. Epiphanii & Hieronymi, Cardinalium Baronii & Bellarmini, & SS. Facultatum Pariſienſis & Colonienſis, pro Joanne Patriarcha Jeroſolymitano, adverſus criminationes Ex P. Lupi. 4. Ibidem.

FRANCISCUS BOUCHAULT,

Atrebas, Religioſus Vedaſtinus, Ordinis S. Benedicti, in opido Atrebatenſi, cum eſſet Magnus Prior celeberrimæ illius Abbatiæ, nec non Præpoſitus Haſprenſis prope Valencenas, poſtulatus fuit in Abbatem S. Sepulcri ejuſdem Ordinis in civitate Cameracenſi; aſt propter infirmitates recuſavit. Obiit Kalendis Januarii 1627. Reliquit

Chronologiæ ſacræ & profanæ à Chriſto nato Tomos VI. MSS. ibidem.

FRANCISCUS BURCHARDT,

Colonienſis, J. U. D. gratus Imperatoribus, Principibus: auctor illius elegantiſſimi libri, cui titulus *Autonomia*, teſte Swertio in Athenis Belgicis. Vitâ deceſſit Bonnæ, & ſepultus in collegiata ſanctorum Caſſy & Florentii, hoc Epitaphio:

Clariſſimo nominatiſſimoque viro
FRANCISCO BURCHARDT,
J. U. Doctori,
III. Imperatorum Romanorum
Et
VII. Colonienſium Archiepiſcoporum
Principumque Electorum
Ordine ſuccedentium
Conſiliario,
Reſpectivè & Cancellario,
Qui ſicut vixerat
Piè obiit,
Anno M. D. LXXXIV. VI. Auguſti.
Pietatis & obſervantiæ ergo
Poſitum.

Corpus humum petiit, repetivit ſpiritus aſtra
Franciſci Burchardt, nulli virtute ſecundi.
Is qualis fuerit, tituli, quos facta parerunt,
Commemorant breviter, cogitandaque plura relinquunt.
Vir pius & juſtus: qui publica, non ſua, zelo
Ac ſtudio magno tractavit, & occidit illis.
Qui non percepit vivens hîc præmia digna,
Vivat in æternum, quæ ſors eſt maxima rerum.

FRANCISCUS A BURGUNDIA FALESIUS,

Balduini à Burgundia Dom. de Falaix Filius, politiſſimi vir ingenii, & multæ apud multos gratiæ, multiſque obitis Legationibus clarus, vixit circa ann. 1550. ſcripſitque

Itinerarium Philippi II. Principis Hiſpaniarum in Belgium.

Item *Poëmata* varia, *Jambos ſenarios*, *Aurea Carmina Pythagoræ &c.* olim MSS. in pergameno apud Lucam Torrium, J. C. Inſulis.

FRANCISCUS BUISSERET,

Hanno-Montenſis, poſt abſolutum domi humaniorum curſum ſtudiorum, Lovanium ablegatus, ibidem in Lilienſi Pædagogio inter Artium Magiſtros

giſtros anno 1569. ætatis xx. ſecundum locum aſſecutus fuit, & ad Philoſophiæ Profeſſionem adſumptus. Poſt quinquennale ſtudium J. U. Licentiâ donatus ann. 1574. obtentoque in Eccleſia metropolitana Cameracenſi Canonico beneficio, Romam adiit, ac Bononiæ in numerum Doctorum J. U. adſcriptus fuit. Cameracum reverſus, ex Officiali, Archidiacono, Decano anno 1586. Sediſque Vicario Generali, Epiſcopus fuit Namurcenſis annis xv. Tandem Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, in ipſis pontificatûs ſui auſpiciis anno 1615. vi. Nonas Maii Valencenis morbo corripitur ac quaſi ſubito moritur. Edidit

Hiſtoriam Religioſæ cujuſdam Montibus Hannoniæ à Satana obſeſſæ.

Statuta & Decreta Synodalia Diœceſis Namurcenſis. Lovanii, 1605.

Tranſlatum cadaver dignifſimi Præſulis Cameracum, ibidem in Ædem Metropolitana terræ mandatum fuit, appoſitâ ad tumbam ſepulchralem hac Inſcriptione.

Epitaphium
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini
FRANCISCI BUISSERET,
Qui Metropolitanæ hujus Eccleſiæ
Muniis functus præcipuis,
Ab anno M. D. LXXIV. Canonicus,
Officialis, Archidiaconus Major,
Decanus, & Sedis Vicarius Generalis,
Inde annis quindecim
Epiſcopus Namurcenſis;
Tandem
Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis
Aſſumptus,
Primo Pontificatûs ſui anno obiit,
Ætatis LXVI. ſalutis humanæ
M. D. C. XV. Mai 11.
Tu animæ lector
Bene apprecare.

Vitam hujus Præſulis, virtutes, ac res geſtas expreſſit ille qui cordis ſecreta noverat, ejuſdem Domeſticus ac Secretarius *Nicol. de Guiſe* J. U. Licentiatus, ac Metropolitanæ Cameracenſis Canonicus, libello Cameraci edito anno 1616.

FRANCISCUS BYRSÆUS,

Limburgenſis, ſcripſit

Dialecticarum Præceptionum libros II. cum tabulis in eaſdem. Coloniæ, ann. 1565. apud Quentelii hæredes, & Calenium.

Obiit Scholæ Noviomagenſis in Geldria Gymnaſiarcha.

FRANCISCUS COSTERUS,

Machlinienſis, Societ. Jeſu Doctor Theologus Colonienſis; qua in Academia & Philoſophiam & Theologiam annis pluribus magna cum laude docuit. Poſt Provinciæ Rhenanæ ac deinde Belgicæ ſeu Germaniæ Inferioris iteratò Prætectus, prudenter ac ſingulari vitæ exemplo eandem adminiſtravit: & graſſantibus per Bataviam hæreticis Calvinianis, ſe illis ſtrenuè oppoſuit, cùm ſcriptis in lucem editis, tum concionibus ad populum ſæpè uno die ternis, habitis; ut *Hæreticorum* dici *Malleus* meritò queat.

Præcipuus verò cultor fuit Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, cui ſe infantem à parentibus conſecratum ferebat, eique Sodalitates in Rhenana Belgicaque Provinciis primus erexit.

Scripſit partim Latinè, partim Flandricè,

Enchiridion Controverſiarum præcipuarum *in Religione*, latinè ac flandricè. Coloniæ 1600. 8. apud Mylium, & aliàs alibi.

Apologeticum pro Enchiridio, adverſus Franciſcum Gomarum, Calvinianum. Ibid. 1604. 8.

Epiſtolam ad Franciſcum Gomarum *Anti-Coſterum.* Ibid. 1600. 8.

Epiſtolam ad Gaſp. Grevinchovium, Calviniani verbi apud Roterodamenſes Prædicantem. Ibid. 1600.

Demonſtrationem veteris Orthodoxæ Fidei: quam *Theodorus Petreius*, Cartuſianus latinam fecit. Ibid. 1607. 8.

Apologias duas pro dicta Demonſtratione, adverſus Grevinchovium.

Apologias item *duas contra Jacobum Molanum.*

Reſponſionem ad Sententiam Senatûs Leydenſis contra Petrum Pan. Quam latinam fecit *Ægidius Schoondonchus*, ejuſdem Societ. hoc titulo: *Sica Tragica Comiti Mauritio à Jeſuitis (ut volunt Calviniſtæ) Leydæ intentata.* Antver. typis Trognæſii. 8.

Reſponſionem ad Aſſertionem analyticam Andreæ Calliæ Calviniſtæ contra SS. Euchariſtiam Coloniæ, 1586. 12.

Reſponſionem ad Lucæ Oſiandri ſtolidam Refutationem VIII. Propoſitionum Catholicarum. Ibid. 1608. 8.

Refutationes duas Reſponſionis Petri Coci ad V. ipſius Propoſitiones.

Refutationes VIII. Oppoſitionum ignoti Calviniſtæ, belgicè.

Catechiſmum breviorem, & prolixiorem alterum, item belgicè.

Inſtitutionum Chriſtianarum libros VI. in gratiam Sodalitatis Dei-paræ Virginis. Antver. typis Plantin. Coloniæ & alibi.

Meditationes quinquaginta in Paſſionem Dominicam Ibid. & alibi.

Meditationes totidem in Vitam Dei-paræ Virginis. Ibid. & Coloniæ.

Meditationes VII. in Hymnum Salve Regina; & Canticum Ave maris ſtella. Antver. & alibi.

Meditationes de IV. humanæ Vitæ Noviſſimis. Bambergæ, 1624.

Conciones uberes ac doctiſſimas *in Dominicas anni ac Feſta.* Belgicè, Antver. apud Trogneſium; latinè, Coloniæ apud Hieratum, 1608. 4. interprete *Theod. Petreio.*

Annotationes in novum Teſtamentum, ac in ea præcipuè loca, quæ rapi in controverſiam ab hæreticis ſolent. Belgicè. Antver. apud Trognæſ. 1614. in fol.

Plenus dierum non morbo, ſed ætati ſuccubuit, cùm annos ſeptem ſupra ſexaginta in Societate vixiſſet, ad annum ætatis LXXXVIII. conſtante ſemper, ac ne breviſſimo vel unius quidem dici morbo tentatâ valetudine, deceſſitque Bruxellis, anno 1619 pridie Nonas Decembris. Vide Imaginem primi Sæculi S. J. lib. VI. cap. V.

FRANCISCUS A CRANEVELD,

Noviomagus Gelder, Vir Nobilis & Equeſtris dignitatis, puer Lovanii in Gymnaſio Lilienſi *Joannem Deſpauterium* audivit, promotus ibidem primus in Scholis Artium anno 1505. Pòſt Juris Utriuſque Doctor Lovanii anno 1510. renuntiatus, Reipublicæ primùm Brugenſis Orator (Penſionarium vulgò nuncupant) indeque magni Concilii Belgici apud Machlinienſes Senator anno 1522. electus eſt.

Sexagenario major græcas litteras nec erubuit Conſiliarius, nec deſperavit ſenex, ſerò licet, ſeriò ac citra ullum præceptoris adminiculum diſcere, M. Catonis Cenſorii exemplo: adeò ut latina de græcis faceret, & litteras etiam græcè ſcriptas ad amicos mitteret, verſuſque græcos iiſdem inſcriberet.

Procopii libros VI. de Ædificiis Juſtiniani Imperatoris latinè reddidit. Pariſiis cum *Theodorici Adamæi* Annotationibus, typis Wecheli, 1577. 4.

Item *Baſilii Magni* Homilias tres. I. *De utilitate capienda ex gentilium auctorum libris.* II. *De Invidia.* III. in illud, *Attende tibi ipſi.* Lovanii apud Reſcium, 1534. 8. Alteram item, *adverſus Ebrioſos.* Ibid. 1535. 8.

Præfatus etiam eſt in libros *De veri-*

tate Fidei Chriſtianæ Joannis Ludovici Vives : quo familiariter, ut & *Deſ. Eraſmo*, *Thoma Moro*, *Petro Nannio*, *Adriano Barlando*, uſus fuit.

Obiit Machliniæ, anno 1564. ipſo die S. Franciſci, quem quoad vixit, religioſè coluit. Filium reliquit *Jodocum*, Geldriæ Conſiliarium, *Alardum* Lovanii inter Patricios receptum &c.

FRANCISCUS DE LA CROIX,

Valencenenſis, Societ. Jeſu Theologus, vir pius, variis in locis Rector, Provinciæ Gallo-Belgicę bis Provincialis &c. Obiit Tornaci apoplexiâ tactus, 11. Auguſti 1644. Edidit

Hortulum Marianum Duaci, typis Balth. Belleri, 1621. 16.

FRANCISCUS VAN DER DILFT,

Antverpianus, J. C. Eques auratus, & Senator in patria, vir totâ Europâ Legationibus clarus, & (Apulcii elogio) inter doctos nobiliſſimus, inter nobiles doctiſſimus. Unde & à genere, formâ, eruditione, moribus juvenem adhuc, Mercurino Gattinario Cæſaris Conſiliario, commendat Eraſmus; ut per illum *Dilfio* in aulam Cæſaream pateat aditus, generoſis moribus informando. Scripſit

Orationem gratulatoriam ad Carolum V. profligato è Pannoniis Solimanno Turcarum tyranno, Barcinone habitam. Lovanii, 1533. 4. apud Servatium Saſſenum.

FRANCISCUS A DONGELBERGHE,

Bruxellenſis, Toparcha de Herlaer, Zillebeke &c. J. U. L. filius Henrici, quondam Conſulis Bruxellenſis, & Adrianæ Borluut, Dominæ de Zillebeecke. Fuit in ſuprema Brabantiæ Curia Conſiliarius, melioris litteraturæ eruditione eminens, proſâ verſuque elegans.

Prælium Woeringanum Joannis I. *Brabantiæ Ducis anno* 1280 *Nonis Junii*, (quo Limburgum Ducatui Brabantiæ perpetuò unitum fuit) carmine heroïco expreſſit; additis *Annotationibus* ac *Genealogiis aliquot Illuſtrium & Nobilium Familiarum*. Bruxellæ, typis God. Schovartii, 1641. fol.

Obiit circa annum 1655, relictâ ex Joannâ Oudart Dominâ de Steenberghe inclytâ poſteritate, atque imprimis filio Carolo, in ſupremâ etiam Brabantiæ Curia Conſiliario.

FRANCISCUS DOUSA,

Lugduno-Batavus, celeberrimi *Jani Douſæ* illius Academiæ Curatoris filius, edidit

Lucilii Satyrarum Reliquias, cum *Notis*. Leydæ 1597. in 4.

Julii Cæſaris Scaligeri Epiſtolas & Orationes. Leydæ 1600. in 8.

Addit Valer. Andreas *Commentarium Scaligeri in Ariſtotelem de Hiſtoria Animalium*; ſed minùs rectè, cum hic primùm Toloſæ prodierit anno 1619. curis *Philippi Jacobi Mauſſac.*

FRANCISCUS DORESMIEUX,

Atrebas, ex Præpoſito Canonicorum Regularium Montis S. Eligii juxta Atrebatum, Abbas ab anno 1625. uſque ad 1639, quo deceſſit die 26. Octobris.

Novam S. Vindiciani Camerac. & Atrebat. Epiſcopi Vitam adornavit, quam habes in Actis SS. Bollandinis ad diem XI. Martii.

Item *Chronicon Abbatum & Virorum illuſtrium ſui Monaſterii.* MS.

FRANCISCUS DUSSELDORPIUS,

Lugduno-Batavus, Patricius, Juriſconſultus, Theologus, Sacerdos, poſt inſignes in Apoſtolatu patriæ ſuæ,

nec-non Cliviæ, præſtitos labores, dum natalium & fortunæ bona gloriamque fugit, atque in ſenio quietem contemplationis ſectatur, vir celeberrimus Coloniæ ignotus moritur anno 1630. pridie Kalendas Aprilis. A morte auctoris editus eſt

Tractatus de Matrimonio non ineundo cum his, qui extra Eccleſiam ſunt, Antver. apud Cnobbartium 1636. 8. Agit author præſertim contra matrimonia quæ in Fœderatis Belgii Provinciis coram Miniſtro vel Magiſtratu Acatholico contrahuntur.

Reliquit & *Annalium* ſive *Hiſtoriarum* volumina duo; aliaque.

FRANCISCUS FABRICIUS,

Marco-Duranus, (quod agri Juliacenſis opidum eſt) vir græcè & latinè doctiſſimus, *Adr. Turnebi* & *Petri Rami* apud Gallos auditor, Scholæ Duſſeldorpienſi in Ducatu Montium, Principis auctoritate, Gymnaſiarcha præfuit; ediditque ibidem

Diſciplinam ejuſdem Scholæ Duſſeldorpienſis, 1566. 8.

M. Tullii Ciceronis Hiſtoriam per Coſſ. & annos LIV. digeſtam, Coloniæ, typis Cholini, 1563. 8. & aliàs.

Commentarium in Orationem pro Q. Ligario. Ibid. 8.

Notas in Verrinam I. & II. Ibid. 1572. in 8.

In Orationes pro M. Fonteio, pro T. Annio Milone, & de provinciis Conſularibus. Ibid.

Annotationes in Quæſtiones Tuſculanas Ciceronis. Ibid. 1569. 8.

Annotationes in P. Terentii Comœdias, quibus *M. Ant. Mureti* laborem auxit, lectioneſque confirmavit. Antver. typis Plantinianis, 1565. 12.

Scholia in Pauli Oroſii Hiſtoriam, ſive *Mundi Orcheſtram* (ita enim inſcribendus liber ille, eo quòd varii rerum caſus, imperiorum mutationes, ac bella in eo repræſententur, exploſo vulgato illo *Ormeſta*, ut monuit in Hercule Prodicio Steph. Vinandus Pighius) Coloniæ, 1574. 8. & Moguntiæ, 1615. recenſente *Andrea Schotto* è S. J.

Et Græco vertit *Lyſiæ Orationes II. pro Eratoſthenis cæde*; & alteram funebrem. Itemque *Plutarchi de Liberis educandis* libellum. Antver. 1563. 8. typis Guil. Sylvii, cum *Notis.*

Obiit anno ſalutis partæ 1573. VII. Kalendas Martii.

Septenas VoLVens beLLI CIta LUna CaLenDas
Fato FabrICII trIſtIa sIgna Dabat.

Joannes Arcomius, Hagienſis, præceptori ſuo hoc luſit Epigramma:

FABRICIUS *fabricatur opes juvenilibus annis,*
Cujus erat genitor non minùs arte faber.
Sed quantò vili mens præſtat corpore, tantò
Ingenii partem dexteritate præit.
Cecropiæ numquam genitor juga ſacra ſubivit,
Cum Siculo excudit filius arma Deo.
Palladis inque arces ad ſumma cacumina ſcandit,
Unde hominum errores corrigit atque videt.
Ergo FABRICIUS *gemino ſit munere cinctus:*
Et belli & pacis tempore tutus erit.
Cecropiæ auxilium te adverſum Zoïle præſto eſt,
Te adverſum Martem Mulciber arma gerit.

Epitaphium quoque amico græcè conſcripſit *Gerardus Falkenburgius*, Noviomagus.

FRANCISCUS FABRICIUS,

Ruræmundanus Gelder, Medicus Aquiſgranenſis, græcarum litterarum peritus, deſcripſit

Thermas Aquiſgranenſes, ſive *de Balneorum naturalium, quæ ſunt Aquiſgrani*

& Porceti, natura & facultatibus. Coloniæ, apud Genepæum, 1564. 8. & ibid. 1617. 8. apud Kinckium.

Reddidit quoque Latino verſu *Tragœdiam Gregorii Nazianzeni* (ſeu cujus ea eſt) quæ *Chriſtus Patiens* inſcribitur. Coloniæ, 8. & Antverpiæ apud Steelſium, 1550. 8.

FRANCISCUS GAUTRAN,

Gravelinganus Flander, in Societate Jeſu variis atque primariis muniis perfunctus, tandem ſenio fatiscens Tornaci obiit, die 11. Julii 1669. Edidit

Summam vitæ ſpiritualis. gallice, Tornaci 1669.

Diſſertationem Hiſtoricam, ſitne Tornacum Urbs Nerviorum eorumve Metropolis. 12. Torn. 1658. latinè & gallicè.

Vitam S. Drogonis. Torn. 1651.

FRANCISCUS GOETHALS,

Aliàs *Panagathus* & *Eucollus*, cognomenta hæc ex Græca nomenclatura mutuatus, Brugenſis (alii dicunt Gandavenſem) Juriſconſultus atque Poëta, apud Brugenſes per annos aliquot Cauſſarum patronum egit, ediditque ſequentia.

Carmen de Diva Virgine. Antver. apud Plant. in 8.

Soter glorioſus, ſive Chriſtus triumphans, Comædia. Ant. 1563.

Heſter, Amphitragœdia. Gandavi.

Proverbia gallico-flandrica. Antverpiæ typis Plantini.

De felici & infelici Republica, Tract. politicum, ad Senatum Brugenſem, 1567. 8. excuſum Lovanii, typis Joan. Bogardi.

De Dominii diſtinctione; occaſione Orationis, quam de communione omnium rerum inter amicos Brugis publicè habuerat. Ibid.

Lovanii Juris Utriuſque Doctor anno 1570. Nonis Junii renuntiatus, Profeſſor Regius Paratitla docuit; vocatuſque anno 1583. Duacum, totos triginta & tres annos docendi provinciam in ea Academia ſuſtinuit, Legum Comes, & Canonum Anteceſſor primicerius.

Moritur anno 1616. conditus in Æde D. Amato ſacra, in qua Canonicum beneficium obtinebat, factus Sacerdos vivâ etiam-num & conſentiente uxore, ac Pontifice diſpenſante.

Filium reliquit N. Goethalſium, in Æde Cathedr. Gandavenſi Canonicum, virum doctum ac pium.

FRANCISCUS GOMARUS,

Brugis Flandrorum natus anno 1563. Patre *Franciſco*, Calvinianis erroribus imbuto, Matre *Joannâ Moerman*. Philoſophiæ in Anglia, Theologiæ in Academia Heidelbergenſi in Germania incubuit, ubi & græcas hebraicaſque Litteras didicit. Fuit aliquamdiu Calvinianæ Sectæ Miniſter Francofurti ad Mœnum. Tum ad Academiam Lugduno-Batavam anno 1594. evocatus, Theologiam ibidem ſecundum Calvini ac Bezæ principia docuit, tantumque inter ſuos nomen ſibi comparavit, ut ejus Diſcipuli uſque hodie *Gomariſtæ*, ſeu *Rigidiores Calviniſtæ*, aut *Contra-Remonſtrantes* appellentur.

Antagoniſtam habuit *Jacobum Arminium*, in eadem Univerſitate Doctorem Theologum, ejuſque cum illo diſſidia in Materia de Gratia, Juſtificatione & Prædeſtinatione, cauſam dederunt celebri Conciliabulo Dordraceno, in quo Gomari ſententia triumphavit. Fuit dein *Gomarus* Theologiæ Profeſſor primarius in Academia Groningana, ubi & diem extremum obiit die 21. Januarii 1641. ætatis annum agens 78.

Operæ ejus Theologica omnia, maximam partem poſthuma, edita fuerunt

Amſtelodami 1644. fol. in tribus partibus; quarum I. continet *Orationem de Fœdere Dei*, explicationemque ſelectorum locorum ex Matthæo, Luca & Joanne. II. *Analyticam explicationem in pleraſque Epiſtolas Apoſtolicas, & quinque priora Capita Apocalypſios. III. Diſputationes alioſque Tractatus Theologicos*, quorum aliqui ſunt contra *P. Franc. Coſterum* S. J. Theol.

FRANCISCUS GOUBAU,

Antverpienſis, olim per annos plures Romæ verſatus in aula Marchionis Caſtelli-Roderici, Catholici Regis Philippi IV. ad ſanctam Sedem Legati, huic Legationi ab Epiſtolis exiſtens, latentes piiſſimi Pontificis *Pii V Epiſtolas* Romæ reperit, ſuiſque Notis ac indicibus illuſtratas, dum in Belgium reverſus eſſet, anno 1640. typis Plantinianis evulgari curavit in 4.

FRANCISCUS GOUDANUS,

Auguſtiniani Ordinis Monachus, ex iis, quos Canonicos vocant Regulares, in Cœnobio Steinenſi prope Delfenſe opidum, & in Doncano S. Martini Prior, vixit circa annum 1520. Reliquit

Poëmatum librum unum, ad Reinerum Snoium, conſobrinum ſuum, ſtudiorum cauſâ tunc Lovanii agentem.

Epiſtolarum familiarium volumen, eidem Snoyo inſcriptum. Extiterunt hæc MSS. Lugduni Batt. in Bibliotheca Marci Zuerii Boxhornii.

FRANCISCUS HÆMUS,

Inſulanus Flander, Presbyter, Gymnaſiarcha Cortracenſis, Poëta diſertus, dedit

Sacrorum Hymnorum libros duos: cum *Silva variorum Carminum*. Inſulis, 1556. in 8.

Poëmata varia; *Funebrium* libros II. *Miſcellaneorum* III. Antv. typis Plantini, 1579. 16.

Item *Scholia in Virgilium*, *Horatium*, *Ovidium &c* teſte Swertio.

Fortuitum Urbis Inſulenſis Incendium, trecentarum pœnè ædium, anno 1545. III. Nonas Septembreis.

Exorto civili per Flandriam bello, ut Geuſiorum-Calviniſtarum furores effugeret, Atrebatum ſeceſſit, exceptus ibidem ab amico ſuo *Antonio Meyero*; reverſuſque Cortracum, Religioni & Regi ſuo reſtitutum, anno 1585. XVII. Januarii, vivere deſiit.

Ubertus Clericus hoc illi Epitaphium ſcripſit.

Dum teneras juvenum mentes virtutibus
HÆMUS
Palladiæ formet gloria magna Domûs,
In tantum peracuta decus ſua ſpicula torquet
Ah! truculenta nimis de tribus una ſoror.
Anne ideo quia ſublatum ſit funere corpus,
Candida non vivet fama per ora Virûm?
Pars corpus minor interiit, cum laude triumphans
Cœlica pars major ſpiritus aſtra colit.

FRANCISCUS DE HAMAL,

Namuranus, illuſtri familiâ natus, Societati Jeſu anno 1628. adſcriptus, Theologiæ ac Controverſiarum Fidei Profeſſor. Obiit Montibus Hannoniæ 12. Maii 1655. Edidit

Annuas Litteras Paraquariæ ann. 1635. & ſequentium. Inſulis 1642.

FRANCISCUS HARÆUS,

Vernaculè VERHAER, Ultrajectinus, S. Theol. Licentiatus Duacenſis, qua in urbe annos aliquot Rhetoricam profeſſus eſt. Peragratâ deinde Germaniâ Italiaque, ipſam etiam Moſcoviam, unâ cum *Ant. Poſſevino* Societatis Jeſu, à Pontif. Max. miſſo eò Legato, penetravit.

In patriam redux, primùm Cano-

nicus Graduatus in Eccleſia Cathedrali S. Joannis Silvæducis fuit. Dein ſuos inter Ultrajecti vixit : hinc Namurci in Cathedr. S. Albini, demùm Lovanii in D. Jacobi Canonicus, ſedem fixit, & vivendi finem fecit anno 1632. die XII. Januarii, in D. Petri depoſitus, juxta tumulum *Thomæ Stapletoni*, Doctoris Theologi, Præceptotis ſui. *Haræi* ſtudio atque induſtriâ accuratè fideliterque collecta, ſcriptaque, lucem viderunt ſequentia.

De Vitis Sanctorum, ex *Laurentii Surii* Tomis VII. *Compendium*, phraſi Auctorum ſervatâ, exemplo *Bedæ*, *Uſuardi Adonis*, & ex recentioribus *Joannis Molani*, quo firmior eſſet rerum ſacrarum fides; typis Plantinianis, 1591. 8. & duplò auctius, illuſtratumque *Chronologiâ* perpetuâ ac *Notationibus* variis, ex ſcriptis *Cardinalis Baronii*, *Onuphrii*, *Molani*, & aliorum, Coloniæ apud Arn. Quentelium, 1605. fol. Quin & Lugdunenſes Vitas has vulgarunt, quibuſdam tamen Hiſtoriolis malæ fidei ac nullo delectu inſperſis, uti monuit poſteriori editione ſuâ auctor.

Olympiades & Faſti, concordi ſerie Hiſtoriæ ſacræ ac profanæ, uſque ad Chriſtum paſſum. Coloniæ, 1602. 4. & Antverpię apud Verduſſium 1614. Habuit aliquando Author præ manibus idem *Chronicon univerſale*, ad ſua ferè tempora deductum; ut & particulare *Belgicum*.

Chronologia brevis ab orbe condito uſque ad Chriſtum paſſum; clarè demonſtrans Jeſum Nazarenum eſſe Meſſiam, Dan. 9. prænuntiatum, in 8.

Annales Ducum Brabantiæ, ac Tumultuum Belgicorum, uſque ad ann. 1609. Antver. typis Plantin. 1622. fol. Tomis III. fig.

Specimen hujus operis dederat antea vernaculo idiomate, editâ *Syncera Declaratione cauſarum belli Belgici*, ab anno 1566. ad ann. 1608. Antver. 1612. 8.

Catena aurea in IV. Euangelia, mutuato nomine *D. Thomæ Aquinatis*. 1625. 8. typis Verduſſii.

Biblia ſacra, illuſtrata Expoſitionibus priſcorum Patrum, litteralibus & myſticis &c. Ibid 1629. fol.

Vernaculo denique ſermone edidit librum inſignem, quem *Medicum Spiritualem* inſcripſit, 1599. 8. apud Bellerum.

FRANCISCUS HENRICUS DE KINSCHOT,

Bruxellenſis, Henrici J. C. clariſſimi filius, (de quo plura inferiùs) Eques Militaris Ordinis S. Jacobi, Toparcha de Rivieren, Jette, Ganshoren &c. è Senatore Conſilii Belgici apud Regem in Hiſpania, Supremoque Ærarii noſtratis Theſaurario creatus à Philippo IV. Cancellarius ſupremi Senatûs Brabantiæ anno 1650. Vir ſummę integritatis priſcique candoris: vivere deſiit anno 1654. ætatis 74.

Reſponſa, ſive Conſilia Juris, à patre ſuo olim exarata, plurimùm ab ipſo aucta, prodierunt Bruxellis in fol. typis Mommartianis 1653.

FRANCISCUS L'HERMITE,

Antverpienſis, Societatem Jeſu ab anno 1615. ingreſſus, dein Collegiorum Ruremundenſis, Gandenſis ac Lovanienſis Rector, Superior Miſſionum Hollandicarum, Domûs Profeſſæ Antverpienſis Præpoſitus &c. ſcripſit vernaculè, ſed tacito nomine,

Tergiverſationem hæreticam, & ſternutatorium oblatum Samueli Doreſlaer Prædicanti Delphenſi, de Communione ſub utraque ſpecie, ab Eccleſia Romana laïcis prohibita. 8. Antv. 1648.

Arborem majalem, in qua tractat tria: I. Encœnia infernalia, in quibus explodit remiſſionem peccatorum Calviniſtarum per ſolam fidem. II. Encænia

cæleſtia per Indulgentias Eccleſiæ Catholicæ. III. Theriacam propinat cuidam hæretico, qui dicta Encænia impugnarat. 8. Antv. 1648.

Vitas complures Coadjutorum temporalium Societatis virtute illuſtrium. 8. 2. vol. Antver. 1648.

Vitam Cæſaris Cajetani è Societ. Jeſu, ex italico in latinum item flandricum vertit. 8. Antv. 1670.

Synopſin brevem vitæ & virtutum P. Antonii Julii Brignole Societ. Jeſu, ex italica latinam fecit. 8. Antv. 1671.

FRANCISCUS VAN HONDEGHEM,

Haeſebroucanus Flander, (quod eſt Diœceſis Iprenſis Oppidulum) Ord. FF. Minorum Recollectorum, Provinciæ S. Joſeph in Comitatu Flandriæ, Sacerdos, Prædicator & Confeſſarius, vulgavit

Domum Propitiationis pauperum, ſive Patrocinium Mariæ Deiparæ. 4. Bruxellis per Franc. Vivien 1655.

ΥΠΟΤΥΠΩΣΙΣ, *ſive Lux meridiana feſtivi & Immaculati Conceptûs Mariæ Auguſtæ, ab Eccleſiæ luminaribus majoribus & minoribus dimanata.* Bruxellis. 1660. in 8.

FRANCISCUS HORANTIUS,

Minorita, univerſæ Regiæ expeditioni Flandricæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Præfectus (ita ipſe titulo libri ſui præfigit) id eſt, Vicarius Generalis ad exercitus Regios, & Joanni Auſtriaco Belgarum Gubernatori à ſacris Confeſſionibus. Edidit adverſum *Michaelem Baium* S. T. Doctorem in Academia Lovanienſi, *Epiſtolam de Eccleſia Chriſti*, quâ Baium redarguit, quod ad propoſitas de Eccleſia Chriſti Quæſtiones per Philippum Marnixium à Sta. Aldegunde, nimis ſegniter reſpondiſſet.

Prodiit hæc Epiſtola primùm Coloniæ anno 1580. apud Petrum Gazellum in 8. Dein etiam damnatis Baii Operibus anno 1696. curâ Gabrielis Monachi Benedict. editis apud Batavos, inſerta fuit pag. 314. unà cum Epiſtola Apologetica Baii, pag. 339.

Porrò ne quis hunc *Horantium*, licet in variis Belgii Conventibus diu moratum, Belgis annumeret; dicimus eum fuiſſe Hiſpanum, patriâ Cuellarienſem, olim in Tridentino Concilio Epiſcopi Palentini Theologum; ac demum anno 1581. creatum Epiſcopum Ovetenſem in Hiſpania. Obiit die 14. Octobris 1584. Plura de eodem ejuſque Scriptis Bibliotheca Hiſpanica Nicolai Antonii.

FRANCISCUS JACOBI,

Trajectenſis ad Moſam, ſcripſit

De modo viſitandi & corrigendi ſubditos, & de Modo inquirendi contra defectus eorum. Liber excuſus eſt in 4.

FRANCISCUS JUNIUS,

Extraneus quidem, aſt longâ inter Batavos commoratione libriſque ibidem editis, jure locum inter Scriptores Belgicos ſibi vendicat. Natale ſolum illi fuit Heydelberga Palatinatûs Rhenenſis caput: Pater *Franciſcus Junius*, Biturix Gallus, ac multiplicis diffuſæ eruditionis Vir, libriſque editis clarus. Matrem habuit *Joannam, Simonis l'Heremite*, Toparchæ Petinaſartii, Scabini Antverpienſis filiam.

Anno 1592. deliberatum erat Parenti remigrare in patriam, ad Henricum Magnum Galliæ Regem. Aſt cum tranſiret Belgicam Fœderatam, Præpotentes Ordines Bataviæ, provinciam in Academia Leidenſi ſacras Litteras docendi illi attulerunt, quam magno celeberrimi illius Athenæi plauſu admini-

miniſtravit uſque ad annum 1602, quo è vivis exceſſit.

Interea Franciſcus Junius in his terris adoleſcebat. Cum ætas ferret, animum cœpit ad Mathematicas diſciplinas applicare, belliciſque artibus ſe dedere: ſed cum bellum pactis induciis duodecennibus componeretur anno 1609, aliam vitæ rationem iniit, totum ſe mancipans ſacrarum Litterarum cæterarumque optimarum Artium ſtudiis: & ante elucubrationes proprias, Patris ſui ſcripta collegit ac publicavit.

Dein contendit in Galliam, & anno 1620. ex illa trajecit in Britanniam, receptuſque in familiam Arundelliæ & Surriæ Comitis, ipſos annos triginta illic tranſegit: quo tempore Libros ſuos *de Pictura Veterum* condidit. Literarum commercium ei intercedebat cum Hugone Grotio, Claudio Salmaſio, Gerardo Joanne Voſſio (cui ſoror Junii nupſerat) Uſſerio Archiepiſcopo Armacano, ac non paucis aliis, quos eruditionis fama inter Acatholicos reddiderat celebriores.

Cum in Anglia incidiſſet in multos veteres Anglo-Saxonicos libros, illam cœpit linguam excolere, quam cum ad Belgicam, quæ ei erat vernacula, Germanicam & Anglicam illuſtrandam, veraſque perveſtigandas origines plurimùm facere cognoviſſet, multùm ſtudii & operæ in illa perdiſcenda collocavit. Huic addidit poſtea cognitionem omnium veterum linguarum ſeptentrionalium, Gothicæ, Francicæ, Cimbricæ, quæ & Runnica dicitur, ac Friſicæ. Unde didicit ex illis ſolis multas etiam Francicæ, Hiſpanicæ, Italicæ linguæ, quâ nunc illæ gentes utuntur, vocum origines & proprias notiones erui poſſe.

Poſt annorum 30. moram, in Hollandiam tandem rediit Junius, precibus ſororis & aliorum neceſſariorum expugnatus. Totus ibi fuit in conte-

xendis Anglo-Saxonicis, Francicis, & Cimbricis Lexicis ac Gloſſariis, & explanandis antiquiſſimis harum gentium Scriptoribus. Cumque intellexiſſet, in occidentali Friſia pagos & oppidula eſſe, Worcomum, Staveram, Molqueram, qui vetere Friſicâ linguâ intaminatâ uterentur, cujus magna affinitas eſſet cum Anglo-Saxonica, ſed quæ ab aliis Belgis non intelligeretur: totum biennium inter Friſios exegit.

Tum in Hollandia, bonâ quadam fortunâ nactus eſt antiquiſſimum Codicem Gothicum, qui argenteus dicitur, quoniam quatuor Euangelia litteris argenteis in illo fuerunt deſcripta. Huic deſcribendo & dilucidando totum ſe dedit: eumque cum *Gothica Euangeliorum Interpretatione ac Gloſſario Gothico* publici juris fecit: atque ex his Notitiis demonſtravit, Gothicam eſſe matrem cæterarum omnium Teutonicarum linguarum.

Plura de ejus elucubrationibus vide in Vita ejus, procœmio *Librorum de Pictura Veterum* à *Joanne Georgio Grævio* præfixâ. Triennio antequam moreretur, Junius, in Britanniam remigravit: bienniumque poſuit Oxonii, in maximâ dignatione apud omnes: ultimum vero vitæ ſuæ annum exegit Windſoriæ apud ſororis ſuæ & magno parente non minorem filium, *Iſaacum Voſſium*, qui in Collegium Canonicorum ibidem à Carolo II. magnæ Britanniæ Rege, ſuis fuerat cooptatus meritis. Apud hunc Junius annos natus 89. tandem obiit; Windſoriæ in ſacello Cathedrali conditus, appoſito Epitaphio ſequenti.

FRANCISCO JUNIO,
Franciſci Junii Biturigis filio,
Nobilitate generis, integritate morum,
Et omnigenâ doctrinâ conſpicuo Viro,
Nato Heidelbergæ anno ſalutis

M. D. LXXXIX.
Qui per omnem ætatem,
Sine querela aut injuria cujuſquam,
Muſis tantum & ſibi vacavit :
Univerſitas Oxonienſis,
Cui Scripta & monumenta laboris ſui
Moriens penè nonagenarius commiſit,
In grati animi ſignificationem
Lubens meritoque titulum poſuit
Anno M. D. C. LXXVIII.

Scripſit Junius, *de Pictura Veterum* libros tres, primum editos Amſtelodami apud Guilielmum Blauw, in fol. anno 1637. ac Carolo I. magnæ Britanniæ Regi ab Authore dicatos: dein pluribus locis emendatos & auctos, Roterodami apud Regner. Leers 1694. curante *Joanne Georgio Grævio.*

Accedit *Catalogus, antea ineditus, Architectorum, Mechanicorum, ſed præcipuè Pictorum, Statuariorum, Cœlatorum, Tornatorum, aliorumque artificum, & operum quæ fecerunt, ſecundum ſeriem literariam digeſtus : incipiendo ab Aarone.* Ibidem.

Obſervationes in Willerami Abbatis Francicam Paraphraſin Cantici Canticorum, olim editam Lugduni Bat. à Paulo Merula. Amſtelod. 1655. in 8.

Opera Theologica, exegetica & elenctica Francisci Junii ſenioris, edita curis Franciſci filii, cum præfixa Authoris vita & narratione obitûs. fol. 2. vol. Genevæ 1607. in 8.

In Oxonienſi Bibliotheca habentur hæc *Franciſci Junii* junioris Scripta, quæ illi moriens legavit.

Gloſſarium V. Linguarum Septemtrionalium. Hoc deſcribendum curavit *Joannes Fell*, Epiſcopus Oxonienſis, IX. Voluminibus, quæ excudenda erant ſumptibus Univerſitatis Oxonienſis, auſpiciis Gilberti Ironſide S. T. P. Coll. Wadham. Præfecti, & Academiæ Pro-Cancellarii.

Bedæ Hiſtoria Eccleſiaſtica, tota Notis illuſtrata Junii.

Chronologia Saxonica, collata cum MS. & additione trium ſchedarum aucta.

Lambardi Latina, emendata ac Notis illuſtrata.

Eadmerus, ex Editione Sheldeni, cum Notis Junii.

Spelmanni Pſalterium Saxonicum, interlineale, collatum cum MS.

Douglas s'Tranſlation, of Virgil. with marginal Notes. Anglicè.

Chaucerus, per totum Notis illuſtratus.

Caedmonis Paraphraſis, cum conjecturis extemporaneis & indiculo.

Somneri Lexicon Saxonicum, cum variis Lectionibus, ex MSS.

Multi præterea *Scriptorum Anglo-Saxonicorum veteres Codices*, quos ipſe Junius manu ſua ex veteribus Membranis excerpſit, atque deſcripſit.

In Willerami Paraphraſin Cantici Canticorum Notæ Junii longè ampliores.

Tatiani Monoteſſaron, cum Præfatione Victoris Epiſcopi Capuæ, atque Annotationibus ampliſſimis Junii; in quibus comparantur cum Francica, Gothica & Anglo-Saxonica.

Vocabularius, qui inſcribitur *Teutoniſta*, edit. 1475. fol. cum Notis Junii.

Auctarium Notarum in Tatianum. 4.

Otfridi Euangeliorum liber, nitidiſſime ſcriptus, cum Indice Capitulorum à Junio parante novam Editionem.

Annonis Archiepiſcopi Colonienſis Vita Rythmica.

Gloſſarium Theotiſco-latinum, cum Notis, ſecundum alphabetum.

Dictionaria duo Francica antiqua, cum pluribus aliis veteribus Cod. Francicis ac Friſicis, Junii manu ac Notis exaratis.

Leges Friſiorum, Codex MSS. cum Notulis marginalibus. Item liber antiquus Legum Friſicarum, impreſſus, cum Notis Ubbonis Emmii & Junii MSS.

Jus Comitatûs Friſiæ, ex Codice Werneri Emmen, & aliæ Leges Friſicæ, ex Simonis Gabbamæ MSS.

Digitized by Google

FRANCISCVS
PICCOLOMINEVS
CARDINALIS
PIVS
PAPA II

FRANCISCUS DE LICHT,

Antverpienſis, Presbyter, edidit libellum cui titulus, *Veritas genuina* NIHILI *aſſerta*. Antverp. typis Mart. Binnart, 1642. 16.

FRANCISCUS LUCAS,

Brugenſis, quintus olim Lovanii anno 1568. in Promotione generali in Artibus, è Pædagogio Caſtri; hinc S. Th. Licentiatus, à Canonicis Graduatis Brugenſibus Audomaropoli tempore tumultuum Belgicorum exulantibus inter ſuos cooptatus; aſt ſub idem tempus à Graduatis Audomarenſibus electus, fuit in iſtâ Urbe Pœnitentiarius, ac tandem ab anno 1602. Decanus.

Vir erat Græcè, Hebraïcè, Syriacè ac Chaldaïcè in primis peritus, præceptore, inſtitutore, patre & familiari (ita enim ipſe alibi ſcribit) per ſeptennium, & eo amplius, uſus *Joanne Guilielmo Harlemio*, Societ. Jeſu Lovanii Præpoſito, cum eoque, & *Ben. Aria Montano*, aliiſque, Regiorum Bibliorum editioni præfectus. In Theologicis, ceteriſque ad hanc ſcientiam ſpectantibus, eximius, variiſque ad S. Scripturæ lucem editis libris celeberrimus. Exemplo ſint hæc ejus Scripta:

Notationes in Biblia Sacra. Antver. apud Plantin. 1581. 4. & aliàs.

Romanæ Correctionis in latinis Bibliis juſſu Sixti V. Pont. recognitis, loca inſignia. Ibid. 1603. 12. & aliàs ſæpiùs.

Operi huic aliud ſucceſſit inſignius, utiliuſque: nempe SS. Bibliorum vulgatæ Editionis *Concordantiæ*, ad recognitionem juſſu Sixti V. Pont. Bibliis adhibitam recenſitæ atque emendatæ; curante primum Franciſco Luca, ac dein locupletante Huberto Phaleſio Monacho Affligemenſi. Prodiit prius anno 1617. dein Antverpiæ typis Plantin. fol. anno 1642. Coloniæ apud Balt. ab Egmont 1684. & alibi ſæpiùs.

Itinerarium JESU *Chriſti*, ex IV. Euangeliis.

Commentarii in Euangelia, Tom. IV.

Notarum ad varias Lectiones in Euangeliis libri II. Priori græcæ, altero latinæ varietates explicantur.

De uſu Chaldaicæ Bibliorum Paraphraſeos, ſive *Apologia pro Chaldaico Paraphraſte*, juſſu Theologorum Lovanienſium ſcripta. Antver. ſimul Plant. typis edita, in fol.

Oratio Funebris in obitum Joannis Sixti, II Audomarenſium Epiſcopi. Antver. typis Plantini in 4.

Oratio in Funere Jacobi Pamelii, deſignati Audomarenſium Epiſcopi.

Oratio in obitu Jacobi Blaſæi, IV. Audomarenſis Epiſcopi.

Conciones variæ, de variis Chriſtianæ fidei myſteriis, ibid. editæ, 8.

Denique *Confeſſariorum Inſtructio*, ibid. 8.

Anno 1712. Commentarius ejus in SS. quatuor J. C. Euangelia, & Notationes in omnes Veteris & Novi Teſtamenti libros, iterum prodierunt, per quinque Tomos in folio digeſti, Antverpiæ, ſeu potius Lugduni Batavorum, apud Chriſtianum Vermey.

Vitâ laboribuſque defungitur Vir integerrimus ac ſeptuagenarius anno 1619. die 19. Februarii, ſepultus in Cathedrali Audomarenſi, ante ſacellum S. Dionyſii, hoc poſito Epitaphio.

Hic jacet R. D.
FRANCISCUS LUCAS, Brugenſis,
Hujus Eccleſiæ
Theologus & Decanus,
Vitæ integritate, eruditione,
Linguarum peritiâ
Variiſque ad S. Scripturæ lucem
Editis libris, celebris,
Qui ſe fidelium precibus commendat.
Obiit anno M. D. C. XIX.
Die Februarii XIX.

FRANCISCUS MEINARDUS,

Friſius, Anteceſſor Juris in Academia Pictavienſi, apud Gallos, edidit *Diſputationem de Juribus Epiſcoporum*, ad Cap. XVI. de Officio Jud. ordinarii. Pictavii, 1612. 8. typis Ant. Meſnerii.

FRANCISCUS MENNENS,

Guilielmi Filius, natus eſt Antverpiæ anno 1582. die XIX. menſis Martii, poſtque delibatas domi litteras humaniores, aditis Hiſpaniis, Oſſunæ in Bætica (ubi Academiam ab anno 1449. erexêre Oſſunæ Duces, Tellezii de Giron) Juriſprudentiæ operam dedit. Reverſus in Belgium, dubius aliquantiſper quem vitæ ſtatum capeſſeret, elato utroque parente delegit Eccleſiaſticum, obtinuitque Beneficium Canonicum Liræ ad S. Gummarum. Edidit *Delicias Equeſtrium* ſeu *Militarium Ordinum*, id eſt, Origines, Statuta, Symbola & inſignia eorumdem. Coloniæ, 1613. 8. apud Joannem Kinckium, & Francof. 1614. 8. in Chronico Chronicorum politico.

Communicavit aliquando id genus alia de Nobilium, puta Ducum, Comitum, aliarumve majorum gentium ſtemmatibus atque inſignibus; verùm quid iis à morte auctoris factum ſit, ignoratur.

FRANCISCUS MERCATOR,

Vulgò CREMERS, Silvæducenſis, ad S. Michaëlem Lovanii Paſtor, ſcripſit libellum, cui titulus: *Rabies ac Clades Franco-Batava, ſive Thenarum Excidium, Obſidioniſque Lovanienſis anno 1635. à duplici Exercitu Franco-Batavo perpeſſæ compendioſa & vera Narratio*; typis Cornelii Coeneſtenii, in 4.

Lovanii anno 1636. igne epidemico extinguitur.

FRANCISCUS MILEMAN,

Brugenſis, Sacerdotio jam initiatus acceſſit ad Societatem Jeſu anno 1636. ætatis 27. dein per annos 27. Miſſionarius Groningæ apud Batavos, piis illic laboribus immortuus eſt anno 1667. die 17. Junuarii. Edidit Belgicè.

Fidelem Ductorem, ſub nomine *Franciſci van Brugghe*. 8. Amſtelod. 1664.

Demonſtrationem Chriſti verè ex Maria Virgine incarnati. 12. Antver. 1661.

Belgicam Echonem, ſive Cantilenas ſacras. 12. Antver. 1664.

FRANCISCUS MODIUS,

Oudenburgi in agro Brugenſi, anno 1546. natus, adoleſcens Duaci *Andream Hoium* in Græcis ac Latinis doctorem habuit; in Juriſprudentia verò *Joannem Venduillium* ac *Boetium Eponem*, Anteceſſores celeberrimos, atque anno 1573. J. U. laureâ donatus, eadem in Academia diſcendo diſceptandoque, & de quæſtionibus Juris oblatis pro re & tempore reſpondendo, ut & poſtmodum Lovanii, annos aliquot conſumpſit: donec vis fati Belgici aliò eum abripuit. In Germaniam itaque concedens, Coloniæ aliquantiſper ſubſtitit, vixitque in Egmondani Comitis familia.

Hinc, ut erat animi varii ac fluctuantis, ad alios delatus, in amoenoribus illis hortulis ſeſe ut plurimùm recreavit, Mæcenatem atque amicum Herbipoli nactus *Eraſmum Neuſtetterum*, cognomento *Sturmerum*, Equitem Francum, Cobergenſem Præpoſitum, apud quem triennio moratus eſt. Scripſit

Lectiones Nov-antiquas, opus Criticum in Epiſtolas centum diſtributum. Francofurti, typis Wechelianis, 1584. in 8.

Obyt Aetate apud Artesios Canonicus CIↃ. IↃXC.

FRANCISCVS MODIVS BRVGENSIS.

Tu quoque carminibus, Modi, celebrabere nostris,
Inter Apollineos dignus honore viros.
Inscribamq; tuæ meritò tria verba tabellæ;
Modius Aonij gloria rara gregis.

Digitized by Google

Notas in *Q. Curtium de geſtis Alexandri Magni.* Coloniæ, in 8. 1581.

In *T. Livium.* Francof. apud Feyrabendum, in fol.

In *Flavii Vegetii de re militari* lib. IV.

In *Sexti Julii Frontini Stratagemata* Coloniæ, 1580. in 8. & Lugd. Batavor. 1607. 4.

Juſtini quoque, ex Trogo Pompeio, *Hiſtoriarum Epitomen* emendavit & recenſuit. Francof. typis Joan. Wecheli, 1587. 8. & 1591. 16.

Poëmata Modii varia, ad Eraſmum Neuſtetterum, Wirzeburgi, 1583. 8.

Octoſticha ad ſingulas Cleri Romani figuras; addito libello ſingulari, *De Ordinis Eccleſiaſtici origine, progreſſu, veſtitu.* Franc. 1585. 4.

Prodiêre ex ejuſdem Bibliotheca *Maphæi Vegii Laudenſis Poëmata duo.*

Pandectæ Triumphales, ſive Pomparum, Feſtorum, ac ſolemnium apparatuum, Conviviorum, Spectaculorum, &c. Tomi II. Francof. typis Feyrabendi, 1586. fol. Extant etiam in Gronovii Theſauro Antiquitat. Græcarum Tomo XI.

Notæ ſive Collectanea *in Corpus*, ut vocant, *Juris*, hoc eſt, in Pandectas ac Codicem Juſtinianeum. Ibid. fol.

Rerum Criminalium Praxes, & Tractatus ea de re nobiliorum Juriſconſultorum ſimul colligati, Tomis II. Ibid. 1587. fol.

Denique *Collectanea ejuſdem de rebus* potiſſimùm *Flandriæ* adſervari ſolent Audomaropoli in Bibliotheca publica.

Obiit Canonicus Aëriæ, apud Arteſios, anno 1597. ſepultus in templo S. Petri, Monumenti omnis expers. Vitam ex ipſius *Modii* ſcriptis concinnavit Melchior Adamus, Sileſius, libro de Vitis Scriptorum Germanorum.

Francisco Modio J. C. & Philologo,
Juſtus Ryckius Gandens. Canon. poſ.
Marmoreo Licinum tumulo vidiſſe jacentem,
Pompæum nullo, ſæcula priſca gemunt.
Noſtra gemant, Bavios titulo ſplendente notatos;
Obſcuro Modium *delituiſſe loco.*

FRANCISCUS MONACHUS,

Et familiæ nomine & profeſſione, ortu Machlinienſis, Ordinis Minorum, ſcripſit

Epiſtolam De Orbis ſitu ac deſcriptione: quâ de ditione *Presbyteri Joannis* vulgò dicti, deque Paradiſi ſitu diſſerit. Antverp. apud Withagium, 1565.

Regiones quoque Septemtrionales in Tabula conſpiciendas dedit, Antverp. apud Sylveſtrum à Pariſiis.

FRANCISCUS MONCÆJUS,

Vulgò Monceaux, Atrebas, Toparcha Froidevallius, Vir Nobilis & Juriſconſultus. Nuncupatorem luſtricum atque avunculum habuit *Franciſcum Balduinum*, qui ad generis nobilitatem præclara ingenii ornamenta adjunxit, ſingulari & raro in Nobilibus hodie exemplo. Ipſe *Balduini* veſtigiis inſiſtens, magnâ ingenii ſollertiâ elegantiâque expolitus, cùm in poëtica, tum in arcanis S. Scripturæ indagandis, plurimùm verſatus fuit. Vectigalium per Atrebateſium Dium-vir Præfectus, ab Alexandro Farneſio Parmæ Duce ad Henricum IV. Regem Galliarum delegatur: ubi dum Regem operitur, ad amatas puero Muſas rediit, ediditque

Bucolica ſacra, ſive *Canticum Canticorum Salomonis Regis:* item

In Pſalmum XLIV. Paraphraſin Poëticam.

Lucubrationum in Caput I. Cantici Canticorum libros II. & ex Lucubrationibus in *Caput VII. ejuſdem Cantici, De portis civitatis Judææ, & de fori, Judiciorumque in iis exercendorum antiquo more*, librum ſingularem. Pariſ. 1587. 4. typis Abelis l'Angelier.

Apparitionum Divinarum, quæ de Rubo, & quæ in Ægypto revertenti in diversorio Moysi facta, Historiam. Atrebati, 1594. 4.

Aaronem Purgatum, sive *de Vitulo aureo non-Vitulo*, libros II. In quibus simul *Cheruborum Moysis*, *Vitulorum Jeroboami*, *Therapborum Michæ* forma & historia explicatur. Atrebati, apud Guil. Riverium, 1606. 8. Liber Romæ prohibitus, anno 1609. Extat etiam in Criticis Sacris Pearsoni, Tomo IX.

Responsionem pro Vitulo aureo non Vitulo, ad schedulam auctoris anonymi, objectiones aliquot continentem. Paris. 1609. 8. cum *Roberto Visorio*, De Aarone purgato destructo.

De Claudia Rufina Regia Virgine, Auli Prudentis Senatoris Romani conjuge, Syntagma; quo veteris Ecclesiæ Britannicæ incunabula Regia proponit: Claudiam enim Britannicam facit, & Britannici Regis filiam. Tornaci, apud Car. Martinum, 1614. 8.

Templum Justitiæ, carmine elegiaco. Duaci, typis Boscardi, 1590. 8.

Hesdinum, similiter versu elegiaco.

FRANCISCUS A MONTMORENCY,

Aërienſis Artheſius, olim Comes Stegrenſis & Moerbecanus, Præpoſitus Eccl. Coll. S. Petri Caſletenſis, Decanus Cathedralis Eccleſiæ S. Lamberti Leodienſis &c. frater germanus natu major R. P. Florentii Montmorencii, Viri in Societate celeberrimi, Provincialis utriuſque Belgicæ, Vicarii Generalis Societatis Romæ &c. Maturâ ætate Societatem Jeſu ingreſſus, cum antè Aërienſis Collegii fundationem promoviſſet. Morbis dein diuturnis afflictatus, animam Deo reddidit Duaci die 5. Februarii 1640. ætatis 62, initæ Societatis 22. Scripſit felice venâ

Politicam ſacrorum Canticorum Expoſitionem, & Idillia Sacra. 4. Duaci, Antverpiæ & Viennæ.

Epinicion partâ de Batavis ad Antverpiam victoriâ. 4. Antver. 1638.

Paraphraſin poeticam Pſalmi XLI. in funere Principis Robecani Nepotis ſui. 4. Duaci 1637.

Pietatem victricem Pſalmis VII Lyricè expreſſam. 8. Antv. 1639.

FRANCISCUS MOSSCHUS.

Nivigellas ſive Nivellenſis, Brabantus, linguæ utriuſque peritus, Hiſtoricus, Poëta ac Juriſc. Eccleſiæ Armenterienſis Curio, & ad S. Piatum apud Siclinium Melantheſiorum in Flandria Canonicus: eruit è tenebris, ediditque

Hiſtoriam Orientalem & Occidentalem Jacobi de Vitriaco Card. libros II. additis *Notis* brevibus per *And Hoium*, cum Auctoris Vita. Duaci, typis Belleri, 1597. 8.

Vitas BB. Arnulphi Villarienſis, Simonis Alnenſis, & Mariæ Ogniacenſis. Atrebati, 1600. 8.

Cœnobiarchiam Ogniacenſem, ſive *Antiſtitum Monaſterii Ogniacenſis*, ad Sabim fluvium ſiti, *Catalogum*, cum *Elogiis.* Duaci, typis Joann. Bogardi, 1598. 8. & iterum Duaci anno 1636. cum additionibus Arnoldi Raiſſii.

Addidit his Ferreolus Locrius, *Apologiam pro Sanctorum Reliquiis.*

Eden, ſive *Paradiſum* B. Mariæ *Virginis.* Multaque alia moliebatur, & editioni parata habebat; ſed mors præpropera Auctori vitam longiorem, & laboribus ejus lucem invidit.

FRANCISCUS NANSIUS,

Iſembergenſis ex agro Furnenſi Flander, *Pauli Leopardi* (de quo infra) auditor, linguarum græcæ latinæ-

que, atque adeò antiquitatis omnis, peritiſſimus fuit, Senatorque perpetuus Franconatium apud Brugenſes. Verùm in tumultibus iſtis Belgicis partem minùs ſanam ſecutus, ſolumque vertere coactus, ex Senatore primùm Gymnaſiarcha Leydenſis, pòſt Dordraci in Batavis Linguæ Græcæ Profeſſor, reliquum vitæ in otio litterato tranſegit. Edidit

Notas ad Nonni Paraphraſin in Joannem. Lugd. Batavor. typis Raphel. 1589. 8. Item *Curas ſecundas.*

Platonis Dialogum de Virtute, qui *Menos* inſcribitur, interprete & Scholiaſte *Nanſio*. Pariſ. typis Regiis fol.

Grammaticam Deſpauterianam, ſuppreſſo nomine: typis Plant. 4.

Reliquit *Prælectiones in Theocritum; Annotationes in Heſiodum, in Callimachum, Theognidem, Phocylidem, Pytagoræ aurea Carmina, & Plutarchum de Educatione liberorum.* Leguntur in Biblioth. Lugduno-Batava.

Obiit Dordraci, anno 1595. ſeptuagenarius.

FRANCISCUS NICOLAI,

Ordinis Minorum, vir probatæ & vitæ & doctrinæ, ſcripſit

Apologiam adverſus calumnias Franciſci Lamberti in Regulam S. FRANCISCI. Antver. 1528. apud Hillenium.

FRANCISCUS A NOVA CURIA,

Vulgò VAN NIEUWENHOVE, Ordinis S. Franciſci Theologus & Eccleſiaſtes, in Flandria celebris; Gandenſi, Brugenſi, Dunkercano, Cœnobiis Guardianus præfuit, ſacras litteras docuit, & de divinis ad populum verba fecit. Reliquit

Sermones de Dominicis & Feſtis, per annum.

Sermones Quadrageſimales.

Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Epheſios.

Expoſitionem Regulæ Ord. D. FRANCISCI.

De Caſibus reſervatis Epiſcopo, à jure, conſuetudine, &c.

Oeconomiam Chriſtianam: de ſocietate conjugali, herili & externa.

In Orationem Dominicam. In Symbolum Apoſtolorum.

De VII. Eccleſiæ Notis ſacris, vel *Sacramentis Axiomata.*

Et alia: quæ omnia Tomis III. Gandavi MSS. adſervantur, ab incendiis & direptionibus Monaſterii reſervata.

Obiit auctor Gandavi, anno 1562. die VIII. Junii.

FRANCISCUS NIEULANDT,

Aliàs A NOVA-TERRA, Gandavenſis, Presbyter, Eccleſiæ D. Petri Lovanii Scholaſticus, multis annis ibidem Moderator fuit Scholæ publicæ Litterarum humaniorum, græci idiomatis æquè ac latini peritus; edidit

Doctrinam Chriſtianam, utrâque hac linguâ. Lovanii typis Bart. Gravii 1560. in 8.

Domum, quam inhabitare ſolebat, moriens anno 1574. III. Idus Junii, Collegio rei Litterariæ deputavit, quod à Fundatore ſuo *Gandavenſe* nuncupatum fuit, aut etiam *Vaulxianum*, quòd nobilis Vir Joannes de Vaulx Inſulenſis, dotem illius notabiliter adauxiſſet. Cujus loco ſucceſſit anno 1657. (tranſlatis Fundationibus) novum SS. Trinitatis Gymnaſium.

FRANCISCUS PALUDANUS,

Antverpienſis, in Ordine FF. Minorum S. T. Lector, Bruxellis & alibi Guardianus (ut vocant) ac tandem anno 1648. Miniſter Provincialis; de

ſuis optimè meritus; deceſſit Antverpiæ anno 1651. die 19. Septembris, in choro ſepultus. Edidit vernaculè

Manuale Fraternitatis Chordigeræ.

Schema Vitæ & Stemmatis B. Joannæ Valeſiæ, Francorum Reginæ, Ordinis B M. de Annunciatione Fundatricis.

Vitam S. Eliſabethæ, Reginæ Portugalliæ.

Relationem ad Regem Hiſpan. ſuper converſione novi Mexici.

FRANCISCUS PIETIN,

Religioſus ſive Canonicus Regularis Phalempinienſis, Hiſtoriæ potiſſimùm patriæ animum, dum viveret, adjecit, atque ex Cœnobii monumentis concinnavit

Chronicon Phanopienſe, ſive *Phalempinienſe.*

Stemma item *Caſtellanorum Inſulenſium*, Gallicè. Utrumque ibidem manuſc. adſervatur.

FRANCISCUS PIROULLE,

Limburgenſis, S. T. Licentiatus, olim Lovanii ſecundus in Artibus anno 1607. è Pœdagogio Porcenſi, dein Philoſophiam Lovanii in Pædagogio Lilii annos plures profeſſus, Brugis in Eccleſia Cathedrali S. Donatiani nominatus eſt Canonicus. Poſt aliquot annorum reſidentiam, viâ permutationis factus eſt Leodii Canonicus ad D. Paulum anno 1637. ibidemque Præſes Seminarii Epiſcopalis, quod vulgo *ad Catenam* dicitur. Obiit anno 1651.

Edidit

Echonem, & Orationem Funebrem, in obitum Sereniſſ. ISABELLÆ, *Claræ Eugeniæ*, Belgarum Principis &c.

Orationem de Annuntiatione B. M. Virginis.

Item alteram *in Laudem D. Joannis Euangeliſtæ.* Brugis, typis Nic. Breyghelii 4. 1634.

FRANCISCUS PLANTE,

Brugenſis, Poeta apud Batavos, ſcripſit in laudem *Mauritii*, Principis Naſſovii, ſupremi in Republica Hollandica Locum-tenentis, carmine heroïco, ut Heroëm decebat,

Mauritiados Libros XII. cum figuris eleganter ſculptis; fol. Lugduni Batavorum 1647. in charta regia.

FRANCISCUS POLLET,

Duacenſis, J. C. adoleſcentiam ſuam cùm Lovanii tum aliis in Academiis ſtudiorum cauſſâ ferè peregit; in quibus non mediocre eruditionis ſuæ ſpecimen edidit, præſertim verò in ampliſſimo illo Pariſiorum Palladio, ubi publicè privatimque docendo ſe per aliquot annos exercuit, frequenti coronâ & magno auditorum applauſu, foriſque varia tribunalia frequentavit, ut cum theoria Juris praxin conjungeret. Tandem ad ſuos reverſus, cauſſarum patronus, urbiſque Duacenſis Decurio factus eſt.

Cumque ad majora vocaretur, hunc quaſi de via pergentem mors invida rapit, cùm annum ætatis triceſimum vix exceſſiſſet. Antiquitatis ſtudioſiſſimus fuit, auctorque abuſuum quorumdam corrigendorum, quos in Curiam Decurionum praxinque irrepſiſſe animadverterat; ob vitæ integritatem comitatemque omnibus, quibuſcum vixit, gratus; vel unius teſtimonio, ex quo hæc ferè deſcripta ſunt, *Philippi Broidæi*, J. U. Doctoris Duaceni, qui filiâ *Polleti* ductâ uxore, gener, hæreſque bonorum ac ſacrorum, partum ejus poſtumum,

Hiſtoriam Fori Romani, libris V. conſcriptam, Paralipomenis, Scholiiſque & Corollariis auxit atque illuſtravit. Duaci, 1576. 8. typis Joan. Bogardi, & Lugduni, 1583. 8.

FRAN-

FRANCISCUS POTEL,

Carmelita Atrebatenſis, & ſui Ordinis Provincialis, ſcripſit idiomate vernaculo

Originem Sodalitii Scapularis B. M. Virginis de Monte Carmelo.

FRANCISCUS RAPAERT,

Brugenſis, Doctor Medicus, ſcripſit *Magnum & perpetuum Almanach, à conſuetis nugis liberum, eoque verè medicum, de Phlebotomia, de Balneis, de Purgationibus &c.* ſive *Flagellum*, ut vocat, *vulgarium Prognoſticorum Medicorum, Empiricorum & Medicaſtrorum*, editum Antver. 1551. 8. Cui anno inſequenti *Petrus Haſſardus* repoſuit *Clypeum Aſtrologicum*, Lovanii, apud Bergaigne.

FRANCISCUS RAPHELENGIUS,

Vernaculè RAULENGHIEN, Lanoii Ditionis Inſulanæ in Gallo-Flandria oppido natus die 27. Februarii anno 1539. cum prima fundamenta litterarum Gandavi jeciſſet, patrem amiſit. Proinde matris juſſu ad mercaturam ſe convertere coactus, à mercatoribus, apud quos collocatus erat, Norimbergam miſſus, animo ipſius ad mercaturam minus aut apto aut inclinato, apud eos ipſos, ad quos miſſus erat, commoditatem nactus eſt, ſtudia pauxillum intermiſſa per biennium circiter continuandi.

Domum deinde reduci, nova ſe obtulit occaſio Lutetiam proficiſcendi: ubi, florente tunc Academiâ, magnos in linguis græcâ & hebraïcâ, ſub primariis Profeſſoribus, & imprimis *Joanne Mercero*, fecit progreſſus. Supervenientibus illic bellorum civilium tumultibus, in Angliam ſe contulit, & Cantabrigiæ aliquantisper græcam Linguam profeſſus eſt; donec inſtitutâ in patriam, reviſendæ matris gratiâ, profectione, Antverpiam in reditu divertit, ad coëmendos aliquot libros, quorum tunc Cantabrigiæ non magna erat copia.

Dum Antverpiæ aliquantiſper hæret, correcturâ typographicâ arridente, mutato conſilio operam ſuam *Chriſtophoro Plantino* addixit. Qui adeo ingenuitate morum ipſius delectatus eſt, & potiſſimùm quod Typographiæ ſuæ, eruditionem juvenis cum inſigni conjunctam diligentiâ, perutilem fore animadverteret; ut ipſi maximam natu filiarum Margaretam anno 1565. conjugem dederit.

In ſoceri igitur Typographiâ corrigendorum librorum præcipuam molem plures annos ſuſtinuit, cùm *Biblia* illa magna, quæ *Regia* vocant, edere *Plantinus* aggreſſus eſt. Horum in editione incredibile eſt, quantos labores *Raphelengius* inſumpſerit: dum accuratiſſimè ſingula recognoſcit; annotationibus, ubi opus, illuſtrat; verſionem interlinearem adornat; Grammaticam Hebraïcam ex optimis quibuſque Grammaticis, cum judicio & curâ collectam, addit; Epitomen Theſauri Linguæ hebraïcæ *Sanctis Pagnini* infinitis vocibus auget, & innumeris locis emendat; quod luculentè ex teſtimonio *Benedicti Ariæ Montani*, inter Prolegomena præmiſſo patet.

Multa iiſdem annis ad ornamenta librorum, quos ſocer excudebat, præcipuè in Linguis Orientalibus, corrigendo illuſtrandoque contulit; quamvis rarò nomen ſuum adſcribi pateretur.

Tandem ſocero Lugduni Batavorum, quo longiùs à turbis abeſſet, commorante, omnis moleſtia regendæ Typographiæ in illum ferè ſolum Antverpiæ incubuit. *Plantino* autem ſub finem anni 1585 Antverpiam reverſo, *Raphelengius* vice verſâ Lugdunum Ba-

tavorum cum familiâ commigravit; & in partem Typographiæ, quam eò Plantinus tranſvexerat, ſucceſſit.

Hîc Linguę Hebraïcæ Profeſſor anno 1586 deſignatus, operam ſuam & Curatoribus Academicis, & auditoribus ſuis probavit. Otium inſuper majus nactus, ſeriò Arabicæ Linguæ cognitioni, quò dudum animus illum ferebat, ſe dare cæpit: & ſubſidio librorum, quos *Gulielmus Poſtellus* & *Andreas Maſius* lubenter ſubminiſtrarant, Lexicon Arabicum ſatis copioſum confecit, adjutus etiam nonnihil uſu librorum *Joſephi Scaligeri*, quocum ſæpe numero de iis ſtudiis conferebat. Lexicon hoc, cum in nimiam molem excreviſſe illi videretur; demptis multis quæ minus neceſſaria exiſtimabat, in formam editioni aptiorem contractius deſcripſit: ita tamen, ut & tyronibus ſufficere, & provectioribus etiam placere poſſe, perſuaſum ſibi haberet.

Sed vix ultimam manum illi deſcribendo impoſuerat, cum mors, quam toto triennio, tùm tœdio amiſſæ uxoris, tùm paralyſi afflictatus, ſæpe optarat, virum doctiſſimum humanis exemit, die 20. Julii, anno Chriſti 1597. ætatis ſuæ duo-de-ſexageſimo, ſuperſtitibus tribus filiis, Franciſco, Chriſtophoro & Juſto, ac filiâ unicâ.

Staturâ fuit paulò infra mediocrem; formâ faciei non indecenti; florido colore; barbâ ſpadiceâ oblongiore; moribus ſine fuco & fallaciis, & præcipuè ab omni faſtu alieniſſimis. Familiares habuit Viros doctos, *Ariam Montanum*, *Joſephum Scaligerum*, *Joannem Druſium*, *Franciſcum Junium*, alioſque: ſed intrinſecè *Abrahamum Ortelium*, *Cornelium Kilianum*, *Carolum Cluſium*, & *Juſtum Lipſium*.

Hæ ſunt ejus lucubrationes.

Grammatica Hebræa, ex optimis quibuſque Grammaticis collecta.

Theſauri Linguæ Hebraïcæ, Sanctę Pagnino authore, *Epitome*.

Variæ lectiones & emendationes in Chaldaïcam Bibliorum Paraphraſin. Extant hæc tria in Bibliis Poliglottis Antverpienſibus.

Dictionarium Chaldaïcum, vocum earum quæ paſſim in Bibliis.

Lexicon Arabicum, prodiit demum poſt ejus obitum, Lugduni 1613. in 4. curâ *Thomæ Erpenii*.

Conſcripſerat etiam uſui ſuo *Lexicon Perſicum*, vocabulorum quæ in Pentateucho.

Item *Obſervationes linguæ Hebraïcæ*.

Et Tabulas in *Grammaticam Hebraïcam*, quas edi noluit; ne Guilielmo Poſtello, qui primus Chriſtianorum Grammaticæ Arabicæ rudimenta evulgavit, gloriam prȩripere voluiſſe, videretur.

In ejus obitum.

Aſpicis auguſtam tumuli ſe tollere molem;
Lenique terram vertice,
Exiguo raram gremio quæ poſſidet umbram,
Maneſque nobiles. Procul
Hinc fuge, cui ſcelerum cura eſt, cui gloria rerum
Ventoſa pectus erigit:
Virtuti patet ille locus, ſolique beatus
Sacer modeſtiæ vacat.
Virtutum domus eſt: jacet hic RAPHELENGIUS *ille*
Ingentis Europæ decus.
Huic oriens aurora ſuos ediſcere ſoli
Permiſerat lubens ſonos:
Eoosque domi rediens tranſduxit honores,
Pauciſque cognitus licet,
Cum patriis Batavis Arabas confudit & Indos.
Ah! hoſpes, ah? en qui fuit
Sol oriens nobis, Linguaſque Orientis ab orte
Tranſvexit, occidit tamen!

FRANCISCUS RAPHELENGIUS,

Lugduno-Batavus, Franciſci filius,

typographus & ipſe, ſcripſit

Notas & Caſtigationes in L. Annæi Senecæ Tragœdias; typis Plantin. 8. & Lugd. Batavor. 8. 1620.

Elogia carmine Elegiaco in Imagines quinquaginta doctorum Virorum. Antver. 1587. fol. præter Poëmata alia, ſparſim edita.

FRANCISCUS REGIUS,

Ordinis Minorum Theologus & Eccleſiaſtes celebris, claruit in Gallia Theologiæ Lector, in Belgio Verbi divini prędicator, à Carolo V. Cęſare libenter auditus. Exſtat illius

In Orationem Dominicam Commentarius, gallicè ſcriptus.

Obiit Nivellis, cujus loci Cœnobium, Principum, quibus erat à ſacris concionibus, eleemoſynis à fundamentis erexit.

FRANCISCUS RICHARDOT,

Tametſi Burgundionibus natus, Belgarum tamen numero accenſendus hîc venit, tum quòd magnam ætatis partem in Belgio tranſegerit, & Doctoris perſonam in Duacena Academia, Regis Catholici Philippi II. auſpiciis excitata, primus ſuſtinuerit; tum quòd ex Palatino Eccleſiaſte, longè diſerto, Atrebatium Epiſcopus poſt Antonium Perenottum, Cardinalem Granvellanum, fuerit anno 1561. renuntiatus.

Docuerat antea in Ordine Eremit. S. Auguſtini Pariſiis & Veſontione, ibique anno 1554. Suffraganeus & Epiſcopus Nicopolitanus conſecratus fuit, atque in aulam Belgicam adſcitus, beneficium Canonicum in Eccleſia D. Gudilæ, munuſque Scholaſtici obtinuit.

Edidit *Conciones* in aula habitas gallico ſermone, typis Plantinianis, in 8.

In Orationem Dominicam VI.

In Euangelium Lucæ Miſſus eſt, ſeu de Incarnatione, IV.

De Euchariſtiæ Sacramento totidem.

De ſacris Divorum Imaginibus, Sermonem I.

Conciones II. *in funere Iſabellæ Reginæ*, uxoris Philippi II. & hujus filii, *Caroli* Principis Hiſpaniarum.

Orationem, ad Senatum Duacenſem, anno 1562. de ortu Academiæ, quæ poſt Philippum II. Regem, ſuam Richardoto Præſuli imprimis debet erectionem.

Item alteram Antverpiæ, de venia rebellibus à Rege & Pontifice conceſſa, anno 1570.

Hæc Eccleſiaſtes: cetera Epiſcopus; gallicè quidem vulgavit

Inſtitutionem Paſtorum, Atrebatenſis Diœceſis, anno 1562.

Diſputationem cum Hæretico, in cuſtodia habitam, anno 1568.

Latinè verò has ipſius Orationes Audomaropoli *Franciſcus Schottus*, J. C. typis Caroli Boſcardi edidit, 1608. 4.

Orationem in Tridentino Concilio habitam, anno 1563. de bono Eccleſiæ.

Item alteram in *Cameracenſi Synodo*, anno 1575.

Edidit & *Statuta Synodalia Atrebatenſia*, adjectis quoque Prædeceſſorum Statutis. 4. Duaci apud Windium 1570, ac rurſum Antverpiæ apud Trogneſium 1588.

Obiit apud Atrebates, VII. Kal. Auguſti, ann. 1574. Epitaphium illi in Eccleſia ſua Cathedrali marmoreum, elogiumque poſuit *Joannes Richardotus*, J. C. è ſorore nepos, adoptato ſibi nomine *Richardoti*, Arteſiæ primò, poſt intimi Præſes Concilii Bruxellis, ſub Alexandro Parmenſi Principe & Alberto Auſtriaco. Pro funere eum Duaci laudavit *Thomas Stapletonus*, S. Theologiæ Profeſſor. Paulus verò Manutius quanti ejus viri doctrinam facundiamque faceret, oſtendit Epiſtolarum libro VI. Epiſt. 11.

D, O. M. S.
FRANCISCO RICHARDOTO, Burgundo,
Atrebatium Epiſcopo,
Viro in omni diſciplinarum genere
Verſatiſſ. & Concionatori eloquentiſſ.
Qui ob ſingularem Doctrinam,
Et præclaras animi dotes
Omnibus Ordinibus unicè carus,
Poſtquam hanc Eccleſiam periculoſis
Temporibus ingenti dexteritate &
Aſſiduis Concionibus
Annos ipſos XIII. feliciter rexiſſet,
Magno ſui relicto deſiderio
Annum ætatis agens LXVII.
E vivis exceſſit;
JOANNES RICHARDOTUS
Philippo II. Hiſpaniarum Regi
A rerum ſtatûs ſecretiſque conſiliis
Ac libellis, & Arteſiæ Præſes,
Avunculo opt. Nepos mœſtiſſ. poſ.
Obiit VII. Kal. Aug. M. D. LXXIV.

FRANCISCUS LE ROY,

Inſulenſis Flander, Societ. Jeſu ingreſſus anno 1611. Philoſophiam Theologiamque in Academia Duacena dudum profeſſus, dein in pluribus Civitatibus Concionator magni nominis. Rexit Collegia Duacenſe, Montenſe aliaque. Poſtremò Romæ functus officio Theologi apud Præpoſitum Generalem, & Cenſor librorum à Societate edendorum pro Aſſiſtentia Germaniæ, per annos ultra viginti, diem illic clauſit extremum. Deſcripſit

Templum Sapientiæ, ſive Diſſertationem myſtagogicam, quâ nominatim inquiritur, fueritne Templum Salomonis ſupremæ Dei ſapientiæ ſpeciali titulo ac vero nomine dedicatum. fol. Inſulis 1664.

Porticum Salomonis, Sapientiæ Templo, ſublimioris Academiæ, aut Scholæ cæleſtis adinſtar adjectum; fol. Leod. 1668.

Occupationem animæ, Jeſu Chriſto crucifixo devotæ. Pragæ typis Academicis 1668. in 4.

Exercitationes Theologicas adverſus hereſes ævi præſentis: quarum Pars I. continet Sectarum, quæ Religionis Reformationem pretendunt, Labyrinthum inextricabilem. Pars II. earumdem blaſphemias adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. 8. Leodii apud Petr. Danthez. 1680.

FRANCISCUS LA RUE,

Inſulanus, Doctor Medicus, conſcripſit

De Gemmis, quarum in Apocalypſi mentio; aliiſque, quarum hoc ævo uſus, libros II. Præmittitur *Paſchaſii Balduini* ad Auctorem epiſtola, quâ de duobus his *Ruei* libris fert judicium. Pariſ. apud Wechelum, 1547. Tiguri apud Geſneros fratres, & Lugduni, typis Franc. Fabri, 1588. cum Franc. Valeſii Philoſophia ſacra.

FRANCISCUS A SCHONENBERG,

Eccleſiæ Colleg. B. Martini apud Aloſtenſes Decanus, illiuſque Beggi-nagii Paſtor circa annum 1650, edidit vernaculè

Vitam Joannæ à Dedemaecker Beggina, ibidem anno M. D. C. XXXI. in opinione ſanctitatis defunctæ. 12. Mechliniæ apud Jaye. 1662.

FRANCISCUS SCHOTTUS,

J. C. *Andreæ* frater, *Franciſci* Filius, Antverpiæ natus eſt, anno 1548. v. Idus Novembris, ex illuſtri Douglaſſiorum, hodieque in Regno Scotiæ perſeverante, ſtemmate, familiæ ſuæ originem repetens; uti illuſtria JACOBI, Regis Magnæ Britanniæ, Comitumque Douglaſſiorum teſtimonia,

FRANCISCUS STARKIE,
Ecclesiæ Cathedralis Dublinensis Decanus.
Ob. 1. Martii 1684. Ætat. 70.

visa lectaque aliquando, fidem faciunt. Vir fuit Consularis, & Senator quasi perpetuus, singulari humanitate, & ingenio eleganti præditus; nomenque suum ad posteros transmisit, edito, ad Rob. Card. Bellarminum,

Itinerario Italiæ, *Rerumque Romanarum*, libris III. ex priscis novisque Scriptoribus; Antver. typis Plant. 1600. & 1625. 12. quos Vincentiæ, scriptis tabulisque auctos, dedit *Hieron. de Capugnano*, Dominicanus Bononiensis.

Auxit idem Itinerarium ipse auctor libris quatuor, qui *Germaniæ* iter continent; Coloniæ, typis Bern. Gualteri, 1620. 12. Item parte tertiâ, quę *Galliæ* & *Hispaniæ* itinera monstrat, ibidem editâ.

Epistolâ, præfixâ *Hispaniæ illustratæ*, Tomo IV. Francof. typis Wechel. anno 1608. vulgato, ad Joan. Miræum, Episc. Antverpiensem, præfatur de *Andreæ* fratris sui *Anecdotis*.

Vivere autem desiit Antverpiæ anno 1622. die XVII. Martii: conditus in novo ac marmoreo Societatis Jesu Templo.

FRANCISCUS SCHOTTUS,

Antverpianus, *Jacobi* filius, *Francisci* & *Andreæ* ex fratre nepos, post obitam Italiam, visamque Romam, in patriam redux, in Abbatia S. Michaëlis Ordinem Præmonstratensem professus est. Hinc primùm in Borsbeeck, tum in Neerockerseel, Parochi munus cum laude & fructu obiit, & è vita ac munere ante diem abiit, die IV. Octobris 1617. annum agens 38. Edidit juvenis

Thesaurum Exemplorum Sententiarumque, è Græcis Latinisque Scriptoribus, Centuriis IV. distinctum. Duaci, typis Car. Boscardi, 1607. 12.

D. O. M. S.
Quisquis es qui transis, paululum
Hîc siste, & pauca lege.
R. D. Fr. Francisci Schotti
Jac. F. Antverp. quidquid è terra
Sumptum, terra habet.
Qui post obitam Italiam visamque
Romam, in patriam redux,
Ibidem ad S. Michaëlem Canon.
Norbertinus, primum in Borsbeeck
Juxta Antverpiam,
Hinc in Neerockerseel juxta Lovanium
Parochi munus cum laude & fructu obiit:
Et è vita ac munere ante diem abiit
IV. Non. Octob. die S. Francisco sacro
Anno Domini M. D. C. XVII.
Ætatis XXXVIII.
Hoc est vivere, memorem esse mortis,
Hoc est mori, memorem esse vitæ.

FRANCISCUS SILVIUS,

Natus est anno 1581. Braniæ-Comitis, antiquo Hannoniæ oppido, Bruxellas inter & Montes, medio prope itinere. Patrem habuit *Guilielmum du Bois*, matrem *Margaritam de Compere*, aliàs *Cop*: cives pios æquè ac probos. Juvenis Philosophiam Lovanii didicit in Pœdagogio Porci (Valer. Andreas ait, in Castro) moxque ab expleto cursu, Lovanio evocatus Duacum, Seminarii Episcoporum Provinciæ Cameracensis factus est contubernalis; unàque in Collegio Regio institutus Philosophiæ Professor, ipsam non minore fructu quam laude per annos aliquot docuit.

A Professione Philosophica transiit ad Doctoratum S. Theologiæ, quem an. 1610. v. Idus Novembres Duaci suscepit, juvenis licet, sed nihilominus ad majora maturus. Obstabat quidem, quod nulla Lectio Theologica tunc vacaret, quam *Sylvius* potuisset implêre. Sed *Bartholomæus Petrus* Doctor celebris & scriptis clarus, Lectionem quâ fungebatur cessit *Sylvio* (in quem erat propensissimus) eam postea resumptu-

rus (ut & fecit) quando huic aliter fuiſſet proviſum.

Nec diu expectatum ; nam anno 1614. Lectionem primariam ab obitu *Guilielmi Eſtii* vacantem obtinuit ; S. Thomæ Aquinatis diſcipulus & interpres fideliſſimus ; ut ejus ſcripta, (quę in omnium manibus ſunt) abundè teſtantur.

Dein Præſes Seminarii Epiſcoporum , & Canonicus Eccleſiæ Colleg. S. Amati anno 1618. Kalendis Februarii , utriuſque muneris partes ſic implevit , ut anno 1622. die 28. Januarii, concordantibus Collegarum votis ejuſdem Eccleſiæ Decanus fuerit renunciatus , eâque ratione Vice-Cancellarius Univerſitatis Duacenæ.

Quibus in muneribus quomodo ſe geſſerit , quamque vivendi rationem habuerit , hęc pauca accipe. Singulis diebus mane horâ quartâ ſurgebat : preces , aliaque pietatis exercitia uſque ad quintam perſolvere ſolitus. Tum primus Canonicorum choro aderat in Matutinis Horis ; ubi tantiſper moratus, donec ſubditorum ſibi Canonicorum aliorumque Beneficiatorum præſentiam , diligentiam pietatemque accuratiùs obſervaſſet , ad ſacriſtiam ſecedebat , SS. Miſſę Sacrificium Deo libaturus. Exinde domum reverſus , ad lectionem publicam ſe præparabat : quâ perſolutâ domum repetebat , uſque ad medium duodecimæ ſtudio aut libris edendis vacaturus. In meridie frugali ac neceſſariâ dumtaxat refectione utebatur : animi ſpiritualem ſimul adhibens refectionem , jubens ſibi prælegi unum alterumve S. Scripturæ capitulum. Poſtmodum tantisper quieſcebat , ac deinde ſtudia reſumebat uſque ad quintam veſpertinam : dum Officium nocturnum cum ſocio legere ſolebat , ut mane ad cætera eſſet expeditior.

Eam vivendi conſuetudinem tenuit ad extremum uſque vitæ diem , quem lætus aſpexit die 27. Februarii 1649. dum annum ætatis ageret LXIX. Virtutes ejus enarrarunt , quotquot noverunt Virum hunc , in opinione ſanctitatis defunctum. Oſſa illius cineresque , è medio templi S. Amati , ubi prius ſepulta fuerant , majoris reverentiæ & venerationis ergo in medium chorum transferri voluit Capitulum S. Amati ; appoſito hoc Epitaphio.

D. O. M. Sacrum.
Hîc ſitus eſt
FRANCISCUS SILVIUS,
A Brania Comitis ,
Quem Lovanium
Philoſophiæ & Artium Laureâ
Coronavit ,
Duacum ejuſdem Doctorem
In Regio ſuſpexit ,
Præſidem ſibi datum
Epiſcoporum Seminarium ,
Doctorem S. Th. renuntiatum
Cathedra eaque primaria
Multos annos habuit ,
Academia ſuum Vice-Cancellarium ;
Canonicorum S. Amati Collegium
Et Chorus Decanum ,
Eumque per aſſiduum laborem
SS. Auguſtinus & Thomas ,
Ille Diſcipulum tenacem ,
Hic fidum Interpretem ;
Cui ſolemne Officium
Ritu duplici Decanali
Quotannis decantandum ,
Etiam vivus curavit & fundavit.
Pauperes & Religioſæ Familiæ ,
Quos bonorum ſuorum omnium
Ex aſſe fecit heredes ,
Liberalem Patronum.
Multis elucubrationibus ,
Studiorum laboribus ,
Et morborum acutiſſimis doloribus
Fractum , publico certatim omnes
Et honorifico funere elatum
Luxêre.
Exceſſit è vivis

Digitized by Google

FRANCISCVS. SONNIVS.

Anno à Nativitate Chriſti
M. D. C. XLIX. ætatis 69.
Menſis Februarii die 21.

Multa ſcripſit, omnium calculo probata: in quibus præſertim elucet animi manſuetudo atque tranquillitas; ita ut, quantumvis ſubinde laceſſitus aut ſcriptis offenſus, numquam tamen livorem livore depulerit, etiam cum aliorum opinionem impugnare cogeretur. Lucem viderunt eo vivente,

D. Thomæ Aquinatis Opuſcula, è MSS. Codd. emendata. Duaci, apud Pet. Borremannum, 1609. 8. Tom. II.

Explicatio Doctrinæ D. Thomæ, de primo Motore. Ibid. apud Marcum Wionum, 1609. in 4.

Sententiarum liber de Statu hominis poſt peccatum, è SS. Patrum ſcriptis. Ibid. 1614. & 1616. 8. item apud Ger. Pattè, 1624. 12.

Inſtructiones Paſtorum S. Caroli Borromæi, ad Belgicarum Eccleſiarum uſum accommodatæ. Ibid. 1616. & 1624. 8.

Enchiridion Petri Binsfeldii, Notationibus actum & illuſtratum, 1622. 1625. & 1630. 8.

Summa Conciliorum Barthol. Carranzæ Additionibus illuſtrata; typis Ger. Patté, 1639. 8.

Commentarii in Summam integram D. THOMÆ *Aquinatis.* In primam partem anno 1631. fol. apud Ger. Patté. In I. II. ibid. 1635. in II. II. ibid. 1628. In III. Partem & Supplementum, typis M. Wioni, 1628. & 1622. item 1637. apud Ger. Patté, & aliàs ſæpius, Antverpiæ, Duaci, Pariſiis, Coloniæ, & alibi.

Commentarius in Geneſin. Ibid. 1639. in 4.

De præcipuis Fidei Controverſiis, Ibid. 1638. 4.

Reſolutiones Caſuum variæ. Ibid. 1638. in 4. magni apud Caſuiſtas ponderis.

Orationes Theologicæ. Ibid. apud M. Wion, 1621. 8.

Oratio Apologetica pro D. Thoma Aquinate 1624. 12.

Oratio de Sanctiſſima Trinitate. 1633. 12. apud Patté.

Officia parva ſeptem. 1628. 16. apud Laur. Kellamum.

Denique *Regulam S. Benedicti*, Gallicè; typis Wioni, 1621.

Editionem novam Operum *Silvii* curavit anno 1698, ſex Tomis in folio *P. Norbertus Delbecque*, à Brania-Comitis, Ord. Præd. S. Theol. Magiſter; qui & Vitam prolixiorem Authoris iiſdem præfixit. Priores IV. continent *Commentarios in Summam D. Thomæ.*

Tomus V. varia ejus *Opuſcula*, antehac ſeorſim edita.

Tomus VI. *Commentarios in IV. priores Libros Pentateuchi*, uſque ad Caput XXXIV *Numerorum*, cui Author immortuus eſt: è quibus quæ in *Leviticum* & *Numeros* ſcripſerat, nunquam antehac fuerant edita.

FRANCISCUS DE SMIDT,

Antverpienſis, Societ. Jeſu, mortuus Liræ 7 Julii 1659. vernaculè evulgavit

Hiſtoriam Canadenſem. 12. Antv. 1651.

Meditationes quotidianas per decurſum anni. 8. Ant. 1681. aliaque plura Aſcetica, (quorum Seriem vide in Bibliotheca Scriptorum Societ. Jeſu) vel edidit, vel ex latino & hiſpanico vertit in Flandricum.

Vitam Catharinæ Daneels, Monialis Annunciatæ Lovanienſis, quæ ſanctè obiit anno 1626, deſcripſit vernaculè. Antver. 8. 1647.

Item Vitas *Petri Caniſii*, *Mariæ de Carvajal*, &c.

FRANCISCUS SONNIUS,

Cognomento DE CAMPO, vulgò *Vanden Velde*, ex Campaniæ Brabanticæ vico, cui *Son* nomen (unde &

Sonnii illi cognomen adhæſit) oriundus, poſt facta Silvæducis atque Ultrajecti ſtudiorum initia, Philoſophiam Lovanii hauſit, primumque inter Artium Magiſtros anno 1527. locum obtinuit, Collegii pauperum Standonici tunc alumnus.

Pòſt in Collegio Pontificio Adriani VI. ſacras litteras avidè arripuit, & ad S. Jacobum eadem in urbe conſtitutus eſt Parochus: Doctoris laurea anno 1539. unà cum *Joanne Haſſelio* inſignitus Profeſſorque Ordinarius. Migravit deinde Ultrajectum, poſtquam ibidem in Ædc Cathedrali dignitas illi Canonica obtigiſſet; ubi & Inquiſitor hæreticæ pravitatis eſt deputatus. Interfuit Concilio Tridentino, & Colloquio Wormatienſi anno 1557.

Romæ apud Paullum IV. Pont. Max. de novis per Belgium creandis Epiſcopis negotium peregit, Philippi II. nomine: ipſeque primùm ab anno 1562. apud Sylvæducenſes annos IV. pòſt Antverpiæ primus quoque Epiſcopus ſedit annos VI. Scripſit

Catechiſmum, ſive *Examen tironum militiæ Chriſtianæ*. Ultrajecti, 1554. 8. & Sylvæducis, 1570. 12.

Demonſtrationum Religionis Chriſtianæ ex Verbo Dei libros III. Antver. 1562. fol. & 1564. 4. Quibus à morte Auctoris acceſſit liber quartus, *De VII. Sacramentis*, 1577,8. Plantini typis.

Confutationem Calvinianæ Confeſſionis, per Inferioris Germaniæ regiones ſparſæ. Coloniæ, 1567.

Statuta Synodalia Diœceſis ſuæ, Antverpiæ apud Plantinum, 1576. 8.

Prodiit etiam apud Batavos anno 1570. in 8. libellus, hoc titulo: *Diviſio totius Belgicæ Urbium Abbatiarum &c. ad opprimendum per novos Epiſcopos Euangelium, Romæ anno 1558. definita, authore Franc. Sonnio Theol. Lovan.*; adjunctis Notis impiis, ac veneno Calviniano ſcatentibus. Sed demum *Acta* genuina *Sonnii*, *pro Erectione novorum Belgii Epiſcopatuum*, ex ejus Authographo fideliter eruta, prodierunt in *Collectione nova Diplomatum Belgicorum*, ſive Supplemento ad Opera *Mœi*, Tomo III. à pag. 515. Bruxellis 1734. curante J. F. Foppens, Eccleſiæ Mechlin. Canonico.

Obiit anno Chriſti 1576. pridie Kalen. Julii, ætatis LX. in Cathedrali D. Virginis Ædc conditus: cui tumulum marmoreum quieſcentis habitu S. P. Q. Antverpienſis poſuit.

D. O. M.
A ſole nomen mutuatus
Hîc occidit
FRANCISCUS SONNIUS,
Qui ab humili ortu,
Et per ſacri Studii gradus
Summoſque honores,
Apud Sylvæducenſes ann. IV.
Dein huic Urbi primus Antiſtes illuxit,
Utque plures per Belgium Antiſtites
Darentur, Legatus effecit.
Vim doctam mentis & ſtyli
Hæreſes ſenſerunt,
Et Wormacienſe Colloquium.
Pependit ab ore docentis
Lovan. Sylvæd. & Urbis hujus populus.
At Sortem iniquam!
Vix annos ſex hîc præfuit,
Dum ætate & meritis gravis,
A Principe Paſtorum evocatus
Deceſſit anno ſal. M. D. LXXVI.
Æternum ut vivat, lector precare.

Inſcriptio altera.

D. O. M.
FRANCISCO SONNIO, Brabantino,
Ex Acad. Lovan. Doctori Theol.
Primùm Sylvæduc. pòſt Antverp.
I. Epiſcopo,
Invicto in hæreſes Athletæ,
Hîc ſpe reſurrectionis quieſcenti,
Collegium Canonicorum,
Et S. P. Q. Antverp.
Parenti Opt. L. M. poni cur.
Vixit ann. LX.

Obiit

Obiit damno publico
Pridie Kal. Quinct. M. D. LXXVI.
Mortalis cum ſis, mortuo bene precare.

FRANCISCUS SONSBEKIUS,

Swollanus Friſius, J. C. clariſſimus, ſcripſit *Commentarios ad Uſus Feudorum*, quos Lovanii feriis Auguſtalibus publicè enarrarat; excuſos ibidem typis Servatii Saſſeni 1554. in fol. Prodierunt iterum in Theſauro ſive Oceano Juris, Tom. X. parte II. Venetiis 1584.

FRANCISCUS STATIUS ADVORTENTIUS TRIUMPHO,

Friſius, Bolſverdiæ natus, vir ſuo judicio quàm ingenio doctior; ſcripſit *De Mæcenate* libros VI. ad *Viglium Zuichemum* & *Joach Hopperum* Friſios, Senatores Regios: quibus mira ſe multaque ſcripturum pollicetur, juxta illud:

Sint Mæcenates, non deerunt, Marones.

Acceſſit *Oratio Funebris*, in Germania habita. Excudit Leydæ Gerardus Horſtius, 1565. 8. Vixit Amſtelodami, Presbyter bonæ quidem vitæ, ſed ex nimio ſtudio perturbati cerebri.

FRANCISCUS SWEERTIUS,

Filius Franciſci & *Gertrudis Van Os*, Antverpiæ natus eſt anno 1567. Vir ingenio ſollerti ac lepido, &, quod de Cæſare alibi ſcribit Cicero, ſale mero conditus & facetiis. Mercurium ſimul ſectari ſolebat ac Muſas, tempuſque omne à Mercurialibus negotiis liberum & vacuum ſcriptioni dare. Unde de eodem non illepidè Jacobus Colius ita cecinit, pleraque *Swertii* ſcripta verſu complexus:

Pinxerat Ortelius Capita *effigieſque Deorum*;
Deſcripſit totos Sweertius *ecce Deos.*
Funus & Ortelii *doctius cùm plangeret orbis,*
Ne pereant Lacrymæ, *cura laborque tuus.*
Quæque penes tantùm fuerant Monumenta *Brabantos*,
Te duce diverſas nunc adiêre plagas
Congeris Errantes Muſas, *aperiſque latentes*,
A te ſic iumen Lipſius *ecce capit.*
Illius & Flores *carpis, nectiſque corollas,*
Ipſa quibus Pallas nil mage ſuave petat.
Proh! quàm Mercurium tibi habes Phœbumque faventes,
Mercibus ex æquo qui ſtudiiſque vacas!

Narrationes Hiſtoricæ in Deorum Dearumque capita, ab *Ortelio* vulgata; ex Analectis *Andreæ Schotti* S. J. Antverpiæ typis Joannis Bapt. Vrientii, in 4. 1602. & in Theſauro Gronovii Tomo VII.

In XII Cæſarum Icones; ex Analectis ejuſdem *Schotti*. Ibid.

Belgii totius ſive XVII. *Provinciarum Germaniæ Inferioris* brevis *Deſcriptio*. Adhæret Mappæ Belgicæ, à *Vrientio* editæ, 1603.

Lacrimæ in Funere Abrah. Ortelii, collectore *Sweertio*, cum *Ortelii Vita*, typis Joan. Keerbergii, 1601. 8.

Meditationes Joannis Cardinalis de Turrecremata in Vitam CHRISTI; cum *Vita Card.* & *Precibus* ſelectis, Coloniæ, 1607. 12. apud Bern. Gualterum.

Selectæ Orbis Chriſtiani Deliciæ, hoc eſt, Epitaphia, Inſcriptiones &c. ex Urbibus, Templis, Bibliothecis, & aliunde. Ibid. 1608. 8. & iterum 1625.

Monumenta Sepulcralia Brabantiæ, Antver. 1613. 8. typis Belleri.

Notæ in Hieronymi Magi De Tintinnabulis libellum poſtumum, typis Wechelianis, 1608. 8. & Amſtelodami 1664. in 12.

Muſæ Errantes Juſti Lipſii, ſive Poëmata ejuſdem. Antver. 1609. 4.

Flores Lipſiani, ſive Sententiæ & ſimilitudines è *J. Lipſii* ſcriptis. Coloniæ,

1614. & 1620. 12. Quod ante *Sweertius* cœperat, *Lipſio* vivente, *Nic Stochius*, edito è monumentis ejuſdem Mellificio duplici, Similium & Aphoriſmorum, Lugd. Batavor. 1591. 12. & *Joach. Niſſæus*, edito Mellificio Delitiarum, Francof. apud Marnium. Sed & Philoſophiæ totius Flores è Lipſio editi ſunt Magdeburgi, 1600. 8.

Poëmata Joannis Bochii S. P. Q. Antverp. à Secretis, & *Aſcanii Filii*, quæ ſedibus incertis vagabantur, à *Sweertio* ſimiliter edita. Coloniæ, 1615. in 8. apud Kinckium.

Joco-ſeria atque *Epitaphia*, *vetera*, *nova*, *latina*, *gallica*, *hiſpanica*, &c. Ibid. 1623. typis Gualteri, 8.

Sententiæ rariores ex primæ notæ Hiſtorographis. Ibid. 1625. 16.

Denique *Athenæ Belgicæ*, ſive Nomenclator Inferioris Germaniæ Scriptorum: cujus majorem partem ex ſua Bibliotheca Belgica toto quinquennio antè evulgatâ, tranſcripſiſſe contendit Valerius Andreas. Antver. 1628. fol. typis Guil. à Tungris. Sed & Swertius in Præfatione ſua *Athenarum Belgic* viciſſim & acriùs in Val. Andream invectus eſt; contenditque ſibi deputari non poſſe ad culpam; *quod in eadem* (inquit) *arenâ uterque ludimus*, *quod ad metam eandem currimus*, *quod in ſimili argumento fructum & laudem quærimus*. Ita Swertius.

Uxorem duxerat Suſannam Van Erp, ab eaque ſex liberis ſuſceptis, moritur Antverpiæ anno 1629, ætatis LXII. ſepulchro paterno in D. Georgii illatus. Symbolum illi erat AMA LATERE.

FRANCISCUS TANT,

Minorita, Urbis Brugenſis & Conventûs alumnus, Dunkerkenſis & Iprenſis Guardianus, Pariſiis aliquot annos S. Theologiæ impendit; ſcripſitque, teſtante Swertio in Athenis Belgicis,

In Magiſtrum Sentent. M. S.

Ætate florente, ad vitam immortalem migravit anno 1602.

FRANCISCUS THORIUS,

Balliolanus, Flander, Medicus & Poëta, claruit Pariſiis. Vulgavit

Joannis Straſelii. Belgæ, Profeſſ. Græci, *Commentariolum in aurea Carmina Pythagoræ*, cum ejuſdem *Straſelii* Epitaphiis. Pariſ. 1562. 8.

Scripſit & *Carmen de Pace*, è Gallico tranſlatum: item *Epigrammata* & *Satyras*.

FRANCISCUS TITELMANNUS,

Haſſeleti (quod eſt territorii Leodicenſis opidum) natus, Philoſophiæ ſtudia Lovanii peregit, primus in Scholis Artium è Pœdagogio Porcenſi anno 1521. Paulò poſt, Inſtitutum FF. Minorum S. Franciſci Obſervantium amplexus Lovanii, Theologus extitit notæ famæ, doctrinæ ac pietatis; quam ubique ſcripta ejus ſpirant, doctis & piis omnibus probata.

Carum hunc habuit CAROLUS V. Cæſar, qui fertur eidem fuiſſe auctor, ut in Pſalmos ſcriberet Davidicos. Et tamen virum talem Gilbertus Cognatus novem mordacibus Epigrammatiis, quæ leguntur Tomo I. Operum illius, atque Eraſmus, Epiſtolâ ad Bilibaldum Pirckhaimerum anno 1530. ſcriptâ, eumdem, ut *juvenem glorioſiſſimè loquacem*, perſtringere non erubuerunt. Sed ejuſmodi tum erant tempora, neque Eraſmus doctrinæ ſuæ caſtigatorem ferre poterat. Scripta verò *Titelmanni* iſta:

De Conſideratione Dialectica libri VI. ſæpiùs recuſi.

De Conſideratione rerum Naturalium, libri XII. Lovanii, & alibi.

Paraphraſtica Elucidatio in Job. Antverpiæ apud Steelſium, 1547.

In Cantica Canticorum, & *Eccleſiaſten.* Ibid. 1545.

In Pſalmos omnes Davidicos: additis & *Notationibus in eoſdem ex Hebræo ac Chaldæo.* Pariſ. 1545. Antver. apud Nutium, 1573. fol.

Elucidatio in Cantica Ferialia, quæ ex conſuetudine Eccleſiæ in Horis Canonicis decantantur. Ibid.

In Euangelium Matthæi. Antver. apud Steelſium, 1545.

In Euangelium Joannis. Pariſ. 1543. & Lugd. apud Rovillium 1556.

In omnes Epiſtolas Pauli, & aliorum Apoſtolorum. Venet. 1547.

Collationes in Epiſtolam Pauli ad Romanos.

Epiſtola Apologetica pro opere Collationum, ad *Eraſmum.*

De auctoritate Apocalypſeos B. Joannis, adverſus eumdem. Antver. in 8.

Summa Miſteriorum Fidei Chriſtianæ, ex SS. Scripturis. Coloniæ, 1555. & Antver. typis Joan. Belleri, 1571. 16.

Expoſitio Cæremoniarum Officii Miſſæ. 1558 8.

Meditationes ſacræ pro cordis in Deo conſtabilitione. Antver. 1530. typis Michaëlis Hillenii.

De SS. Trinitate, Expoſitio Officii Eccleſiaſtici, quo Eccleſia in illius diei ſolemnitate utitur. Cui adhæret

Oratio de præmatura morte bonorum, eodem auctore. Ibid. 1530.

Scholia in Arnoldum Carnotenſem, Abbatem Bonæ Vallis, *De VII. Verbis Domini in Cruce.* Antver. apud Mart. Cæſarem. 1532. 8.

Vita Joannis de Myrica, Lovanienſis, I. U. Doct. & *Oratio in Funere ejuſdem* habita à *Titelmanno.* Obiit *Myrica* anno 1527.

De Fide & Moribus Æthiopum. Ibid. 8. 1534. apud Simonem Cocum, unà cum Chronico *Amandi Zierixienſis*, à *Titelmanno* edito. Atque hæc ferè omnia Lovanii ſcripta, dum ſacras ibidem Litteras ac Philoſophicas diſciplinas traderet.

Romam anno 1537. profectus, novellum Capucinorum Inſtitutum amplexus eſt, ſeque contemplationi totum & leproſorum curæ mancipavit. Obiit Romanę Provinciæ Vicarius ſeu Prælatus, Anticoli, in agro Romano, anno 1553. XII. Septembris, non ſine ſanctitatis opinione, cùm vix ſextum ac quadrageſimum ætatis annum attigiſſet.

Vita ejus ac miracula gallicè in folio patente excuſa ſunt Leodii, typis Joan. Glainii; pluraque collegit *Zacharias Boverius*, Capucinus, in ſui Ordinis Annalibus ad an. 1537. Eadem edidit *Barthol. Fiſen*, S. J. in Floribus Eccleſiæ Leodienſis ad diem XII. Septembris, anno 1647. pag. 407.

Fratrem habuit *Titelmannus*, Petrum nomine, qui & ipſe Lovanii primus in Scholis Artium anno 1531. dein S. T. L. Hæreticæ Pravitatis Inquiſitor & Decanus Rothnacenſis, ac tandem Canonicus Cortracenſis: obiit anno 1572.

FRANCISCUS TOLENSIS,

Cognomento PISTORIUS ſive ARTOPÆUS (vulgo de BACKER) natus in Tola Zelandiæ inſula, Canonicus fuit Regularis Auguſtiniani Ordinis, & Supprior, ut vocant, in Monte S. Agnetis, apud Swollam Trans-Iſalaniæ opidum: juſſus inde migrare, cum reliquis, anno 1570.

Varia ſcripſit, quæ in ſui Ordinis Cœnobio Lovanii ad S. Martinum leguntur, hoc ferè ordine:

Dialogum De ſtudio ſacrarum litterarum: interlocutoribus *Apollonio*, *Manardo* & *Phileto.*

Item alterum de eadem materia: *Quo modo ſacris invigilandum Litteris*, interlo-

cutoribus *Leonardo*, *Judoco & Philephoro*; anno 1561. in fol.

Declamationem de bonarum litterarum ſtudiis, in illud Muſonii: *Si quid feceris turpe cum voluptate, voluptas perit, turpitudo manet: ſi verò quid feceris honeſtè cum labore, labor abit, honeſtas manet.* 1572.

Orationem protrepticam ad ſtudium ſacrarum Litterarum.

Orationem paræneticam ad idem ſtudium.

Dialogum de Invocatione Divorum: interlocutoribus *Cæcilio & Valeriano*, 1573.

Homilias III. de D. Gertrude, Virgine.

De Fide, Pudicitia, ac Virtute fœminei ſexus, 1574.

De vera Virginitate, ejuſque cultu.

Præterea Orationem habuit anno 1576. Kalendis Julii, cùm *Joannes Latomus*, Thronianæ Domus Præpoſitus, Jubileum ſacerdotale XXV. annorum celebraret.

Carmen quoque ſcribebat, genio non ita reclamante, ut apparet ex *Epithalamio, Eliæ Leonino J. C. & Dympnæ Roelantiæ* ſcripto: item ex illo, quo artificium & impoſturas expreſſit, quibus infelices Belgas miſerè infatuavit Guilielmus Princeps Aurantius.

Denique *Thomæ Kempenſis de Imitatione Chriſti* libros IV. latiniores fecit: quod ante illum malâ fide præſtiterat Sebaſtianus Caſtalio; toto libro quarto, qui de Sacramento tractat Euchariſtiæ, ſacrilegè ſublato. Antver. apud Bellerum, 1575. 16. cum Auctoris Vita.

FRANCISCUS VEKENUS,

Vulgo VANDER VEKEN, Antverpienſis, Societati Jeſu adſcriptus anno 1613. Philoſophiam Theologiamque totis 30. annis explicuit in Academia Colonienſi, in qua S. T. Doctor creatus fuit, dein etiam Provinciæ ſuæ Flandro-Belgicæ Provincialis. Peraceptus fuit Alexandro VII. Pont. Max. cui dum Apoſtolici Nuncii munere fungeretur Coloniæ, innotuerant Franciſci eruditio & dotes; ideoque evectus ad ſummum Pontificatum Romam ipſum evocavit; & ſacræ Pœnitentiariæ Theologum eſſe juſſit. Obiit in Domo Profeſſa Romana die 29. Aprilis 1664. ætatis anno 68. Scripſerat.

De Deo uno & trino & Attributis fol. Antver. apud Balth. Moretum 1655.

De ſimplicitate & libertate divina 4. Colon. 1648.

In Canonem Sacrificii Miſſæ Expoſitionem brevem. 12. Coloniæ 1644.

Actus ſex primarum Virtutum & Paraphraſim Cantici trium puerorum, poſt Miſſam. Coloniæ 1643.

In Orationem piiſſimam Anima Chriſti, & Pſalmum Miſerere Ibid. 12. 1643.

Initium S. Euangelii ſecundum Joannem. Ibid. 12. 1649.

FRANCISCUS VERVOORT,

Mechlinienſis, Ordinis Minorum S. Franciſci, Miniſter Provincialis in Belgio, ſcripſit idiomate flandrico librum de Amore Dei, quem inſcripſit *Veſtem Nuptialem Bezæ diaboli*, alioſque quoſdam vernaculos, item in *Pſalmos Davidicos* &c.

Moritur Mechliniæ anno 1555. die XXIV. Novembris.

FRANCISCUS VOSSIUS,

Dordracenus, *Joanis Gerardi* Filius, at parenti præmortuus, luſit

Carmine panegyrico Victoriam navalem, auſpiciis Ordinum fœderatæ Belgicæ, ductuque *Martini Heriberti Trompii*, partam. Amſtel. 1640. fol.

FRANCISCUS VRANK,

Batavus, in ſuprema Hollandiæ Zelandiæque Curia, quæ Hagæ-Comi-

FRANCISCUS
QUINI
Cardinalis
Ob Fidem Catholicam Exulans Anno 1587

tum reſidet, Conſiliarius, lecto fatali decumbens ſcripſit, contra Franciſcum Haræum, Theologum Hiſtoricumque Catholicum,

Refutationem ſinceræ Declarationis cauſarum belli Belgici, uſque ad annum 1608 à præfato Haræo editæ. 8. Bredæ 1618; neque operi ſuo ſupervixit Vrankius.

FRANCISCUS WENNIUS,

Parcenſis ad muros Lovanienſes Abbatiæ Canonicus Præmonſtratenſis ac Prior, exhibuit

Speculum Religioſorum. 4. Lovanii 1645.

FRANCISCUS WOWERIUS,

Joannis Filius, Antverpianus, puer admodum an. 1622. XVI. Kalen. Auguſti, Bruxellis, in conſeſſu Principum procerumque, *Oratione anniverſariâ* inclytæ memoriæ ALBERTI PII, Belgarum Principis, Manibus parentavit; editâ Antver. typis Plant. 1623. 4. unà cum *Erycii Puteani* Diſſertatione, quâ Suadę *Wouerii* applauditur.

FRANCISCUS A ZANDICQ,

Zelandus, urbi Ziriczæenſi à ſecretis & conſiliis, *Orationem* habuit ad CAROLUM V. ex Africa reducem. Extat inter Archiva Curiæ dicti opidi.

FRANCISCUS ZICHEMIUS,

Brabantus, ab opido natali cognomentum hoc mutuatus, Ord. Minorum, Cœnobii Machlinienſis ac Trajectenſis Guardianus; ſcripſit

Explicationem in VII Verba, quæ in Cruce CHRISTUS *protulit.*

Concionem de Eleemoſynæ efficacia. Antver. 1556. Belleri typis.

Enarrationem in Prophetam Jeremiam. Coloniæ 1559.

Exhortationem Laconicam ad Mortem. Trajecti ad Moſam, 1554. 8. apud Jac. Balthenium.

FRANCISCUS ZYPÆUS,

Vulgò VAN DEN ZYPE, J.C. Canonicus, Officialis atque Archidiaconus Antverpienſis, natus Mechliniæ anno 1580. ſed Antverpiæ renatus: huc enim delatus infans (occupatâ à rebellibus Machliniâ, ſacriſque Eccleſiæ ritibus abrogatis,) fonte ſacro tinctus fuit. Major factus, ac litteris ſtudiiſque politior cultiorque, miſſus eſt Lovanium, & quintum inter Artium, ut vocant, Magiſtros locum anno 1599. obtinuit.

Exin Juris ſe ſtudio dedit, & Baccalaureorum J. U. Collegio Fiſci titulo præfuit: quod munus deinde poſt menſes aliquot coactus eſt deſerere, vocatus à Reverendiſſ. *D. Joanne Miræo*, Antverpienſium Præſule, ut illi ab Epiſtolis eſſet ſecretioribus; atque interim etiam Canonicis Anderlechtenſibus adſcriptus fuit. Lovanium reverſus, pro gradu Licentiæ, ut vocant, in utroque Jure conſequendo, anno 1604. die x. Januarii difficilem repetiit materiam, *De eo quod intereſt*, tam feliciter (uti habent Acta dicti Baccalaureorum Collegii) *ut nomen ſuum, quod jam antè apud omnes per exercitia varia ita inclaruerat, ut magis poſſe non videretur, multò ſplendidius reddiderit.*

Vir ſanè ingenio eleganti, moribus humanis, ac fori utriuſque jure uſuque longo inſtructus, cui etiam Scripta pleraque ſua accommodavit: &, quæ laus eius non infima eſt, Authoritatis Pontificiæ & Juriſdictionis Eccleſiaſticę aſſertor ſtrenuus, ac Molinæi, Fevreti, Eſpeniique pſeudo-principiis omnino oppoſitus. A pluribus etiam Epiſcopis Belgii ad Imulas expetitus ac no-

minatus. Extant illius hæ lucubrationes.

Juris Pontificii Novi Analytica Enarratio. Coloniæ, typis Hierati, 1620. 1624. 8. & tertiis curis auctior, 1641. in 4.

Judex, Magiſtratus, Senator, libris III. Antver. typis Verduſſii, 1633. fol.

Notitia Juris Belgici. Ibid. 1635. 4.

Conſultationes Canonicæ, pleræque ex Jure noviſſimo Conc. Trid. recentiorumque Pontificum Conſtitutionibus depromptæ. Ibid. 1640. fol.

Reſponſa de Jure Canonico, præſertim noviſſimo.

De Juriſdictione Eccleſiaſtica & Civili, libri IV.

Hiatus Jacobi Caſſani obſtructus, libri III. quibus immenſa Scriptoris illius ambitio atque inordinatus erga Regem ſuum affectus detegitur, nulloque jure niti demonſtratur &c. Ibid. 1639. 12.

Hæc omnia ejus Opera in unum tandem Corpus collecta, duobus Vol. in folio prodierunt Antverpiæ apud Fratres Verduſſios 1675. ac dein alibi, & ſæpius. Aliud Authoris Encomium collige ex Epitaphio, quod extat Antverpiæ in Baſilica Marianâ.

NIL ADMIRARI.
Rev. Adm. D. FRANCISCO ZYPÆO,
J. C. Protonotario Apoſtolico,
Hujus Eccleſiæ Canonico,
Pridem Juriſdictioni ſacræ Præfecto,
Archidiacono, & Epiſcopatûs
Vicario generali,
Domino de Cowendalen &
Oudermeulen,
Doctrinæ elegantiâ,
Vitæ morumque integritate,
Juris dicundi ſolertiâ,
Editiſque ingenii ſui monumentis,
Bene de ſua,
Bene de poſtera ætate merito,
Petrus Florentius, & Guilielmus Zypęi
Fratri bene merenti
Hoc Monum. P. C.
Deceſſit anno ſalutis M. D. C. L.
Prid. Nonas Novembris Ætatis ſuæ 72.
Piis manibus Lector bene precare.

FRANCO.

Abbas II. Monaſterii Affligemienſis, Ord. S. Benedicti, in Brabantia, vir ſcientiæ mirabilis, caſtitatis integerrimæ, gravitatis honeſtiſſimæ, à Principibus terræ, ab Epiſcopis & viris religioſis in multa reverentia habitus; ut legitur in Supplemento Sigeberti Affligemii. Scripſit, jubente Fulgentio Abbate,

De Gratia ſeu Beneficentia Dei libros XII. Antver. 1565. Belleri typis, & Friburgi, 1620. 12.

Metricè, *Statum futuræ gloriæ* deſcripſit, teſte Henrico à Gandavo cap. XXXIX.

Addit Trithemius *Sermones de B. Virgine; & Epiſtolas ad diverſos.*

Legitur & *Franconis Monachi*, quem exiſtimo eſſe hujus noſtri *Franconis*, apud Regulares Tungrenſes, *Tractatus De Curſu Vitæ ſpiritualis*, per Diſtinctiones XII. vel, ut ipſe ſcribit, Tomos XII.

Electus eſt Abbas, anno 1122. datus ſucceſſor *Fulgentio*, quo jubente opus *de Gratia Dei* inchoarat, teſte eodem Trithemio. Ipſe verò jam factus Abbas *opuſculum prædictum conſummavit, in ejuſdem opuſculi fine laudes ſui prædeceſſoris declamans* (Ita dicto loco Henricus Gandavenſis.) Obiit anno 1135. Idibus Septembris.

FRANCO A BURGERSDYCK,

Petri filius, Lyræ in agro Delfenſi, ad ſecundum ab urbe lapidem, naſcitur anno 1590. v. Nonas Maias. Litteras humaniores, linguamque Græcam, partim Amerſfortii, partim Lugduni apud Batavos didicit, docuitque Philoſophiam toto quinquennio Salmurii

apud Gallos. In patriam reverſo, primùm Logicæ deinde Ethicæ Profeſſio à Curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ injungitur: cui & immortuus eſt anno 1635. Scripſit

Ideam Philoſophiæ Moralis, 1629. 12.

Ideam Philoſophiæ Naturalis.

Inſtitutionum Logicarum libros II.

Collegium Phyſicum Diſputationibus XXXII. abſolutum. Leidæ, 1637. 12.

FRANCO CALABRE,

Lovanienſis, Monachus Ciſtercienſis & Abbas Villarienſis in Brabantia, continuavit & ultimam manum appoſuit Chronico Monaſterii ſui; obiitque anno 1485.

Porrò hæc *Hiſtoria Monaſterii Villarienſis in Brabantia* Ordinis Ciſt. libris III. diſtincta, è duobus MSS. Codicibus, uno Abbatiæ Boniſontis in Diœc. Remenſi, altero Dunenſis in Diœc. Brugenſi, primum fuit è tenebris eruta anno 1717. atque in Theſauro novo Anecdoctorum collocata Tom. III. pag. 1267. curantibus Domnis *Edmundo Martene* & *Urſino Durand* Monachis Benedict. Congregationis S. Mauri.

Villarii lectum fuit hoc ejus Epitaphium.

Hoc ſub ſarcophago jacet Abbas CALABRE FRANCO,
Quem Baccâ dignum præclara Lutetia donat.
Magnum, ſubtilem, nitidum, doctumque, facundum,
Moribus, ingenio, vitâ quoque, dogmate, verbo.
Hic ſeptem viginti ſimul fere præfuit annis,
Mille quadringentis cumque octuaginta da quinque
Sæcula dum liquit, Decembris ſexta Kalendas.

FRANCO ESTIUS,

Gorcomius, Guilielmi Eſtii S. T. D. apud Duacenos celeberrimi propinquus, Poëta elegans, deſcripſit Carmine heroïco atque eleganti,

Laudem Rei Herbariæ, ad Rembertum Dodonæum; præfixo Hiſtoriæ Stirpium ejuſdem *Dodonæi*. Antverpiæ apud Plantin. 1583. fol.

Legitur aliud ejuſdem *Carmen* ſatis longum, præmiſſum *Godeſchalci Stewechii* in Vegetium Commentariis.

Prognen Tragœdiam; *Tabellas Goltzianas*; *Regiam Pacis*, aliaque, adſervare Amſtelodami manuſc. ſolebat Corn. Giſelbertus Plempius.

FRANCO,

Scholaſticus Eccleſiæ Leodicenſis, ſcientiâ litterarum & morum probitate clarus, reſedit anno 1060. ſub Henrico Imperatore. Scripſit, Sigeberto ac Trithemio teſtibus, opus ſubtile,

De quadratura Circuli, ad Herman. Archiepiſc. Colonienſem.

De Computu Eccleſiaſtico, librum I.

De Jejuniis quatuor Temporum. MSS. Leodici, ad S. Laurentium.

De Laudibus B. MARIÆ *Virginis*, olim MSS. in Monaſterio VII. Fontium apud Bruxellam.

S. FREDERICUS,

Ab ADELEN, à caſtro agri Franekerenſis ſic dictus (alii Adgilli II. Friſiorum Regis ex filia nepotem faciunt) Epiſcopus Ultrajectinus VIII. & Martyr illuſtris, multùm laboravit in Friſia contra Arianam hæreſin. Cumque ob inceſtas nuptias in Ludovicum Pium Imper. & Juditham Ducis Bavariæ filiam, ejus conſanguineam, acriùs incurreret, curâ Imperatricis ante ſanctum Dei altare fuit obtruncatus anno 839. multiſque miraculis cla-

ruit. Exſtat Vita apud Surium, 18. Julii, item in Actis SS. per PP. Hagiographos Antverp. Sed de cauſa necis ejus alii aliter ſentiunt. Vide Bataviam ſacram pag. 101.

Scripſerat S. Fridericus

Orationem luculentam *De SS. Trinitate*, quâ Friſii olim adverſus larvas, in albarum mulierum ſpecie apparentes, uti ſolebant. Hæc ferè Vorperus libro II. cap. XXXII. Becanus, & alii.

Hoc carmen ſepulchrale ad tumbam S. Frederici exhibet Ant. Matthæus in Fatis & Fund. Eccl. pag. 65.

Hoc tegitur ſacrum FREDERICI *marmore Corpus,*
Martyris egregii, Præſulis atque pii.
Et pius Albricus cubat hic, magnuſque Lugerus,
Complureſque alii; tu modo flecte genu.
Dixerit haud facilè quiſquam tibi corpora Divûm,
Quot locus hic habeat; tu modo flecte genu.

FREDERICUS AB HEILO,

Presbyter & Donatus, profeſſus in Monaſterio Heiloënſi, qui Hollandiæ inter Alcmariam & Egmondam eſt pagus, vir devotus & litteratus, Poëta, Orator & Theologus, multa edidit opuſcula, quæ in prædicto Monaſterio, & alibi, ante tumultus hoſce Belgicos legi ſolebant, dein à Marco Zuerio Boxhornio, ſuo ſibi ære redempta, poſſidebantur Lugduni apud Batavos:

De Incluſione Religioſorum.
De Dignitate Sacerdotali libri I.
De Collectione mentis in ſe.
De Choreis.
Contra Sacerdotem lubricum.
De Peregrinantibus.
De Fundatione Domus Regularium prope Haerlem.
Carmina de S. Baſilia, in *Warmonde* quieſcente.
De Feſtivitatibus B. Mariæ
Sermones de Tempore & Sanctis: *Epiſtolæ*, & alia.

Obiit anno 1455. v. Idus Octobris in Monaſterio de Heilo.

FREDERICUS HILTROPF,

Aſſindienſis (vulgo ESSEN, quod eſt Comitatûs Marcani ac Diœceſis Colonienſis oppidulum) J. U. L. liberi & illuſtris Capituli Comitiſſarum Virginum Imperialis Eccleſiæ Aſſindienſis Syndicus & Advocatus celeberrimus; evulgavit

Protribunalium moderni Fori Libros IV. ſive Proceſſum Judiciarium ad celebriorum hujus ſæculi Tribunalium Practicam obſervationem perſpicuâ brevitate accommodatum. 4. Coloniæ apud Henningium 1629; ac rurſum 1705. & 1709.

FREDERICUS AB INTHIEMA,

Friſius, Juriſconſulti titulo Lovanii donatus, primò Vorcomii in patria cauſſas tractavit forenſes, & Conſulatum urbis geſſit. Hinc in ſuprema Friſiorum Curia Leovardiæ Advocatum egit: ortoque hîc anno 1592. hæreticorum diſſidio, ſolum vertere coactus, in Friſiam conceſſit Orientalem, Comitique Embdano à Conſiliis fuit. Scripſit, teſte Suffrido Petri,

De Regum malorum gubernatione libros II.

Conſiliorum Juris opus grande.

Querelam Batavorum. Item *Carmen De Nativitate, Sepultura & Reſurrectione* CHRISTI.

FREDERICUS DE MARSELAER,

Toparcha de Opdorp, Perck, Loxem &c. Eques, Antverpiæ natus eſt patre *Adriano*, Senatorii ordinis, Poëtâ vernaculo


VOLAVERUNT
ANNA

vernaculo; ibidemque litterariis rudimentis imbutus, Lovanium deinde ablegatus est, Philosophiâ Jurisprudentiâque imbuendus; titulumque Juriſconſulti anno 1611. x. Kalendas Apriles accepit.

Lustratâ hinc Italiâ, sedem fortunarum suarum delegit Bruxellam, ductâ in uxorem illustris stirpis *Margaretâ de Baronaige*; functus ibidem non uno Magistratu, Senator, Thesaurarius, ac septimùm Consul urbis Bruxellensis.

Scripsit, post *Octavianum Magium*, *Conradum Brunum* & *Albericum Gentilem*, de Legationibus Dissertationes, quas inscripsit

KHPYKEION, sive *Legationum Insigne*, libris II. Antver. apud Guil. à Tongris, 1618. 8. & duplo auctiùs, ibid. typis Plantin. 1624. 4. LEGATI titulo. ac rursum in fol. Antv. 1666.

Legatio mentis ad Deum. 12. Br. 1671.

Moliebatur item *Consilia & Conatus Nobilium*.

Obiit die 7. Novembris 1670, sepultus unà cum conjuge, in choro Ecclesiæ parochialis de Perck, ubi visitur utriusque insigne Mausolæum marmoreum, cum hoc Epitaphio.

Æternitati S.
Omnipotentis misericordiâ,
Gratiâ Virginis, quæ genitrix vitæ est,
Primævæ nescia labis,
Suffragiis SS. Francisci & Claræ,
Ignatii & Theresiæ,
Piorum precibus,
Sub hoc marmore quiescens,
Post mortalis occasum,
Immortalis vitæ ortum exspectat,
FREDERICUS DE MARSSELAER
Eques Auratus,
Illustri â centum lustris lare,
Toparcha liberi Dominii de Opdorp,
Principibus & populo charus,
Qui post septimum Urbis Bruxellæ
Consulatum,
Nec non publica alia gesta munia,
Post discussam
Obeundæ apud Deum hominesque
LEGATIONIS FORMAM,
Supremam susceperus,
In cœlum ut proficisceretur expeditiùs,
Hîc sarcinam deposuit mortalitatis,
Juxta dignissimam casti thori conjugem,
MARGARETAM DE BERNAIGE,
Ex Baronibus de Wesemall', Lecke, Bautershem, Dominis de Wavre, Perck, Elewyt,
Quæ præmaturo cedens fato,
Antecesserat XX. Julii, anno
M. D. C. XLVI.
Ipse subsecutus VII. Novembris
Anno M. D. C. LXX.
O homo imago Dei, terræ vapor, umbra, putredo,
Summa boni & voti est, nosse & amare Deum.

FREDERICUS MOLLERUS,

Brabantus, è Poëtarum classe, scripsit

Carmen heroïcum *De prima Hebdomade*, seu *Mundi Hominisque ortu & hujus lapsu*. Duaci, 1587. 4. typis Joan. Bogardi.

Item elegiacum *De creatione & Angelorum lapsu*. Lovanii, 1600. 4. apud Masium.

FREDERICUS SCHENCK,

Ex illustri vetustaque Baronum de Tautenburch familia oriundus, patre *Georgio*, Aurei Velleris Equite, & Frisiæ Occidentalis ac territorii Groningani Gubernatore, è priori conjuge (quę ex *Vossiorum* apud Trans-Isalanos familia erat) unicus filius.

Vir fuit doctissimus, divini humanique juris peritissimus; staturâ quidem corporis exiguâ satis, at animo erecto atque excelso, spiritu vegeto,

ingenio acri & ad quidvis expedito, judicio etiam in infirma adhuc ætate firmo ac præmaturo; adeò ut ætatis anno XVII. Laureâ Juris Doctorali insigniri, vicesimo verò secundo Carolo V. à secretioribus consiliis esse meruerit; ac demùm Assessor Præsesque Cameræ Imperialis Spiræ, *Viglium Zuichemum*, Frisium, nactus Collegam.

Porrò memor illius *Exeat aula, qui vult esse pius*; ætatis tertium & tricesimum agens annum, relicto Spirensi auditorio anno 1536. Ecclesiasticæ vitæ, cui eum destinarat parens, sese dedit, & ex Præposito D. Petri Ultrajecti ac S. Plechelmi Oldensaliæ, primùm LXI. Episcopus, pòst primus Archiepiscopus est designatus, præfuitque annis XXI. Obiit anno 1580. XXV. Augusti, ætatis LXXVII. conditus in Ecclesia Metrop. ad ostium sacristiæ, sub tumulo honorifico etiamnum conspicuo, atque hoc Epitaphio.

D. O. M.
In memoriam Illustrissimi,
Reverendissimi,
FREDERICI SCHENCK,
Liberi Baronis in Toutenborch,
Domini in Wennessenbach, &c.
Archipræsulis Ultrajectini dignissimi,
Georgii Schenck,
Equitis aurei Velleris fortissimi,
Cæsareæque Majestatis
Caroli V. nomine apud Gelros,
Transisalanos, Frisios,
Olim Præfecti, filii,
Nobilitate nec non eruditione cõspicui,
Juris utriusque,
Sacræque Theologiæ Doctoris eximii,
Quondam Augusti Spirensis Senatûs
Præsidis amplissimi;
Dominique sui,
Cui per annos aliquot fuerat à secretis,
Clementissimi,
Jacobus Goudanus,
Gratitudinis benevolentiæque ergo
Dedic. Oct. Kal. Sept. die,
Anni millesimi quingentesimi
Octuagesimi, mortem obiit.
In Pontificatu annos novemdecim vixit.

LEMMA.

IN MEMORIA ÆTERNA ERIT JUSTUS.

Scripsit autem hæc, in Jure pleraque, & Tractatui Tractatuum inserta.

Triadem Forensem, Judicis, Actoris, & Rei. Antver. 1528. 8.

Progymnasmata Fori: sive *De iis, qui in judicio versantur, & de Actis civilium judiciorum*, libros II.

Viridarium Conclusionum Juridicarum. Simul edita Halæ Suevorum, typis Pet. Burbachii, 1537. fol. & Coloniæ, 1589. 8.

Tractatum de Testibus. Coloniæ, 1577. fol. cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus.

Interpretationes in libros III Feudorum. Ibid. 1555. & Heydelbergæ, 1584. in fol.

Dialogum contra temulentos. Antver. apud Hillenium.

Enchiridion veri Præsulis, sive *de Officio Episcopali.* Ibid. 1525. 8.

De vetustissimo sacrarum Imaginum usu in Ecclesia Catholica Ibid. 1567. 8. typis Joan. Latii.

Acta Concilii Provincialis Trajectensis, per Reverendiss. & Amplissimum D. Fredericum, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopum Ultrajectensem, præsentibus quinque Episcopis Comprovincialibus, Abbatibus & Prælatis, in Civitate Trajectensi & insigni Ecclesia Metropolitana indicti & celebrati, anno 1565. Extant in Batavia sacra Heussenii Parte 2. pag. 25.

FREDERICUS VANDER MYE,

Delfensis, Batavus, Reipublicæ Bredanæ Doctor Medicus, elegantis doctrinæ, carmenque pangere so-

litus non invitâ Minervâ ; ſcripſit

De Arthritide & calculo gemino Tractatum duplicem, id eſt, de eſſentia, cauſis, differentiis, ſignis & curatione horum affectuum. 4. Hagæ-Comitis 1624. apud Arn. Meurſium.

Diſputationem Philoſophicam de Lapidum generatione Ibid.

De Morbis & Symptomatibus popularibus Bredanis, tempore obſidionis &c. Antver. typis Plant. 1627. 4.

Hiſtoriam Medicam de vertigine, catharro, tuſſi vehementi, abortu &c. & curatione tentata honeſtæ fœminæ *Corneliæ van Dunne.* Ibid. 1624. 4.

FREDERICUS A SANDE,

Regneri filius J. C. Conſul urbis Arnhemienſis, ac deinde Geldriæ Zutphaniæque Senator, & Advocatus Fiſci, ad eas dignitates, abſolutis feliciter domi foriſque ſtudiorum laboribus, doctrinæ, prudentiæ, aliarumque virtutum merito evectus, nomine Fœderati Belgii varias Legationes apud Ducem Brunſvicenſem Urbeſque Anſeaticas obiit, ac demùm Hagam-Comitis ad Ordinum conſeſſum evocatus, ibidem è vita abiit, anno 1617 ætatis XL. Illius eſt

Commentarius in Geldriæ & Zutphaniæ Conſuetudines Feudales. Hardervici, 1625. 8. & Arnhemii, 1637. 4. typis Jac. Bieſii.

Commentationem verò ejuſdem *de Effeſtucatione*, cum Additionibus, & ſupplemento duorum Capitum, publici Juris fecit *Lambertus Goris*, Arnhemii, 1638. typis Jac. Joannis.

Porrò hæc ejus Opera Juridica, unà cum Operibus fratris ejus germani, *Joannis à Sande*, in ſupremâ Friſiorum Curiâ Senatoris, denuò prodierunt in fol. Bruxellis apud Fratres t'Serſtevens 1721. curis *Liberti Franciſci Chriſtyn*, ſupremi Brabantiæ Conſilii Senatoris ac Vice-Cancellarii.

FREDERICUS DE VRY,

Amſtelodamenſis emporii toto orbe celeberrimi & civis & Conſul, operis hujus vernaculi author fuit,

Hiſtorie, oft kort ende waerachtig verhael van den oorſpronck ende voortganck der Kerkelyke beroertens in Hollandt. 4. Amſtelod. 1621.

FULBERTUS,

Doctor clariſſimus, ſcripſit, jubente Epiſcopo Gerardo, librum

De Vita & Miraculis S. Auberti, Epiſcopi Cameracenſis. Ita Baldericus in Chronico Camerac. libro I. cap. LXXVII. Legitur apud Surium Tomo VI. 13. Decembris, item Cameraci in Abbatia S. Auberti. Atque ex fine ejuſdem Vitæ colligitur, auctorem illius vixiſſe ſub Erluino & Gerardo I. Epiſcopis, adeoque eumdem eſſe cum hoc noſtro *Fulberto.*

Erluinus autem obiit anno 1011. vel XII. & Fulbertus iſte in nova Galliæ Chriſtianæ editione memoratur Carnotenſis Epiſcopus. Si ita: obiit anno 1028. Videndus Commentarius Oudini de Scriptoribus Eccleſ. Tomo II. pag. 519. ubi plures alios Tractatus huic Fulberto adſtruit.

B. FULCO,

E Canonico B. M. Audomaropoli, Abbas Sithienſis S. Bertini & S. Vedaſti Atrebati, indeque anno 882. electus Archiepiſcopus Remenſis. Scholas publicas Remis inſtituit, *Conciliumque* habuit anno 892. in quo Carolus Simplex, Filius Ludovici Balbi, Francorum Regni legitimus Succeſſor ab eodem Præſule inungitur, & datæ ſunt

ab eo comminatoriæ *Litteræ* ad Balduinum Comitem Flandriæ, rerum Eccleſiaſticarum invaſorem.

De his fuſiùs *Flodoardus* in Hiſtoria Remenſi libro IV. cap. I. & ſequentibus; atque ex eodem, Sirmondus, Labbæus, & Harduinus in Conciliis Generalibus.

Porrò cum ſediſſet Fulco annis XIX. à Wenemaro Lillerienſi, Balduini Flandrorum Comitis fraude, anno 901. lanceis interimitur: inter eos qui pro Eccleſiaſtica immunitate martyrium paſſi ſunt, celebratus apud Molanum, Miræum, aliosque recentiores Hagiographos, ad diem XVII. Junii.

FULCUINUS,

Seu FOLQUINUS, ex Monacho Sithienſi ſive S. Bertini, intra muros urbis Audomaropolitanæ, Abbas XXII. Laubienſis Monaſterii, Ordinis S. Benedicti, ad Sabim fluvium, ſecundo milliari à Binchio Hannoniæ opido, ſub finem ſæculi X. claruit. Scripſit

De Rebus geſtis Abbatum Laubienſium. MSS. Laubiis, Gemblaci, Tornaci in Collegio Societ. Jeſu & alibi.

Hocce Chronicon dein evulgavit anno 1664. Domnus *Lucas d'Achery*, Benedictinus è Congregatione S. Mauri Tomo VI. ſui Spicilegii Pariſiis editi. Quod opus *Fulcuini* dein ab aliis productum fuit: quorum unius *Breve Chronicon* vide editum Tomo III. novi Theſauri Anecdot. per eoſdem Benedictinos pag. 1409.

De Miraculis S. Urſmari. Manuſc. Leodici ad S. Jacobum. Extat etiam in Actis SS. Menſis Aprilis Tom. II.

Vitam S. Fulcuini. Epiſc. Morinenſis ſeu Teruanenſis, qui obiit anno 855. XIX. Kal. Januarii; olim MS. Cambronæ in Hannonia, & in Rubra Valle apud Bruxellam, dein inſertam Actis SS. per PP. Hagiographos Societ. Jeſu, item Actis Ordinis S. Ben. per Mabillonium Tomo IV. parte I. pag. 622.

Homiliam ſuper Evangelio de Zizaniis. MS. Lovanii ad S. Martinum.

Obiit anno 990. ad S. Urſmarum apud ſuos conditus, poſito ad tumulum hoc Epitaphio.

Celebs Fulquinus requieſcit hîc tumulatus,
Nobilitate cluens, Abbatis nomine glicens,
Divinis ſatagens, humana ſophiſmata callens
Cujus peccatis veniam lector petat omnis.

Ioannes Wolfius Oettingus.

Adest in hoc tibi, Lector, effigies
Hic Wolfius ipsum videtur, ut loquens
Nascetur, ut fit, qui sibi non, Patriæ, parens
Hic ut floret, ut vivit, ut moritur.

G.

GABRIEL AYALA,

ORigine Hiſpanus, habitatione Antverpienſis, Medicinæ Doctor in Academia Lovanienſi renunciatus anno 1556. fuit ſimul Poëta; ediditque

Popularia Epigrammata Medica.

Carmen pro vera Medicina

De lue peſtilenti: cum Notis.

Elegiarum librum unum. Omnia hæc ſimul impreſſa Antverpiæ apud Guilielmum Silvium 1562. in 4.

GABRIEL VAN BEMMEL,

Bruxellenſis, J. C. titulum anno 1612. adeptus Lovanii, & S. P. Q. Bruxellis ab Actis, vir ab eruditione atque humanitate laudatus, ſcripſit

Triumphos SS. Ignatii de Loyola & Franc Xaverii, Societat. Jeſu, in Divos relatorum. Bruxel. 1622. 8.

GABRIEL COLINS,

Angianus, Canonicus Regularis Ordinis Norbertini, apud Ninovienſes, ſcripſit idiomate Flandrico

Vitam S. Wivinæ, Fundatricis & primæ Abbatiſſæ Bigardienſis, juxta Bruxellas. Antver. 1632. 8.

GABRIEL JANSENIUS,

Scholarcha Aloſtanus, in Flandria, puer operam dedit Brugis Guilielmo Liekerckio. Scripſit Tragi-comœdias V. ſacras, ac tres fabellas; quarum hi ſunt tituli:

I. *Monomachia Davidis cum Goliath.* II. *Nabalus.* III. *Judicium Regis Salomonis* IV. *Cæcus à Nativitate.* V. *S. Martinus.*

Fabellarum verò inſcriptiones ſunt. I. *Bruſquetus*, Galliarum Regis circulator & morio. II. *Philippus fatuus ſub matre ſtolida.* III. *Nobilis ruralis.* Adjuncta ſunt *Epigrammata* varia. Omnia ſimul Gandavi edita, apud Gualterum Manilium, 1600. 8.

GABRIEL MUDÆUS,

Natus Brechtæ (quod municipium eſt agri Antverpiani non ignobile nec infrequens) eodem quo Carolus Cæſar anno, parentibus honeſtis, loco & re non infimis. Exemplum *Joannis Cuſtodis*, avunculi ſui majoris, ſecutus, litterarum ſe ſtudiis à teneris dedit.

Unde & Lovanium puer admodum miſſus, anno 1523. in celeberrimo quatuor Pœdagogiorum concurſu, primum locum ſtudii Philoſophici, in Lilienſi Gymnaſio, conſentientibus ſuffragiis tulit, ætate adhuc infirmâ & immaturâ; atque *Nicolao Clenardo*, *Alardo Amſtelodamo*, ceteriſque id genus viris, doctrinâ & famâ magnis atque illuſtribus, ob commendationem indolis mox innotuit: uſus etiam convictu & familiaritate interiore *Eraſmi* in prædicto Lilienſi Collegio, ubi ille, quoties Lovanii verſabatur, excipi hoſpitio ſolebat.

Eo factum, ut, liberis ſui doctorem Philoſophiæ Juriſque quærente *Laurentio à Blioul*, Viro in Aula tum potente, qui *Mudæo* præferretur, repertus fuerit nemo. Cum quibus exindè non Lovanii ſolùm, ſed & in pleriſque Galliæ Academiis conjunctiſſimè vixit, cauſaſque Pariſiis publicè peroravit, cum admiratione & ſtupore audientium.

Lovanium reverſus, unà cum *Hieronymo de Blioul*, *Laurentii* Filio, anno 1539. pridie Nonas Maii ſupremum in Juriſprudentia titulum accepit; & anno 1544. primam Juris Cathedram ob-

Digitized by Google

tinuit. Erat *Mudæo* ingenium ſubtile, judicium maturum, memoria firma etiam in infirma ætate; oratio polita & elegans, multis id ævi incognita: antiquitatis notitia non vulgaris: quæ omnia cum exquiſita Juriſprudentiæ doctrina in ſuggeſtum adferebat, ex eoque proferebat, magno cum delectu ac fructu.

Primus tum Lovanii eam interpretationis rationem tradidit, ut cum Philoſophia (Artium liberalium inſtrumento) literarum ſcientiam atque antiquitatis notitiam conjungeret, ut rem univerſam definiendo deſcriberet, partiendo diſtribueret, diſtinctione cauſarum evolveret, eventuum explicatione muniret, & quid in quoque verum aut falſum ſit commonſtraret.

Quam à Præceptore & hoſpite docendi rationem accepit & ſecutus eſt *Matthæus Weſenbecius*: qui *Mudæi* tempore ſupra duo ſtudioſorum Juris millia Lovanii numerata ἀυτόπτης affirmat. Ceterùm *Mudæum* Doctorem ſuum paſſim laudant, *Andreas Gaillius*, *Franciſcus Balduinus*, *Hieronymus Francus*, aliique. Pluribus verò in laudes Præceptoris abit *Petrus Vanderanus*, Enchiridii Judiciarii libro III. cap. VII. quo loco in præcipuas Juris partes commentatum fuiſſe ac paraphraſticas elucidationes reliquiſſe *Mudæum* memorat.

De eodem Jacobi Cujacii, Juriſconſultorum coryphæi, ad diſcipulum quemdam ſuum Belgam, Biturigibus diſcedentem, hoc elogium eſt, *Ante illum talem in Belgio non habuiſtis, nec poſt illum habituri eſtis.*

A morte auctoris editi ſunt, curâ & ſtudio hæredum, præfante *Jacobo Roelantio* J. U. L. *Mudæi* genero, de media quadam via Legum interpretandarum, quam ſequi ille ſolet, *Commentarii* de Contractibus quattuor, *ad Tit.* Digeſt. *I. Pro Socio II. De contrahenda Emptione & Venditione.*

III. *De actionibus Empti & Venditi.*

IV. *De Pignoribus & Hypothecis.* Lovanii, typis Servatii Saſſeni, 1563. fol. & Francofurti anno 1586. typis Feyrabendii, ubi acceſſere

Commentarii in Tit. D. de Petitione Hæreditatiis. Et

In Tit. de Actionibus, ex Inſtitut. libro V. qui & ſeparatim antea editi, Pariſiis, 1583. 8. Francof. 1585. 4.

Comment. ejuſdem *in Titulos* XXI. *priores libri* VI. *Cod. de Teſtamentis*, excuſi Spiræ, 1604. 4.

Item *in Titulos omnes Cod. De reſtitutionibus in integrum.* Francof. cum aliis ejuſdem argumenti Scriptoribus, in fol.

Deceſſit Lovanii, anno 1560. die XXI. Aprilis, ſepultus in D. Michaëlis ante Venerabile Sacramentum, ſub Epigraphe ſequenti, relicto *Hieronymo* filio, qui J. U. Doctor anno 1570. renuntiatus, annis octo ſupervixit. E filiabus, altera nupta *Joanni van Aeſt* J. C. Bruxellenſi, altera *Jacobo Roelantio* J. C. Antverpiano.

GABRIELI MUDÆO,
Parenti amantiſſ.
Liberi poſſ.
NOCUIT DIFFERRE PARATIS.

GASPAR AMMONIUS,

Haſſelenſis Eburo, S. Th. Doctor, Præſes Provincialis Auguſtinianæ familiæ in Suevia & ad Tractum Rheni; Linguam hebraïcam apprimè calluit, ac publicè profitebatur circa annum 1515; eo ſcilicet tempore, quo *Mart. Lutherus*, hæreſiarcha totam commovit Germaniam; atque ex ipſo Auguſtiniano Ordine non paucos ſeduxit. Edidit Ammonius,

Grammaticam Hebraïcam, in libros V. diſtinctam, alioſque libros grammaticales, quorum unus agit de tri-

plici accentu, & carmine hebraïco componendo. Monuit Poſſevinus in Apparatu Sacro, hos libros cautè legendos.

GASPAR BARZÆUS,

A Goeſa, Zelandus, vulgò *Gaſpar Belga*, militiæ primò ſtipendia meruit ſub Carolo V. Imp. Verùm ſæcularis pertæſus militiæ, Chriſto nomen dedit, ſub Sanctiſſimi Nominis Jesu teſſera; fuitque è primis B. Ignatii, Societ. Jeſu Fundatoris Sociis, & individuus B. Franciſci Xaverii in India ſocius, atque Ormutinæ Inſulæ Apoſtolus, ubi multorum converſione ac miraculis claruit.

Scripſit binas *Epiſtolas*, eaſque prolixas, *de Rebus Ormutinis* (quæ Inſula eſt Sinûs Perſici) deque converſione ejuſdem inſulę ad Orthodoxam fidem. Quarum prior ſcripta anno 1549. IX. Idus Decembris in Ormutio, ad Socios Conimbricenſes: altera ad Luſitanos, anno 1551.

Epiſtolam item *Indicam*, ad B. P. Ignatium, ſcriptam anno 1553. cùm Rector eſſet Collegii Goani in India. Editæ omnes, cùm Epiſtolis Indicis. Lovanii, 1570. 8.

Obiit Goæ, anno 1553. XV. Kal. Novembris. Plura de Vita ejus ac rebus geſtis libro XIV. & XV. Hiſtoriarum Indicarum *Petrus Maffeius*, & libro ſingulari *Nicolaus Trigaultius*, Duacenſis, Societatis ejuſdem.

GASPAR DE BAVINCOURT,

Atrebas (ſeu Bapalmenſis aliorum teſtimonio) Eques Jeroſolymitanus, ex Monacho Aquicinctino, Ordinis S. Ben. Abbas Oudenburgenſis apud Brugas, ejuſdem Ordinis renunciatus anno 1569, ac paulò poſt ab Ordinibus Flandriæ in Hiſpaniam ad Regem Philippum II. deputatus. Reliquit gallico idiomate deſcriptum

Iter ſuum *Jeroſolymitanum*, & *ad Montem Sinai*.

De ſui cognitione, verſibus Gallicis, libros II.

De Arithmetica lib. I. Aliaque, quorum tamen nihil in publicum prodiit.

Ad Superos migravit anno 1576. die XI. Februarii, ætatis anno XLVIII. regiminis octavo.

GASPAR BERUS,

Lovanienſis, Ord. S. Mariæ de Monte Carmelo Bruxellis, ſcripſit

Commentaria in Epiſt. PAULI *ad Romanos.*

Explicationem X. *Præceptorum*. Et alia, recenſente *Petro Lucio* Carmelitâ, qui ea Bruxellis ſe vidiſſe teſtatur.

GASPAR COLLART,

Sereniſſ. Belgarum Principis Iſabellæ Claræ Eugeniæ domeſticus, ſtabuli per annos prope 30. præfectus, ac gregis equarum proletarii in Silva-Zoniæ director, deſcripſit libello gallico:

Recueil & abregé, contenant les qualitez de toutes les parties de la bouche du cheval, la curioſité du cheval leger, le devoir du Maitre d'eſcurie, les receptes pour les maladies des chevaux &c. 12. Bruxellis apud Schoevaerts 1627.

GASPAR GELLIUS,

Dieſtemius, Brabantus, Religioſus Præmonſtratenſis Abbatię Floreffienſis, in Comitatu Namurcenſi, edidit

Poëmata ſacra; in his *de Ordinis ſui Origine, & B. Norberti Vita*, carmine heroïco. Lovanii, apud Zangrium, 1600. 4.

GASPAR HARTEVELDT,

Canonicus Eccl. Colleg. S. Catharinæ Gravienſis, ſcripſit

Chronica Geldriæ. Molanus in Natal. SS. Belgii, 19. Decembris.

GASPAR JONGELINUS,

Antverpienſis, Ord. Ciſtercienſis, profeſſus ad S. Salvatorem in patria, poſt annos duodecim migravit ad Abbatiam Veteris Montis, ſive *Aldenbergh* in Ducatu Montenſi prope Coloniam, ac S. Th. Doctor creatur. Electus anno 1641. Abbas Diſenbergenſis ſive Montis S. Diſibodi in Diœceſi Moguntina, ac poſtea cedente in favorem ejus ipſo Sigiſmundo Archiduce Auſtrio-Tyrolenſi Abbas Uterinæ Vallis, vulgo *Euſſerthal* Diœc. Spirenſis.

Verum utroque hoc Monaſterio per Lutheranos occupato, proventibus ſuis fruſtratus, alia quædam Beneficia ab Auguſtiſſ. Cæſare Ferdinando III. obtinuit in Regno Hungariæ, ac ſignanter Canonicatum in Cathedrali Eccleſia Javarinenſi, vulgo *Raab*.

Titulum inſuper Hiſtoriographi Cæſarei cum annuo honorario adeptus eſt; vivebatque etiamnum Viennę in Auſtria anno 1659. Tandem itineribus laſſatus, variiſque afflictus morbis, ad aerem natalem remigravit, requievitque in pace Antverpiæ anno 1669. ætatis 64. profeſſionis Monaſticæ 45. Abbatialis dignitatis 30. Evulgavit

Notitiam Abbatiarum Ord. Ciſtercienſis per Orbem univerſum, libris x. quibus ſingulorum Monaſteriorum Origines & Incrementa; Benefactorum, aliorumque illuſtrium Virorum Diplomata, Donationeſque recenſentur. Coloniæ, apud Joan. Henningium, 1640. fol.

Origines ac Progreſſus Ordinis Ciſtercienſis Abbatiarum Equeſtrium ſeu Militarium de Calatrava, Alcantara &c. Ibid. typis Brickmannicis, 1641. fol.

Purpuram Divi Bernardi, repreſentantem Elogia & inſignia gentilitia Pontificum, Cardinalium, Archiepiſcoporum, qui aſſumpti ex Ordine Ciſtercienſi in S. Romana Eccleſia floruerunt. fol. Coloniæ apud Henr. Kraft 1644.

Originem ac progreſſum celeberrimi Monaſterii de Caſtro-Aquilæ Ordinis Ciſt. in Wedderavia Diœc. Moguntinæ, fol. Colonię 1644.

Manipulum rerum memorabilium Clauſtri Hemmenrodenſis Ord. Ciſt. in Archi-Diœceſi Trevirenſi fol. publicavit Coloniæ Jongelinus, collaborante *Nicolao Heeſio* Religioſo Hemmenrodenſi.

Purpuram S. Benedicti, repræſentantem Elogia & Inſignia Gentilitia Pontificum, Cardinalium, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ejuſdem Ordinis. Item

Elogia & Inſignia Cardinalium & Epiſcoporum Ordinis Carthuſienſis. Hæc amborum Ordinum ſchemata compendioſa proſtant in folio patente, ſive tabulâ penſili.

Meditabatur etiam *Opus genealogicum, continens Genealogias Regum Principum aliorumque Virorum illuſtrium qui aliquod Ciſtercienſe Cœnobium fundarunt*.

Item *Catalogum Principum utriuſque ſexus, qui ſpreto ſæculo, in Ciſtercienſi Ordine Chriſto militarunt*: additis ſingulorum Inſignibus gentilitiis. An hęc duo Opera lucem aliquando viderint, aut ubi nunc lateant MSS., ignoratur.

In Eccleſia, quæ vulgo Petri Pots dicitur Antverpiæ, ad portam Sacriſtiæ Monumentum extat marmoreum, referens hujus magni Hiſtoriographi Epitaphium. D. O. M.

Lege Viator & luge.
Expectat hic viam univerſæ carnis
R. D. GASPAR JONGELINUS,
Quem Philippus IV. Rex Catholicus
Diſembergenſi, Ferdinandus III.
Imperiali Mona..erio Uterinæ Vallis
Abbatem præfecit, cedente
Sigiſmundo Archiduce Tyrolenſi;
Quem Carolus & Franciſcus
Lotharingiæ Duces
A ſecretis & conſiliis habuere;

Hunc

Hunc Cæſar Leopoldus
Et Ordo Ciſtercienſis
Hiſtoriographum ſuum Generalem
Venerantur.
Obiit hujus Abbatiæ filius
XVI. Junii, anno M. D. C. LXIX.

GASPAR KINSCHOTIUS,

Hagæ-Comitanus Batavus, Poëta magni nominis, edidit *Poëmatum libros IV* 8. Hagæ-Comitum 1685. Liber I. ſacra & pia, 2. Elegias 3. Res geſtas. 4. Poëmata miſcellanea continet. Quantus Vir fuerit, diſce ex hoc Epitaphio.

Mem. Sacr.

GASPARO KINSCHOTIO, Lud. F. „ Qui ex nobili Kinſchotiorum ac tot „ magnorum fœcunda nominum familia „ oriundus, Gentis ſuæ ſplendorem animi atque ingenii nobilitate penſavit. „ Poſtquam Linguarum Litterarumque „ humaniorum ſcientiâ non perfunctoriè imbutus, nec non Juriſprudentiæ Romanæ titulo decoratus, „ in comitatum VII. Virorum ad Pacis negotia è Fœderato Belgio cum „ ſumma poteſtate Legatorum adſcitus, haud pœnitendam publico „ operam in celeberrimo Monaſterienſi „ Conventu per triennium navaſſet, „ ſeque omnium undique Legationum „ primoribus ſingulari officiorum arte „ ſpectatum, charumque & bonis omnibus amabilem reddidiſſet, in ipſo „ juventutis flore ſummæ litterati Orbis ſpei, ac publicis votis immaturâ „ morte intercepto, amico integerrimo, ſuaviſſimo, optimè de ſe merito, & ſupremis quoque Tabulis affectum ſuum erga ſe teſtato, Janus „ Vlitius mœſtus P. Vixit annos 27. „ Menſem I. Receſſit in pace die 4. „ Kalend. Januar. anno Æræ Chri- „ Chriſtian : 1649.

De morte ſuaviſſimi elegantiſſimique Poëtæ Kinſchotii ſcripſit Idyllium, ſub nomine Daphnidis alter Poëta Batavus Joannes Van Mye, Lugd. Bat. 1650.

GASPAR LANTHOVIUS,

Monialium in Vimiaco, juxta Atrebates, qui & locus ejus fuit natalis anno 1518. Præfectus, edidit *Variorum Epigrammatum farraginem*, Duaci, apud Bogardum, 1587. 8.

Vivebat anno 1616. annos natus 98.

GASPARUS SCHETS,

Corvinus, *Eraſmi* Filius, Antverpianus, Eques, Baro Weſemaliæ, Toparcha Grobendonckius &c. Finantiarum ſeu Ærarii Principalis in Belgio ſupremus Theſaurarius, interque Decemviros, Ordinum Belgii nomine Coloniam Pacis ergò delegatus : Vir fuit, ſive prudentiam ſpectes, multorum annorum experientiâ partam, ſive ſapientiam atque acumen ingenii, ſeu denique doctrinam eloquentiamque, in ſingulis ſingularibus animi dotibus excellens. Edidit juvenis, ad Eobanum Heſſum, Poëtam,

Elegiam, doctam hercle, atque elegantem, ut cum optimis Poëtarum componi queat, ita cenſente in Atvaticis ſuis Joanne Goropio Becano; legiturque in fine Iliados Homericæ, ab Eobano verſu Latino redditæ, & *Gaſpari* noſtro inſcriptæ. Baſil. apud Rob. Winterum, 1540. 4. & Oporinum, 1594. 8. Aliaque deinceps, amicis inſtantibus, venamque ejus laceſſentibus, ſubinde luſit *Carmina*; è quibus legitur *Epigramma*, præfixum Deſcriptioni Belgicæ *Lud. Guicciardini*, anno uno ante tumultus Belgicos, velut præſagum eorumdem tumultuum.

Ejuſdem Auctoris eſt *Oratio exhortatoria ad Pacem*, in Conventu Ordinum Belgii anno 1579. Nonis Octobris ἀναγόμως edita : quâ belli cauſſæ, reſ-

que inter eoſdem Ordines & Principem Auriacum actæ, ſummatim explicantur, & quid pacem tunc impedierit, eamque promovere debuerit, oſtenditur.

Deceſſit Montibus Hannoniæ anno 1580. V. Idus Novembris.

GASPAR SCHUERMANS,

Antverpienſis, J. C. & Poëta elegans, multis annis cauſſarum patronum egit in patria; multaque reliquit *Conſilia*, digna luce publicâ. Luſit præterea vario metri genere,

Somnium in mortem Chriſtophori Plantini, Architypographi Regii: editum cum Epigrammatibus Funebribus Joan. Bochii ad Manes ejuſdem Plantini, 1590. fol.

Moritur anno 1618. Aſſumptæ Virginis feſto, depoſitus ad S. Andream.

GASPAR STOLCKWYCK,

Sacellanus Eccleſiæ Cathedralis Harlemenſis, ac magni Beginagii in eadem urbe Paſtor, obiit anno 1605. Scripſit

Vitam D Petri Ballingi, Presbyteri Harlemenſis, in Eccleſia Cathedrali à Geuſio milite cæſi, anno 1578. de quo *Arnoldus Raiſſius* VI. Kal. Junii ad Natales Molani. Libellus excuſus eſt Coloniæ, 1596. 8.

GASPAR VERHORST,

Sive Jasparus (ita enim ſcribere auctor ipſe ſolebat) Amſtelodamus, Carthuſiæ Ultrajectenſis profeſſus ac Vicarius, & Prior Domûs Campenſis, obiit anno 1558.

Libellum, cui titulus, *Mons Aureus*, è vulgari germanica in latinam linguam tranſtulit, excuſum Ultrajecti, 1556. typis Joan. Schoonderwoerdii.

GASPAR VERSTOCKT,

Antverpienſis, Abbatiæ S. Bernardi ad Scaldim Ordinis Ciſterc. in Brabantia Religioſus, tranſtulit è latino in flandricum

Vitam S. Bernardi Abbatis, v. *libris comprehenſam, quibus pro ſexto adjecit Epiſtolas Alexandri III Pont de Canonizatione ejuſdem S. Patris.*

Calendarium SS. ac Beatorum Ordinis Ciſtercienſis, ex Menologio Henriquez collectum. Antverpiæ typis Leeſten. 1650.

Chronotaxis Ordinis Ciſtercienſis, ſive Filiationes Monaſteriorum hujus Ordinis: in magnis foliis patentibus Antverpiæ prodiêre anno 1650.

Cœnobiographia, ſeu Deſcriptio Abbatiæ Loci S. Bernardi ad Schaldim in Brabantia, quæ extat in Brabantia Antonii Sanderi, Authorem habuit Gaſp. Verſtockt.

GASPAR A WACHTENDORP,

Batavus, edidit vernaculé

Antiquitates Hollandicas, ſeu breve Chronicon rythmicum, in XIV. libros diſtributum & uſque ad annum 1560. continuatum, cum fig. 4. Amſtelod. 1645. & Hagæ-Comitum 1648.

GAUGERICUS HISPANUS,

Vulgò l'Espagnol, Lendienſis, Artheſius, S. Th. Doctor Duaci anno 1617. die xviii. Julii unà cum Gaſpare Nemio, dein Archepiſcopo Cameracenſi renunciatus, ipſe etiam Paſtor ad S. Crucem Atrebati, ac poſtmodum Congregationi PP. Oratorii Duaceni adſcriptus. Vir eximiè doctus, edidit

Medicum Animæ, ſive de cura ſpirituali infirmorum, Inſtructionem ad Parochos. 12. Duaci apud Viduam Wyon. 1641.

Summulam Cajetani, Scholiis & Indice illuſtratam.

Item vernaculè, *l'Inſtitution de la Meſſe, avec ſes ceremonies.* 12. Inſulis. 1654

Preſervatif contre les Sectes. 12. Ibid. 1651.

IOANNES CALVINUS THEOLOGUS
BITONUS ET MATHEMATICUS.
CUI DEUS ET NATURA NIHIL NON DEDERUNT.
Ne mirum quod cuncta sciat,
Plus nobus nihil ipse dare consuevit parentes:
Ut quo is sciebat non disparili pacto.

GAUGERICUS RIVIUS,

Servienſis, Hanno, J. C. titulum anno 1603. Lovanii adeptus, & in ſuprema Curia Belgica Machliniæ cauſarum Patronus, adoleſcens ab indole, induſtria, doctrina atque virtute Juſto Lipſio carus & gratus fuit, conſuetudine ejuſdem annos aliquot uſus Lovanii. Scripſit eleganter & eruditè, ad priſcum ritum,

Justi Lipsii *Principatum Litterarium.* Antverp. typis Plant. 1607. 4.

GEMMA FRISIUS,

Sive Rainerus Gemma (illud enim nomen ei proprium fuit, quod Suffridum Petrum fugit;) natus Doccomii anno Dom. 1508. VI. Idus Decembres, educatus Groningæ, ubi prima ac felicia jecit litterarum fundamenta. Lovanium à parentibus ablegatus, & diligenti Medicinæ ac Matheſi navatâ operâ, Doctoralem lauream anno 1542. reportavit, & de ſuperiori mox loco profiteri cœpit: Mathematicas domi diſciplinas tradere ſolitus.

Eo nomine in magna fuit gratia apud præcipuam Nobilitatem Belgicam, ipſumque adeò Carolum V. Cæſarem, earum artium non ignarum, à quo ſæpiùs Bruxellas eſt evocatus, & viciſſim ipſe ab Aulicis Lovanii ſalutatus. Quantum porrò in Mathematicis valuerit, ſcripta omnium manibus trita loquuntur.

Arithmeticæ Practicæ Methodus. Antverp. 1540. 8. & cum Annotationibus *Jacobi Peletarii*, Pariſ. 1563. & 1572. Coloniæ, 1565. & 1592. 8. Denique Wittebergæ, 1611. 8. cum Scholiis *Joan Pauli Reſenii.*

De Annuli Aſtronomici uſu. Antver. 1548. & 1564. 8. apud J. Steelſium.

De Principiis Aſtronomiæ & Coſmographiæ; deque uſu Globi Coſmographici. Ibid.

De uſu Radii Aſtronomici, ſeu *Regulæ Hipparchi.* Ibid.

De Aſtrolabio Catholico, & uſu ejuſdem. Ibid. 1556. 8.

De Locorum deſcribendorum ratione, deque diſtantiis eorum inveniendis.

Charta, ſive *Mappa mundi* (ut vulgus vocat) id eſt Orbis totius Deſcriptio, Carolo V. dicata. Lovanii, 1540.

Denique *Coſmographiam Petri Appiani* caſtigavit & auxit. Antv. 1530. fol.

Obiit *Gemma* Lovanii, cum tyrannide calculi per annos ſeptem aut ampliùs miſerrimè conflictatus, anno 1555. Maii XXV. natus annos XLVI. ſepultus apud Dominicanos, relicto filio *Cornelio*, doctrinæ & Cathedræ paternæ hærede.

Joannes Secundus, Hagienſis Poeta hoc docto Epigrammate laudavit:

Gemma cui ſecti patuerunt invia mundi,
Et quicquid longâ vidit vertigine Phœbus,
Cui nubes ſuberare vagas, ſedeſque repoſtas
Mente datum ſancta eſt, & avito currere Cœlo,
Fataleſque rotas tereti ſuſpendere ligno,
Immortale ferens nomen, dum Gemma feretur
Indigitis, fulvoque decens radiabit in auro,
Phœbæique terent iteranda volumina currus.

GEORGIUS AB AUSTRIA,

Maxæmiliani Imp. filius naturalis, Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, Brixienſis in Germania Epiſcopus ab anno 1525. Valentinus in Hiſpania Archiepiſcopus ab anno 1539. ac tandem Leodienſis Epiſcopus anno 1544. poſt abdicationem Cornelii à Bergis, cujus fuerat per triennium Coadjutor.

Celebravit anno 1548. *Leodii Synodum Diœceſanam*, cujus *Acta & Decreta* prodierunt denuo Bruxellis apud Eman. de Grieck 1712. in 8.

Vivere desiit hic Præsul Leodii die 5. Maii 1557. sepultus in choro Ædis suæ Cathedralis ad latus sinistrum: cujus monumento hoc fuit appensum Epitaphium. D. O. M.

Qui clarum AUSTRIACA *de Stirpe*
GEORGIUS *ortum*
Duxerat, heu! tumulo mortuus hoc tegitur.
Brixiæa principio, post ipsa Valentia, tandem
Suscepit sacrum Legia Pontificem.
Hisque locis Præsul, nulli pietate secundus,
Rexit, quâ decuit cum probitate gregem.
Quinquaginta duos natus paulò amplius annos,
Letali morbo sæpius abripitur.
MaII qUInta aderat LUX, soLe Cadente sUb Undas,
oCCIdIt; at deUs hUIC det frUIter reqUIe.

GEORGIUS BENEDICTI A WERTELOO,

Harlemensis, Poëta, Lipsio operam dedit, & *Epinicia*, *Epitaphia* & *Epigrammata* varia scripsit, anno 1586. edita.

Item *De rebus Guilielmi, Comitis Nassovii* &c. libros II. Lugd. Batt. 8.

Vivere Heidelbergæ desiit an. 1588. v. Nonas Martii, anno ætatis XXV.

PETRUS SCRIVERIUS Amico hoc Epitaphium posuit.

Hîc est hic BENEDICTUS *ille, carus*
Dousæ, Lipsiadæque, Junioque:
Quem Batava tota, quem Britanna,
Quem Germanica perstrepunt Lycæa.
Hîc est hic Benedictus ille, notus
Festivis Epigrammatum libellis.
Hîc est hic BENEDICTUS *ille, linguâ*
Suâ, non Epigrammatum locutus.
Hîc est hic BENEDICTUS *ille, Vates*
Latino bonus ore, nec Latino.
Huic si faveris, hospes, & videnti
Viventique aliquod decus dedisti,
Noli nunc malus invidêre, noli:
Sed levem posito precare terram.

GEORGIUS BRUNUS,

Doctor Theologus Colonensis, Ecclesiæ B. M. ad Gradus Canonicus & Decanus, litterarum bonarumque Artium cognitione totus tinctus; scripsit, testante Swertio in Athenis Belgicis,

Orationem Quodlibeticam, contra concubinarios Sacerdotes. Coloniæ 1566. in 8.

Doctrinam Catholicam, contra multos Lutheranorum articulos, peculiari opere confirmavit. Ibidem 1605. typis Gualteri.

Vitam Salvatoris nostri, ac Beat. Mariæ Virg. cum elegantissimis æneis tabulis.

Ex IV. Commentariorum in Concordiam Euangelicam Libris Cornelii Jansenii, Homilias omnium dierum Dominicalium totius anni. Coloniæ 1578. & Venetiis 1579.

Theatrum Urbium, V. Voluminibus, in diversas linguas translatum.

GEORGIUS BRUXELLENSIS,

Philosophus seculo illo non incelebris, atque in Universitate Parisiensi Dialecticorum Interpres, scripsit sermone barbaro,

Facillimam in Aristotelis Logicam Interpretationem, textu, nonnullisque à Magistro Thoma Bricot editis Quæstionibus accumulatam. Parisiis apud Felicem Bailligault 1496. in 4.

In Summulas Petri Hispani.

In Physicam ejusdem, Lugd. cum Annotationibus & Quæstionibus Thomæ Bricot, 1504. & 1509. & Rotomagi, 1508. 4.

GEORGIUS CABELLIAU,

Aldenardensis Flander, Monachus Aldenburgensis, in Diœcesi Brugensi Ord. Benedictini, scripsit

Historiam Urbis & Abbatum Aldenbur-

genſium, quæ ibidem MS. legitur. Orditur autem à prima civitatis illius ædificatione, ac deſtructione ejuſdem ab Attila & Nortmannis, deducitque ad annum 1570. Aliud ibidem ejuſdem Eccleſiæ & Abbatiæ extat Chronicon, antiquiſſimo charactere ſcriptum, ſed incerto auctore.

GEORGIUS CASPIUS,

Hannonius, Medicus clariſſimus, dedit

Reſponſionem ad Bonaventuræ Grangerii *Admonitionem de Cautionibus in ſanguinis miſſione adhibendis.* Baſilcæ, 1579. 8. apud Joan. Mareſchallum.

Caſtigationem Animadverſionis ejuſdem Grangerii, *adverſus Leonardum Botallum.* Ibid. 1582.

GEORGIUS CASSANDER,

Naſcitur Brugis Flandrorum (ſive in inſula fortè cognomine, vulgò *Caſſandt*) anno 1515. Latinè Græceque doctus fuit, & vario doctrinæ genere excelluit, litteraſque humaniores Gandavi, Brugis, & alibi docuit. Ac Brugis quidem primus à Magiſtratu obtinuit lectionem illam publicam (quam bonarum litterarum vocabant, quæque nunc eſt Theologica in Seminario) quam Joannes de Witte laudatæ memoriæ Cubanus Epiſcopus, recens Brugis fundaverat. Poſtea rerum ſacrarum cognitioni & ſtudio animum adjecit, nactuſque ſtudiorum ſuorum ac peregrinationis ſocium & comitem individuum, *Cornelium Gualterum* aliàs *Wouters*, Gandavenſem, antea in D. Donatiani Brugis Canonicum, Coloniæ tandem Agrippinæ domicilium fixum invenit.

Hic igitur quicquid ab afflicta valetudine, quacum ſæpiùs conflictari ſolebat, reliquum fuit temporis, id ferè omne impendit in cognoſcendas Religionis orthodoxæ controverſias, quæ tum potiſſimùm in Imperio agitabantur, ac rationes, quibus eæ utcumque componi poſſent, conquirendas, & quidem maximè in id ſtudii genus, quod in obſervatione morum, rituum, ac ceremoniarum Eccleſiaſticarum eſt poſitum.

Quo factum eſt, ut Ferdinandus I. Imp. (cùm in id, tum publicè per Comitia & Conventus, tum privatim per ſuos totus incumberet, ut latiùs quotidie ſerpentes ejuſmodi controverſiæ ac diſſidia, quoad liceret, extinguerentur) *Caſſandrum* ad ſe evocari juſſerit, cujus ipſe conſilio uteretur, ſi fortè concordia inter utramque Religionem, Catholico-Romanam ac Lutheranam ſeu Proteſtantium, iniri poſſet.

At *Caſſander*, ob continuos ferè articulorum dolores ita exhauſtus viribus, ut domo efferre pedem non liceret, ſententiam de ſingulis inter Catholicos ac Proteſtantes agitatis capitibus ſuam ſcripto comprehenſam, ad Maxæmilianum II. Imp. (qui Ferdinando patre mortuo, idem illi denuò mandarat) tranſmiſit.

Verum auctor ille in hoc ſcripto ſuo, & pleriſque aliis, dum in perſcrutandis Scripturis ſacris, in volvendis SS. Patrum monumentis atque hæreticorum ſcriptis curioſiùs indagandis ac legendis verſatur, hæreſios notam vix effugit. Et dum in componendis Religionis diſſidiis ſe ponit ſequeſtrum atque arbitrum, à recta Fidei ſemita nimium quantum exorbitaſſe viſus eſt.

Docebat enim, nullam hæreſin ſic errare, ut à ſalute abducat, quamdiu in Chriſtum creditur, vel Apoſtolicum Symbolum tenetur: Eccleſiam item Catholicam non in diſciplinæ ſolum & morum integritate, ſed & in Doctrinæ ſinceritate defeciſſe; licitumque eſſe homini Chriſtiano in articulis fi-

dei Orthodoxæ dubitare ; quod impium eſt & temerarium.

Quare ſcripta ejus pleraque Theologica, Coloniæ ſeorſim & & per partes edita, & Lutetiæ dein ſimul evulgata, à Patribus Concilii Tridentini, aut damnata in prima (ut dicunt) claſſe, aut cenſurâ notata ſunt: quemadmodum & ipſum *Caſſandrum*, morti vicinum, adſiſtente ſibi magno teſtium numero, ea damnaſſe, ac ſubmiſiſſe ſe ſcriptaque ſua in omnibus judicio & & auctoritati ſanctæ Eccleſiæ, plures fide dignos ſibi Coloniæ atteſtatos fuiſſe, ſcribit *Bernardus Sutholt* J. C. in Cauſæ Conjectione, Cur, ejuratâ hæreſi Calvinianâ, fidem Romano-Catholicam ſit amplexus.

Teſtatur & Cornelius Schultingus Bibliothecæ ſuæ Eccleſiaſticæ Tomo IV. parte 1. *Caſſandrum*, etſi varia antè ſcripſiſſet ſententiæ Eccleſiæ non per omnia conſentanea, Catholicè ac piè in gremio Eccleſiæ eſſe defunctum.

Varia autem ſcripſit, Literaria, Hiſtorica, Theologica: quorum hæc ſeries.

Oratio Panegyrica in Laudem Urbis Brugarum, inſtitutâ recens ea in urbe à *Joanne Albio*, ejuſdem urbis cive, Epiſcopo Cubenſi, ſtudiorum humanitatis Lectione publicâ ; habita Nonis Maii anno 1541. Gandavi eodem anno.

Tabulæ breves *in Præceptiones Rhetoricas*. Antver. Pariſ. 1548. & Coloniæ, apud Gymnicum, 1550. 8.

Tabulæ Præceptionum Dialecticarum, & *Locorum Dialecticorum*. Coloniæ, 1545. & 1550.

De Viris Illuſtribus, in ſacris Bibliis, uſque ad Regum hiſtoriam. Ibidem, 1550. 8.

Scriptori de Viris Illuſtribus, adjecit Illuſtrium aliquot geſta, qui ante Procam & cum Pompeio fuerunt. Ibid. 1549. 8. typis Gymnici.

Evulgavit & *Honorii Auguſtodunenſis de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio* Dialogum: ſed quem ſuppoſitium opinantur ac malæ fidei, reperto in Tongerloenſis Abbatiæ Bibliotheca à *Joanne Conen*, editoque germano Honorii partu. Addidit *Caſſander* binas *Epiſtolas*, ad B. Auguſtinum, unam *Proſperi*, alteram *Hilarii*, Epiſcopi Arelatenſis, *de reliquiis Pelagianæ Hæreſios*, ex veteribus Codicibus recognitas. Coloniæ, apud Silvium, 1552.

Item *B. Vigilii*, Martyris & Epiſc. Tridentini, *Opera:* in quibus *Diſputationem, inter Sabellium, Photinum, Arrium & Athanaſium*, auctori ſuo vindicavit. Et adjecit

Commentarium de duabus in Chriſto Naturis & unica Hypoſtaſi; adverſus præcipuas hujus temporis hæreſes. Coloniæ, 1555. 8.

De Baptiſmo Infantium Teſtimonia veterum &c. *De Batiſmo Infantium Doctrina Catholicæ Eccleſiæ. De origine Anabaptiſticæ ſectæ*. Et *de variis ritibus Baptiſmi celebrandi*. Ibid. 1563. 8.

De celibatu & conjugio Clericorum. Extat in Calixto de conjugio Clericorum pag. 450.

Liturgica, de ritu & ordine Dominicæ Cœnæ celebrandæ ; è variis Scriptoribus. Ibid. 1558. 8.

Ordo Romanus de Officio Miſſæ Ibid.

Preces Eccleſiaſticæ, quæ *Collectæ* vulgò dicuntur. &c.

Hymni Eccleſiaſtici, præſertim qui *Ambroſiani* dicuntur, cum *Scholiis Caſſandri*; & ejuſdem Appendice *de invocando Spiritu ſancto* Ibid. 1556. 4.

De Officio pii ac publicæ tranquillitatis verè amantis Viri, in hoc Religionis diſſidio. In quem, ut neutris placentem, ſcripſit de Catholicis *Joannes Heſſelius*, S. T. D. Lovanienſis ; & de hæreticis Joannes Calvinus, ratus *Franc Balduini*, J. C. Atrebatis, opus id eſſe.

Defenſio inſontis libelli de pii Viri officio &c. nomine *Veranii Modeſti Pacimontani*.

De Articulis Religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis, Conſultatio, ad Ferdinandum I. & Maximil. II. Imp. 1577. 8. (Vide judicium *Jo. Molani*, libro I. de Canonicis, cap. 26.) Prodiit rurſus anno 1642. Lugduni Batavorum, unà cum Adnotationibus Hugonis Grotii, qui in eandem ibat cum Caſſandro ſententiam, ad conciliandas diſſidentium ſententias. Contra utrumque ſcripſit *Andreas Rivetus* Profeſſor Lugduno-Batavus, in Tractatu ſuo, *de Chriſtianæ pacificationis, Eccleſiæ & reformandæ vera ratione* Lugd. Bat. 1642. 8.

De ſacra Communione Chriſtiani populi in utraque panis & vini ſpecie, Conſideratio.

Acta Colloquii Caſſandri cum duobus Anabaptiſtis, anno 1558. & 1565.

Traditionum veteris Eccleſiæ & SS. Patrum Defenſio, adverſus Calvini Criminationes, qui indigniſſimo calamo Caſſandrum ſtrinxerat.

Epiſtolæ CLVII. Quibuſcum confer Litteras variorum ad Caſſandrum & Gualterum, à *Petro Burmanno*, J. U. D. editas, in Sylloge Epiſtolarum Virorum illuſtrium, Tomo II. Leidæ 1727.

Caſſandri Opera fere omnia, licet non eo ordine, quo hìc recitata ſunt, uno Tomo Pariſienſes ediderunt, in folio 1616. curante *Chriſtophoro Thuano*, typis Hieronimi Drouartii. Prohibita rurſum Romæ anno 1616.

Non viſa tamen Pariſiis

Supputatio rei nummariæ Romanorum ac Græcorum ad monetam Flandricam. Gandavi, 8.

Sententiæ ſelectiores ex Plautinis Comœdiis, cum *Scholiis* in loca obſcuriora. Ibid. 8. 1536. typis Jod. Lamberti.

Et *de Arte Concionandi* liber.

Deceſſit Coloniæ Agrippinæ anno ſalutis 1566. die 3. Februarii, ætatis anno LII. relicto poſt ſe patre, ſene decrepito & indigente. Conditus in Æde ſacra Franciſcanorum, ad ſummum Altare, ſepulcrali elogio à *Cornelio Gualtero*, ejus individuo comite, ornatus.

QUANDO TANDEM?
Deo Opt. Lax. Sacr.
GEORGIO CASSANDRO,
Belgæ, Theologo,
In perſcrutandis ſacris Bibliis
Et expendendis SS. Patrum Monum.
Atque ſententiis diligentiſſ.
Qui hoc nomine, tum pietate,
Animique moderatione clarus,
Ab invictiſſimis Impp.
FERDINANDO I. ET MAX. II.
De conciliandis articulis in Religione
Controverſis conſultus,
Et in aulam adſcitus fuit.
Iter autem eò propter podagram,
Cujus pòſt doloribus occubuit,
Suſcipere prohibitus,
Librum de ea conciliatione perutilem
Pacis amantibus Eccleſiis,
Ex eorundem Cæſarum auctoritate
Juſſu mandatoque confecit.
Viro itaque vario doctrinæ
Genere præſtanti,
CORNELIUS GUALTERUS,
Gandavenſis, ſtudiorum ejus
Atque peregrinationum
Socius individuuſque comes,
Populari ſuo poſuit.
Vixit Annos LII. M. v. D. x. H. v.
Obiit III. Non. Febr. M. D. LXVI.
Te vivente mihi gratiſſima dotte Georgi
Vita fuit; hc at te moriente mori.
Mors meta laborum.
Infimo poſt loco:
Abſit gloriari, niſi in Cruce Domini.

GEORGIUS CASTELLANUS,

Eques Gandenſis (dictus *l'Avanturier* Franciſco de la Croix & Antonio Verdierio in ſuis Bibliothecis Gallicanis) Poëta, Hiſtoricus & Orator Ducum Burgundiæ, ſcripſit gallicè *Hiſtoriam de Vita Rebuſque geſtis Philippi Boni*, Burgundiæ Brabantiæque Du-

cis, quâ ſe uſum fuiſſe in Hiſtoria ſua concinnanda ſcribit Pontus Heuterus.

Templum Ruinæ Nobilium aliquot infortunatorum, exemplo Boccatii. Pariſ. 1517.

Epitaphia Hectoris & Achillis, rythmis Gallicis. Ibid. 1525 8.

Hiſtoriam Jacobi de Lalain, Equitis aurei Velleris, vitâ functi anno 1453. Quam jam diu manuſcriptam, luce dignam judicavit Clariſſ. Vir Julius Chiffletius, Bruxellæ, apud Hub. Antonii, 1634. 4.

Plura leguntur ejus MSS. Atrebati apud Vedaſtinos.

Obiit eo ipſo tempore, quo Carolus Audax Noveſium obſidebat, ut in Chronicis ſuis teſtatur *Joannes Molinetus*, ejus diſcipulus: conditus in Aula Comitis, juxta Valentinianas, Hannoniæ opidum, ſub hoc Epitaphio

Cy deſſoulz giſt d'excellente memoire GEORGE CHASTELLAIN, *Chevalier, lequel après avoir circuy diverſes regions & en icelles exercé les armes militaires, en eage floriſſante, au pouvoir de ſes ſens, s'eſt venu rendre au ſervice du très Victorieux Philippe Duc de Bourgoigne, en eſtat de Panetier & Privé Conſeil; & au reſte de vieillard, a prins ſi glorieuſe occupation à reduire les Geſtes de ce feu tant triomphant Prince, par tel ordre & diligence, que à la recitation de ſes Eſcrits, fleuriront en perpetuelle recordation ès cœurs des nobles & clairs engins. Vive & regne ſon eſprit en éternelle felicité Et au comble de LXX ans, deceda de ce ſiecle, le XX. de Mars M. C. C C. C. LXXIIII.*

Priez Dieu pour ame.

GEORGIUS COLVENERIUS,

Natus in Gempenſi Brabantiæ vico, Parochiæ S. Georgii in Winghe, ad ſecundum à Lovanio lapidem, quà Dieſtemium iter eſt, parentibus honeſtis & Catholicis, *Huberto Colveneer*, orto ex pago & Baronatu de Leefdael, & *Catharinâ van Oppem*, anno 1564. die XXI. Maii, quæ erat Dominica Pentecoſtes, altero inde die primus à fonte conſecrato ibidem baptizatus fuit; ſed educatus à nono ætatis anno uſque ad XIX. Aloſti in Flandria (unde ſe ſcribere Aloſtenſem maluit) ubi & encyclopædiam literarum humaniorum abſolvit.

Inde Aloſto capto, Martis caſtra aliquanto tempore ſecutus, ab expugnata anno 1584. Aldenarda in gratiam cum Minerva rediit, curſuque Philoſophiæ in Regio Duaci Gymnaſio abſoluto, eamdem ipſe ibidem annis quatuor profeſſus eſt. Hinc ut ſe totum Theologiæ, rerumque Eccleſiaſticarum cognitioni daret, ad Seminarium Regium tranſiit, donatus S. Theol. Licentiâ anno 1593. IX. Kal. Decembris: moxque officium Viſitationis & Cenſuræ librorum ei ab Univerſitate commiſſum eſt, ac deinde Præſidentia Caſuum (ut vocant) Conſcientiæ in dicto Regio Seminario eidem collata ipſis Kal. Aprilis 1595. Regiam verò & publicam Catecheſios Profeſſionem conſecutus eſt anno 1599.

Eodem anno Doctorem Theologum vidit Academia, & à morte *Guilielmi Eſtii*, Theologi τῦ πανυ anno 1613. in D. Petri Præpoſitum, atque Academiæ Cancellarium. Vir ſanè in eruendis ac colligendis Antiquitatis atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticę reliquiis diligentiſſimus ac fideliſſimus: cujus rei ſpecimen non unum dedit, cùm veterum libris primùm in lucèm editis, tum Orationibus variis, ad juventutem Academicam habitis, de materiis pleriſque, ex ultima antiquitate Eccleſiaſtica repetitis, ut ex Catalogo earum colligere eſt. Edidit autem

Thomam Cantipratanum de Bono univerſali, ſive *de Apibus myſticis*, *cum Scholiis & Vita auctoris*. Duaci, 1597. 1603.

1603. 1627. in 8. typis Balth. Belleri.

Joannis Nideri Formicarium, cum Notis Ibid. 1602. 8.

Chronicum Cameracenſe, hactenus ἀνέκδοτον, à Balderico, Gerardi, eo nomine primi Camerac. Epiſcopi, Sacellano conſcriptum; cum *Notis*. Ibid. 1615. 8.

Flodoardi Presbyteri & Canonici, *Hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis* libris IV. primùm editam anno 1611. à Sirmondo, Scholiis illuſtravit. Ibid. 1617. 8. Extat etiam in Bibliotheca PP. Lugdunenſi Tomo XVII. pag. 700. & ſeqt.

Miracula CCX Confraternitatis VII. Dolorum ſacratiſſimæ Virg. MARIÆ: *de que ortu & progreſſu ejuſdem Confraternitatis*. auctore *Joanne de Coudenberghe*, Eccleſiæ Abbenbrocenſis Decano. Ibid. typis Pet. Auroii. 1629. 12.

Calendarium ejuſdem *ſacratiſſimæ Virg.* MARIÆ, ex variis Syrorum, Æthiopum, Græcorum, Latinorum Breviariis, Menologiis, Martyrologiis & hiſtoriis concinnatum. Ibid. apud Bellerum, 1638. Tomis II. in 8.

Ad hæc in lucem produxit *Synopſin Rerum Eccleſiaſticarum*, auctore *Eduardo Riſbono*, S. T. D. Anglo, à ſe auctam & recognitam. Ibid. typis Bogardi, 1595. folio expanſo.

Item *Rabani Mauri*, Archiepiſcopi Moguntini, *Opera Omnia*, typis Ant. Hierati excuſa Coloniæ 1627. fol. Tomis VI.

Denique, rogatu Illuſtr. D. *Franciſci Vander Burch*. Archiepiſcopi Cameracenſis, *Officia propria peculiarium Sanctorum Nobilis Eccleſiæ Malbodienſis*, ad normam Breviarii Romani conformata. Duaci, apud Bellerum, 1624. 8.

Item *Nobilis Eccleſiæ S. Waldetrudis apidi Montenſis*. Ibid. 1625. 8.

Eccleſiæ præterea *Abbatialis Donomienſis*. Ac poſtremò *Eccleſiarum Collegiatarum*, *Chimacenſis*, in Hannonia, & *Cominienſis* in Flandria.

Extat ejus Epitaphium Duaci in Eccleſia Colleg. S. Petri, ex quo ejus obitum cæteraſque laudes conjicies.

Sub hoc marmore quieſcit
Ex. D. M. N.
GEORGIUS COLVENER,
Aloſtanus, S. T. D.
Et per annos 50 Profeſſor,
Hujus Eccl. Præpoſitus,
Simulque Univerſitatis Cancellarius
Annis 36. Seminarii Henniniani primus,
Et uſque ad mortem Præſes,
Pietatis, doctrinæ modeſtiæ ac
Beneficentiæ verè ſpeculum & exemplar.
Deceſſit ex hac vitâ
Plenus dierum ac bonorum operum,
Cum in hac Eccleſia fundaſſet
Duplex Patroni,
Et reliqua fere bona
Teſtamento legaſſet
Erectioni Seminarii
Ad Propagandam Fidem.
Obiit 29. Maii Ætatis 88.
Anno ſalutis M. D. C. XLIX.

GEORGIUS DOUSA,

Jani filius, Batavus, juvenis admodum, dum alii, ſtudiis elegantioribus dediti, Galliam ferè viſunt, plurimi verò Germaniam, Italiamque, ipſe in Græciam, olim omnis humanitatis inventricem, penetrare auſus eſt, deditque

Epiſtolam de Itinere hoc ſuo Conſtantinopolitano: cum *Inſcriptionibus* vett. Byzantio & ex reliqua Græcia allatis, ac *Meletii Patriarchæ Alexandrini Epiſtolâ*, ad Janum Douſam patrem. Lugduni Batavor. typis Raphel. 1599. 8. Extat etiam in Theſauro Antiquitt. Græcarum Gronovii Tom. VI.

Georgium item *Cedrenum de Originibus urbis Conſtantinopolitanæ*. edidit cum Notis *Joan. Meurſii*, 1607. 8. typis Commelinianis.

GEORGIUS GALOPIN,

Montenſis, Hanno, Ordinis S. Benedicti in Cella Giſleniana Religioſus, S. Theologiæ Lector, atque hiſtoriæ antiquitatiſque Eccleſiaſticæ ſedulus indagator, eruit è tenebris, ediditque librum, anonymi quidem auctoris, ſed piiſſimi doctiſſimique, cui titulus, *Vidua Sareptana expoſita ſenſu litterali ac myſtico*, in libros III. diſtributa. Duaci, typis Bogardi, 1634. 8.

Item *Olbertum*, Gemblacenſem Abbatem, *de Vita & miraculis S. Veroni*, Confeſſoris, cui & *Scholia* adjecit. Montibus Hannoniæ, 1636. 4. apud Joan. Havart. Dein inſerta Actis SS. Bollandinis ad diem 30. Martii.

Ven. *Petri*, *Cantoris* Eccleſiæ B. Mariæ Pariſienſis, ac S. Theol. Doctoris & Profeſſoris *Verbum abbreviatum*, opus morale, cum *Notis*. Ibid. apud Franc. Waudræum, 1639. 4.

Collectionem Antiquitatum Eccleſiaſticarum; gallicè. &c

Flandriam generoſam, ſeu compendioſam ſeriem Genealogicam Comitum Flandriæ, cum eorum geſtis heroïcis ab anno 792. ad 1212. ex MSS. Monaſterii S. Giſleni collecta. 4. Montibus 1643.

Commentarium S. Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi in Pentateuchum Moyſis; primùm edidit, Notiſque illuſtravit, anno 1648. Duaci in 4.

GEORGIUS GENTIUS,

Batavus, evulgavit

Hiſtoriam Judaïcam, ab everſa Æde Jeroſolymitana; ex hebraïco latinè verſam. 4. Amſtelodami 1651. Hebraïcum jam ante, curis Judæorum, prodierat Pragæ anno 1609.

GEORGIUS DE HALLUIN,

Cominii ac Halewinii in Flandria Toparcha, Equeſtris familiæ ac dignitatis, è Proceribus fuit aulæ Caroli V. Cæſ. ab eoque miſſus Orator ad Henricum VIII. Angliæ Regem: Vir numquam ſatis laudatus, ideinque humaniſſimus doctorum virorum Mæcenas, ut de eo ex ſchedis Dionyſii Harduini ſcribit Ant. Sanderus.

Tribuit eidem Joannes Deſpauterius in Epiſtola ad Halewinum, Arti Verſificatoriæ præfixâ, *delicatiſſimum in literis palatum acerrimam cenſuram, cui nihil non exactiſſimum placeat*; ex quo, quidquid ipſe in lingua latina profecerit, plus didicerit, quàm ex alio quovis præceptore. Scripſit

De Reſtauratione Linguæ Latinæ libros VI. Antver. 1533. 8. apud Simonem Cocum. I. eſt de Concordia Grammaticorum. II. De eruditione puerorum. III. de Libris per ordinem legendis. IV. de Vera elegantia &c. V. de Sententiis Ciceronis &c.

Annotationes in Virgilium, uti ipſe teſtatur libro I. cap. VI. de Reſtaurat. Linguæ Lat. Extant in Biblioth. publ. Eccleſiæ Cathed. Tornacenſis.

De Muſica: cujus opuſculi libro I. cap. X. meminit.

De Coronatione Imperatorum.

Contra errores Mart. Lutheri. Gallicè, teſte Judoco Clichtovæo.

E vita abiit anno 1537. ſepultus Halewinii.

GEORGIUS HALONIUS,

Leodicenſis, Poëta Tragicus, edidit Tragœdias III. ſacras, verſu ſcriptas cùm erudito tum gravi, quarum hæ *Ἐπιγραφαί*, *Laurentias*, *Lambertias*, & *Catharina* Antver. apud Joan. Bellerum, 1556. 8. Luſit Tragœdias illas Lovanii, cùm ſtudia liberorum Comitis Barlemontii moderaretur.

GEORGIUS HORNIUS,

Germanus quidem, è Palatinatu oriundus, aſt longo apud Batavos in-



Dominicus Bernardinus Tolomeus
Ex Nobili Familia Tolomeorum Senensium
Ob Fidem & Zelum Animarum Ardentissimum
Ad Regnum Tunetanum Missus
Primum Ejusdem Regni Episcopum Creavit
Pius Papa VII. Anno Domini MDCCCXIV.

colatu Belgis accenſendus; fuit in Academia Lugduno-Batava Hiſtoriarum & Eloquentiæ nec non ſacrarum Linguarum ab anno 1654. Profeſſor, magni inter ſuos nominis; in Hiſtoriis ſeu ſacris ſeu prophanis, atque in Verſionibus & Interpretationibus Biblicis plurimùm verſatus. Antagoniſtam habuit *Iſaacum Voſſium*, in eadem Academia Doctorem Theologum, ac S. Scripturæ Profeſſorem, quocum ei ferme continuum fuit bellum Litterarium.

Evocatus è Belgio Heidelbergam, ad docendam in ea Academia Theologiam, dum ſeſe ad iter diſponit, mortem obiit Lugduni Batavorum anno 1670. die 10. Novembris. Opera ejus præcipua hæc ſunt.

Hiſtoria Philoſophica, Lugduni Bat. apud Elzevir. 1655. in 4.

Diſſertatio de vera ætate Mundi; quâ ſententia illorum (maximè *Iſaaci Voſſii*) retellitur, qui ſtatuunt natale Mundi tempus ad minimum 1440. vulgarem Æram anticipare. Lugd. Bat. 1659. 4.

Commentaria & Notæ in Sulpicium Severum. . . . . Prohibentur Romæ per S. Congreg. Indicis 10 Junii 1658.

De Originibus Americanis Libri IV. Hagæ-Com. 1652.

Arca Moyſis, ſive Hiſtoria Mundi, contra Iſaacum Voſſium. Lugd. 1668. 8.

Auctarium Defenſionis de vera ætate Mundi. Lugd. Bat. 1659. Prohibitum Romæ.

Defenſio Diſſertationis de vera ætate Mundi contra caſtigationes Iſaaci Voſſii. Ibid. 1659. in 4. Prohibit. Romæ.

Diſſertationes hiſtoricæ & politicæ. 8. Leydæ 1655. & 1669.

Arca Noë, ſive Hiſtoria Imperiorum & Regnorum à condito Orbe, ad ſua tempora. 12. Lug. 1666.

Orbis imperans, ſeu Tractatus de XIII. Orbis Imperiis Hiſtorico-Politicus, per Animadverſiones ſubnexus partim caſtigatus, partim illuſtratus à L. Joachimo Fellero Profeſſore Lipſienſi. Francofurti & Lipſiæ 1677. Prohibetur Romæ per S. Cong. Ind. 3. Apr. 1685.

Orbis Politicus Imperiorum, Regnorum, Principatuum, Rerum-publicarum. cum memorabilibus Hiſtoriis & Geographia veteri ac recenti. Veſaliæ Cliv. 1669. in 8. & Veronæ apud Italos 1688. Prohibetur die quo ſupra.

Hiſtoria Eccleſiaſtica & Politica &c. Lugduni Bat. 1665. Gorcomii 1683. & Francofurti 1704. item gallicè Roterod. 1700. 2. vol. Prohibita Romæ 3. April. 1685.

Eandem uſque ad annum 1687. continuavit *Baltazar Bekker*, Miniſter Calvinianus, Leydæ in 8. Tum *Melchior Leydeckerus*, Theologus Ultraject. adjecto quoque *L. Capelli* Hiſtoriæ Judaicæ Compendio, in linguam vernaculam tranſtulit 1696. Amſtel.

Orbis Antiqui delineatio, ſive Geographia vetus, ſacra & profana. fol. Amſtelod. apud Janſſonios. 1677. item 1684.

Diſputatio de Palatinatu ſuperiore & Electoratu Rheni. Extat in Repreſentatione Reipublicæ Germanicæ pag. 773.

GEORGIUS LANGUERANT,

Hanno-Montanus, peregrinationes ſuas Romanam, Jeroſolymitanam &c. anno 1485. ſuſceptas, patrio idiomate deſcripſit: hoc titulo,

Les Saints voiages & pelerinages de la ſaincte Citè de Hieruſalem, & du Mont de Sinay, à Madame ſaincte Catharine Vierge & Martyre. fol. 1489. fig. abſque loco editionis.

GEORGIUS MACROPEDIUS,

(Vernaculè LANCKVELDIUS) Gemertanus, agri ſeu ditionis Silvæducenſis, Ordinis Fratrum S. Hieronymi in Communi viventium, natalibus clarus, vitæ ſanctimoniâ, animi moderatione & eruditione clarior. Nam

præter latinam, græcam, hebraïcam ac chaldaïcam, quas callebat, linguas, Mathematicis diſciplinis, etiam ad ipſorum organorum exquiſitam fabricam, imbutus erat: Grammaticus ad hęc ac Poëta Comicus raræ felicitatis & exactæ diligentiæ.

Ultrajectinæ Scholæ aliquando Gymnaſiarcha præfuit, *Franciſcum Haræum*, *Guilielmum Canterum*, *Henricum Sedulium*, innumeroſque alios nactus diſcipulos. Pòſt Sylvæducis aliquot annos pari laude ac fructu docuit.

Fallitur verò *Henricus Pantaleon*, dum in ſua Proſopographia, parte III. ſcribit, *Macropedium* poſt prima artium fundamenta jacta in patria ad varias Academias perveniſſe, atque in primis Linguarum puritati, & arti poëtices incubuiſſe; refelliturque ab *Arnoldo Trichtio*, Noviomago, profeſſione Hieronymiano, qui in Elegia quadam de Vita *Macropedii* ita canit:

Cuncta per immenſos quæ attrita Lyceia propinant
Sumptus, ingenii vis dedit una tibi.
Non tibi Lutetia eſt, non viſa Colonia, non quas
Ex ſtudiis urbes Itala terra colit.
At dum Silvoſâ *Ludum moderaris in urbe,*
Inque illâ, quæ olim Legia *dicta fuit;*
Atque Ultrajecti *tandem, ſic doctus ad unguem*
Prodis, ut poſſit nemo ſtupere ſatis.
Paliadis aut doctæ mammas ſuxiſſe videris,
Aut ſanè humanum tranſiliiſſe modum.
Quin habuiſſe ſacri quid, neſcio, numinis intus,
Arbitror, ad Muſas quod reſerarit iter.

Ita ille, cui, uti aliquando Collegæ *Macropedii*, potior habenda fides, quàm Pantaleoni in ſuis illis vagis incertiſque farraginibus. Scripſit *Macropedius*,

Linguæ Latinæ ac Græcæ Rudimenta.

Syntaxeos ſive *Conſtructionis Latinæ Præcepta.*

Proſodiam, verſu heroïco, in 4. excuſam.

Dialecticam: prima & brevia illius Præcepta.

De conſcribendis Epiſtolis. Dilingæ, 1564. Francof. 1598. & alibi.

Computum Eccleſiaſticum. Ultrajecti, 1541. 8.

Calendarium Chirometricum; & aliud verſu heroïco, præcipua Eccleſiæ feſta continens. Baſil. typis Henr. Petri, & alibi.

Scholia brevia *in Euangelia & Epiſtolas per annum.* Antver. 1567. 8. apud Silvium.

Item *in Hymnos & Sequentias.* Silvæducis, 1552. 4.

Luſit & Comœdias varias (quo in genere plurimùm valuit) cùm ſacras tum profanas, ut *Baſſarum*, *Lazarum mendicum*, *Andriſcam*, *Hecaſtum*, *Rebelles*, *Alutam*, *Aſotum*, *Petriſcum Adamum*, *Jeſum Scholaſticum*, *de Paſſione Chriſti*, *& de Suſanna*: variis in locis ſeorſim excuſas; junctim Ultrajecti, 1552. 8.

Vivere deſiit Silvæducis, in patria, podagræ cruciatu ac laboribus exhauſtus, anno 1558. ſepultus illic in Ædę ſacra ſuorum ſodalium. Leguntur in in obitum ejus *Chriſtophori Vladeracci Carmina* (qui *Macropedio* in Gymnaſio Silvæducenſi ſucceſſit) uti & ſequens *Cornelii Valerii* amici ſingularis elogium.

Cœlo, potitus poſt labores plurimos
GEORGIUS MACROPEDIUS,
Scholaſtici Moderator optimus gregis,
Toto orbe nobilis ſenex,
Corpus reliquit hoc podagricum loco,
Longo labore exercitum.
Humanitas, ſtudium juvandi maximum,
Benignitas amabilis,
Candor animi, pietas & eruditio,
Hunc reddidêre cœlitem.
Comico doctiſſimo, Præceptori ſuo,
Pietatis ergo,
Joannes Lentius, Regius Senator, poſuit,
GEORGIO MACROPEDIO,
Grammatico & Poëtæ.

JULIUs eſt IVo CoLLuſtrans nUbILa phœbo
MaCropedI e Xt InCtos VtXIt ad aſtra dIes.

GEORGIUS MAIGRETIUS,

Buillionæus, ditionis Leodicenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini per Belgium ſive Germaniam Inferiorem Prior Provincialis, Conventûſque Huenſis anno 1614. primus fundator, S. Theol. Doctor Lovanienſis ab anno 1604; quâ doctrinæ laude, qua agendarum prudentiâ atque dexteritate in primis excelluit. Obiit Idibus Maii 1633. Scripſit pleraque patrio, id eſt gallico idiomate; quorum hîc elenchus eſt:

Novitiatus, ſive *Perpendiculum Vitæ Monaſticæ*. Duaci. 1602. & 1609. & Leodii 1615.

Inſtitutio ac Dignitas Confraternitatis Cinctuatorum S. Auguſtini Duaci, 1604. Leodii, 1611. & Antver. 1628. 8. typis Henr. Aertſſii, interprete *Melchiore Daelbemio* ejuſdem Ordinis, qui ita inſcripſit: *Arca honoraria Chriſti ac Sanctorum, ortum auctumque Zonigeræ Sodalitatis S. Auguſtini continens.*

Radiolus, ſive *Atomus Vitæ Monaſticæ*; de fructibus, quos civitates colligunt uberrimos in Religioſorum ad eas ingreſſu & adventu. Duaci, 1608.

Heraclitus Chriſtianus redivivus, in quo cujuſvis ſtatûs hominum miſeriæ deplorantur. Leodii 1613.

Iconographia Martyrum Ord. Eremit. S. Auguſtini, ſculpta Antver. 1615. per Adrian. Collaert.

Surculi ſacri pullulantes è palma primorum Ord Eremit. S. Auguſtini Martyrum. Leodii, 1615. & auctiores 1620. Item Antverpiæ hoc titulo, *Martyrographia Auguſtiniana*, typis Verduſſii, 1625. 8.

Litaniæ Auguſtinianæ, Lovan. apud Ger. Rivium, 1626.

Auguſtino-Pyctacium Provinciæ Flandriæ, ſeu Germaniæ Inferioris. Bruxellis 1625. apud Hub. Antonii.

Vita B Joannis Saguntini, ex Ord. S. Auguſtini. Tornaci, 1610. & Antver. apud Verduſ. 1625. interprete *Nicaſio Baxio.*

Compendium Vitæ B. Thomæ Villanovani, Archiepiſc. Valentini, ex eodem Ord. Leodii, 1626.

Vita S. Eliſabethæ, Reginæ Luſitaniæ, cum ceremoniis in ipſa canonizatione, cui auctor anno 1625. interat, adhibitis. Ibid. 1626. 8.

Laudatio funebris Joſinæ Eleemoſynariæ, Comitiſſæ à Marca &c. Illuſtriſſ. Comitis Rupefortii conjugis, publicè pronuntiata. Ibid. 1627. 12.

Tractatus brevis, quo clarè oſtenditur, *Religioſos Mendicantes ad alium Ordinem, etiam ſtrictiorem, tranſire non poſſe (excepto ſolo Cartuſianorum) abſque ſpeciali ſummi Pontificis licentia.* Ibid. 1630.

Denique *Theatra Tragi Comica & Anatomica Belgicarum miſeriarum*, ab auctore publicè pronunciata tempore Quadrageſimali Bruxellis: quorum editio ob rationes politicas retardata fuit.

GEORGIUS MERULA,

Pauli Hiſtoriarum in Academia Lugduno-Batava Profeſſoris, filius, & ipſe Lugduno-Batavus, græcè eruditus, edidit

Vitam Traiani Imp. è Diogene Græco traductam.

GEORGIUS PASOR,

Germanus, Ellaræ in Comitatu Naſſoviæ natus, SS. Linguarum peritiſſimus, magnam vitæ partem tranſegit Franekeræ in Friſiorum Academia, in quâ & fuit Linguæ Græcæ Profeſſor. Obiit anno 1637. Edidit

Manuale Græcarum vocum Novi Teſtamenti, deque Græcis N. Teſtamenti Accenti-

bus Lugd. Batavor. 1634. 12. Item Herbornæ, Amſtelod. & alibi.

Syllabum ſive Ideam omnium Novi Teſtamenti dictionum, ſeu dialectorum. 12. Amſtelodami, Franekeræ, Francofurti, & alibi ſæpius.

Lexicon Græco-Latinum in N. Teſtamentum. 8. Londini, Amſtelod. Genevæ &c. ac rurſus ſtudio *Joannis* Leuſdeni Amſtelod. 1675. & Lipſiæ 1695.

Extat Franekeræ in Templo majori ſequens ejus Epitaphium.

Heic caro Paſoris requiebat, ſed feſſa labore:
Mens ſurſum tendens geniis comitata triumphat.

GEORGIUS PASOR,
S. Theol. & L. Hebreæ
Per annos XIX. Herbornæ,
Græcarum Litterarum per annos XI.
Hac in Academia Profeſſor,
Heic glorioſam carnis præſtolatur
Reſurrectionem.
Natus Ellaræ Naſſovior. Kal. Auguſti
M. D. LXX.
Denatus Franekeræ IV. Eid. Decembr.
M. D. C. XXXVII.

GEORGIUS RATALLER,

Leovardiæ in Friſia natus eſt patre Joanne, è vetuſta ac nobili *Ratallerorum* familia, circa ann. D. 1518. Præceptorem puer Ultrajecti nactus fuit *Geor. Macropedium*, cui egregiam de ſe ſpem exſpectationemque jam tum dedit.

Poſt obitas dein Gallicas Italicaſque Academias, in Belgium redux, primùm in ſupremo Arteſiæ Concilio; mox anno 1560. in magno Belgicæ Conſiſtorio apud Machlinienſes Senator ac ſupplicum libellorum Magiſter, & demùm à die 11. Auguſti 1569. ſupremæ apud Ultrajectinos Curiæ Præſes fuit, Legati munere functus ad Daniæ Regem anno 1566. Vir totus à gratiis factus, quippe in quo doctrina, dignitas, virtus, & ante omnia humanitas ex æquo certarent.

E poëticis ejus luſibus lucem iſta viderunt.

Heſiodi Opera & Dies, verſu Elegiaco latinè reddita, &

Epigrammatum liber I. Francof. ſimul edita, 1546. 8.

Sophoclis Tragœdiæ omnes, latinitate donatæ. Antverp. apud Guil. Silvium, 1576. 8.

Euripidis Tragœdiæ III. *Phœniſſæ*, *Hippolytus Coronatus & Andromacha.* Cum Fragmentis è Vett. Poëtis, apud Stobæum, eodem metri genere expreſſis. Ibid. typis Plant. 1581. 16.

Scripſit etiam *Catalogum brevem Toparcharum Ultrajectinæ Ditionis, ſub Carolo V. & Philippo II Item Præſidum qui ſupremo Senatui præfuerunt* Hunc penes ſe fuiſſe teſtatus eſt Suffridus Petri de Scriptoribus Friſiæ.

Deceſſit morte planè ſubitaneâ, in ipſa Curia, atque in ſinu pœnè Collegarum, die VI. Octobris, 1581. jam ſexagenarius.

GEORGIUS A TEMPSECA,

Brugenſis, reliquit Collectanea quædam ad *Hiſtoriam Atrebatenſem* pertinentia, ex quibus multa ſe hauſiſſe fatetur in ſuis quoque Collectaneis Meyerus, quorum in Chronico ſuo Belgico meminit identidem Ferreolus Locrius, ad an. 1189. 1222. 1225. & 1252.

Fuit autem *Georgius de Themſicke*, J. U. D. Conſiliarius Eccleſiaſticus in ſupremo Mechlinienſi Senatu, circa annum 1500, dein etiam in ſanctiore Conſilio Bruxellis; Decanus ibidem ad S. Gudulam, Prępoſitus Eccleſiarum Colleg. S Salvatoris Harlebaci, S. Petri Caſleti, & S. Bavonis Harlemi, Decanus B. Mariæ Cortraci, & etiam (niſi lis obſtitiſſet) eâdem dignitate functurus Brugis in D. Donatiani. Ita vigebat eo tempore Beneficiorum

pluralitas, & ſimul reſidentiæ neglectus : indeque tot abuſus, providè tandem per Concilium Tridentinum ſublati.

Obiit idem *Georgius à Themſeca*, anno 1536. ſenio provectus.

GEORGIUS THOURINUS,

Leodicenſis, S. Theol. Doctor, Canonicus, Scholaſticus & Eccleſiaſtes Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis, anno 1581. die XXIX. Novemb. in eadem Eccleſia habuit

Orationem Gallicam in funere Annæ, filiæ Ferdinandi I Imp. uxoris Alberti Bavariæ Ducis, præſente *Erneſto*, Epiſcopo-Principe Leodienſi &c. 1581. 4. typis Chriſtiani Ouwerx.

Item *Orationem latinam de Seminario Clericorum*, Leodii ab eodem *Erneſto* Principe conſtituto. Ibid. 1592. 4.

Ejuſdem ſunt libri II. unus *Statutorum & Legum Seminarii*; alter, quo *ratio* redditur *erecti Seminarii*. Ibid. 1592.

GEORGIUS VIBOTIUS,

Puteolanus, Philologus, edidit *Dialecticam* Ipris excuſam. Item *Rhetoricæ*, & *Artis Epiſtolicæ Compendium*. Antver. typis Joan. Withagii, 1556. in 8.

GEORGIUS VIVIEN,

Natus altuſque Antverpiæ, parentibus Valencenatibus, *Petro Vivienno* & *Jacobâ Baillardâ*, quæ XXXII. proles peperit duos nacta maritos, geminos tamen numquam peperit. Ex *Petro* decem mares, quorum decimus *Georgius* fuit Secundis nuptiis *Joanni Damæo* Gandavenſi nupſit : qui duos & XX. ex ea liberos ſuſtulit; filios XV. filias ſeptem. Rem miram accipe: XXV. filios peperit, filiâ mediâ nullâ interjectâ. Obiit hæc ſexagenaria, circa ann. 1572. condita in Æde ſacra D. Jacobi.

Ceterùm *Georgius* à parentibus Lovanium ablegatus, anno 1555. Artium, ut vocant, Magiſter renuntiatus eſt. Hinc ad graviora ſtudia animum applicans, primò Medicinæ dare operam cœpit : verùm motâ mox illius nauſeâ Theologiæ ſtudium placuit, & ordinis ac vitæ Eccleſiaſticæ ratio. Hinc ad Juriſprudentiam tranſitum fecit, nactus Doctorem & præceptorem *Gabrielem Mudæum*.

Peragratâ Hiſpaniâ Angliâque, circa ann. 1559. Pariſiis Regentem & Profeſſorem egit. Supremis Juriſprudentiæ gradibus in Gallia acceptis, revocatus in patriam anno 1562. Curiæ Brabanticæ Advocatus fuit, alteroque pòſt anno Epiſcopi Cameracenſis Juratus, & octennio toto in hiſce functionibus vitam egit.

Scripſit interea *Hiſtoriam Rerum memorabilium*, ad Ferdinandum, Ducem Albanum.

Tabulas univerſalis Philoſophiæ.

Orationum librum.

De Officio probi Patris-familias libros IV. Lovanii, 1563. 8.

De Officio probæ Matris-familias libros totidem. Antver. typis Nutii, 1563. 8.

Inſtructionem rei militaris, terrâ marique libros IV. gallicè. Ibid. typis Joan. à Ghela. 1563. 16.

Dialogos ſacros Hiſtoriarum Vet. & Novi Teſtamenti, gallicè. Ibid. 1564. in 16.

Synopſin Juris utriuſque. Lovanii, 1563. 8. apud Wellæum.

Encyclopædiam : ad Secretarium Vargas.

Oeconomicorum ſeu *Ethopoliticorum*, libros IV.

Atque hæc ferè Bruxellæ ſcripſit : cætera Coloniæ.

Cùm enim in primis illis Belgii tumultibus, quoſdam famæ ſuæ ac nominis arbitros inveniret non ſatis æquos, circa annum 1570. in Germaniam ſeſe contulit, & ſubſtitit in Ubiis. Hîc per biennium Jura privatim docuit, & quædam ſcripſit. Quo factum, ut ad Juris utriuſque profitendi munus admiſſus fuerit publico civitatis ſalario, & tertio pòſt anno Aulæ Illuſtriſſ. Archiepiſcopi ac Principis Electoris Aſſeſſor.

Sed & hîc æmulos quoque ſuos reperit, quaſi Univerſitatis perturbator eſſet; hoc ſolo ferè argumento, quòd aliqua ejus opera, germanicè quidem ſecundùm ineptiam Lutheri, tranſlata eſſent, ex quibus ineptiſſimus ille eſt liber, *de Officio Matris familias*, editus Lipſiæ, anno 1565. interprete Joanne Bartholomæo Annæbergenſi; alia verò etiam gallicè, ex opinione perverſi Calvini, verſa eſſent.

Verùm omnia iſta facilè ipſe *Vivienſis* refutavit, & ementita fuiſſe docuit ac demonſtravit primariis Coloniæ viris, nec ſibi commercium aliquod fuiſſe cum Sectarum illis aſſeclis, uti pluribus præfatur ad *Delineationem Elementorum Chriſtianiſmi* editam Coloniæ, 1577. fol. apud Arnol. Roſthium. Edidit autem ibidem an. 1571. 8. typis Theod. Baumii,

Juſtiniani Imp. Inſtitutiones Juris Civilis, à ſe emendatas, cum *Tabulis*.

Compendium de diverſis Regulis Juris Civilis.

Epitomen Regularum Juris Canonici.

Tit. D. De Gradibus Affinitatis & Conſanguinitatis, *Scholiis* ac *Schematiſmis* auctum.

Enchiridion de Verborum ac Rerum ſignificatione, adjectis etiam *Scholiis*, & *Antinomiis* 1570. 8. apud Pet. Horſtium.

Item flandricè *Commentarium ad Læti Introitûs Statuta Ducatûs Brabantiæ*. 4. Coloniæ 1577.

In quibus alia allegat, quæ vel ἀτέλειαν vel ἀνάδοτον, ut puto, reliquit; ſaltem incognita nec viſa hactenus, videlicet:

Lexicon utriuſque Juris, pag. 28.

Methodum Docendi, Diſcendique Juris. pag. 61.

De locis argumentandi Legalibus p. 14.

Proverbia Juriſtarum. p. 61. 91.

De Arreſtis & Arreſtationibus. p. 50. 65. 82. & ſæpiùs.

Commentarios in librum *I Pandectarum* p. 89. 87. 122.

Conſiliorum Volumina p. 148.

GERARDUS,

Affligemienſis in Brabantia Monachus Benedictinus, ſcripſit librum

De ſtatu Matrimoniali Exſtat MS. in Parcenſi Monaſterio, juxta Lovanium.

GERARDUS DE ANTVERPIA,

Clericus, vixit in Gallia circa annum 1270. ſedente Romæ Gregorio X. Pont. cui *Biblia tabulata* inſcripſit, quem librum ſe ſcripſiſſe ad inſtantiam *Guidonis de Turre*, Arvernorum Epiſcopi, præfando teſtatur. Legitur MS. Ultrajecti ad S. Joannem in Bibliotheca publica.

GERARDUS,

Belga, Monachus Benedictinus & Abbas in Germania, Vir piiſſimus, ſcripſit *Opuſcula* quædam Aſcetica, *verè aurea & divina ad Monachos*, excuſa primum Auguſtæ Vindelicorum anno 1633, operâ *P. Gabrielis Bucelini*, *Ord. Bened.* Viri doctiſſimi; deinde Bruxellis ad inſtantiam quorumdam Belgii Prælatorum ejuſdem Ordinis, ſecundò impreſſa 12. 1673.

GERAR

GERARDUS BERGENSIS,

Fortè idem cum *Ægidio Everardo*, de quo ſupra) Reipublicæ Antverpienſis Medicus juratus, ſcripſit

Commentarium de Herba Panacea.

De Præſervatione & Curatione morbi articularis, & Calculi, typis Plantini, 1563. 8.

De Peſtis Præſervatione. Ibid. 1565. 8. & apud Bellerum, 1587. 16.

De conſultationibus Medicorum: & methodicæ Febrium curationis, Commentariolum. Ibid. 1586. 8.

Moritur Antverpiæ anno 1583. die xv. Septembris, conditus in D. Jacobi.

GERARDUS DE BOOT,

Godefridi Filius, Arnoldi frater, Medicinæ Doctor, Gorcomii anno 1604. natus, Londini in Anglia ſedem domicilii fixit Regius Medicus. Edidit in Belgio Tractatum Belgicum, quem *Horas jucundas* ſive *delectabiles* inſcripſit, 1630 4.

Item cum *Arnoldo Botio*, fratre ſuo, Medico Comitis Leiceſtriæ Pro-Regis Hiberniæ, evulgavit Dublinii in Hibernia anno 1641. 4. Tractatum latinum, hoc titulo:

Philoſophia Naturalis reformata, id eſt *Philoſophiæ Ariſtotelicæ accurata Examinatio ac ſolida Confutatio, & novæ & verioris Introductio*

GERARDUS BRANDT,

Enchuſianus Batavus, Theologus è Sectâ Remonſtrantium, eorumque pſeudo-Eccleſiæ quæ Amſtelodami eſt, Rector, natus 25. Julii 1626, denatus 11. Octobris 1685. relictis liberis Gaſparo & Gerardo, paternę eruditionis hæredibus ac ſcripti claris. Hiſtoriarum ſtudio magis quam Theologico addictus fuit, ediditque flandrico idiomate libros ſequentes.

Brevis enarratio Reformationis & bellorum adverſus Hiſpaniam in & circa Belgium ad annum M. D. C. è variis hiſtoriis fide dignis & ſcriptis authenticis abſque partium ſtudio (ut ait) inſtituta: ſine nomine impreſſa anno 1657. recuſa Amſtel. 1658. Accedit Chronicon breve præcipuarum hiſtoriarum Belgii ab anno 1600. deductum ad 1658.

Hiſtoria Reformationis, aliorumque Eccleſiaſticorum geſtorum in Belgio & vicinis oris, cum Annotatis & Obſervationibus. I. Volumen, cujus 10. priores libri prodierant anno 1668. in 8. dein fuit pertextum ad annum M. C. & impreſſum Amſtelod. anno 1671. Poſt triennium prodiit Volumen alterum, proſequens Hiſtoriam ad ann. M. D. C. XVIII. Poſt obitum Viri hujus prodiêre III. & IV. Volumen, impreſſa Roterod. 1704. in 4. Porro *Richardus Cumberland*, Anglus, Pſeudo-Epiſcopus Petroburgenſis, totam hanc Brantii Hiſtoriam in linguam Anglicam tranſtulit, ac curavit imprimi IV. Volum. in fol. Londini 1720. & 1723.

Defenſio Hiſtoriæ Reformationis, contra criminationes Henrici Rulæi, Miniſtri Amſtelodamenſis.

Vita & res geſtæ Michaelis de Ruyter, Ducis, Equitis, ac Vice-Architalaſſi Generalis Hollandiæ & Weſtfriſiæ. Accedit Hiſtoria maritima Provinciarum Confœderatarum ab anno 1652. uſque ad 1676. Prodiit primùm belgicè, dein germanicè, item gallicè Amſtel. fol. 1698. cum fig.

Diarium Hiſtoriarum &c. cum indice dierum, quibus nati ſunt & obierunt celebres heroes, viri eruditi & artifices. Amſtelod. 1689 in 4.

Poemata Gerardi Brantii, collecta per N. Borremans. Roterod. 1649. in 8.

Poemata ejus ſacra & prophana 4. Amſt. 1688. ibid. recuſa II. Tom. 1726.

Hiſtoria judicii habiti annis 1618. *&* 1619, *de tribus captivis*, *M. Johanne ab Olden-Barnevelt*, *M. Ramboldo Hogerbeets*, *Mro. Hugone Grotio*. Roterod. 1708. in 4. & rurſus anno 1710 cum augmento variarum annotationum.

Examen, *an illi qui eſt addictus ſententiæ Remonſtrantium*, *licitum ſit cœtum ſuum re.inquere*, *& frequentare conciones Contra-Remonſtrantium*, *ſtudio commodi ſui*. 8. Amſtelod. 1657.

Vita Equitis Petri Cornelii Hoofdii, præfixa novæ Hiſtoriæ Belgicæ ab illo conſcriptæ. fol. Amſtel. 1677.

Vita Judoci Vondelii Poëtæ celeberrimi. 4. Amſtel. 1682.

Thuanus reſtitutus: ſive Sylloge locorum variorum in Hiſtoria illuſtris Viri Jacobi Auguſti Thuani hactenus deſideratorum. Amſtel. apud J. H. Boom 1663. in 12.

Ita habetur in Bibliothæca Scriptorum Remonſtrantium auth. Adriano à Cattenburg. pag. 19.

GERARDUS DE BREDA,

Brabantus, Cartuſianus in Domo Capellæ B. Mariæ, juxta Angiam, Hannoniæ opidum, qui olim locus viros doctrinâ ac pietate præſtantes produxit plurimos: de quibus Dorlandus libro VII. cap. xxv. & ſeqq. Coronæ Cartuſianæ, ubi de *Gerardo* noſtro ita loquitur: *Gerardus de Breda multâ ſacrarum Litterarum eruditione mirandus*, *vitæ ſanctimoniâ præclarus*, *dulcis eloquio*, *ſententiis plenus*, *tum ore*, *tum calamo cunctis opem ferre ſtuduit*. &c. Scripſit autem, teſte Theodoro Petrejo in ſua Bibliotheca Cartuſiana,

Vitam Domini noſtri Jesu-Christi, rythmo.

In Pſalmum LXVII. *Exurgat Deus*, *& diſſipentur inimici*.

De Religioſorum Profeſſione.

De VII. Horis Canonicis.

De Sacramento Altaris, ſive *Euchariſtiæ*. Et alia in Bibliothecis aſſervari ſolita; teſte P. Bunderio.

GERARDUS BROEKELAER,

Arnhemius, Geldrus, in Eccleſia Cathedrali Buſcoducenſi D. Joannis Evangeliſtę Canonicus, & in D. Catharinæ Parochia per annos XXVII. Paſtor vigilantiſſimus. Obiit ibidem anno 1602.

Vir latinè, græcè, atque hebraïcè doctiſſimus, in difficillimo Belgicæ ſtatu multa egit & paſſus eſt pro fide Catholica, opponens ſe murum pro domo Dei; ut aliquo-uſque animadverti poteſt ex ſcripto, quod ſub finem Victoriæ Turris David ipſe adtexuit & inſcripſit *Teſſeram Reformatæ Religionis*.

Victoria autem *Turris Davidicæ contra Turrim Babilonicam*, *pro Venerabili Sacramento Altaris* &c. edita eſt Silvæducis, 1580. 8. Tractat idem, quod Joannes Garetius fuſiùs & curioſiùs ante eum præſtiterat.

Scripſit inſuper *Prodromum Pacis*. Ibid. 1580. 8.

Odam item *Triumphalem civium Silvæducenſium*. Ibid. 1588. 4.

S. P. Q. Sylv. hoc ei in parochiali ſua S. Catharinæ Eccleſia poni voluit Epitaphium.

Monumentum
Venerandi Viri ac Domini
Gerardi a Breuckelaer,
Eccleſiæ Cathedralis Buſcoducenſis
D. Joannis Evangel. Canonici,
Et Divæ Catharinæ Parochiæ
Per annos XXVII.
Paſtoris vigilantiſſimi digniſſimique.
Vatidicus vero cecinit modulamine David,
Æternâ juſtus mente probandus erit.
Non igitur fas eſt ignotum te bone Paſtor,
Breuclaer, *à ſera poſteritate premi*:
Cujus vita fuit multâ virtute probanda,

Lux gratos ſuperis terrigeniſque facit.
Dum bene ſolliciti Paſtoris munia curas,
Tam charas vigili corde tueris oves;
Ut quoque nil veritus fueris profundere vitâ,
Fœx tibi Calvini dum rapuiſſe ſtudet
In tam preſenti diſcrimine Catholicorum:
Ni manus ejecto prompta tuliſſet opem.
Hoc meritus docto fueras hortamine, civem
Sedulus officii dum memorem eſſe mones.
Excultus latio ſermone, idiomate græco,
Hebreæ Linguæ ſat quoque gnarus eras.
Magnificam templi ſtuduiſſes reaaere formâ,
Si tibi pro voto tradita cuncta forent.
Sed cœli nunc Templa colas optamus, in arcto
Condantur licet hîc oſſa ſacrata loco.
Hæc tibi vota facit Sylvæ præclara Senatus,
Ob merita, hac tabulâ condecoratque rogum.
Ut qui dum vivus nullos jactaris honores,
Hoc tibi reddatur poſt pia fata decus.

Obiit anno M. D. C. II.

GERARDUS BRUNUS,

Sive Brunesius, Daventrienſis, Conſularis ibidem viri filius, & Canonicus Cathedralis B. Lebuini in patria, magni vir judicii, indefeſſæ lectionis & ſingularis humilitatis, Latinitate donavit

Praxin Vitæ ſpiritualis juſſu Nic. Sfondrati, Cardinalis & Epiſc. Cremonenſis, pòſt Pont. Max. Gregorii XIV. editam Coloniæ typis Birckmanni 1586.

Item è Flandrico libellum *Adriani Adrianii*, è Societ. Jesu, *De Confeſſione*. Ibid. 1587.

Obiit patrio in ſolo, anno 1630. ferè ſeptuagenarius.

GERARDUS BUSÆUS,

Noviomagus, primus in Scholis Artium Lovanii anno 1556. è Porcenſi Pœdagogio, dein S. Theol. Licentiatus, ſub Michaëlis Baii, viri eximii ac tum celeberrimi diſciplina: poſt Canonicus & Eccleſiaſtes Sanctenſis, beneficio Joannis Guilielmi, Cliviæ ac Montium Ducis, cujus pueritiæ præfuit. Scripſit juſſu Guilielmi Lindani, Epiſcopi Rurœmundenſis, *Catechiſmum*, ad Senatum Noviomagenſem, Germanicè. Coloniæ 1572.

Addit Callidius, ſcripſiſſe, *Reſponſionem* ad Matthiam Illyricum. *De Communione ſub utraque ſpecie*; verùm exemplaria ab hæreticis ſuppreſſa deſiderari. Item *De Euchariſtiæ Sacramento*; ſed lucem nondum vidiſſe.

Fratres habuit *Joannem* & *Petrum*, Societatis Jesu Theologos inſignes, ſcriptis itidem celebres.

GERARDUS CANDIDUS,

Vulgò *de Witte*, Antverpienſis, edidit

Deſignationem brevem, ſeu potius *Diarium rerum in Belgio ab anno 1566. ad annum uſque 1580. geſtarum*. Francof. 1580. fol. Tomo ſecundo Annalium Rerum Belgicarum.

GERARDUS CANNYFIUS,

S. Theol. Baccalaureus, Scholæ Silvæducenſis Archi-didaſcalus, vir litteratiſſimus, teſte Joanne Deſpauterio, qui eum Præceptorem ſuum laudat, & *Grammaticam* ſcripſiſſe auctor eſt Præfat. in I. partem ſuæ Grammaticæ.

GERARDUS CORSELIUS,

Leodicenſis, *Petri* J. C. Filius, *Joannis Wamesii*, J. U. D. item celeberrimi è ſorore *Maria* nepos, naſcitur anno 1568. VI. Idus Junii, nomine *Gerardi* accepto à Gerardo Cardinale Groesbecano, Epiſcopo & Principe Leodicenſi, initiationis Chriſtianæ arbitro. Tirocinia ſtudiorum fecit in urbe natali, donec Poëticis Rhetoricisque apprimè inſtructus, collectoque græcarum Lit-

terarum unico ad altiores ſcientias ſubſidio & ornamento, Treviros abiit Philoſophicis operam daturus; quibus deinde Lovanii Porcenſi in Gymnaſio finem impoſuit anno 1586. decimo-octavo propè ætatis, quartus inter Magiſtros Artium.

Inde patris avunculique preſſis veſtigiis, ad ſtudium utriuſque Juris animum applicuit, cum ingenii vivacitate, acri judicio, oriſque facundia, tanto conatu impetuque adjecto, quantum poſtea ſucceſſus demonſtravit. Etenim Licentiæ Laureâ donatus, annos natus viginti tres, licet per id tempus Græcas ibidem ab anno 1591. in Collegio Trilingui Buſlidiano profiteretur Litteras, Doctoris tamen gradum titulumque ſuſcepit anno 1594. VI. Non. Februarii, ac nondum evoluto biennio Inſtitutionum Profeſſor Regius nominatus, prima Juriſprudentiæ elementa toto decennio cum laude fructuque explicuit.

Demùm ex Anteceſſore Juris Civilis primario ad ſupremum Belgicæ Senatum à Belgarum Principibus Alberto & Iſabella anno 1617. Machliniam evocatus, Oratione ſolemni Scholæ Academiæque eodem anno, v. Kal. Junii valedixit, alteroque poſt anno Concilii Sanctioris Aſſeſſor ac Libellorum ſupplicum Magiſter, eorumdem Principum voluntate conſtitutus, id muneris incomparabili integritate, rarâque aſſiduitate totis annis XVII. ſuſtinuit; Præpoſiturâ interea Eccl. Colleg. Harlebecanæ auctus anno 1630. Iſabellâ gubernante.

Vir fuit ab heroïca ſtatura, auctoritatem quandam præ ſe ferente, omnibus venerabilis; à doctrina, junctâ cum modeſtia ac candore, ſuſpiciendus omnibus. Talem certè Academia coluit Lovanienſis, cujus, dum in ea vixit, fuit velut Cor & Ηλιος. Teſtis iſtius rei eſt ſupremus ibidem Magiſtratus, quem ſine exemplo nonùm tenuit, bonorum omnium gaudio & applauſu, cùm dicerent nullius humeris melius ſecuriuſque, atque *Corſelii*, munus onuſque hoc Rectorale ſedere.

Legitur illius *Oratio in funere* magni *Juſti Lipſii* habita, edita Rivii typis, 1606. 4. & Plantin. in Fama poſtuma ejuſdem. Præterea in gratiam Collegii Baccalaureorum J. U. collegit *Indicem Legum & Capitulorum* ſelectiorum, adſcriptis auctoribus, Ibid. 8. apud Rivium.

Reliquit *Prælectiones in Codicem Juſtinianeum*, opus præclarum, & Juris Romani, veteris novique, theſaurum; *Reſponſa de jure* ſive *Conſilia* varia, *Orationes* item varias, de variis materiis non uno loco aut tempore Lovanii habitas: quæ ſcripta *Petrus Weymſius*, Præſes Provinciæ Luxemburgenſis olim poſſedit.

Ceterùm Corselius animam Deo reddidit Bruxellæ anno 1636. X. Kal. Octob. ætatis ſexageſimum octavum ſupergreſſus, quodque mortale fuit ſepulcro illatum eſt apud S. Gudilam in Sacello Ven. Sacramenti, ubi defuncti memoriæ viſitur ab hæredibus poſitum inſigne Monumentum, cujus hæc inſcriptio.

D. O. M.
Gerardus Corselius,
H. S. E.
Qui Leodici Eburonum natus,
Lovanii Primarius Anteceſſor,
Cum per IV. luſtra jus enarraſſet,
Academiæ Rector nonùm præfuiſſet,
Ad ſupremum Mechlinienſe,
Inde ad Sanctius Conſilium
Eſt adſcitus.
Quod munus XX. annis geſſit,
Principibus ac Regi fidus:
A quo
Belgico in Hiſpaniis Conſilio adlectus,
Præpoſiturâ inde Harlebecenſi ornatus:
Sed amplioribus augendus honoribus

Ni fata invidiſſent,
Magno ſui apud omnes relicto deſiderio
Vivere deſiit anno M. D. C. XXXVI.
Septembris XXII.
Ætatis LXVIII.
Avunculo bene merenti,
Propè hanc Aram ſepulto,
Mœſti Heredes poſuerunt.

GERARDUS DRUNÆUS,

Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus in Tongerloa, ac Rhetenſis in Brabantia Parœcus, Mathematicus inter ſui Ordinis primos, varia ingenii ſui artiſque monumenta atque inſtrumenta reliquit. Inſtrumenta Erneſto Bavaro, Leodicenſium Antiſtiti ac Principi, dono dedit. Scripta Tongerloenſes adſervant ſodales, nimirum iſta:

Tabulas Sinuum. Item *Aſcenſionum rectarum & obliquarum.*

Tabulas Parallaxeos, ſeu diverſitatis aſpectus.

De uſu Quadrantis Aſtrolabii.

De ortu & occaſu. De mediatione cœli ſiderum.

Kalendarium Hiſtoricum & Poëticum, exhibens ſolis locum in Zodiaco, ortum & occaſum, quantitatem dici ac noctis &c.

Tabulam Feſtorum mobilium, ab anno 1582. ad ann. 1601. & alia nonnulla.

Obiit eo anno 1601. die XXIII. Januarii.

GERARDUS ELIGIUS,

Cartuſianus & Vicarius Bruxellenſis, litteras humaniores Antverpiæ didicit in Scholis Societatis Jeſu, atque in Poëticis excelluit, luſitque *Carmina* diverſa, ſparſim edita. Scripſit &

Vitam ac Martyrium B. Juſti Goudani, Cartuſiæ Delfenſis apud Batavos Profeſſi & Sacriſtæ. Bruxellis, 1624. 4.

GERARDUS FALCOBURGIUS,

Noviomagus, eloquentiæ ac doctrinæ omnigenæ gloriâ cumulatiſſimus, græcèque ad miraculum eruditus: edidit juvenis adhuc

Notas in Nonni Panopolitani Dionyſiaca typis Plantini, 1569. 4. & Francof. apud Marnium, 1606. 8.

Carmina ejuſdem græca Janus Douſa ſuo in Tibullum Schediaſmati ſubjunxit; pluraque alia alibi ſparſim edita leguntur. Aliæ item lucubrationes ineditæ in Academia Lugduno-Batava ad editionem reſervantur.

Vixit apud Hermannum Comitem de Niewenair in Ubiis, ac vino depoſitus iter faciens, equo delapſus periit Steinfurti, anno 1578. VIII. Idus Septembr. annos natus XL.

GERARDUS DE FLORINES,

Arnulphi Florinenſis Dynaſtæ filius, patriâ Leodienſis, Henrici Imp. Capellanus, atque ab anno 1013. Cameracenſis & Atrebatenſis Sedium tunc adhuc unitarum Epiſcopus, obiit anno 1048.

Synodus Atrebatenſis ab hoc Præſule habita Atrebati anno 1025, primùm fuit edita per Domnum *Lucam Dacheri*, Monachum Benedictinum Congreg. S. Mauri, Tomo XIII. ſui Spicilegii pag. 1.

GERARDUS GELDENHAURIUS,

Noviomagus, Ordinis Cruciferorum Monachus, & Philippo Burgundo, Epiſcopo Ultrajectino, à Sacris; ſed qui poſt turpi apoſtaſiâ à Catholicis Belgis ad Germanos Marpurgenſes transfugit, ubi poſtquam annos aliquot Hiſtoriam explanaſſet, dum

Wittembergam versus iter instituit, à latronibus confossus, fisso securi capite, miserè periit, anno 1542. die x. Januarii, ut refert Reinhardus Lorichius, Hadamarius, Scholiis ad Aphthonii Progymnasmata. Edidit *Geldenhaurius*

Scholia in Dialecticam Georgii Trapezuntii. Coloniæ 1538. 8.

Historiam Batavicam: cum Appendice de vetusta Batavorum Nobilitate, de Episcopis Ultrajectinis &c. Argentorati, apud Christ. Egenophum, 1533. 8. Coloniæ 1541. & Tomo II. Scriptorum Rerum Belgic. Francofurti 1580. in fol. & ann. 1650. Harlemi per Petr. Scriverium, unà cum

Lucubratiuncula de Batavorum Insula.

Germaniæ Inferioris Historias. Argentor. 1532.

Vitam Philippi à Burgundia, Episcopi Ultrajectini, *boni Philippi Burgundiorum Ducis filii: in quâ Christiani Principis exempla proponuntur, & origo belli inter Episcopum Ultrajectinum & Carolum Gelriæ Ducem inseritur.* 8. Argentorati 1529. Verùm libellus hic (quod monitum lectorem velim) totus hæreticus est. Eundem denuo edidit, cum Notis & Observationibus, *Antonius Matthæus* J. U. Doctor Ultrajectinus, inter Analecta prisci Ævi Tomo I. pag. 216. Lugd. Bat. 1698.

Catalogum Episcoporum Ultrajectinorum. Marpurgi, 1542. 8.

Epistolam ad Guilielmum Gelriæ Principem gratulatoriam, *de Principatuum suorum adeptione.* Coloniæ, 1541. cum Historia Batavica.

Epistolam de Zelandia, ad Martinum Dorpium S.T.D. Lovanii, apud Theod. Alostensem. Pleraque hæc collegit, simulque edidit in Batavia sua illustrata Pet. Scriverius, Lugd. Batavor. 1650. 4.

Transtulit etiam Latinè quædam *Joannis Marii*, Belgæ, *de miranda Regum Germaniæ antiquitate*, è gallico.

Satyras ejusdem VIII. à Martino Dorpio approbatas, excudit Lovanii Theod. Alostanus, an. 1515.

Theologica, ab eodem in Germania edita, à Patribus Tridentinis in prima classe damnata sunt; adeoque indigna, quæ hic numerum faciant.

Exstat ad *Geldenhaurium* Desid. Erasmi Epistola in Pseudo-Euangelicos, quâ eum, scriptaque ejus graviter reprehendit; & *Vulturium* indigitat, alludens ad vocem vernaculum *Gierardt.* (*Gier* enim *Vultur* significat.) Indicavit hoc alio loco idem Erasmus in Epistola quadam ad Bilibaldum Pirckheimerum an. 1530. ita scribens: *Quidam* Gerardus Noviomagus, *è Brabantia profugus, & ex amicissimo subitò factus capitalis hostis, novam tragœdiam movet Argentorati, nebulo seditioni natus. Is est ficto nomine* Vulturius.

Marpurgi in summo templo positum ei fuit à Lutheranis hoc Epitaphium

Hic NOVIOMAGI *requiescunt membra*
GERHARDI,
Juxta hunc ANDREAS *conditur* HYPPERIUS.
Ut pia doctrinæ concordia junxerat ambos,
Sic idem amborum cont gi' ossa locus.
Quos sociat tumulus, sociabunt cælica regna,
Ut capiant Fidei præmia justa suæ.

GERARDUS GOOSSENS,

Medicus Lovanienſis, edidit

Compendium Rhetorices ex prælectionibus *Petri Guersii.* Antver. apud Joan. Loëum, 1567. 8.

GERARDUS HAMONTANUS,

E Leodiensis Campiniæ oppidulo oriundus, Carthusiæ Colonienſis per annos XXX. Prior, ibique fato functus anno 1566. IV. Nonas Augusti.

Opuscula Vener. Patris *Dionysii Cartusiani* selectiora congessit ac digessit,

Digitized by Google

Coloniæ edita, 1559. fol. typis Birckmanni.

Exercitia de Pſalterio glorioſæ Virginis MARIÆ, partim ex ſcriptis SS. Patrum, partim ex litteris Apoſtolicis, &c. ſimiliter collegit & edidit. Ibid.

Sed & libellum Coloniæ, an. 1541. apud Gaſp. Genneppæum evulgatum, hâc ἐπιγραφῇ, *Hortulus Devotionis, variis Orationum piorumque exercitiorum, quæ mentem in Deum rapiunt, floribus peramœnus*, videri *Hamontani* laborem, auctor eſt in Biblioth. Cartuſiana Theodor. Petreius: apud quem plura de eo leges.

GERARDUS HARDERWICENSIS,

A Geldriæ opido cognomen mutuatus, Artium & S. Theol. Doctor, Regens Collegii ſive Burſæ Laurentianę apud Colonienſes, & ad S. Columbanum Paſtor, moritur an. 1503. Fuit Alberti Magni aſſecla & defenſor egregius, ediditque.

Commentaria in Logicam Ariſtotelis. Coloniæ 1494. apud Uldaricum Zellium.

GERARDUS VAN HERDEGOM,

Mechlinienſis, Canonicus Norbertinus in Tungerloo, & Paſtor Eccleſiæ Parochialis de Baerle in Campinia, edidit

Divam Virginem Candidum Ord. Præmonſtrat. Matrem ac tutelarem. 4. Bruxellis 1650; quo Libro præſertim expenduntur Antiquitates Eccleſiarum Campinienſium.

GERARDUS DE JACEA,

Vulgo DE IEAUCHE, qui Gallo-Brabantiæ vicus eſt, Capellanus & Notarius Capituli S. Albani Namurci, reliquit *Geſta Comitum Namurcenſium.*

Vixit anno 1525. Laudat ea non ſemel in Namurco ſuo Joan. Gramajus.

GERARDUS JACOBI,

Aſtenſis, Brabantus, è Majoratu Sylvæducenſi, S. Theol. Baccalaureus, Paſtor Zoemerenſis in Brabantia, & Diſtrictûs Helmondani Archipresbyter, vir antiquæ fidei ac ſyncéritatis, celebravit verſu, ut facili, ita ſimplici, & ſucci poëtici egeno,

Martyres Gorcomienſes, à *Guil Eſtio*, Theol. Duacenſi, deſcriptos. Antver. 8. typis Davidis Martinii.

Item *Divam Virginem Ommelenſem*, qui vicus eſt Aſtenſis Dominii; de quo libro Poëta quiſpiam appoſité:

Ut res ſunt miræ, ſic eſt mirabile carmen,
Quale prior populo non dedit ulla manus.

Nam ſinguli verſus, cujuſcumque ſint metri, continent annum patrati miraculi, laborioſâ admodum compoſitione. Excudit Gerardus Rivius Lovanii. 1607. 4. Habuit nepotem ex fratre *Joannem Jacobi*, Canonicum in D. Donatiani Brugenſem, de quo inferiùs ſuo loco.

GERARDUS JOANNES VOSSIUS,

Waſſemburgi in Juliacenſi Ducatu anno 1577. natus, patre *Joanne Voſſio*, matre *Corneliâ de Biele* Ruræmundanis, ad Calvinianam, quam profitebantur, Sectam, è Belgio profugis.

Litteras politiores græcamque linguam didicit Dordraci, condiſcipulum inter alios ibi nactus *Eryſium Puteanum*, quocum poſtea, vel ſtudiorum cauſſâ, perpetua illi dum vixit, neceſſitudo fuit. Vixit autem Rector Scholæ Dordracenæ annos XX. Profeſſor

Eloquentiæ ac Chronologiæ in Academia Leidensi Constitutus anno 1618: sed cum dogmata Arminianorum tueretur, paulò post jussu Synodi Dordracenæ suspensus à munere, quod demum 9. Novembris 1622. resumpsit. Inde anno 1633. ad celebre Amstelodamensium Gymnasium migravit, Historiarum Professioni deputatus.

Obiit Amstelodami die 17. Martii 1649. ætatis anno 72. Eruditionem ejus, tum Batavi, tum exteri summis laudibus prædicarunt. Nemo rem Grammaticam accuratiùs excussit & explicuit: veteres Historicos græcos æquè ac latinos ita illustravit ac imitatus est, ut eis coætaneus videretur. Quin & Cardinalis Bona hoc tulit judicium: *Jo Gerar Vossius omni doctrinarum genere atque omni eruditione mirabiliter excultus: utinam Orthodoxâ Fide imbutus fuisset!*

Positum ei fuit hoc Epitaphium.

Hoc tumulo plorat Pietas, & Candida Virtus,
Et luctu Pallas saxea diriguit.
Invida Mors ridet, ridet quoque Vossius *illam,*
Dum calamo Mortem vincit & ingenio

Plura de Vossio ejusque Scriptis notatu digna, vide in Notitia Literaria Virorum illustrium P. Niceron, Tomo XIII. pag. 89. Multa enim scripsit Eloquentiam Historiamque illustrantia: quæ primùm variis temporibus locisque sparsim edita, dein simul collecta prodierunt in folio Amstelodami ex Typographia Blavianâ anno 1701, atque in sex Tomos divisa.

Tomo I. *Etymologicon Linguæ Latinæ Præfigitur de Litterarum permutatione Editio nova, Isaaci Vossii Observationibus aucta.*

Tomo II. *Aristarchus, sive de Arte Grammatica* libri VII.

Item *De Vitiis sermonis, & Glossematis latino-barbaris, libri IX. quorum quinque posteriores tunc primùm prodierunt.*

Tomo III. *Commentariorum Rhetoricorum, sive Oratoriarum Institutionum libri VI*

1. *De Rhetoricæ natura & Constitutione*
2. *De Artis Poëticæ natura & Constitutione.*
4. *Poëticarum Institutionum libri III.*
5. *De Imitatione, tum Oratoria, tum præcipuè Poëtica, Recitatione Veterum.*
6. *De Veterum Poetarum temporibus, libri II.*
7. *De Artium & Scientiarum natura ac Constitutione, libri V. antehac diversis titulis editi.*

Liber 1. *De quatuor Artibus popularibus.*
2. *De Philologia.*
3. *De Mathesi, seu scientiis Mathematicis.*
4. *De Logica.*
5. *De Philosophia.*

De Philosophorum Sectis, liber.

Tomo IV. *Ars Historica, sive liber de Historiæ & Historices Natura, Historiæque scribendæ præceptis.*

2. *De Historicis Græcis*, lib. IV.
3. *De Historicis Latinis*, lib. III.
4. *Historiæ universalis Epitome, nunquam ante edita.*
5. *Opuscula varii argumenti*

Vita Fabiani Comitis à Dhona.

Consilium Gregorio XV. Pont. max. exhibitum per Michaelem Lonigum, cum censura G. J. Vossii.

Aphorismi de statu Ecclesiæ restaurando &c per Mich. Lonigum, cum Censura G. J. Vossii.

In Epistolam Plinii de Christianis, & Edicta Cæsarum Romanorum adversus Christianos, Commentarius.

De Cognitione sui.

De studiorum ratione, Dissertatio gemina, generalis & particularis

Oratio in obitum Thomæ Erpenii, Orientalium Linguarum in Academia Lugdensi Professoris.

Oratio

Digitized by Google

Oratio de Hiſtoriæ utilitate.

In Fragmenta T. Livii Andronici. Q. Ennii, C. Nevii, M. Pacuvii, & L. Attii Caſtigationes & Notæ

VI. Epiſtolæ ſelectiores, à Voſſio & ad Voſſium ſcriptæ

Tomo V. *De Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana, ſive de origine ac progreſſu Idololatriæ; deque naturæ mirandis, quibus homo adducitur ad Deum, Libri IX.* Prohibentur Romæ per Congregat. Indicis, 7. Februar. 1718.

Tomo VI. *Chronologiæ ſacræ Iſagoge, ſive de ultimis Mundi Antiquitatibus, ac imprimis de Temporibus rerum Hebræarum, Diſſertationes VIII*

2. *Diſſertatio gemina; una de J. C. Geneaiogia, altero de annis quibus natus, baptizatus, mortuus.*

3. *Harmoniæ Evangelicæ de Paſſione, Morte, Reſurrectione ac Aſcenſione J. C. Salvatoris noſtri, libri III* Prohib. Romæ 2. Julii 1686.

4. *De Baptiſmo Diſputationes XX. & una de Sacramentorum vi ac efficacia.*

5. *Theſes Theologicæ & Hiſtoricæ de variis Doctrinæ Chriſtianæ capitibus*, quas olim diſputandas propoſuit in Academia Leydenſi. Hæ fuerunt Romæ prohibitæ per Congreg. Indicis 2 Julii 1686.

Diſſertationes tres de tribus Symbolis Apoſtolico, Athanaſiano, & Conſtantinopolitano: prohibitæ Romæ 10. Junii 1654.

7 *Hiſtoriæ de controverſiis quas Pelagius ejuſque Reliquiæ moverunt, libri VII.*

8. *Fragmentum de Manichæis & Sticis*, nunquam antehac editum.

9. *Diſſertatio Epiſtolica de Judicio Magiſtratûs in Rebus Eccleſiaſticis.*

10 *Reſponſio ad Judicium Herm Ravenſpergeri, de Libro ab Hugone Grotio pro Catholica Fide de Satisfactione J. C. ſcripto, adverſus Fauſtum Socinum.*

GERARDUS DE JODE,

Noviomagus, in Matheſi ac Chalcographa arte plurimùm excellens, meruit annos aliquot ſtipendia ſub Carolo V. Cæſare, emerituſque cum muſis in gratiam rediit. Edidit

Speculum Orbis, Tabulis & Deſcriptionibus illuſtratum. Antver. in fol.

Addunt alii *Microcoſmum*, figuris æneis ornatum.

Apologiam Creaturarum: & *Theſaurum Hiſtoriarum Vet. & Novi Teſtamenti.*

Deceſſit Antverpiæ anno 1591. ætatis LXXXII. Nonis Februarii.

GERARDUS DE LEEUW,

Apud Batavos vixit, & ſcripſit

Dialogum Creaturarum moralizatum.

Item *Geſta Romanorum moralizata.* Gaudæ, 1480. fol.

GERARDUS LEODICENSIS,

Ordinis Ciſtercienſis (incerti hactenus ævi & habitationis Author) ſcripſit

De Remediis contra amorem illicitum. M. S. Audomaropoli, ad S. Bertinum.

GERARDUS N.

Ordinis Prædicatorum Theologus, & Lector Leodicenſis, floruit circa annum 1300. ſcripſitque

Sermones de Tempore & Sanctis.

De Doctrina Cordis lib. I. incipit: *Præparate corda veſtra &c.* & *de Teſtamento Chriſti* MS. ad S. Martinum Tornaci, in Monaſterio Viridis Vallis, juxta Bruxellam, & alibi.

Meminit illius P. Echard Tom. I. de Scriptor. Ord. Prædic. pag. 450, eumque nominat *Gerardum Teutonem*, Provinciæ utriuſque Germaniæ anno 1293. Provincialem, qui & B. Patris Dominici præclaris geſtis miraculiſque colligendis allaboravit.

GERARDUS LISTRIUS,

Rhenenſis in Batavia, Grammaticus ac Medicus, ſcripſit

De Tropis ac Schematibus. Antverp. 1524. 4.

De VIII. Figuris Conſtructionis. Ibid. 1531. 8. cum ſimilis argumenti libello, Eraſmo auctore.

Commentarium in Dialecticam Petri Hiſpani. Swollæ, 1520. 4.

Commentarium in Encomium Moriæ Eraſmi. Coloniæ & Baſileæ editum: uti & anno 1703. Leidæ, Tomo IV. novæ Editionis Operum Eraſmi. Quem tamen non *Liſtrii*, ſed ipſiuſmet *Eraſmi* eſſe laborem, aſſerit in Opere ſuo Chronographico Petrus Opmeerus, ſuppoſito *Liſtrii* nomine.

Luſit etiam carmine heroïco *Ultrajectinæ Regionis Deſcriptionem*, ad Philippum Burgundum Epiſcopum Ultrajectinum. Marpurgi, apud Egenolph. 1542. 8.

GERARDUS LOPPERS,

Qui pagus eſt in territorio Groningano, Friſius, primùm Groningæ, pòſt Trajecti ad Moſam Scholæ præfuit; ubi & diem extremum obiit, circa an. 1582. Auxit pòſt Hieron. Varlenium *Epicteti Enchiridion*, è Stobæi Eclogis: & ſubjunxit eidem *Imaginem Vitæ*, latinis verſibus è Græco expreſſam. Lovanii, 1550. 8. apud Gravium.

Scripſit & *Propugnationem ſententiæ Cardinalis Baronii contra Marſilium Neapolitanum*, Theologum in 4. Alia recenſet Suffridus Petrus; ſed quæ exiiſſe typis non exiſtimo.

GERARDUS MAGNUS,

Vulgò de Groot, Daventriæ natus eſt ad Iſalam flu. anno 1340. patre Wernero quondam Conſule Daventrienſi. Lutetiæ Pariſiorum in Sorbona ſacris litteris ac pietate inſtructus, æqualibus vitæ & doctrinæ exemplum mirificum dedit. Sorbonâ relictâ ad ſuos reverſus, priuſquam vitæ ſanctiori ſe daret, Ultrajecti atque Aquiſgrani Canonicus fuit, teſte Petro à Beeck in ſuo Aquiſgrano.

Quibus beneficiis deinde abdicatis, Clericos ſive Fratres Vitæ communis ſeu bonæ voluntatis, Daventriæ in patria inſtituit, qui Scholas Latinas juventuti undique ad ſe confluenti aperirent, & non bonis tantùm litteris, ſed & benè vivendi moribus diſcipulos inſtruerent.

Verbum dei ferventiſſimè Diaconus tantùm prædicabat, teſte Chriſtiano Maſſæo Chronic. libro XVIII. nec ſacerdotii ſuſcipere gradum audebat, eo ſe indignum eſſe clamitans, dicere identidem ſolitus: *Pro toto auro Arabiæ nollem habere curam animarum vel ſpatio noctis unius.* Scripſit plurima, è quibus

Proteſtatio de Veridica prædicatione;
Concluſa & Propoſita;
De ſtudio in ſacris libris;

Leguntur cum Operibus Thomæ Kempenſis typis edita. Reliqua in Bibliothecis Belgicis ante tumultus hoſce MSS. exſtare ſolebant, ut teſtatur in Indice manuſcr. librorum per Belgium Joannes Bunderius, videlicet:

De Vita in communi degentium. MSS. apud Regulares Tungrenſes.

De Contractibus & uſuris, lib. I.

De Inſtitutione Novitiorum, liber I. extat MS. in Rubra Valle apud Bruxellam, Tungris apud Regulares, in Biblioth. publica Ultrajectina.

De Locatione Curæ Paſtoris. MS. in Bethlehem, apud Lovanium. Incipit: *Quæritur, An quis poſſit?*

De Incommoditatibus Matrimonii. liber I. in Rubra Valle, & Lovanii ad S. Martinum.

Digitized by Google

Contra quendam volentem matrimonium contrahere. MS. in Viridi Valle.

De Focariis, ad Clerum Trajectenſem. MS. in Rubra Valle, in Biblioth. publica Ultraject. & apud Regulares Tungris.

Contra Turrim Trajectenſem. MS. olim in VII. Fontium Monaſterio apud Bruxellam, & Daventriæ, apud Fratres.

Tractatus de Paupertate. MS. in Viridi Valle.

Sermo in die Palmarum. MS. Leodici ad S. Jacobum, & in Viridi Valle.

De IV generibus Meditabilium. MS. olim in Herinenſi Carthuſia, juxta Angiam.

De vitio Detractionis. Lovanii ad S. Martinum.

Sermo de Nativitate Chriſti. MS. olim in Zelemenſi Carthuſia, apud Dieſtemium.

Epiſtola de Schiſmate, ad Cantorem Pariſienſem. Ibid. & in Monaſterio VII. Fontium, ac Tungris apud Regulares.

Ad Beguttas de Simonia. MSS. in VII. Fontium Monaſterio.

Tractatus de Beneficiis curatis. MS. ibidem.

De cohabitatione & exercitiis Devotorum Ibid.

Epiſtolæ ad diverſos. Ibid. & Huii apud Cruciferos, in Carthuſia Gandenſi & Zelemenſi, Tungris apud Regulares.

Epiſtola, ad quemdam vehementer tentatum. Lovanii ad S. Martinum.

Concordia Euangeliſtarum de Paſſione Domini. MS. olim Daventriæ, apud Fratres.

In Lectiones mortuorum, ut vocant. MS. Coloniæ in Carthuſia.

Cordiale IV Noviſſimorum MS. Embricæ apud Minores. Alii illud *Gerardo Vlindershovio* adſcribunt.

De revocatione Lapſi. MS. Lierdę in Carthuſia, & Huii, apud Cruciferos.

In librum Joannis Ruysbroeckii, qui dicitur *Ornatus ſpiritualis deſponſationis.* MS. Namurci, apud Cruciferos.

In librum ejuſdem Ruysbroeckii, de XII. Virtutibus. Ibid.

De compunctione & eruditione Scholarum. MS. Lovanii ad S. Martinum. Hæc, & plura, per Belgium MSS. vidit & obſervavit Joan. Bunderius in Indice. Addit his Petrus à Beka, in Aquiſgrano

De Converſatione interna.

De Regimine Monialium; & Catalogus Biblioth. Egmondanæ *Tractatum de gradibus Eccleſiaſticorum*, & *De Communione*; atque alii alia. Utinam verò quicquid *Gerardi Magni* reperiri uſquam poteſt, quiſpiam colligat, & bono publico in lucem proferat!

Ad vitam meliorem tranſiit Orator Euangelicus ſanctiſſimus, anno ſalutis 1384. die XX. Auguſti, ætatis ſuæ XLIV. ſepultus apud ſuos, atque hoc Epitaphio celebratus.

GERARDUS MAGNUS *vixit ſicut pius agnus;*
Fecit quod dixit: ſicut docuit quoque vixit,
Sicut non fictus, aliis mitis, ſibi ſtrictus.
Lux fuerat Cleri, tradens huic lumina veri.
Lux fuerat pravis, oculus mentis bene gnavis.
Hic mundo ſpretus, ſed pneumate corde repletus.
Ejus doctrina, falſi fuerat quaſi ſpina.
Ridiculum vanis, odium mentis male ſanis,
Quæ falſos læſit, pars veridicis ſed adhæſit.
Illi pro vero, fuit utilis hic quia Clero.
Ut Clero laïcis prodeſſe voleus inimicis,
Doctrinâ veri, debet Chriſtus miſereri.
Ejus de jure, pro tali ponere Curæ
Talis namque fore voluit gratis: ſed amore
Divino tractus, nullâ mercede coactus
Namque reſignavit Præbendas, ſicut amavit
Chriſtum, ſic ſtravit carnem, tenues quoque pavit.
De propriiſque bonis tenuit regimen rationis

Sic fuit exemplo, lux in Chriſti bene templo,
GERARDUS MAGNUS, *quem verus diligit agnus,*
Sanctorum ſortem tenet, evincens modo mortem.

Vitam illius deſcripſit Thomas à Kempis, de Origine Cœnobii, Capituli & Congregationis Windeshemenſis, Aub. Miræus in Chronico, ad annum 1384. & in Originibus Ordinum S. Auguſtini, (qui & in Codice ſuo Regularum ſive Conſtitutionum Clericalium, Origines, Conſtitutiones ſeu Statuta ac Collegia prædictæ Congregationis breviter repræſentavit) ac Jodocus Badius Aſcenſius, vitæ Thomæ à Kempis, cap. VIII. & IX.

Anno 1697. die 26. Junii per latomos quoſdam Daventrienſes, qui muros diruebant in vetere Domo Fratrum, ſeu in ambitu ejuſdem, reperta fuerunt oſſa plurima, atque imprimis duo crania, quorum unum erat *Gerardi Magni*, alterum *Florentii Radewini*, quæ erant in muro capſæ incluſa & ferreis cratibus obſepta. Atque in priore quidem legebatur hæc inſcriptio. *Hoc eſt Caput Magiſtri Gherardi Magni, Dyaconi, Viri devotiſſimi.* Hæc autem pia reſidua recollecta per R. P. *Hermanni Petri* Superiorem Domûs FF. S. Jeronymi Embricæ in Clivia, cò per ipſum anno præfato 1697 tranſlata ſunt, majori cum veneratione aſſervanda.

GERARDUS DE MARBAYS,

Trajectinus ad Moſam, in D. Virginis ibidem Canonicus, Philoſophus & Hiſtoricus, claruit anno 1495, teſte Abb. Trithemio. Scripſit

De Materia prima Dialogum.

Dialogum de captione Urbis Tungrenſis, interlocutoribus *Andreâ Kantharo* Friſio, *Mathæo Herbeno* Trajectenſi, & *Ægidio de Holy.*

GERARDUS MATTHISIUS,

Geldrus, Philoſophiæ ac S. Theologiæ apud Colonienſes Profeſſor, ibidemque Collegii Montani annos multos Præfectus, atque in Eccleſia Metropolitana Canonicus anno 1572. IV. Idus Aprilis vivere deſiit, in Odejo Dominicanorum ſepultus. Ferunt eodem, quo deceſſit die, diſtichon hoc pronuntiaſſe:

Quod ſatis eſt vixi: jam quina decennia natum
Mors rapit: heu nullus ſum, niſi, Chriſte, juves.

Scripſit, pleraque Philoſophiæ illuſtrandæ: *Epitomen Logicæ Ariſtotelæ*, Græco-lat. Coloniæ, 1569. apud Petr. Horſtium.

Epitomen lib Ariſtotelis de Cœlo: quam & *Analyſi* explicavit. Ibid. 1568.

Epitomen librorum Ariſtotelis de rerum Principiis Ibid. 1570.

Scholia in Organum Ariſtotelis. Ibid. 1565. 4. Tomis II.

Præterea vertit *Pythagoræ* ac *Phocilidis Carmina aurea.*

In Theologicis, præter *Orationem paræneticam de extremo Domini adventu* & *Concionum* volumen *de Adventu*, reliquit poſteris, ejuſdem Horſtii typis *Commentarium in Epiſtolam D. Pauli ad Romanos.*

GERARDUS MERCATOR,

Natus eſt anno 1512. III. Nonas Martii, Rupelmundæ in Flandria, parentibus Juliacenſibus. Silvæ-Ducis in Brabantia operam Grammaticæ dedit, & Dialecticæ initia didicit ſub *Georgio Macropedio.* Lovanium ablegatus, ibidem in Pædagogio Porci Magiſterii gradum adeptus, deinde ferè privatim cum Philoſophia Matheſin junxit, eâ contentione, ut ſæpè neque cibum interdiu, neque ſomnum noctu caperet; cò

Digitized by Google

GERARD MERCATOR
M.L'armessin. fulp.

Digitized by Google

fructu, ut mox ipſe inſtrumenta Mathematica quælibet ex ære conficeret; Tabulas ad hæc Geographicas ex arte ſculperet, globiſque artificioſè radio dimenſis cœlum ac terram interiùs, quà licuit, demonſtraret.

Qua in re ſtudium ſuum Gemmæ in primis Friſio (quem & privatim Doctorem habuit) cæteriſque ita probavit, ut *Mathematicorum ſui temporis facilè Princeps*, ac *Geographorum noſtri ſæculi Coryphæus* audire meruerit, concedente hoc illi elogium Abrahamo Ortelio. A Carolo V. Imp. inter aulæ ſuæ domeſticos, à Guilielmo Juliacenſium ac Clivenſium Duce in Coſmopraphum adſcitus. Fuit inſuper ſingularis in eo pingendi, cælandi, ſcribendique peritia. Scripſit

Chronologiam à Mundi exordio ad ann. 1568. ex Eclypſibus & Obſervationibus Aſtronomicis, ac Bibliis ſacris: opus Onuphrio Panvinio probatum. Coloniæ, 1568. folio, & Baſileæ, 1577. 8. typis Thomæ Guarini.

Harmoniam Euangeliſtarum: adverſus Carolum Molinæum, Juriſc. Gallum. Duysburgi, 1592. 4.

Rationem ſcribendarum Litterarum latinarum, quas Italicas curſoriaſque vocant. Antverpiæ.

De uſu Annuli Aſtronomici. Lovanii, 1552.

Emendavit & *Tabulas Geographicas Ptolomæi*, veteremque Geographiam ad mentem auctoris reſtituit. Ibid. 1589. fol.

Præterea *Globi terreſtris ſculpturam* edidit, ad Nicolaum Perrenotum, anno 1541.

Item *Globi cæleſtis ſculpturam*: ad Georgium ab Auſtria, Epiſcopum Leodicenſem. Lovanii, 1551.

Tabulas ac *Deſcriptiones Geographicas Orbis univerſi*, *Palæſtinæ* ſive *Terræ ſanctæ*, *Europæ*, *Germaniæ*, *Galliæ*, *Britannicarum inſularum*, &c. quas ὀκταέδρῳ editas in unum poſtea faſcem coëgit, & *Atlantem* inſcripſit. Cui præmiſit librum *de Creatione ac fabrica Mundi*; in quo tamen cap. XVIII. circa peccatum originale errorem ſuum prodit. Duysburgi, 1595. 4. Immortuus eſt labori illi ſuo *Mercator*, ut Apelles Veneri. Succeſſit itaque alter velut Hercules *Jodocus Hondius*, qui Atlantem Mercatoris noviſſimè edidit, & adjecit, quæ in Europa deerant, Hiſpaniæ Tabulas, itemque Africæ, Aſiæ, & Americæ, earumque Deſcriptiones. Amſtelodami, 1607. 1611. 1630. 1666. & aliàs.

Alia recenſet à *Mercatore* ſcripta Gualterus Ghymnius in Vita ejuſdem, Theologiam ſpectantia, ut *Commentarium in Epiſt. Pauli ad Romanos, in Ezechielis Capita aliquot, & in Apocalyſſin*; ſed quæ hæreſin ejuſdem, in quibuſdam fidei articulis detegant. Judicium de *Mercatore* ac *Chronologia* ejuſdem habes apud Antonium Poſſevinum libro II. Biblioth. Selectæ.

Moritur Duysburgi, in Clivia, an. 1594. IV. Non. Decembris, relicto *Bartholomæo* filio, quem, dum Lovanii ageret, ſuſtulerat; quique illi hoc poſuit Monumentum.

D. O. M. S.
GERARDO MERCATORI.
Flandro, Rupelmundano,
Juliacenſium Provinciâ oriundo,
Domeſtico Caroli Imp. Rom.
Guilielmi P. ac Joannis Guilielmi F.
Juliacenſium, Clivenſium, &c.
Ducum Coſmographo,
Mathematicorum ſui temporis
Facile Principi:
Qui Globis artificioſis, radio dimenſis,
Cœlum ac terram, interiùs & exteriùs,
Quâ licuit, demonſtravit;
A varia Doctrinâ laudato;
Virtute, quod caput eſt,
Et integritate vitæ,
Et omni morum comitate claro,

Heredes Patri B. M. dolentes,
Et eruditorum ſtudioſa Cohors
Amico pos.
Editus in lucem fuit III. Nonas Martii.
H. VI. A. M. CCCCC. XII.
Exceſſit è vivis IV. Non. Decemb.
H. XI. A. M. D. XCIV.

GERARDUS MONTANUS,

Vulgo VAN DEN BERGHE, Menenenſis Flander, Societ. Jeſu, Eloquentiam Madriti in Hiſpania plures annos docuit: ediditque

Compendium Rhetorices ſine diſpendio, ex Ariſtotele, Cicerone, Quintiliano.

Metaphraſin Poëticam in Cantica Canticorum Salomonis.

Epigrammatum in Martyres Societ. Jeſu, Centuriam.

Elegias II. de Victoria, quam Uladiſlaus Poloniæ Princeps anno 1620. *retulit.* Inſeruit eas Annalibus ſuis Eccleſ. ad ann. 1472. Abraham. Bzovius: aliaque memorat in ſua Biblioth. Societ. Jeſu Phil. Alegambe.

Moritur Villagarciæin Hiſpania an. 1632. die XIX. Sept. ætatis anno XLIV.

GERARDUS MORINGUS,

Bommelanus, Gelder, primus Lovanii in Scholis Artium è Pœdagogio Caſtri anno 1513 inde in eadem Academia S. T. L. ac Lector, primùm ad S. Gertrudem Lovanii, deinde Canonicus, Paſtor Lectorque ad S. Trudonem, in Ditione Leodicenſi: Vir exactæ doctrinæ & eloquentiæ, & dignus *Adriano Barlando* diſcipulus. Scripſit

Orationem Quodlibeticam de Paupertate Eccleſiaſtica, Lovanii anno 1528. habitam

Orationem in laudem Temperantiæ & vituperium Intemperantiæ. Antver. 1530. 8. apud Mich. Hillenium.

Commentarium in Eccleſiaſten, partim paraphraſticè, partim luſiore explanatione. Ibid. 1533. 8.

Vitam S. Auguſtini, ex ipſis potiſſimùm ſanctiſſimi viri monumentis. Lovd. 1533. 8. Prodiit rurſus in 8. Antverpiæ an. 1644. cum Elogiis ejuſdem Sancti, ac Notis *Ant. Sanderi*, Canon. Iprenſis.

Vitam S. Trudonis. SS. Liberii & Escherii. Lovanii, 1540. 4.

Vitam Hadriani VI. Pont. Max. Ibid. typis Reſcii, 1536. 4. Prodiit denuo Ultrajecti anno 1727. inter Analecta hiſtorica de Adriano VI. Authore *Caſparo Burmanno. J. U. D.*

Leguntur præterea MSS. in dicto S. Trudonis Cœnobio, *Vitæ SS. Antonii & Guiberti Gemblacenſis.*

Præcepta Vitæ honeſtæ: ad Rob. Comitem Arenbergium.

Chronicon Trudonenſe, ab anno 1410. poſt quem continuavit Monachus quidam S. Trudonis.

Obiit Trudonopoli anno 1556.

Ceterùm non rectè *Gerardum* hunc *Moringum*, Scriptorem Vitæ S. Trudonis, Monachum Benedictinum ad S. Trudonem facit Arn. Wionus, ex eoque Poſſevinus, & floruiſſe volunt, ann. 1100. Multò ineptius Cornelius Looſæus *Gerardum Moringum* cum *Noviomago* confundit.

GERARDUS MULERT,

Ultrajectinus, cùm & generis & opum, aliarumque bonarum rerum præſidio inſtructus eſſet, ad Legum ſcientiam ita ſe applicuit, ut & in foro & in ſcholis cum laude ac famâ hominis magnâ verſatus ſit. Fuit enim ab anno 1529. magni Concilii Belgici Machliniæ Senator, peritiâ juris, rerum gerendarum prudentiâ, ac Legationibus clarus, ac denique ſub *Georgio Schenckio*, Friſiæ Gubernatore, Lo-

Digitized by Google

cum-tenens ejuſdem, anno 1539. & ſequent.

Scripſit juvenis Pariſiis, & edidit anno 1509.

Additiones in Flores ultimarum voluntatum Rolandi Bononienſis, Scriptoris antiqui; qui jura teſtamentorum uſui publico accommodavit.

GERARDUS DE NEUFVILLE,

Veſalienſis, Clivius, Artium & Medicinæ Doctor, ſcripſit

Arithmeticam Theoricam & Practicam. Bremæ excudit Thomas Viller, 1624. in 8.

GERARDUS OTTHONIS,

Ex Pagode Maren prope Sylvamducis in Brabantia, Sacerdos & Paſtor addixit ſe Societati Jeſu anno 1619; dein variis in locis Miſſionarium egit apud Batavos. Supererat Antverpiæ in Domo Profeſſa anno 1671. Varia ſcripſit Opuſcula aſcetica, quorum ſeriem exhibet Bibliotheca Scriptorum Societ. Jeſu.

GERARDUS RODOLPHUS,

Gravienſis, Canonicus Eccleſiæ S. Eliſabethæ in patria, illuſtrium Schetorum præceptor, ac domeſticus *Elberti Leonini*, Anteceſſoris Lovanienſis, græcè latinèque peritus: ſcripſit

De Litteris Canonicis, videl. *Formatis*, *Pacificis*, *Commendatiis ac Dimiſſoriis*, quarum in Eccleſia primitiva uſus fuit. Coloniæ, 1582. 8. apud Calenum. Ibidemque exulans *Mathefeos Tabulas* folio patente evulgavit.

Item Tractatum duplicem, in Tabulas redactum, in folio ſimiliter patente: alterum *de Apparatu Bellico*, tam mari quàm terrâ faciendo, uti olim apud Romanos fiebat & hodiernâ militiâ fieri ſolet, Leodii, 1585. alterum *de Stipendiis Militum*, & eorumdem conficiendorum ratione. Ibid. 1586. typis Petri de Heer.

Obiit demùm Canonicus in Eccleſia Colleg. D. Petri Leodii, circa annum 1594.

GERARDUS RONDELLUS,

S. Theol. Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis Canonicus, claruit anno 1409. in Concilio Piſano, quò deputatus fuerat à Joanne de Bavaria Leodienſi Epiſcopo, ad procurandam Eccleſiæ pacem, ac ſchiſmatis extinctionem. Scripſit

Tractatum, *Utrum ingreſſus in Religionem approbatam ſit alter Baptiſmus* MS. apud Regulares Tungrenſes.

GERARDUS DE ROO,

Veteraquinas, Batavus, Ferdinandi Archiducis Auſtriæ à Bibliothecis. Vir præſtantis ingenii & eruditionis, ſcripſit librum, cui titulus,

Convivium Cantorum. Monachii, 1585. 4.

Annales Rerum belli domique geſtarum ab Auſtriacis, Habſpurgicæ Gentis Principibus: à Rodolpho I. uſque ad Carolum V. Quos à morte auctoris recenſuit, auxit & è latino in germanicum tranſlatos evulgavit *Conradus Dietzen à Weydenberg*, præfati Principis Secretarius, Oeniponti, typis Joannis Agricolæ, 1592. fol. ac rurſùs Auguſtæ Vindelic. 1621.

GERARDUS RYM,

Prænobili apud Gandavenſes familiâ oriundus, Abbas ad S. Petrum in Monte Blandinio, Ord. S. Benedicti, juxta Gandavum. Obiit anno 1636. ætatis 57.

Scutum inexpugnabile Æquitatis, ſive Æquam & modeſtam Reſponſionem oppoſuit libello, edito ſub nomine *Propugnaculi Reformationis Monaſticæ*

Ord. S Benedicti, auth. *Bened Haefteno*, Præpoſ. Affig. Duaci, typis Laur. Kellami, 1635. 4.

GERARDUS SCHAAP,

Petri filius, Amſtelodamenſis, Eques, Toparcha de Cortehoef, priùs Senator Urbis Dordracenæ, dein etiam patriæ ſuæ Amſtelodamenſis, & Conſul, eoque nomine deputatus ad Admiralitatem Zelandicam; Legatus Ordinum Fœderatorum ad Daniæ ac Sueciæ Reges, nec non Academiæ Lugduno-Batavæ Curator ab anno 1641. uſque ad 1662, quo obiit die 2. Junii.

Hic omnium primus appoſuit manum, hortantibus Fœderatis Belgii Ordinibus, ut quęcumque eorum Edicta, Leges &c. ab anno 1581. ad 1641. in unum Volumen redacta, publicâ luce donarentur; quod Opus alii dein continuarunt. Præfert Liber ejus hunc titulum.

Nederlands Plakkaert-Boeck, waer in alle de Plakkaten, Ordonnantien, Akkoorden, en andere Acten en Munimenten, uitgegeven. fol. Amſtel. 1644.

GERARDUS A SCHIEDAM,

Batavus, Cartuſianus, Prior Domus Apoſtolorum juxta Leodium, exceſſit è vivis, ann. 1443. ſub Eugenio IV. Scripſit recenſentibus Trithemio ac Boſtio,

De Cura Paſtora i librum I.

De VII Sacramentis. MS. olim Aloſti apud Guilielmitas.

De Vitiis & Virtutibus Dialogum.

Speculum Religioſorum, Clericorum.

De Decem Præceptis.

Sermones de Tempore & Sanctis.

GERARDUS A SCHUEREN,

Batavus, Cancellarius quondam Ducis Clivenſis, concinnavit

Dictionarium Teutonico-Latinum, cui *Theutoniſtæ* titulum edidit.

Vixit anno 1487. teſte Marco Zuerio in Theatro Urbium Hollandiæ cap. IV.

GERARDUS SELLIUS,

Herentalienſis, Gymnaſiarcha Silvæducenſis, edidit ibidem apud Joan. à Turnhaut, in 4.

Rudimenta Linguæ Latinæ.

GERARDUS SORIUS,

Vulgò Souris, Cœnobii Bronienſis, Ord. S. Benedicti in Comitatu Namurcenſi Religioſus profeſſus, ac poſtmodum Prior,

Catalogum Abbatum ejuſdem *Cœnobii Bronienſis*. partim ex vetuſtiſſimis ac pœnè oblitteratis chartis, partim ex ipſorum Epitaphiis collegit ac congruo ordine digeſſit, & ad ann. 1618. produxit. MS. ibidem & alibi.

Gallicè conſcripſit *Vitam S. Gerardi Bronienſis.* Namurci, 1618. 8.

GERARDUS STEMPELIUS,

Gaudanus, Mathematicus, *Aſtrolabii Fabricam* effabrè effinxit *tam univerſalis quam particularis Stellati*; uſumque illius docuit abſque Matris, Dorſi aut Retis auxilio. Arnhemii, 1619. 4.

GERARDUS SYNELLIUS,

Groninganus, Abbas Vallis B. Mariæ in Norda, apud Friſios, Poëta facer, ſcripſit metro dramatico

Hortulum Orationum libris III. Daventriæ, apud Albertum Paſradum, 1525.

GERARDUS TERLINCH,

Carmelita, *Chronicon Hueſdanum*: quo bellum proſequitur inter Hollandum

Digitized by Google

dum ac Brabantiæ Ducem de Hueſdanæ civitatis jure, quam Joannes XX. Toparcha, ſine liberis decedens, à Brabanto in feudum acceperat, aut certè vendiderat.

GERARDUS TUNINGIUS,

Lugduno-Batavus, naſcitur anno 1561. Puer, raro & memorabili exemplo, ſex menſium ſpatio accuratè Latinam perdidicit linguam, cui & Græcam adjunxit, aliaſque peregrinas poſtea. Jus verò civile, per immenſa Pandectarum Codiciſque volumina ſparſum, menſibus XV. evolvit; adeoque ſolo totoque triennio, aut quadriennio vix integro, totum ſtudiorum curſum abſolvit; ab undeviceſimo demùm ætatis anno, quod tempus otioſè tranſegerat, auſpicatus. Teſtantur id ſuis verſibus Hugo Grotius & Janus Rutgerſius, & in Vita ejus Daniel Heinſius.

Primus in Academia Batava anno ætatis XXII. Laureâ Doctorali ab Hugone Donello ornatus eſt. Inde Hagam ſe contulit, ubi in conſpectu & luce hominum cauſſas agere, reis adeſſe, & forenſibus diſceptationibus totum ſe dare cœpit. Biennio hîc exacto denuò Lugdunum rediit, ac mox ad Profeſſionem Juris, Lipſio ac Douſa authoribus vocatus, incredibili facundiâ plurimos illud annos docuit. Vir ad Rempublicam natus; niſi beatus, quam ambitioſus eſſe maluiſſet. Edidit

Apophthemata, Linguis V. græcâ, latinâ, italâ, gallicâ & hiſpanâ; typis Raphel. 1609. 8.

Commentarium in libros IV. Inſtitutionum Juris Civilis, ex adverſariis Auctoris collegit, diſpoſuit, edidit *Arnoldus Vinnius*. Ibid. 1618. 4. Notet tamen Lector, *Tuningii* hunc librum videri quaſi Epitomen Commentariorum *Franciſci Hotomanni* in eaſdem Inſtitutiones, indeque ad verbum ferè deſcriptum: quod editorem fugit.

Commentarium ad IV Digeſtorum libros.

Item *ad Tit. de Verborum ſignificationibus.*

. . . *ad Titt. de Regulis Juris*: necdum (quod ſcitur) editos.

Vitam cœlebs finivit anno 1610. die XIX. Auguſti, Bruxellæ, quò feriarum æſtivarum & animi cauſſâ ſe contulerat, ſepultus in S. Catharinæ, ubi Joannes Tuningius fratri Epitaphium poſuit.

GERARDO TUNINGO, Lugduno-Bat.,
Legum Doctori,
Et in eadem Urbe earundem
Primario Profeſſori,
M. H. L. C.
Joannes Tuningius Frater
M. D. C. X.

Deo Opt. Max. SS.
Et æternæ Mem.
GERARDI TUNINGII,
Lugdunenſis, J. C.
Qui cum ætate provectior
Ingenio ſummo, invicto vigore
Ad litterarum ſtudia veniſſet,
Illas pariter & Linguas,
Cum humani divinique Juris ſcientiâ
Solo quadriennio domi percepit;
Hanc ibidem ubi didicerat,
Annos plurimos
Omnes facundiſſ. docuit.
Frater Fratri opt. ſuaviſſ.
Cum lacrymis P. C.

GERARDUS A VELTWYCK,

Raveſteinenſis (aliis Ultrajectinus) Lovanii quondam primus in Scholis Artium è Pœdagogio Caſtri anno 1528. dein Caroli V. Cæſaris Conſiliarius & Ordinis aurei Velleris Theſaurarius anno 1549. multis Legationibus, multâque rerum experientiâ claruit: atque in Hebraïcæ Chaldaïcęque linguæ cognitione per Europam univerſam, tam

inter Christianos quàm Judæos, pauciſſimos ſui ſimiles habuit.

Laudat eum Joannes Iſaacus libro ſecundo Defenſionis Veritatis Hebraïcæ adverſus Guil. Lindanum, in fine.

Scripſit metro ſive rythmo Hebraïco librum, cui titulus שבלי תחו *Schevilé Tvobis*, *Itinera Deſerti*: de Judaïcis diſciplinis & earum vanitate. Venet. typis Bombergianis, 1539. 4.

Oratio ejuſdem *ad Solimannum Turcarum Imp.* anno 1545. habita Latinè, item *Epiſtola* ad Nic. Granvellanum de eadem ſua Legatione lecta fuit apud L. Torrium. Habuit tunc itineris comitem *Hugonem Favolium*, cujus extat Hodoeporicon Bizantinum eâ occaſione ſcriptum.

In fata conceſſit Viennæ in Auſtria anno 1555.

GERARDUS VERVOEST;

Flander, Ord. Minorum, Gandavi Ipris & alibi Guardianus ac Lector,

In Orationem Dominicam. Antverp. 1594. 8.

In Paſſionem Dominicam Conciones III. Ibid. 8. apud Joan. Keerbergium.

Sermones III. de Paraſceve, ac Reſurrectione Chriſti. Ibid.

De præſtantiſſimis Novi Teſtamenti donis, 1593. apud Joan. Maſium Lovanii.

Moritur Furnis, in Flandria, anno 1596. apud ſuos conditus.

GERARDUS VORSELMAN,

Ex Groot-Sundert, Brabantus, Medicinæ Doctor, edidit patrio idiomate

De Arte culinaria librum. Amſtelodami, 1615. 8.

GERARDUS VOSSIUS,

Borchlonius, Eburo, Præpoſitus Eccleſiæ Colleg. B. M. Tungrenſis, Protonotarius Apoſtolicus ac S. Theol. Doctor Romanus: vir Græcè Latineque apprimè eruditus, eoque nomine Guilielmo Sirleto & Antonio Carafæ Cardd. gratiſſimus, quorum ope celeberrimas Italiæ Bibliothecas luſtravit, ac de SS. Patribus optimè meritus eſt. Edidit Lovanii

Rhetoricæ artis Methodum, 1571. 8.

Commentarium in Somnium Scipionis, ex M. Tullii libro VI. de Republ. unà cum *Paraphraſi*, & *Paradigmate Variarum Lectionum*: ad Joannem Moronum Card. in cujus Romæ familia vixit. Romæ, apud Bladium, 1575. in 8.

Multa præterea SS. Patrum monumenta ex Italicis Bibliothecis primus eruit, atque è græco latinè reddidit. Ex his Romæ edidit, 1580. 4.

S. Joannis Chryſoſtomi quædam *in Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum; eorumdemque glorioſiſſimum Martyrium.* Itemque *in XII ſimul Apoſtolos:* cum *Scholiis.* Quæ recentioribus hujus S. Patris Operibus inſeruntur.

Theodoretum, Epiſc. Cyri de Caritate, Græco-lat. cum *Scholiis*, *variiſque Lectionibus.* Romæ, 1585.

Geſta quædam *ac monumenta Gregorii IX. Papæ*, Græco-lat. cum *Scholiis.* Ibidem 1586. item in Conciliis Labbæi.

S. Ephraem-Syri Opera omnia, cum *Notis*, Tomis III. Romę fol. 1589. 1593. & Coloniæ, 1603.

S. Gregorii Thaumaturgi, Epiſc. Neocæſarienſis, Opera omnia: cum *Auctoris Vita* & *Miſcellaneis SS. aliquot Patrum:* additis etiam *Scholiis.* Moguntię 1604. 4. typis Balth. Lippii.

S. Bernardi de Conſideratione ad Eugenium Papam libros V. Scholiis, variiſque lectionibus illuſtravit. Coloniæ, 1605. 12.

Præfatus etiam eſt in *Phyſica Franc. Silveſtri Ferrarienſis*, Dominicani, Romæ 1586. 4.

Digitized by Google

Pollicebatur insuper *B. Leonis I. Pont. Max.* Opera omnia, recognita, aucta, illustrata. *Hilarii* item *Papæ Acta & Epistolas aliquot* Verùm morte præventus fidem exsolvere non potuit.

Obiit autem anno 1609. XXV. Martii, Leodii, depositus ibidem in Seminario ad *Catenam* dicto, ab *Hermanno Vossio* fratre, Consule Hasseletensi, qui posuit ei hoc Epitaphium.

Ad Dei Opt. Max. gloriam,
Ad honorem Reverendi admodum
Eximiique Domini
GERARDI VOSSII,
A Borchloon
Artium & S. T. Doctoris,
Prothonotarii Apostolici,
Insignisque Tongrensis Ecclesiæ
Præpositi, qui Sanctorum Patrum
Ephrem Syri, Gregorii Thaumaturgi,
Nec non Papæ Leonis magni,
Aliisque Ecclesiæ
Antiquitatum monumentis illustratis,
Recognitis & in lucem editis,
Obiit Leodii anno M.D.C.IX.
Mens. Martii die vigesimâ quintâ.
HERMANNUS VOSSIUS,
Consul Hasselensis, Germanus frater,
Ejusdem ex testamento hæres,
Mœstus posuit.

GERARDUS VOSSIUS,

Gerardi Joannis filius, Batavus, vitâ functus anno 1650. edidit

M Vellejum Paterculum. cum *Notis*. Lugd. Batavor. typis Elzevirianis, 1639. 12.

GERARDUS A WASSENAER,

Ultrajectinus, J. U. Doctor, atque in Curia Ultrajectina Advocatus celeberrimus, fuit quoque Collegii Canonicorum Ecclesiæ D. Petri ibidem Notarius & Secretarius ac Bibliothecarius. Edidit sermone vernaculo Tractatus sequentes.

Praxin judiciariam, sive Modum procedendi in Curiis ac Tribunalibus 4. Ultrajecti 1660, unà cum Dictionario terminorum in judicio usitatiorum; ac rursum 1729. Ultraj. apud Jac. Poolsum.

Praxin Notariatem, sive Instructionem & Methodum conficiendi principaliora Instrumenta, Contractus, Acta, Testamenta &c. 4. Ultrajecti 1661 & alibi.

GERARDUS WITTEN,

Tungrensis, Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in patria, magni illius *Joannis Witteni*, J. C. Præpositi Tungrensis, sub sex ordine Episcopis Leodiensibus Cancellarii, pronepos, ex Suppriore Vallis S. Elisabethæ, ejusdem Ordinis, Prior Hospitalis S. Jacobi Tongrensis, edidit idiomate Flandrico ex Gallico

Exercitia Fraternitatis VII. Dolorum D. V. Mariæ, Tungris erecte. Leodii, 1628. 8.

Speculum item *Dacriani*, ex Latino, quod & Capitibus suis distinxit.

GERARDUS A WOLSCHATEN,

Antverpiensis, Præpositus Monetæ Regiæ in Ducatu Brabantiæ, evulgavit flandricè librum, cui titulus,

Mors Larvata mundi vanitatibus, cum figuris à *celeberrimo Pictore Hans Holbeen* delineatis. 8. Antver. 1654.

GERARDUS ZERBOLT,

Etiam Zutphanensis dictus, ab urbe & loco natali, primis Fratribus Congregationis Clericorum in communi viventium, à Gerardo Magno institutæ aggregatus, scripsit

De Reformatione virium animæ.

De Spiritualibus Exercitiis sive Ascensionibus.

Liber uterque ſimul impreſſus, Pariſiis & Coloniæ, 1579. & in Biblioth. Veterum Patrum Tomo XIV. edit. Colon. 1618. Meminit utriuſque præclarè Thomas â Kempis, in Gerardi Vita, his verbis : *Licet brevi vixerit tempore, gratiſſima tamen reliquit doctrinæ monumenta. Erat enim ſtudioſus valde in Scripturis ſanctis, trahens etiam ex abditis Sententiis Doctorum varias aromatum ſpecies contra vitiorum morbos, ad ſanandum animarum languores, ſicut præcipuè patet in duobus libellis ab eo editis, quorum unus incipit*, Homo quidam, *& alius* Beatus vir, *intitulatur.*

Obiit anno 1398. ætatis XXXI.

Fuit alius ejuſdem nominis Theologus Colonienſis, quem *Quæſtiones Sententiarum Notabiles*, itemque *Quodlibetarias* reliquiſſe memorat Trithemius de Scriptoribus Germaniæ. Neceſt quod dubitet Ant. Poſſevinus de *Gerardi* noſtri ſcriptis : cùm vel Thomas ipſe Kempenſis illius familiaris contrarium facilè ſuaſerit. Ex quo etiam patet, non verè Trithemio *Conradum de Zutphania* dici, qui *Gerardus* eſt ; quique annum 1400. non attigit, contrà atque idem Abbas affirmat ; adeoque floruiſſe tunc non potuit.

GERARDUS ZOES,

Aliàs Sousius, Amersfortius Batavus, è Societate Jeſu, ſtylum quo pollebat in linguâ vernaculâ, impendit ad vertendos ex variis linguis libros pios, quos deinde magno numero edidit, & ſæpe nomine ſuo occultato. Obiit Mechliniæ die 21. Septembris 1628. Extant

Brevis narratio Vitæ Franciſci à Villarcgali & Joannis Ximenez Coadjutorum Societatis Jeſu, & Vita P. Balthazari Alvarez. Mechliniæ 1620.

Compendium Vitæ S. P. Ignatii. Ibid. 1623.

Relatio de Martyribus Indiæ Orientalis. Ibid. 1622.

Paradiſus cæleſtium voluptatum revelatarum S. Gertrudi. Lov. 1625.

Litteræ Japonicæ anni 1624. Aliaque plura aſcetica, quæ à P. Allegambe in Bibliotheca Scriptotum Societ. Jeſu recenſentur.

GERLACUS PETRI,

Daventrienſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini in Cœnobio Windeſemenſi, vir admodum pius, rerumque cæleſtium contemplationi totus addictus, quemque ferunt ſæpè inter pſallendum in choro viſum toto corpore ſurſum ferri ; ſcripſit libellum aſceticum, cui titulus,

Ignitum cum Deo Colloquium ; Coloniæ excuſum, 1616. 12. ex latino belgicè redditum, primò per *Nicaſium Heſium*, Ord. Minorum, Martyrem poſtea Brielenſem, deinde correctiùs accuratiuſque per *Joannem Gorcomium*, Silvæducis, 1613. 8.

Item *de libertate ſpiritus, cum Exercitiis eò ſpectantibus.* MS. apud Regulares Tungrenſes.

Author hic extaticus, alter *Thomas à Kempis* nuncupatus, obiit anno 1411. XIV. Kalendas Decembris, ex calculi doloribus, annos tantum natus XXXIII.

GERLACUS VINITOR,

Colonienſis Presbyter, Baſilicæ S. Urſulæ in Urbe Ubiorum Vicarius ac Cæremoniarum Magiſter, recenſuit

Compendium ſacrorum Rituum ac Cærimoniarum, cum prævis Decretis & Statutis Synodalibus à Maximiliano Henrico Electore Colonienſi anno 1651. evulgatis. Coloniæ Agripp. 1656. in 12.

Compendium de Sacramentis eorumque ceremoniis. Ibid. 1654.

Digitized by Google

GERVASIUS TORNACENSIS,

Canonicus Cathedr. Eccleſiæ Sueſſionenſis, ſcripſit

De divina quattuor Energumenorum liberatione, facta apud Sueſſiones, anno 1582. in qua ſacroſanctæ Euchariſtiæ vis & veritas eluxit. Pariſ. 1583.

De eadem Hiſtoria vide ſupra Carolum de Blendecq.

GILBERTUS,

Sive GISLEBERTUS, Balduini IV. Flandriæ & Hannoniæ Comitis Cancellarius, & S. Germani in urbe Montenſi ac S. Albani in Namurcenſi Præpoſitus, nec non Sonegienſis, Condatenſis ac Malbodienſis Eccleſiarum Canonicus, claruit annis 1188. & 1223, celebris ſui temporis Hiſtoricus. Scripſit

Hiſtoriam Hannoniæ, à temporibus Richildis (quæ fuit filia Ragineri eo nomine poſtremi Hannoniæ Comitis) *ad ſua uſque tempora.* Exſtare dicitur manuſc. Montibus ad S. Waldetrudem.

GILBERTUS,

Sive GISLEBERTUS, Decanus Eccleſiæ S. Andreæ Elnonenſis, pòſt ibidem Monachus Benedictinus, ſcripſit eleganti poëmate

De incendio Elnonenſi libros IV.

Deportationem S. Amandi per Franciam, ac miracula per eundem in via patrata, libros III. Meminit Molanus ad Uſuardum 6. Februarii, & exhibet Opuſculum Bollandus in Actis SS. Februarii Tomo I.

Expoſitionem in omnes Epiſtolas S. Pauli. Exſtant omnia MSS. ad S. Amandum.

Obiit ann. 1095. ſepultus Elnone in Eccleſia SS. Apoſtolorum, cum hoc Epitaphio, teſte eodem Chronico:

Hoc GISLEBERTUS *ſub marmore pauſat opertus,*
Dogmata diva ferens, & Chriſto totus inhærens.
Formam Paſtoris noſtris qui geſſit in hortis:
Tandem ſublatus terris petit aſtra vocatus.

GILBERTUS JACCHÆUS,

Exterus quidem, utpote natus Aberdoniæ, ſeptemtrionalis Britanniæ ſive Scotiæ emporio: aſt quia per longam vitæ partem fuit Philoſophiæ Profeſſor & Artium ac Medicinæ Doctor renunciatus anno 1611 in Academia Lugduno-Batava, Belgis adjiciendus. Obiit ibidem anno 1628. Scripſit

Primas Philoſophiæ Inſtitutiones. 8. Lugduni Bat. 1616. item 1628.

Inſtitutiones Phyſicas. 8. Amſtelodami apud Elzevir 1644.

Inſtitutiones Medicas. 8. Lugduni-Bat. in 12. 1624. 1654. &c.

GILBERTUS DE LANNOY,

Deſcripſit *Iter* ſeu *Peregrinationem* ſuam anno 1422. *per Ægyptum Syriam, aliaſque regiones:* legebaturque Itinerarium illud Bruxellæ in Bibliotheca Aulæ, quam anno 1731. flamma vorax abſumpſit.

GILBERTUS DE OVIS,

Vulgo VAN EYEN, Gandavenſis, Flander, ex Ordine FF. Prædicatorum S. Theol. Doctor in Academia Pariſienſi, anno 1265. unà cum S. Thoma Aquinate Scholam Ordinis ſui rexit: Vir tum eruditione, tum vitæ integritate ac ſanctimoniâ clarus. Obiit Gandavi anno 1283. Scripſiſſe fertur

Super Euangelia & ſuper Epiſtolas Pauli; quam-plures Poſtillas; item in Apocalypſin S. Joannis: quæ Opera ſæculo XVI. Iconoclaſtarum tempeſtate perierunt.

GILBERTUS PHILARETUS,

Limburgenſis (& inde GILBERTUS LIMBURGIUS vulgò dictus) Canonicus Leodici in D. Paulli : Medicus fuit magnæ & famæ & auctoritatis, ob morum dicendique gravitatem ac facilitatem, ob artis medicæ eruditionem ſingularem, rerumque exprimenta ; & laudatus hinc à Joanne Stadio, aliiſque.

Vixit apud Eburones annos ipſos ſex & triginta, trium ex ordine Antiſtitum Georgii ab Auſtria, Roberti Bergiaci & Gerardi Groesbequii Medicus : nec adduci potuit, ut aliò habitationem transferret, invitatus licet à Sabaudiæ Duce Philiberto, & à S. P. Q. Lovanienſi, ut in Hieremiæ Brachelii demortui locum ſuccederet. Edidit

Conciliationem Avicennæ cum Hippocrate ac Galeno Lugduni, apud Gryphium, 1541.

Polybium de ſalubri ratione victûs, à ſe verſum & *Commentariis* illuſtratum. Antverp. apud Nutium, 1543. 8.

Geroconicen, hoc eſt, Modum & rationem ſenes rectè educandi. Coloniæ, 1545. 8. apud Gymnicum.

De Fontibus Ardennæ, & potiſſimùm Spadanis, deque eorum uſu ac virtute, primus quoque ſcripſit. Antver. 1559. 4. apud Bellerum.

De acidulis, quæ ſunt in Sylva Arduenna juxta vicum Spa 4. ibidem 1559.

Item *Controverſias Medicas.*

Vivere deſiit Leodici, anno ſalutis 1567. ætatis ſuæ climacterico, VI. Idus Februarii.

SeXto IdUs febrUI MedICUS GILbertUs, In arte
ALtUs & eXCeLLens, fUnere VICtUs obIt.

Extat libellus de Vita, Morte ac Scriptis ejuſdem. Fratres habuit, *Remaclum Fuſchium*, & ipſum Medicum excellentem ac ſcriptis celebrem, cui Canonicatum ad D. Paulum jam antè reſignaverat : item *Joannem*, Juriſconſultum, qui Leodici Cauſarum patronus ante diem obiit.

GISBERTUS BLOCHOVIUS,

Trajectenſis, Carthuſianus Colonienſis, ſcripſit *Apologiam* brevem *pro Opuſculis Petri Leydenſis*, cognomento *Blomevennæ* ; ſubjiciturque Leydenſis libello *de Bonitate divina.* Coloniæ, 1538.

GISBERTUS CONVENTINUS CORSELIUS,

Leodicenſis, ſtudiis humanioribus in patria imbutus, Philoſophiam Lovanii didicit, promotus anno 1625 quintus in Scholis Artium : dein eam docuit Primarius in Caſtrenſi Gymnaſio Profeſſor : cui deinde Theologiam, Juriſprudentiamque adjecit. Hinc pleraſque Europæ Provincias luſtravit, & & tertiùm Poloniam. Luſit

Satyram, quâ Virum civilem exprimit, ſententiis probatiorum auctorum confirmatam. Leodii, typis Joan. Tournay, 1642. 8.

GISBERTUS HORSTIUS,

Amſtelodamus, Medicus celebris, & à multifariâ rerum cognitione laudatus Geſnero, Rondeletio, aliiſque, vixit Romæ ; ediditque ibidem libellum

De Turpeto & Thapſia, apud Anton. Baldum, 1544.

Obiit Romæ anno 1555. ſepultus in æde Virgini Matri trans Tiberim ſacrâ.

GISBERTUS LAPPIUS A WAVEREN,

Clarâ à tribus ſæculis apud Weſopium Hollandiæ opidum familiâ anno

Digitized by Google

GILBERTVS PHILARETVS, LEMBVRGIVS, MEDICVS.

Princeps aquarum, quas salubribus venis
Produxit, aut producet alma Natura,
Spadana lympha, alumna Eburonum terræ,
Vires adepta in virus omne morborum;
Hic nobilem te fecit, et tenebroso
Oblivionis vindicauit à regno.
I. Lipsius.

Digitized by Google

1511. patre *Joanne*, opidi Prætore, natus, humaniores litteras vicino in opido Narda ſub *Lamberto Hortenſio* didicit. Pòſt Lovanii operam Medicinæ dedit, familiaris *Gemmæ* patri. Inde Bononiam, glorioſam ſtudiorum matrem, adiit, ibidemque, poſt ſollicitam & curioſam eidem ſtudio impenſam operam, honorem ac titulum Doctoratûs obtinuit, inſignia tradente *Jacobo Arochio*, Medicinæ Doctore, anno 1545. Exinde Medicinam fecit Campis atque Ultrajecti, ubi ductâ in uxorem *Jacoba Weſtreniâ*, ſedem fortunarum fixit, obiitque anno 1574. IV. Januarii, ſepultus ad S. Paulli Eccleſiam Abbatialem. Edidit

Inſtitutiones Grammaticas, quas juvenis Ziericzeæ Zelandorum exercitii gratiâ docuerat, Antver. anno 1539. 8. ab Henrico Petri Middelburgenſi excuſas.

GISBERTUS LAPPIUS A WAVEREN,

Joannis & *Barbaræ Baecxiæ* Filius, *Gisberti* nepos, Ultrajectinus, ſtudiorum cauſſâ Lovanii & Duaci egit, titulumque Juriſconſulti è Gallia retulit: Vir exquiſitæ, variæ & miſcellæ eruditionis lectioniſque inexhauſtæ, atque avitæ fidei tenaciſſimus.

Eruditioni ac curis ejus debent Catholici, quod plurima Eccleſiæ Ultrajectinæ Monumenta ab interitu vindicata, ad poſteros dimanârint.

Corpus Hiſtoriæ Ultrajecti æ, auctoribus *Joanne de Beka*, *Joan Gerbrando de Leidis*, *Guilielmo Heda* &c. à morte *Arnoldi Buchellii* pertexuit, & *Lamb Hortenſium De ſeceſſionibus Ultrajectinis* recenſuit, Notiſque marginalibus illuſtravit; adjectis eorum Vitis. Ultrajecti 1643. fol.

Meditabatur *Vitam Viglii Zuichemi*, ab ipſo *Viglio* ſcriptam, Notis variis illuſtratam. Vitam hanc hactenus inéditam, propriâ Viglii manu ſcriptam, habet in Bibliotheca ſua Eminentiſſ. D. Cardinalis de Alſatia Archiepiſcopus Mechlinienſis.

GISBERTUS MASIUS,

Bommelanus, Geldrus, S. Theol. Licentiatus, Eccleſiæ Cathedralis S. Joannis Euangeliſtæ per annos circiter XVII. Plebanus, poſtea ab anno 1594. quartus Epiſcopus Silvæ-ducenſis; vir fuit omnibus titulis laudatus, & celeberrimi nominis Eccleſiaſtes. Edidit

Statuta Synodi Diœceſanæ II. celebratæ anno 1612. præmiſſâ inſigni *Oratione*, quam in eadem Synodo ad Clerum habuit, excuſa Coloniæ, 1613. typis Kinckii. Prodierunt denuo Lovanii anno 1700. curis Eximii Viri *Martini Steyartii* S. T. D. Vicarii Apoſtolici Diœceſis Sylvæducenſis &c. ejuſque Opuſculis paſſim interſeruntur.

Conciones ejuſdem in multorum olim verſabantur manibus, multoti s deſcriptæ, dignę, quæ lucem vidiſſent.

Laboribus fractus, ſed animo infracto, ad immortalitatem tranſiit Sylvæducis, die 11 Julii 1614. ſepultus in choro ſuæ Cathedralis, ac tumbâ marmoreâ Cœnotaphioque honoratus: ubi poſt mutatum dominium, & veræ Religionis cultus publicos eliminatos, maleſani quidam Preſulis requieſcentis effigiem naſo manibuſque truncarunt.

D. O. M.
Hîc jacet
GISBERTUS MASIUS,
IV. Sylvæducenſium Epiſcopus,
Quem Bommelia mundo protulit,
Ducis-Sylva Inſula excepit,
Mors virtutibus anniſque auctum
Intercepit.
Quid hîc triumphas germana Somni?
Ille tibi reddidit quod debuit,
Et quod non debuit,
In Patriam tranſtulit.

GISBERTUS SCHEVICHANUS,

Arnhemius Gelder, Societatis Jesu S. Theologiæ Doctor Græcii in Styria creatus, ubi & Philosophiam docuit. Vir fuit excellente memoriâ præditus, & in SS. Patrum lectione assiduus. Scripsit

De Augustissima & SS. Trinitate cognocenda, amanda, laudanda libros XII. Moguntiæ typis Albani, 1619. 8.

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis, libros III. Ibid. typis Balth. Lippii, 1621. 8.

Vitâ defungitur Moguntiæ anno salutis 1622. ætatis suæ LXIV. die 20. Maii.

GISBERTUS THEODORICI DE RUTENBERCH,

Cartusianus, Procurator Domûs Salvatoris Novæ-Lucis, prope Ultrajectum, deinde Prior Domûs Sionis Ziericzeæ, multa & mirabilia edidisse fertur, è quibus supereſt

Chronicon Cartusiæ Ultrajectinæ. Citatur ab Arnoldo Raissio, in suo Hierogazophylacio, pag. 380.

GISBERTUS VOET,

Heusdanus (quod est Oppidum Diœcesis Sylvæducensis, Brabantiæ Hollandiæque conterminum, ideoque inter utramque Provinciam dudum controversum) Natus anno 1589. 3. Martii; fuit in Academia Groningana creatus Theologiæ Calvinianę Doctor, ac dein primarius Ultrajecti Professor.

Anno 1630. existens Heusdeni in patriâ Calvinianæ sectę Minister, unà cum *Godefrido Odemans*, *Henrico Swalmio* & *Samuele Everwyn*, famosis apud Batavos Prædicutiis, Catholicos Sacerdotes Sylvæducis latentes, vel quascumque personas Ecclesiasticas provocavit ad publicam seu privatam Collationem ac Disputationem; etiam spectante (si vellent) Magistratu, super veritate & antiquitate Fidei habendam.

Quibus mox per litteras seu affixiones publicas datas Lovanii die 9. Junii 1630. responderunt duo S. Th. Doctores Lovan. Guilielmus ab Angelis Civis Buscoducensis, & Cornelius Jansenius SS. Litterarum Professor, dein Episcopus Iprensis; paratos se esse, mox cum ipsis in arenam descendere „ dummodo sit ruri locus in medio, utrique parti tutus ac facilis: nullus exercitus utramvis partem terreat: nullus Magistratus præsidens alterutri faveat: nullus divinarum rerum imperitus Judex sit: utrique parti securitas ab adversariis suis impetretur &c.

Sed Prædicutiis Hollandis hasce justas conditiones rejicientibus, aut fortè congredi metuentibus, Disputatio à Catholicis acceptata, nullum ultra progressum habuit.

Scripsit interea *Jansenius*, *Alexipharmacum pro Civibus Sylvæducensibus, adversus Ministrorum suorum fascinum*; sive *Responsionem brevem ad Libellum eorum provocatorium.* Huic cum *Notas* suas appositisset *Voetius*, reposuit *Jansenius Spongiam Notarum, quibus Alexipharmacum asperſit Gisb. Voetius* Præterea pro *Jansenio*, Episcopalibus curis jam impedito, respondit *Libertus Fromondus*, S. T. D. Lovan. editâ *Causæ desperatæ Gisb. Voetii adversus Spongiam Rev. Corn. Jansenii Cryſi*, item *Epistolâ* ad eundem: titulo *Sycophantæ.*

Nec minor fuit *Voetio* Concertatio adversum *Samuelem Maresium* & *Joannem Cocceium*, Theologos Calvinianos; atque hinc orta est apud Batavos Sectarum divisio, in *Voetianam* & *Cocceianam:* vulgatique fuerunt contra Voetium hi versiculi.

Voetius odit, alit, fallit, defendit, adoptat, Pacem, dissidium, Patres, absurda, malignos.

Hos

Digitized by Google

Hos tamen verſus in laudem Parentis ſui contra *Mareſium* ita retorſit *Paulus Voet*, J. U. Doctor & in Academia Ultrajectina Anteceſſor.

Voetius odit, alit, defendit, prodit, adoptat,
Diſſidium, pacem, Patres, malefacta, benignat.

Ultra ſuperius allegata contra Janſenium, ſcripſit ſequentia.

Exercitia & Bibliotheca ſtudioſi Theologiæ. 12. Ultraj. apud Joan. Waesbergium 1651. Cui acceſſit Auctarium Samuelis Mareſii ad eam Bibliothecam, 8. Groningæ 1652.

Politica Eccleſiaſtica. Amſtelod. per Joann. à Waesberghe 1663. Tom. IV. in 4.

Aſcetica, ſive Exercitia Pietatis. Gorichemii per Paul. Vinck 1664. in 8.

Diatriba de Cœlo Beatorum. Gorichemii iiſdem typis 1663. in 8.

Diatribæ alteræ. Rheno-Trajecti in 8. 8. per Sim. de Vries 1668.

Diſquiſitio ad primum Samuelis VIII. *de Jure Regio Hebræorum.* decrepitâ in 8. Ultrajecti 1661. & alia plura, è quibus vernacula quædam.

Obiit VOETIUS, decrepitâ 89. circiter annorum ætate, Ultrajecti Kal. Novembris 1676, dum ibidem per annos 42. fuiſſet Theologiæ ac Linguæ Hebraïcæ Profeſſor, Eccleſiæ Calvinianæ Ultrajectenſis Miniſter, ac quarto ſuç Academiæ Rector; relicto ex Deliana Van Dieſt, filio *Paulo*, atque ex eo Nepote *Joanne Voetio*, J. U. Doctoribus eruditione clariſſimis.

GISBERTUS AB YSENDOORN,

Gelder, natus in pago de Ede ſub Tetrarchia Arnhemienſi anno 1601, à primâ juventute itineribus ſeſe accinxit, atque anno ætatis 19. creatus Artium Magiſter in Univerſitate Pariſienſi, totum ſeſe dein ſtudiis Philoſophicis addixit. Italiâ, Galliâ, Hiſpaniâque uſque ad annum 1629. perluſtratis, fixam deinceps ſedem habuit in Patria.

A Magiſtratu Daventrienſi conſtitutus Philoſophiæ Profeſſor anno 1634, per annos plures ibidem magna cum laude docuit; donec anno 1647. à Curatoribus Academiæ Geldro-Hardervicenſis evocatus, primus ibidem Philoſophiam profeſſus eſt. Vivere deſiit circa annum 1660. Scripta ab eo ſunt

Effatorum Philoſophicorum Centuriæ duæ 8. 1633. & 1642.

Collegii Philoſophici Hardervicenſis Pars I. 1636. Pars II. 1638. in 8.

Compendium Logicæ Peripateticæ. 8. 1640.

Phiſiologia Peripatetica. 4. 1642. 1643. 1653.

Logica Peripatetica. 4. 1645. & 1652.

Ethica Peripatetica. 4. 1659.

Medulla Phyſicæ generalis & ſpecialis. 12. 1658.

Vide plura in Hiſtoria Daventrienſi Jacobi Revii pag. 695, ubi ſeriem Vitæ ſuæ ipſe-met Gisbertus ab Yſendoorn uberiùs expoſuit.

GISBERTUS WINCKELIUS,

Gandavenſis, Societ. Jeſu, obiit Veſaliæ in obſequiis ſpiritualibus militum anno 1621. ætat. 33. edidit

Tabulas Græcanicas. fol.

GISLENUS BULTEEL,

Clytius, Patricius ac ſæpiùs Conſul Iprenſis, Poëta elegans, vir magnæ authoritatis dexteritatiſque; obiit circa ann. 1607.

Carmina ad amicos varii argumenti luſit, quorum pars aliqua in Tomis Poëtarum Belgicorum an. 1614. Francofurti edita eſt: reliqua penes hæredes latent.

GISLENUS HAMMIUS,

Cartuſianus Gandenſis, ſcripſit carmine Heroïco, *Panegyricum in adventum Sereniſſ. Principum Alberti & Iſabellæ Archiducum Auſtriæ &c. in civitatem Gandenſem.* Gandavi, apud Gualterum Manilium, 1604. 4.

GODEFRIDUS,

Abbatiæ S. Pantaleonis Coloniæ Monachus Benedictinus, ſcripſit *Chronicon*, quod incipit ab anno poſt Chriſtum natum 1162, uſque ad 1237. Unde liquet eum claruiſſe anno circiter 1240. Illud *Marquardus Freherus* edidit in ſuo *Collectaneo Veterum Hiſtoriæ Germanicæ Scriptorum* Tomo I. pag. 239. editionis Francofurtenſis anni 1600.

GODEFRIDUS BULLIONIUS,

Marchio Antverpienſis, Rex Jeroſolymorum &c. natus non ſine omine fauſto futuræ ejus militiæ traditur: nempe cum ſigno gladii ad brachium dexterum deorſum ad manum uſque protendentis. Nec ſine ratione.

Nam voti reus, inſtitutâ ad Terram ſanctam peregrinatione, divendito Caſtro ſuo *de Bouillon*, cum territorio longè latèque patente, Eccleſiæ Leodienſi, atque ampliſſimo patrimonio, tum ſuo tum fratris matriſque ſuæ, partim oppignorato, partim diſtracto, numeroſiſſimum collegit exercitum, eoque comitatus, ſolo Dei zelo ductus tetendit in Paleſtinam, eamdem è Saracenorum manibus ereptam Eccleſiæ Catholicæ vindicaturus.

Pòſt occupatam Civitatem ſanctam Jeroſolymitanam, octavo pòſt die omnium unanimi conſenſu in Regem eſt electus, ac Regni ſui anno primo ſanctè obiit, XV. Kal. Auguſti anno 1100. ſepultus in Eccleſia Sepulchri Dominici. Vide Molanum in Natal. SS. Belgii. Extat hujus

Epiſtola ad Rom. Pontificem de Bello ſuo in Paleſtina geſto. MS. apud Regulares Tungrenſes.

GODEFRIDUS CANDELARIUS,

Prior Carmelitarum Aquiſgranenſium vitâ functus anno 1499; ſcripſit, recenſente Trithemio,

Sermones de Tempore & Sanctis.

Orationes ad Clerum.

Orationem pro coronatione Reginæ.

De Conceptione Beatiſſ. Virginis.

Epiſtolas varias, ad Trithemium & alios.

GODEFRIDUS LE COISPELIER,

Audomarenſis, Monachus Benedictinus Abbatiæ S. Eugenii juxta Senas Etruriæ Urbem apud Italos, claruit anno 1342. Scripſit idiomate ſuo gallico librum *de Virtutibus Chriſtianis*, cui titulum dedit, *la Violette*. Extat MS. in Bibliotheca celebris Abbatiæ Vedaſtinæ Atrebati.

Author ſe-met-ipſum deſignavit hiſce verbis: *Jou Godefrois fiex de Jehan le Coiſpelier jadis Bourgeois de S. Omer, Moyne de l'Ordre S Benoit de l'Abie S. Eugene de les Sene le veille de Toskane, nés en la ville de S. Omer ſuſdite, fit cheſt Livre en la ſovent dite Vile, en l'oneur de Dieu, de ſe Mere, & de tous Seins, ſpecialement de Monſieur S. Georges l'an de graſſe M CCC. & XL. deux, , environ le ſeint Jehan Baptiſte en eſté, pour le commun pourfit & l'amour de habitans, où je me tenoie molt aloyes tant de char & de ſanc, comme de lynage, comme de pure benivolent, bien deſervie envers mi ſouvent.*

GODEFRIDUS DRIELLIUS,

Noviomagus, Theologus Moguntinus, edidit

Hyperaſpiſten, ſive *Defenſionem Roſarii* : in quo pro nomine Roſarii, pro orationibus & repetitione ac numero earumdem, pro globulis precariis diſputat Herbipoli, 1588. 4. Vide infrà in *Joanne Buſæo*, cujus hæc eſt Defenſio, diſcipuli nomine evulgata.

GODEFRIDUS DE FONTIBUS,

Rogerii Condatenſis & Fontium in Hannonia Dynaſtæ filius, olim in Academia Pariſienſi S. T. D. illiuſque uti Cameracenæ ac Condatenſis Eccleſiarum Canonicus, nec non Archidiaconus Leodienſis ; ſedit Cameracenſium Præſul ab anno 1220, uſque ad obitum 1238. antonomaſticè *Bonus Epiſcopus* appellatus.

Meminerunt Annales Cameracenſes, Legis quam dedit Rectoribus Urbis, & quam hodie vocant, *la Loy de Godefroy*.

Adſcribuntur ei *Quotlibeta XIV. de variis argumentis* habita in Schola Pariſienſi : quæ MSS. extare dicuntur Pariſiis in Bibliotheca Regia. Videndus Oudinus de Scriptor. Eccleſ. Tomo III. qui *Quotlibeta iſta* non huic Epiſcopo, ſed *Magiſtro Galfrido Cancellario Pariſienſi* ad ann. 1283. attribuit.

Item à Guilielmo Gazæo tribuitur ei Liber de *Officiis divinis ſive Eccleſiaſticis* : ſed eſt *Guiardi de Lauduno*, ſucceſſoris *Godefridi*.

Porro ab hoc Præſule, ejuſque Nepote ac ſucceſſore mediato *Nicolao de Fontanis*, Oppidulum ad limites Hannonienſium ac Leodienſium, vulgare nomen *Fontaine-l'Eveque* adeptum fuit.

GODEFRIDUS FRANCKEN,

Sylvæducenſis, Societat. Jeſu, Philoſophiam docuit in Academia Olomucenſi, Theologiam moralem Niſſę in Sileſia. In Daniam quoque Sueciamque Miſſionarius penetravit. Demum oblatâ opportunitate navis, quæ ex Daniâ ſolvit in Africam, ad lucrum animarum navigavit in Regnum Combo, ac Vir ille Apoſtolicus ad laborum præmia evolavit in Guinea die 19. Novembris 1654. Edidit, dum Olomucii prælegeret,

Aſſertiones ex univerſa Philoſophia ; quibus attexuit

Problemata XVIII. Optica de viſu ejuſque objecto. Olomucii 1630.

GODEFRIDUS AB HULST,

Sive à TAXIS, fortè ex opido cognomine oriundus, celebris ſuo tempore fuit Grammaticus, ſolebatque olim *Grammatica* illius tyronum teri manibus.

GODEFRIDUS HENSCHENIUS,

Venradii Gelriæ Ducatûs Oppidulo natus anno 1600, XII. Kal. Februarii : perceptis in Gymnaſio Sylvæducenſi humanioribus litteris, præceptore *Joanne Bollando*, Societati nomen dedit anno 1619. Dein litteras humaniores Cortraci atque in aliis Flandriæ Collegiis docuit ; ſimulque in litteratura græca ſic excelluit, ut non ſolum quoties opus erat, ex græco in latinum converteret facili calamo quamlibet ſolutam orationem, ſed etiam verſus utrâque linguâ venuſtè pangeret : quorum ſpecimen imprimis habetur in Imagine primi Sæculi Societatis Jeſu.

Poſtmodum à Magiſtro ſuo *Bollando* anno 1635. ad elaborandum magnum illud opus de Actis SS. in Socium, electus, in die VII. Januarii (hactenus enim ſolus Bollandus rem promoverat) ſuam illi cœpit conferre operam. Igitur unà ediderunt anno 1643. Acta SS. Januarii, in II. Vol. & anno

1658. Acta SS. Februarii in III. Vol.

Tum invitante ipso summo Pontifice Alexandro VII. & Societatis Præposito Goswino Nickel, Romam profectus Henschenius ad eruderanda ibidem in celeberrimis Bibliothecis Monumenta de Sanctis, totos XXIX. menses in ea peregrinatione impendit, reversus Antverpiam ineunte anno 1661. Dum autem parantur Acta Mensis Martii, eodem anno 1665. quo primus Tomus prodiit, è vivis excessit P. Bollandus, prosequente interea P. Henschenio.

Ast quia jam ætas ingravescebat, morbique subinde ingruebant, fuit ei Socius additus *P. Daniel Papebrochius*, qui & Romani itineris comes fuerat.

Exeunte anno 1668. celebravit solemniter Henschenius in Domo Professa Antverpiæ quinquagesimum suum ab ingressu Societatis annum, Missam decantans, atque tunc plane sanus, vegetus, ac verè ad labores natus. Editionem Actorum Mensis Aprilis parabat interea, unà cum Papebrochio: deficienteque Antverpię solito Typographo *Joanne Meursio*, cupidè obtulit præla sua Vir Amstelodami Senatorius *Joannes Blauw*. Ecce autem, impresso jam primo die Mensis Aprilis, ac pene jam secundo, contigit ut celeberrima ista Typographia Blaviana nocte diem 23 Februarii 1671. subsequente, tota deflagraret, cum omni Typographico instrumento. Sed (quæ Dei Sanctorumque protectio singularis fuit) cum exiguo authographi detrimento.

Tum resumpta fuit Antverpiæ impressio apud *Michaelem Knobbaert* Bibliopolam atque Typographum, prodiitque Mensis SS. Aprilis anno 1675. Mox properata fuit editio dimidii Mensis Maii, patrocinante Ferdinando Furstembergio Paderbornensi ac Monasteriensi Episcopo ac Principe. Additus quoque fuit novus Hagiographorum Socius P. Daniel Cardonius.

Sed ecce nova calamitas: sub autumnum anni 1678. morbus pestiferus Belgium ac specialiter Urbem Antverpiensem involvit, qui & Typographi familiam totam occupavit, nemini omnino in eo parcens: præfatum quoque P. Cardonium maximæ spei adjutorem de medio sustulit, ac vix non P. Papebrochium abstraxit: dum *Henschenium* fere octuagenarium sua satis senectus urgeret. Convalescenti post septem menses *Papebrochio* datus est socius P *Conrardus Janningus*, tunc in Mechlinienſi Gymnasio græca docens: eorumque curâ prodierunt anno 1680. tres priores Tomi Mensis Maii.

Exinde gravi unius anni paralysi detentus *Henschenius*, paulatim cæpit ad extrema deduci: nec tamen prorsus studia deposuit, quin pro supplemento priorum Mensium adhuc utiliter laboraret: accepto novo Socio P. *Francisco Baertio*.

Tandem die 12. Septembris 1681. ætatis 81. Antverpiæ in Domo Professa spiritum Deo reddidit: assumptus (ut confidimus) ad societatem Civium supernorum, quorum Encomiis per tot annos insudaverat. Vitam ejus, virtutes, ac studia prolixè descripsit P. *Daniel Papebrochius*, eamque Tomo VII. Actorum SS. Mensis Maii præmisit.

Præter Tomos Actorum SS. de quorum editione singulatim agemus infra ad Tit. de *Hagiographis Societatis Jesu*, quædam specialiter edidit Henschenius: nempe

Exegesin Historicam, seu Diatribam de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi, cum Episcoporum Regumque Franciæ iis coævorum Chronologia & populis Diœcesi illi subjectis. 4. Antverpię typis Jac. Meursii 1653. Extat item in fronte Tomi VII. Actorum SS. Maii.

Chronographiam S. Theophanis illustratam.

Digitized by Google

Extat Tomo III. Actorum SS. Martii.

Vita R. P. Joannis Bollandi, è Societ. Jesu primi Hagiographi. Extat Tomo I. Actorum Martii.

De Genealogico Stemmate Regum Franciæ primæ stirpis, per tres Dagobertos. Extat Tomo III. Actorum Martii.

De tribus Dagobertis Francorum Regibus Diatriba. 4. Antverpiæ apud Jac. Meursium 1655. Extat etiam in fronte Tomi III. Actorum Aprilis.

Diatriba in Catalogos veteres Romanorum Pontificum. Extat in fronte Tomi I. Actorum Aprilis.

Exercitatio singularis de anno & die mortis S. Ambrosii. Extat Tomo I. Actorum Aprilis pag. xxxviii.

Notitiæ breves Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Belgii, Germaniæ, quinque libellis, ex Actis SS. Januarii & Februarii. 8. Antv. 1658.

Notitiæ breves triplicis statûs, Ecclesiastici, Monastici & Sæcularis, ex Actis SS. Januarii, Februarii & Martii. Ibid. 8. 1668.

GODEFRIDUS A LITH,

Venradius, Gelder, Fratrum Ord. S. Crucis, ad D. Nicolaum Venlonæ Prior, edidit

Sacrificium Vespertinum, sive *de Passione Dominica Conciones XL.* Coloniæ, 1628. 8. typis Bern. Gualteri.

Lucernam splendentem super Candelabrum sanctum, id est *Explanationem Constitutionum sacri ac Canonici Ord. FF. S. Crucis.* Ibid. 1634. 4.

GODEFRIDUS A MIERLO,

Brabantus, è pago hujus nominis in Majoratu, ut vocant Sylvæducenſi, oriundus, adoleſcens Ordinem Prædicatorum in Conventu Sylvæducenſi amplexus fuit. Poſtmodum creatus S. T. Doctor, Prior Sylvæducis & Ultrajecti, & anno 1559 Provinciæ Germaniæ inferioris Magiſter Provincialis.

Nicolao à Nieulant primo Harlemenſium Epiſcopo ob decrepitam ætatem Epiſcopali honori & oneri cedenti, ſucceſſor datus eſt anno 1569 à Philippo II. Hiſp. Rege *P. Godefridus*, anno ſequente die 11. Februarii Antverpiæ conſecratus. Anno 1571. Diœceſanam Synodum Harlemi habuit: ſed invaleſcentibus demùm hæreticis, anno 1578. ſede ſuâ expulſus, primùm hæſit Monaſterii Weſtphalorum, à Principe Joanne Guilielmo Juliaci ac Montium Duce, Epiſcopo ibidem aſſumptus in Suffraganeum.

Hinc Daventriam (ſede vacante anno 1587.) evocatus, Eccleſias impiè profanatas ritu Catholico reconciliavit, gregemque ovilis illius, tanquam ſuum, doctrinæ & exemplaris vitæ pabulo nutrivit. Quo in munere ultimum exilii & vitæ mortalis finem lætus aſpexit die 28. Julii 1587. Corpus ejus in Choro Cathedralis Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis honorificè tumulatum fuit. Prelo ſubjecit,

Kalendarium perpetuum ſecundùm Inſtitutum Ord Prædic. XXXVI. Tabulis conſtans, à Didaco Ximenio Hiſpano concinnatum, at reſectis Hiſpaniæ propriis Feſtis, reductiſque ad ſua loca communibus Officiis correctum & emendatum. 12. Antverpiæ typis Plantinianis 1566.

Statuta Synodi Diœceſanæ, habitæ Harlemi, anno 1571. die 2. Octobris. Extant in Batavia ſacra Parte II. pag. 315. unà cum Teſtamento hujus Præſulis.

Sermones de Tempore, Quadrageſimales, & de Sanctis.

Item plura pro Fide Catholica adverſus hæreticos Lutheranos & Calviniſtas. Quæ poſtrema vel ignota latent, vel in generali Conventuum FF. Prædicatorum apud Batavos everſione perierunt.

GODEFRIDUS,

Sacerdos Rhodanus, in Campania Brabantica, ſcripſit

Vitam S Odæ, Virginis Rhodenſis. Exſtat MS. in Rubra Valle, apud Bruxellam. Editum quoque fragmentum Vitæ S. Odæ eſt Lovanii, 1485. apud Joan. de Weſtphalia, & Coloniæ, Parte II. Legendæ, ſed auctore ἀνεκδότῳ.

GODEFRIDUS VAN SANTVOORT,

E Rhoda S. Odæ, municipio territorii & Diœceſis Silvæ-ducenſis oriundus, naſcitur anno 1577. die x. Junii, poſtque emenſa ſtudiorum ſpatia, titulum J. U. Licentiati anno 1606 Lovanii adeptus, Antverpiæ in Divæ Virginis Cathedrali Collegio Canonicorum adſcribitur. Verùm abdicato deinde, raro hodie exemplo, Canonicatu, ut Deo & ſibi liberiùs vacaret, totum ſe devovit exercitiis vitæ ſanctioris, extra ſtrepitum ſæcularem amans neſciri, & ſanctum otium æmulari. Scripſit ſeu tranſtulit varia Opuſcula aſcetica.

Ex Italico in Latinum *Synopſin Vitæ quinque Sanctorum*, à Gregorio XV. Pont. inter Divos relatorum, *Iſidori Agricolæ*, *Ignatii Loïolæ*, *Franc. Xaverii*, *Matris Tereſæ & Philippi Nerii*. Antver. 1624. 8.

Ex Hiſpanico Tractatum *De tranquillitate animæ Chriſtianæ*, auctore *Joanne Bonilio* Ibid. 1626.

Ex Gallico *Summulam perfectionis Chriſtianæ*. Ibid. 1626. 12. apud Nutium.

GODEFRIDUS STEEGHIUS,

Amersfortius, primùm Julii Epiſcopi & Principis Herbipolenſis, poſt Rudolphi II. Imp. Medicus cubicularius, dedit

Deſcriptionem Fontis medicati Kiſſingenſis. Wirzeburgi 1595. 8.

Item *Artem Medicam*. Francofurti, apud Marnium, 1606. fol. Laudat in eo libro præceptores ſuos *Nicolaum Bieſium* Lovanii, *Laurentium Joubertum* Monſpelii, & *Vidum Vidium* Piſis, Medicinæ Doctores & Profeſſores.

GODEFRIDUS STRIROYDE,

Dieſthemius, Brabantus, Ordinem FF. Prædicatorum in Conventu Lovanienſi profeſſus, ac ſæpius Prior & ſtudiorum Regens, Doctoralem quoque Lauream in ea Academia adeptus eſt anno 1523. die 11. Februarii, & inter Regentes Theologicæ Facultatis cooptatus.

Fuit Inquiſitor adverſus hæreticam pravitatem, & Eccleſiaſtes ſui temporis celeberrimus, ita ut ſubinde ob nimium populi concurſum diebus ſolemnioribus in hortis & areis, ſacra verba edicere cogeretur.

Evulgavit Brabantico idiomate *Paraphraſin in VII. Pſalmos Pœnitentiales*; quæ etiam gallicè poſtmodum edita eſt.

Obiit actu Prior Lovanii die 10 Novembris 1540. (aliis 49.) ſepultus in medio chori; ejuſque perennem memoriam referunt hi verſus ad parietem penſiles.

En tibi, parva licet, magni monumenta STRIROII
GODEFRIDI, *cujus patria Dieſtha fuit.*
Qui magnus Sophiæ humanæ Sacræque Profeſſor,
Egit præconem non ſine laude ſacrum.
Adde, quod ornari curat ſedilibus ædem;
Unde illi ſemper debeat iſta Domus.

GODEFRIDUS VEREYCKEN,

Antverpiæ anno 1558. natus, litte-

Digitized by Google

ris politioribus probè imbutus, ac græcè peritus, cognitionem Philoſophiæ non vulgarem aſſecutus fuit: quam cùm Pariſiis in Collegio Boncortiano profitetur, ibidem & Medicinæ ſtudio animum applicuit, idemque Toloſæ abſolvit, promotus Doctor anno 1586. Idibus Junii.

In Belgium reverſus, mox in numerum Medicorum Urbis ac Reipublicæ Antverpianæ adſumptus fuit, multiſque annis artem illam exercuit. Tandem ſenio meritiſque gravis, vitæ ſedem ſtationemque ultimam delegit Machliniæ apud filium patri cognominem J. C. & in ſuprema Belgicæ Curia cauſſarum patronum, ubi triennium vixit, vivendique finem fecit anno 1635. VI. Nonas Decembris, depoſitus ad S. Joannem. Scripſerat in iſto otio ſuo

Tractatum *De cognitione & conſervatione ſui*, excuſum Machliniæ, 1633. 8.

GODEFRIDUS WENDELINUS,

Taxandrus Salius, natus in opido Hercano, ditionis Loſſenſis, Diœceſis Leodienſis, anno 1580. poſtridie Nonas Junias, ibidem ſub *Henrico Aleno*, viro doctiſſimo, Andreæ ex fratre nepote ac diſcipulo, eum in litteris progreſſum fecit, ut mox condiſcipulis reliquis antecelleret, pangeretque decimo-tertio ætatis anno Jambos ſupra ætatem ac ſpem eruditos. Biennio pòſt Tornacum miſſus, prima quoque loca inter Rhetorices candidatos apud Societ. Jeſu Patres tenuit: donec anno 1597. Lovanium concederet ad Philoſophiæ ſtudia capeſſenda, nuſquam interim in litteris humanioribus ceſſator; quando & linguæ Hebraïcæ cognitione ſeſe imbuit.

Verùm non diu hîc ſubſtitit inquies ingenium. Anno enim inſequenti, cujuſdam condiſcipuli ſui invitamento, perrexit in Germaniam, Pragam petiturus; ſed Norimbergæ correptus dyſenteriâ, proficiſci ultrà prohibetur, atque ægrè ſibi reſtitutus in Belgium revertitur.

Hinc Galliam petiit, & Lugduni διορθωτὴν egit typographicum, ac labente anno Jubilæo 1600 Romam adiit, peragratâque Italiæ bonâ parte, dum per Maſſilienſem Galliæ provinciam iter domum verſus inſtituit, ſubſtitit ibidem aliquantiſper, ſtudiaque ſua impenſiùs excoluit, Dinienſem inſtituendo ac formando juventutem, diſcipulum præ multis unum nactus *Petrum Gaſſendum*, Philoſophum dein ſcriptis famâque celeberrimum.

Anno deinde 1604. vix viſâ patriâ, eamdem Galliam repetiit, vixitque Pariſiis in familia *Andreæ Arnaudi*, amplo ſtipendio annis octo, ſeque & liberos ejus ad Juriſprudentiæ faſtigium evexit, cauſſaſque ipſe in Advocatorum numerum adlectus egit.

Anno denique 1612. reverſus in Belgium, rebus familiæ hæreditatiſve paternæ compoſitis, pietatis ſtudiis deinceps ſe addicere occœpit, initio facto ab inſtitutione juventutis patriæ, atque anno 1620. Bethaſiorum, juxta Dieſtemium, pòſt Eccleſiæ Hercanæ Parochus, atque inde Condatenſis in Hannonia Canonicus fuit.

Tum apud Franciſcum Gandavillanum Tornacenſem Epiſcopum ab Epiſtolis & ſecretis, conſtitutus quoque fuit per Diœceſim hanc Officialis, nec non Cathedralis illius Eccleſiæ Canonicus. Obiit anno 1660 Rothnaci, exiſtens Collegiatæ ibidem Eccleſiæ Decanus.

Vir in omni diſciplina atque encyclopædia univerſa plurimùm verſatus, tum verò Matheſios laude ac linguarum cognitione in primis excellens; eoque nomine luculentum teſtimonium me-

ruit Erycii Puteani, de Clympiadibus ſcribentis, *Unus illo*, inquit, *aut ſcit omnia, aut, ſi hoc homini negatum, quam pauciſſima ignorat: major ſæculo noſtro, quia ad antiquum ſe compoſuit, cum Eudoxo, Metone, Calippo, Hippartho olim nominandus. Omnes exhauſit ſcientias, ut unam ſciret, & ſummus eſſet, utque ſacris ſtudiis ornamentum à Matheſi adferret.* Ab illius ingenio ſunt:

Loxias, ſeu *de obliquitate Solis Diatriba.* Antver. apud Verduſſ. 1616. 4.

Aries, ſeu *Aurei Velleris Encomium*, verſibus Elegiacis. Ibid. typis Plant. 1628. 4.

De Tetracty Pythagoræ Epiſtolica Diſſertatio ad Erycium Puteanum. Lovanii, cum libro ejuſdem Puteani de Biſſexto, 1627. 4.

Cenſura & judicium de falſitate Bullæ Martini I. quam pro fundamento prætenſæ exemptionis exhibuit Abbas S. Amandi. 4. Bruxellis apud Franc. Vivien 1643.

Paraverat etiam libros ſequentes: *Eudoxus, ſeu de Motu Fixarum.*

Solis ac Lunæ Motus ac Tabulæ facillimæ.

Theoricæ Planetarum novæ.

Hiſtoria Eclypſeon Lunarum hujus ſæculi.

De Diluvio libri VII.

Chaos Temporum ſive *Chronicon* &c.

Salicas leges, malo loco in ergaſtulis ignorationis delitescentes, vel ſub peregrinis erronearum opinionum verberibus vapulantes, libertati ſuæ ac natalibus reſtituit, ſibique nomen immortale comparavit libro Antverpiæ typis Plantinianis edito in fol. anno 1649, cui titulus,

Leges Salicæ illuſtratæ; illarum Natale ſolum (Belgium) *demonſtratum; cum Gloſſario vocum Advaticarum.*

Porrò de Legum Salicarum origine agit *Sigebertus Gemblacenſis* Monachus, ad annum XII. Honorii Imp. qui eſt Æræ Chriſtianæ 422; his verbis:

„ Franci uti cœperunt Legibus, & *Legem Salicam* dictaverunt per quatuor Gentis ſuę Proceres electos de pluribus, his appellatos nominibus: *Uſogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, Widigaſt*, in Villis Germaniæ *Salehaim, Bodohaim, Windohaim.* Hi quatuor Proceres per tres Mallos convenientes, & cauſſarum origines ſollicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut *Lex Salica* declarat, judicium decreverunt. &c.

GODEFRIDUS WREYS,

Mollenſis, è municipio Brabanticæ Campiniæ, inter primos in Artibus Lovanii promotus, ibique S. Th. laureâ donatus, fuit dein Paſtor Eccleſiæ B. M. V. ultra Diliam Mechliniæ, nec non primus Decanus Capituli noviter illic fundati anno 1643. Poſtmodum ob præclaras animi dotes anno 1653. electus Canonicus graduatus Eccleſiæ Metropolit. S. Rumoldi, & eodem anno Pœnitentiarius. Vivere deſiit anno 1656. die 3. Junii, ætatis 56.

Habuit anno 1655. *Orationem* elegantem in funere Illuſtriſſ. *D. Jacobi Boonen* IV. Archiepiſc. Mechlin. 4. typis excuſam Lovanii.

S. GODEGRANDUS,

Aliis *Chrodegangus*, Epiſcopus Metenſis, natus eſt in Hasbania patre *Sigiramno*, viro illuſtri, & *Landradâ*, Caroli Martelli filiâ, litteriſque & pietati operam navavit primùm in Monaſterio S. Vrudonis, deinde Metis. Epiſcopus hic ordinatus anno 743. paulò poſt Gorzienſis Monaſterii (olim in hac Diœceſi celeberrimi, de Ord. S. Ben.) fundamenta poſuit. Meminit hujus Sigebertus in Chronico, & obiiſſe ſcribit anno 765 vel 768. Idemque libro de Viris

Digitized by Google

Viris illuſtribus memorat eum ſcripſiſſe

Regulam ſanctæ Religionis, quam ſpecialiter Metenſis Eccleſiæ Clericis obſervandam dedit, ut Canonici Canonicè viverent. Hanc interpolatam edidit primus in *Spicilegio* ſuo *Lucas Dacherius*: ſed puram atque ab omni intruſo purgatam *Phil. Labbæus*, S. I. obtulit Tomo VII. pag. 1444. Conciliorum Generalium ultimæ ſuæ editionis. Vide Molanum in Natal. SS. Belgii, item Acta Bollandina, ad diem VI. Martii.

GODESCALCUS ROSEMUNDUS,

Brabantus Eindhovianus, (quod eſt Silvæducenſis territorii oppidum) tertius olim Lovanii inter Magiſtros Artium anno 1502. promotus è Pœdagogio Falconenſi, ibique dein Philoſophiæ Profeſſor. Anno 1516. S. Th. Doctor renunciatus, & in D. Petri Canonicus SS. Litteras magnâ laude explanavit, ut & Verbum Dei Eccleſiaſtes eximius: *Vir melior* (Eraſmi judicio libro XIX. Epiſt. 13.) *quam pro vulgari ſorte Theologorum.*

Primus, vel è primis ad controverſas de Caſibus, ut vocant, Quæſtiones, è D. Thoma Aquinate hauriendas viam aperuit. Scripſit

Confeſſionale, ſeu *Modum ritè Vivendi ac ſalubriter Moriendi.* Antverpiæ, 1518. 8. apud Hillenium, & Lovanii, 1554. 8. apud Waen, & alibi.

Expoſitionem ſuccinctam in Orationem Dominicam, pro ſimplicibus, ut ipſe ſcribit in Confeſſionali cap. XII. art. XX.

Obiit anno 1526. Nonis Decemb. primus Collegii Pontificii, ab Hadriano VI. excitati, Præſes, ſepultus in Noſocomio urbis, cujus loci Virginibus velatis, ægrotorum curam habentibus, annos plures præfuerat: addito hoc Epitaphio, quod ibidem legitur.

Sepultus eſt hoc loco
Incomparabilis Vir,
Dominus GODSCALCUS ROSEMUNDUS,
Eyndhovienſis,
Genere non ignobili natus,
S. Theol. Profeſſor,
Non titulo tantum, ſed vitâ,
Sed Linguâ:
Lovanii ad D. Petrum Canonicus,
Atque hujus Xenodochii Virginibus
Præpoſitus,
Illibatus omnis ſanctimoniæ flos.
Mortuus eſt anno M. D. XXVI.
Nonis Septemb.

Præterea muro laterali inſculpti leguntur hi verſus.

Ne deſit, cujus virtutem imiteris & acta,
Quis ſit in hoc buſto conditus, oro legas.
GODSCHALCO *mihi nomen erat, cognomen habebam*
A MUNDA, *cui par vita pudica,* ROSA.
Doctor & Interpres divinæ mentis habebar,
Reſpondique meo ſedulus officio.
Non etenim tituli vixi contentus honore,
Sed Chriſti docui nocte dieque gregem:
Submovique lupos, & per deſerta vagantes
Ad caulam duxi Paſtor amicus oves.
Quodque alios docui, ſemper prior ipſe ſubivi:
Virtutem exemplo ſic didicêre meo.
Sum largitus opes miſeris, dum vita manêret,
Atque in eundem uſum cuncta relicta mihi.
Quæ partim Domus hæc, quæ continet oſſa ſepulchro,
Perpetuo infirmæ pabula plebis habet.
Pro quibus officiis merces mihi digna relata eſt,
Corpore nam poſito ſpiritus aſtra tenet.

GODESCALCUS STEWECHIUS,

Heuſdanus, multę vir lectionis & accuratæ diligentiæ, in Hiſtoriis & Antiquitatibus, Veterum præſerti m Romanorum, plurimùm verſatus, præ-

ceptorem laudat *Victorem Giſelinum*. Ipſe verò Profeſſorem egit Muſſiponti apud Lotharingos; indeque Treviros, ad inſpiciendas Bibliothecas, cùm ſe contuliſſet, ibidem moritur & ſepelitur. Scripta ejus hæc viſa ſunt.

Comment. eruditus *in Fl. Vegetium De re Militari.*

Conjectanea ad libros Stratagematum Sexti Julii Frontini. Antver. 1585. & Lugd. Batavor. 1607. 4.

Quæſtiones & Conjecturæ in Apulcii Opera. typis Plant. 1586. 8.

Electa in Arnobii adverſus Gentes libros VII. Ibid. apud Trognæſ. 8.

De Particulis Linguæ Latinæ. Coloniæ, typis Birckmanni, 1580. 8.

GODESCALCUS,

Leodienſis Eccleſiæ Diaconus, & Canonicus, floruit circa ann. 770. Scripſit tempore Caroli Magni, juſſu Agilfridi Epiſcopi,

Vitam S. Lamberti, Epiſcopi Leodicenſis: cujus meminit Renerus ad S. Laurentium Monachus Benedictinus cap. ultimo Vitæ S. Lamberti, his verbis: *Vitam S. Lamberti primus, juſſu Agilfridi, Epiſcopi, ſcripſit Godeſcalcus Diaconus, ipſius Congregationis Clericus, qui fuit tempore Pipini & Caroli Magni: & Geſta quidem ejus veraciter proſequutus, de cauſa Martyrii parum libero ore locutus eſt. Quod hac de cauſa feciſſe creditur, ne ſui temporis Regibus culpam Majorum ſuorum videretur exprobrare &c.* Extat hæc Vita apud Chapeavillum Tom. I. pag. 319. in antiqua Lectione Caniſii Tomo II. & in Mabillonii ſæculo III. Benedictino parte I.

GONSO,

Abbas IV. Monaſterii S. Joannis Baptiſtæ Florinenſis, territorii & Diœceſis Leodienſis, Ord. S. Benedicti, frater Wazonis Leodienſis Epiſcopi; fundavit in Eccleſia S. Gengulphi Florinis Canonicatus ſeptem: ideoque retulit à Leone IX. Pont. hoc inſigne teſtimonium: *in quo, quia pleniter ſuum honorem Monaſtica obtinet Religio, mihi complacui &c.* Deceſſit circa annum 1060. Scripſit librum

De Fundatione Eccleſiæ S. Gengulphi Florinenſis, & de *Miraculis* ejuſdem Sancti. Molanus in Natalibus SS. Belgii XI. Maii.

GOSWINUS DE BEKA,

Ex J. U. Doctore Cartuſianus, Gandenſi ac Divionenſi Cartuſiis præfuit. Fuit primus Teutonicæ Provinciæ Viſitator, quem libros aliquot *cùm in Jure Canonico, tum in Theologia*, itemque *Epiſtolas* permultas ſcripſiſſe Arn. Boſtius, Dorlandus lib. XVII. ac Petrus Sutor de Vita Cartuſianorum lib. II. Tract. 3. cap. VII. referunt, deque laudibus illius præclarum ferunt teſtimonium. Vixit anno 1420.

GOSWINUS DE BOSSUT,

Brabantus, Monachus & Cantor Villarienſis in Brabantia Monaſterii, Ord. Ciſtercienſis, ſcripſit

Vitam B. Arnulphi Cornibautii, Converſi Villarienſis, cum *Lectionibus* & *Notis* de eodem. Exſtabat MS. Villariæ plenior & diſtinctior eâ, quam Atrebati Franciſcus Moſchus curaverat edi. anno 1600. Poſtmodum per PP. Hagiographos Societatis Jeſu inſerta fuit Actis SS. ad diem 30. Junii.

GOSWINUS HENRICI,

Venlonenſis Gelder, Ordinis Prædicatorum Theologus, Profeſſione Colonienſis, Provinciæque Teutonicæ alumnus, devixit ibidem die 19. Ja-

Digitized by Google

nuarii 1640. Fuit Mariani nominis promotor, cultorque eximius, quo ſpectant ab eo edita.

Hortulus Concluſus, Dei-paræ Virginis cultoribus reſeratus. Coloniæ, apud Bern. Gualterum, 1633. 12.

Aurea Corona anni in SS. Roſario per ſingula Euangelia Dominicalia variis figuris &c. cælata, id eſt: Prædicatorum, tum præcipue SS. Roſarii Manuale, in quo Vita Chriſti & Mariæ variè illuſtratur, Tomis II. Ibid. 1634. 8.

GOSWINUS HEXIUS,

Brabantus ex pago de Loenhaut in Majoratu Silvæducenſi, Carmelita Conventûs Vliſſingenſis in Zelandia, S. Theol. Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Hieropolitanus, & Suffraganeus Ultrajectinus, ſub Epiſcopo Davide Burgundo. Conventum Ordinis ſui Ultrajecti inſtituit. Scripſit

Commentarium in libros I. & II. *Sententiarum.* MS. Brugis in Cartuſia.

Directorium perturbatæ Conſcientiæ. MS. olim Gandavi, apud Cartuſianos.

Quæſtiones de Virtutibus Theologicis & Cardinalibus. MS. olim Vliſſingæ, apud Carmelitas. Ex Bunderio. His Trithemius ac Petrus Lucius addunt

De Decem Præceptis, librum I.

De modo Prædicandi, lib. I.

De Exemplorum copia.

Quadrageſimale.

Sermones de Tempore & Sanctis.

Obiit anno 1475. pridie Kalen. Aprilis Ultrajecti, ſepultus in Choro templi Carmelitarum, (quod hodie ex ceſſione eſt Dominorum atque Equitum Melitenſium) ſub ſarcophago, in quo pedum & mitra Epiſcopalis, cum hac inſcriptione:

Conditur hîc dominus Goſwinus *& Ordinis hujus*
Fratrum Conventûs, qui fuit eximius Doctor Pariſius, Præſul Jerepolitanus,
Loenhout *quem genuit; proh dolor! hinc obiit.*

GOTSELINUS,

Ad D. Bertini, apud Audomaropolim, Arteſiæ urbem, Monachus Benedictinus, patriâ (ut creditur) Morinenſis. Floruit anno 1110. Hunc (ut in Natalibus SS. Belgii, 8. Julii, in S. Grimbaldo ſcribit Molanus) B. Anſelmus, Cantuarienſis Archiepiſcopus aliique, ob doctrinam ac pietatem viri ſingularem in Angliam evocarunt: ubi primùm Rameſiæ, deinde Cantuariæ ad S. Auguſtinum vixit. Quibus in locis varias deſcripſit Sanctorum Vitas.

Vitam S. Auguſtini, Cantuarienſium Archiepiſcopi, libris II. teſte Molano ad Uſuardum, 26. Maii. Extat apud Mabillonum ſæculo I. Benedict. & in Actis SS. Bollandinis, ad diem præfatum.

Vitam S. Laurentii, Anglorum itidem Epiſc. qui Auguſtino ſucceſſit. Incipit: *Dominis cariſſimis & paternæ* &c. Molanus ad Uſuardum 2. Februar.

Vitam S. Erkenwaldi, ſeu *Eronvaldi*, Epiſcopi Londinenſis, incipit: *Poſt Paſſionem & Reſurrectionem.* Catalogus Script. Britanniæ.

Vitam S. Suithuni, Epiſc. Wintonenſis, hoc initio: *Glorioſo Anglorum Rege Egberto.* Exſtat apud Surium, Tomo IV. 2. Julii, aut ejus potiùs Epitome.

Vitam S. Grimbaldi, patriâ Morinenſis, qui ex Monacho Bertinenſi factus eſt Wintonienſis in Anglia Abbas. MS. in S. Bertini Monaſterio, ſed in Epitomen, ut apparet, contracta: *Urbs Morinorum quondam ampla* &c.

Vitam S. Edithæ ſeu *Eadgithæ* Virginis, quæ olim MS. exſtitit Londini apud Auguſtinianos, teſte Bunde-

rio : modo autem apud Mabillonum ſæculo V. Benedictino, pag. 636. & apud Surium ad diem 16 Septembris.

Vitam S. Milburgæ, forte *Wereburgæ*, Virg. Molanus ad Uſuardum, 23. Februarii & Catalogus Scriptorum Britanniæ. Extat etiam in Februario Bollandino.

Vitam S. Witeburgæ, Virginis. Idem Catalogus & Molanus ad Uſuardum. 8. Julii.

Vitam denique *S. Ivonis Epiſcopi*, ex Perſide in Angliam tranſlati, ab *Andrea Leucandro*, Abbate Rameſienſi, ſcriptam, reddidit latiniorem. Idem Catal. & ex eo Molanus 10. Junii ad Uſuardum. Item extat in Actis SS. Junii Tomo II. pag. 288.

Plura de eo Mabillonus, Voſſius, Henricus Warthon, Oudinus de Scriptor. Eccleſiaſticis pag. 561. Tomo II. & alii.

GREGORIUS BERTOLF,

Lovanienſis, inter Magiſtros Artium quinto loco promotus anno 1506, J. U. Doctor, ob ſingularem prudentiam, rerumque uſum, quem Bruxellæ publicis privatiſque cauſis actitandis comparaverat, primus Senatûs Cæſarei in Friſia à Carolo V. conſtitutus Præſes, conſignavit

Statutorum Friſiorum opus idiomate patrio.

Obiit Leovardiæ, anno à ſalute generi humano partâ 1527.

GREGORIUS DAINEFFE,

Leodius, Ord. Eremit. D. Auguſtini S. Theol. Doctor & in Abbatia S. Huberti per annos plures Profeſſor, Latinitate donavit

Epitomen Hiſtoriarum Vitæ monaſticæ S. Auguſtini, unà cum *Inſtitutione & antiquitate Familiæ ejuſdem* &c. *Joanne Gonſalez de Critana* auctore. Antverpiæ apud Verduſ. 1612.

Ipſeque commentatus eſt opus inſigne, variâ doctrinâ refertum, *de triplici Mundo, Divino, Angelico, & Humano*; cujus prior tantùm pars de Mundo Divino lucem vidit, Leodii 1639. fol. typis Leon. Streel.

GREGORIUS HOPPERUS,

Joachimi Filius, J.C. Dalemii Toparcha, Sanctioriſque Conſilii apud Belgas Aſſeſſor, libros parentis *de vera Juriſprudentia*, unà cum *Cajo Antonio* fratre in lucem protulit typis Plantinianis. Præfatur ipſe de vero Juriſconſulti objecto, & quo modo circa Juriſprudentiam ſit verſandum, deque inſtituti paterni iis in libris ratione ac ſcopo. Vivere deſiit anno 1610. Bruxellæ.

GREGORIUS SILVANUS,

Ghelenſi Brabantiæ municipio oriundus, Gymnaſiarcha Gierlenſis, græcè doctus, ſcripſit

Syntaxeos Latinæ Didaſcalicon. Antver. 1539. 8.

GREGORIUS TEGNAGEL,

Lovanienſis, Regneri Juris ibidem Doctoris & Profeſſoris filius, Juris Utriuſque & ipſe Doctor, ac Cameræ Imperialis Spiræ Adſeſſor, ſcripſit

Methodicam totius Juris Tractationem.

Authenticas etiam *Conſtitutiones* in ordinem commodiorem redegit. Quæ an lucem hactenus viderint, nondum pro comperto habeo. Vide Suffridum Petrum de Scriptoribus Friſiæ.

GREGORIUS A SANCTO VINCENTIO,

Brugenſis, Societatis Jeſu Sacerdos

Digitized by Google

ac Theologus, in lucubrationibus Mathematicis ſignanter excelluit; factâ etiam ſpe quadrandi circuli: (ut de eo aſſerit Valer. Andreas.) Hinc à variis Principibus & Regibus expetitus, nominatim à Ferdinando II. Imp. cujus poſtulato profectus eſt Pragam, poſtea à Philippo IV. Rege Hiſp. ut filium ſuum Joannem Auſtriacum Mathematicis ſcientiis inſtitueret. Tandem apoplexiâ tactus, Gandavi plenus dierum expiravit die 27. Januarii 1667. ætatis 83, poſt celebratum triplicem Jubilæum, Religionis, Sacerdotii, & traditæ Matheſeos. Edidit

Opus Geometricum Quadraturæ Circuli & Sectionum Coni, X. libris comprehenſum. fol. Antv. 1647. 2. vol.

Opus Geometricum poſthumum ad Meſolabium, per rationum proportionalium novas proprietates. fol. Gand. 1668.

Theoremata Mathematica ſcientiæ ſtaticæ de ductu ponderum per planitiem, recta & obliqua horizontem decuſſantem, propoſita Lovanii, typis Haeſtenii, cum figuris æri inciſis, 1624. in 4.

GRIPHON,

Flander, Ord. Minorum, S. Theol. Profeſſor Lutetiæ Pariſiorum, à Sixto III. Pont. Max. in Orientem miſſus, Palæſtinam adiit, & Græcos præſertim Marcionitas, (rectiùs *Maronitas*) Montis Libani incolas, ad fidem Orthodoxam adduxit; adeò ut regionum illarum Patriarcha à Caliſto III. appellaretur.

Obiit anno 1475. E multis unicum exſtat illius opuſculum, teſte Henrico Willotio,

Itinerarium Terræ Sanctæ.

GUALBERTUS,

Monachus Benedictinus Marchianenſis Cœnobii in Gallo-Flandria, floruit circa ann. 1125, ediditque

Epiſtolam prolixam de Miraculis Stæ. Rictrudis, primæ Abbatiſſæ Marchianenſis. Quod opus è Bibliotheca Marcianenſi erutum, primò evulgarunt PP. Hagiographi Societ. Jeſu, Tomo III. Actorum Maii p. 118.

GUALTHERUS,

Canonicus Regularis ac Prior Abbatiæ Aroaſienſis Ordinis S. Auguſtini in Artheſia, tranſtulit anno 1162 ab Oſtiis Tiberinis ad ſuum Aroaſienſe Monaſterium majorem partem Reliquiarum *S. Monicæ* Viduæ, matris S. Auguſtini.

Hinc *Vitam S. Monicæ, ejuſque Officium tranſlationem* deſcripſit; quam ſecundum varia Manuſcripta PP. Hagiographi Antverpienſes inſeruerunt Tomo I. Actorum SS. Maii, pag. 474. & ſequent.

GUALTERUS BRUELIUS,

Aliàs BRANT, Medicinæ Doctor, edidit

Praxin Medicinæ Theoricam & Empiricam, ex Galeno, Hippocrate, Aëtio, aliiſque. Antver. typis Plant. 1580. Lug. Batavor. 1589. 1599. 1628. 8. &c.

B. GUALTERUS DE BRUGIS,

Sic dictus a patria urbe Brugenſi in Flandria, Magiſter in Theol. & Ordinis FF. Minorum Miniſter in Francia, ſeu Turoniæ Provincialis, *vir vitæ laudabilis, litterarum ſcientiâ præditus, diſcretionis maturitate conſpicuus, præclarus meritis, & aliàs in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectus.* Hoc ſanè de illo teſtimonium tulit Nicolaus III. Pont. dum anno 1278. Pictavienſi eum Eccleſiæ præfecit ac propriis manibus conſecravit.

Digitized by Google

Conſtitutiones Synodales, pro optimo Eccleſiæ Pictavienſis regimine edidit ann. 1280. & 1284. Extant inter Concilia generalia P. Labbæi; uti & P. Harduini Tomo VII. Scripſit quoque, jubente Alexandro IV. ac teſte Trithemio, de Scriptor. Eccleſ.

Commentarios in libros Magiſtri Sententiarum, lectos aliquando MSS. Brugis & Ipris, apud Franciſcanos.

Quotlibetorum librum unum.

Rudimenta pro Concionatoribus.

Sermones per anni circulum: & ſæpe auctor Summæ Angelicę teſtimonio ejus utitur, teſte Willotio.

Tabula Originalium, extat in Abbatia Baudeloënſi Gandavi.

Tractatus de Pœnitentia, MS. Ipris, apud Tertiarios.

Denique *Queſtiones diſputatæ ejuſdem*, Valencenis in Hannonia apud Franciſcanos, & Colonię apud Carthuſianos.

Notæ ſunt è coævis Authoribus diſcordiæ inter ipſum & Bertrandum de Gutto Burdigalenſem Archiepiſcopum indeque ad ſummam B. Petri Cathedram evectum, ſub nomine Clementis V. quarum hæc cauſa fuit. Vetus erat diſſidium inter Bituricenſem & Burdigalenſem Archiepiſcopos de Aquitaniæ Primatu, qui Decreto Sedis Apoſtolicæ fuerat Bituricenſi adjudicatus. Itaque Gualtero Brugenſi, Epiſcopo Pictavienſi datum fuit in mandatis, ut Bertrando Burdigalenſi interdiceret, ne titulo Primatis ultra ſeſe appellaret, ac obtemperare renuentem anathemate percuteret.

Fecit hoc Gualtherus. Aſt Bertrandus, ſtatim ac Summus Pontifex eſt creatus, ſumpto Clementis V. nomine, clementiam adverſus contumacem (ut aiebat) Suffraganeum ſuum minimè ſervavit; eumque Epiſcopali dignitate privavit, & ad clauſtrum ſuum remiſit.

Quam injuriam cum impatienter ferret Gualterus, & paulò poſt lethali ægritudine infirmatus ad extrema deveniſſet, appellavit à præfata ſententia Clementis Papæ, ad judicium Dei: ac membranam Appellationis, animam exhalando die 21. Januarii 1306. in manum ſuam inſeri juſſit, cumque ea tumulari in Ædę Minorum Pictavienſium.

Cum ergo Clemens huc veniſſet, & Gualteri mandatum reſciiſſet, ſepulchrum coram ſe ſecretò juſſit aperiri, ad videndum ſchedulam: ſed cum Archidiaconus Urbis chartulam fruſtra è manu Gualteri extrahere conaretur, rem miratus Pontifex, virtute obedientiæ, ut ſchedulam relaxaret, Gualtero mortuo imperavit, poſtquam ſub religione ſacramenti pollicitus eſt, eam ſe reſtituturum; quam cum apertâ manu legiſſet Pontifex, eam reſtituit. Poſtea ſancti Epiſcopi memoriam colens, ejus ſepulcrum in FF. Minorum Eccleſia ornari juſſit: quod cum per Calvinianos iconoclaſtas dirutum fuiſſet, ipſius loco poſitus eſt ante majus altare lapis, cum hac inſcriptione, quæ adhuc hodie legitur: *Heic jacet S. Gualterus.*

Plura referunt Auctores Benedictini novæ Galliæ Chriſtianæ Tomo II. pag. 1187. uti & Spondanus in Annalibus ad annum 1308. Ipſeque Thuanus Tomo V. Hiſtor. cap. 131. refert querelas Pictavienſis Epiſcopi anno 1604. ad ſummum Pontificem delatas contra P. Generalem Ordinis Minorum, qui ſpreto Ordinario, ſepulcrum B. Gualteri aperiri juſſerat. Colitur inter SS. Ord. Min. ad diem XXII. Januarii; ut habet Joannes Molanus ex S. Antonini Chronico parte 3. tit. 24. cap. 9. &c.

In tumulo B. Gualteri Epiſcopi legebantur olim verſus ſequentes: ex Codice FF. Minorum.

Frater Gualterus, qui Doctor Theologiæ,

Digitized by Google

Qui tam ſeverus vitiis, qui gemma ſophiæ,
Qui ſpeculum morum fuerat terrorque malorum,
Hunc decorare chorum meruit, decor ipſe Minorum,
Qui pugil Eccleſiæ fuerat, poſt geſta valoris,
Ut decet, in requie fruitur mercede laboris.
Clara Patris merita multis patrocinia præſtant,
Publica, quod ſit ita, miracula jam manifeſtant.

Ad caput ſepulcri hæc erant.

Pontifex GUALTERUS,
Dei cultor verus,
Vitæ ſuæ termino
Quievit in Domino
Menſe Januarii
Pridie Vincentii,
Anno trecenteſimo
Sexto cum milleſimo.
Orent pro lætantibus
Ut ſint cum cæleſtibus.

GUALTERUS DE CASTELLIONE,

Inſulenſis Flander, Præpoſitus Cathedr. Eccleſiæ Tornacenſis, floruit anno circiter 1190, vel ultra etiam. Extant

Libri X. Alexandreïdos, ſive de geſtis Alexandri Magni, ab hoc Gualtero eleganti metro heroïco ad Guilielmum Remenſem Archiepiſcopum ſcripti, qui Argentorati 1531. Ingolſtadii & Lugduni 1558. typis editi.

Libelli tres contra Judæos, extant hactenus Manuſcripti in Bibliotheca Branenſi Ord. Præm. in Diœceſi Sueſſionenſi.

Item alia ejus *Opuſcula* MSS. in Bibliotheca Regis Galliæ. Ita de eo Oudinus de Scriptor. Eccleſiaſt. Tomo II. pag. 1666.

GUALTERUS GRAVIUS,

Cognomento RUYSIUS, patriâ Gravienſis, Religione Dominicanus & Prior Noviomagi, edidit

Apologiam adverſus librum Eraſmi *de Confeſſione.*

Item *Contra librum ejuſdem de Eſu Carnium.* Antver. apud Simonem Cocum 1525. Verùm quia Eraſmo perfamiliaris erat, nomen præfixit *Godefridi Ruyſii Taxandri.*

De ritibus olim circa Baptizatos & Confitentes obſervatis. Coloniæ 1530.

Item *Præfationes*, quæ vocantur, numero CXIII.

Obiit Prior, anno ſalutis partæ 1534. III. Kal. Junii.

GUALTERUS,

(A Meyero dictus *Galbertus*, Brugenſis Notarius) fuit Eccleſiæ Morinenſis ſeu Teruanenſis Canonicus & Archidiaconus & circa ann. 1128. claruit. Scripſit ad Joannem Morinorum Epiſcopum

De Vita & Martyrio CAROLI, cognomine Boni, Flandriæ Conitis, filii Canuti Regis Daniæ, Martyris. MS. Tornaci ad S. Martinum: editumque Pariſ. 1615. 8. typis Cramoiſy, procurante Jac. Sirmondo, Societ. JESU. Extat denuò in Actis SS. per PP. Hagiographos Societ. Jeſu, Menſe Martio, Tomo I. p. 163.

GUALTERUS PAULLUS,

Huenſi opido in Condruſiis oriundus, Societ. Jeſu Doctor Theologus, Philoſophiæ curſum Duaci tertiò abſolvit, ſacraſque ibidem litteras, & poſt Viennæ in Auſtria pluribus annis expoſuit. Vir Græcè Latinèque in paucis peritus, & in humanioribus diſciplinis plurimùm verſatus.

Viennâ Romam evocatus à Præpoſito Generali *Mutio Vitelleſco*, Cenſorem Generalem librorum Societatis ſuæ

egit per quinquennium. Ibi dum Sereniſſimis Bullonii Ducibus eſſet à ſacris Confeſſionibus, cum illis in Galliam profectus eſt, & poſt aliquod tempus reverſus Duacum, reſiduum vitæ moderandis ibidem Studiis & excipiendis in templo Confeſſionibus inſumpſit. Demum maturus cœlo, & octuagenario major, piè admodum diſceſſit ex hac vitâ Duaci die 17. Aprilis 1672. Edidit

Septem Dolores B. M. Virginis, rythmo numeroſo expreſſos. Viennæ 1631.

Canticum novum Animæ ſalientis à mundo, à terra, à cœlo, à ſeipſa in Deum. Melodiæ Lyricæ genus Rythmometrum. Ibid. 1637. fol. typis Matthæi Formicę; unà cum *Regio itinere Ferdinandi III.* Dein recognitum, editumque Duaci anno 1663, hoc titulo.

Scalæ & alæ animi aſcendentis in Deum ab inferno, à mundo, à terra, à cœlo ſtellato, ab empyreo, à ſeipſo, à nihilo ſui.

Affectus Euchariſtici, rythmo-metro. 12. 1640.

Cogitationes ſeriæ, bivium duplex, unum mortalitatis, alterum æternitatis; cui adjuncta eſt *Cantici novi* nova editio 12. Duaci 1653.

Jeſus-eſus, novus orbis, famis & ſitis, animi vera ſatietas. Cui adjunctus eſt *Triumphus Corporis Chriſti, Leodio ductus per totam Eccleſiam.* fol. Duaci 1661.

Hortus olivarum, dolor, amor, roſa ſpinâ, Cui additur *Cordolium Deiparæ, & Cor mancipium Jeſu & Mariæ*, Rhytmometricè. Duaci 1667.

Paraverat item opera Theologica ſequentia, quæ mors intercepit.

Jeſu-logia, ſeu Fundamenta totius Theologiæ & Philoſophiæ.

Medulla ſanctioris Theologiæ, interjectis ſcalis & aliis animi aſcendentis in Deum. Item *de B. Virgine Deipara.*

Controverſiæ Fidei diſputatæ per ſæcula, quibus natæ ſunt hæreſes.

GUALTERUS TANGERIUS,

Silvæducenſis, J. C. bonarum Artium Profeſſor Coloniæ, ipſe præceptorem habuit celeberrimi nominis J. C. Petrum Ravennatem, Italum. Ejus *Poëmata* quædam leguntur, Coloniæ anno 1505. edita.

Edidit & *Summulam Raymundi*, à ſe correctam, uti præfando ad Guilielmum fratrem ſuum teſtatur, Ibid. typis Quentelianis, 1508.

GUIARDUS DE LAUDUNO,

Epiſcopus Cameracenſis (*Guidonem*, ſeu *Wiardum*, Democharis nominat, & Scriptoribus Eccleſiaſticis annumerat) ſcripſit

De Officiis Divinis ſive *Eccleſiaſticis*, cujus initium: *Quoniam ſæpè me rogaſti.* Laudat librum Joannes Garetius libro De vera præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia: quem tamen *Godefrido Fontano*, Guyardi noſtri prędeceſſori, adſcribit Gazæus libro de Epiſcopis Cameracenſibus.

Dialogum de Creatione Mundi, qui incipit: *Secundum Marcum Tullium.*

Item *Sermones II.* ſatis prolixos *De Paſſione Domini.* MSS. in Flinenſi, apud Duacum, Virginum Cœnobio, ut indicavit Georgius Colvenerius, Notis ad Thomam Cantipratanum. Prioris initium eſt: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis.* Alterius, *Stabat juxta Crucem* JESU. &c.

Obiit Affligemii anno 1247. teſte Balduino Ninivenſi, Ordinis Præmonſtratenſis Chronographo, qui ex Cancellario Pariſienſi Cameracenſem Epiſcopum creatum refert. Malè ergò in Poſſevini Apparatu excuſum: *Vivebat anno 1277. & quod decurrit.*

GUIARDUS DE MOULINS,

Presbyter, Canonicus Eccleſiæ S. Petri

Digitized by Google

Petri Aerienſis ; Epiſcopatûs olim Teruanenſis, anno 1291, ætatis ſuæ (ut ipſe ait) quadrageſimo, Bibliorum Sacrorum è latino in gallicum Verſionem inchoavit, perfecitque anno 1294 menſe Februario. Dein anno 1297 die feſto S. Remigii electus præfatæ Eccleſiæ Aerienſis Decanus.

Vulgo nuncupabatur hæc Verſio : *la Bible Hiſtoriaux, ou les Hiſtoires Eſcolatres* : complectiturque Hiſtoricos Veteris & Novi Teſtamenti Libros, Gloſſis ſeu Poſtillis in textu inſertis : additis in Veteri Teſtamento Pſalmis Libriſque Sapientialibus, & in Novo Epiſtolis Apoſtolorum, & Apocalypſi. Extat illius Codex Membranaceus Pariſiis in Bibliotheca Regia, Num. 6820. ac typis prodiit juſſu Caroli VIII. Regis, circa annum 1487.

Fuit ſanè *Guiardus* hic, primus, vel inter primos qui Biblia ſacra gallicè tranſtulerunt ; ut notat P. Le Long, Tomo I. Bibliothecæ Sacræ pag. 315. citans quoque authoritatem *Dan. Huetii* Abrincenſis Epiſcopi, de claris Interpret. pag. 38.

Porrò quam inſolita, ipſique Sedi Apoſtolicæ ingrata olim fuerit SS. Bibliorum in Linguas vernaculas tranſlatio (hodie, magno rei Catholicæ damno, adeo communis, præſertim in Galliis) patet ex Epiſtola 141 libri II. Innocentii III. Pont. editionis Baluſianæ, ſcriptâ circa ann. 1200. *Significavit Nobis Vener. Frater Metenſis Epiſc. quod tam in Diœceſi quam in Urbe Metenſi laïcorum & mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo deſiderio Scripturarum, Euangelia, Epiſtolas Pauli, Pſalterium, Moralia Job, & plures alios Libros ſibi fecit in Gallico ſermone transferri, Tranſlationi hujuſmodi adeo libenter, utinam autem & prudenter, intendens, ut ſecretis conventionibus talia inter ſe laici & mulieres eructare præſumant* &c. Lege totam hanc Epiſtolam apud Baluzium pag. 432. & ea de quibus Innocentius III. tunc conquerebatur, hiſce pariter temporibus evenire conſpicies.

B. GUERRICUS,

Abbas Igniacenſis Ord. Ciſterc. in Diœceſi Remenſi ; fuerat Tornacenſis antea Canonicus & Scholæ B. Mariæ Magiſter, ingenio facilis, eloquio dulcis & compoſitus, teſte Abbate Trithemio. Tantùm D. Bernardi (cujus diſcipulus eſſe meruit) magiſterio profecit, ut ejuſdem calculo dignus primâ Sede judicaretur ; uti teſtatur Auctor anonymus in Vita Venerab. Hugonis Abbatis Marchianenſis, antea alumni Cœnobii Martiniani apud Tornacenſes, ubi eadem Vita MS. legitur.

Meminêre *Guerrici*, uti diſcipuli S. Bernardi, Petrus Caniſius libro IV. de B. Maria cap. XXVIII. & alibi, Molanus in Natalibus SS. Belgii 20. Auguſti, Miræus in Chronico Ciſtercienſi, ad ann. 1129. Arn. Wionus libro 1. Ligni Vitæ cap. 148. qui ſcribit eum floruiſſe anno 1130.

Fallitur propterea Sixtus Senenſis, qui in Bibliotheca ſua ſancta ponit claruiſſe anno 1300. ſecutus veriſimiliter Trithemii ordinem, cujus verbis utitur ex libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Reliquit

Sermones de Tempore & Sanctis, editos à Joanne Gagnejo, Pariſ. 1539. & 1547. Item emendante & edente Joanne Coſterio, Antverp. apud Nutium, 1576. 12. Leguntur nunc ad calcem Operum D. Bernardi, appoſiti primùm per Jacobum Merlo-Horſtium, dein etiam per Joannem Mabillonium, in altera horum Operum editione, Tom. II.

Leguntur & *Guerrici Poſtillæ ſuper Pſalterium*, Tornaci ad S. Martinum.

Item Tractatus *De languore animæ amantis* MS. Brugis apud Religioſos Dunenſes.

Eidem Guerrico Abbati attribuuntur etiam *Commentaria in Euangelium S. Matthæi*, *in Epiſtolas Pauli*, *& Canonicas*; quæ dicuntur extare MSS. in Bibliotheca Villarienſi.

B. GUIBERTUS,

Sive WIBERTUS MARTINUS, è Monacho Gemblacenſi priùs Abbas Florinenſis in Diœceſi Leodienſi, dein Gemblacenſis in Gallo-Brabantia: pedum depoſuit anno 1206. poſt biennium vitâ functus, anno Sacerdotii 63.

Extat ad hunc Abbatem Epiſtola Innocentii III. Papæ, relata in Decretales Capit. *Sicut tuis*, quâ Pontifex eum excuſat, quod ipſo neſciente ac invito, pecunia per Monachos pro ejus Ordinatione oblata, & à Leodienſi Epiſcopo accepta fuiſſet.

Scripſit *Vitam S. Hildegardis*. MS. Gemblaci.

De Solemnitate Paſchali. MS. ibid.

De Miraculis S. Martini. Lovanii ad S. Martinum.

Apologiam pro S. Severo Sulpitio, libris II.

Et *Epiſtolam De Scriptoribus Vitæ S. Martini*. Exſtat ea Tomo VII. Bibliothecæ Patrum. Apologia verò legitur Gemblaci, & Lovanii ad S. Martinum.

De Deſtructione Monaſterii Gemblacenſis, extat apud Lambecium Tomo II. & in Mabillonii ſæculo V. Benedict. pag. 312.

Extant præterea manuſcr. Gemblaci, & Lovanii, *Epiſtola Radulphi*, Monachi Villarienſis, *ad Guibertum* Gemblacenſem; & *Guiberti ad Radulphum*: pluresque aliæ cùm *Guiberti*, tum aliorum ad *Guibertum*. Item *Collectanea pro Conſolatione infirmorum*, auctore *Guiberto*.

GUIBERTUS DE TORNACO,

(Qui & GILBERTUS, WIBERTUS, ac WILIBERTUS) Ordinis S. Franciſci, claris ortus natalibus, ac celebris ſuo ævo Theologus Pariſienſis, ſcripſit, juſſu Joannis Epiſcopi Tornacenſis,

Vitam S. Eleutherii, ejuſdem urbis Epiſcopi: olim extabat MS. Tornaci ad S. Martinum, nunc edita in Actis Sanctorum per PP. Societatis Jeſu ad diem XX. Februarii, Tomo III.

Sermones de Statibus hominum variis. Lovanii, typis Joan. de Weſtphalia, circa annum 1473. Lugduni, 1511. Pariſ. 1513. 8. legunturque manuſcripti Atrebati apud Vedaſtinos, & alibi.

Sermones de Dominicis, & Sanctis. Manuſc. Tornaci, ad S. Martinum & in Bibliotheca Abbatiæ Alnenſis. Præmittuntur *Alexandri* Pont. ad *Guibertum* binæ Epiſtolæ, quibus petit, ut dictos Sermones ſibi mittat, cum reſponſione *Guiberti*.

Sermones ſuper AVE MARIA. Coloniæ, apud Minores.

Quadrageſimale manuſc. Confluentiæ, apud eoſdem.

De Virginitate, manuſcript. Tornaci, apud eoſdem.

De Verbis Domini in Cruce. Leodii, ad S. Jacobum.

De Reformatione Pacis. Tornaci ad S. Martinum.

De Nomine JESU *Sermones VIII*. manuſ. ibidem.

De Morte non timenda. Tornaci in Biblioth. Cathedr.

Erudimentum Doctrinæ, libri III. Brugis in Cœnobio Dunenſi.

Tract. *De modo addiſcendi*, ad Joannem Præpoſitum Brugenſem. Ibid.

Chronica manuſc. Coloniæ apud Auguſtinianos.

Regulam Regum, ſive *De eruditione Regum*, ad B. Ludovicum Galliæ Regem. MS. in Dunenſi Monaſterio.

Quodlibetum. apud Minores Bellovacenſes.

Digitized by Google

De Voto. In Viridi Valle, apud Bruxellam.

Legitur in Bibliotheca Patrum, Coloniæ evulgatus Tractatus anno 1618, ac dein Lugduni 1677. ejuſdem, *De Officio Epiſcopi, & Eccleſiæ Cæremoniis*, editus antea Coloniæ 1571. à Theod. Coeſveldio, Ord. S. Antonii Religioſo.

Item Tractatus *De Pace & animi Tranquillitate.*

Sed & *Gilberti* cujuſdam, ſeu *Guiberti* (fortè hujus noſtri) *Commentarius in Epiſtolas D. Pauli*, legitur manuſc. Pariſiis ad S. Victorem, Audomaropoli ad S. Bertinum, ad S. Amandum Elnone, & alibi.

Item *Commentarius in Magiſtrum Sententiarum*, Tornaci ad S. Martinum, hoc initio *Dan. 12. Pertranſibunt populi, & multiplex erit ſcientia:* qui in antiquo Indice Bibliothecæ ejuſdem Cœnobii attribuitur *Guiberto.*

Denique *Hodœporicon primæ profectionis S. Ludovici Galliæ Regis in Syriam*, auctore *Guiberto Tornacenſi*, laudat Henr. à Gandavo, libro de Script. Eccleſiaſt. cap. LIV.

Claruit anno 1270. Ejus hoc legitur Epitaphium, Tornaci ad S. Martinum in Codice manuſc. Sermonum de Nomine Jesu, ad calcem ejuſdem:

O Vas munditiæ, ſeptemplicis arca Sophiæ,
Cultor juſtitiæ, Profeſſor Theologiæ,
Quondam præco viæ Domini, ſimilis vir Eliæ,
Sacrâ pauperie debellans arma Goliæ.
Sobrie, juſte, piè, Frater Guiberte, *Mariæ*
Vi precis eximiæ patriæ ſis incola diæ.
Doctorem patriæ Tornacum flens, Jeremia
Luctum fac hodie, tibi mors eſt iſta Joſiæ.

GUIDO DE COLLEMEDIO,

Epiſcopus Cameracenſis, ordine LIV. floruit circa ann. 1300. ſed pauca de ipſo referunt Annales Cameracenſes. Baluzius in Notis ſuis habet, Guidonem hunc à Clemente V. Pont. tranſlatum anno 1306 ad Eccleſiam Salernitanam apud Neapolitanos, ibique paulò poſt deceſſiſſe. Scripſiſſe fertur

Dialogum de VII. Sacramentis, manuſc. olim in ſeptem Fontium Monaſterio: *Quoniam me ſæpiùs.*

Sermones ejuſdem aliquando in Bibliotheca Martiniana Tornaci lecti fuere, hodie verò deſiderantur.

GUIDO LAURINUS,

Brugenſis J. C. Watervlieti Dominus, juvit in Vett. Numiſmatibus digerendis explicandiſque Marcum fratrem, ac Hubertum Goltzium. Legitur ejuſdem

Dialogus Plutonis & Telluris, in Theſaurum antiquorum aureorum Numiſmatum ſub Veſpaſiano Aug. depoſitum, & anno 1561. in Aubrocicourtiano Flandriæ pago repertum, ſub finem Julii Cæſaris Goltziani. Moritur Inſulis, ſepultus in D. Mauritii.

GUIKARDUS,

Monachus (non tamen Abbas) S. Trudonis, in Hasbania Ord. S. Ben. latinè ſcripſit

Vitam S. Trudonis. Meminit Arnoldus Wionus, libro de Viris Illuſtribus Ordinis Benedictini, quem Lignum Vitæ inſcripſit, & Theodoricus dicti loci Monachus & Abbas, in Vita ejuſdem S. Trudonis, quam poſt Donatum Diaconum & Guikardum conſcripſit.

GUILIELMUS ABSELIUS,

Bredanus, Prior Carthuſianorum Brugenſium, Profeſſus Domus Capellæ juxta Angiam, vir vitæ auſteræ & ſanctæ, ſcripſit teſtante & recenſente

Arn. Boſtio libro de illuſtribus Cartuſianis cap. XXX.

Tractatum ſuper Oratione Dominica, carmine eleganti.

De vera Pace Epiſtolas varias. Et alia, quæ ibidem Boſtius, ex eoque Dorlandus libro VII. Coronæ Cartuſianæ cap. 28. commemorat.

Deceſſit ex hac vita anno 1471. die v. Auguſti, profeſſionis XL.

GUILIELMUS ÆGIDIUS,

Wiskerckius, Zelandus, Mathematicus, ſcripſit librum,

De Cœleſtium Motuum indagatione ſive calculo, editum typis anno 1494. 4.

GUILIELMUS AFFLIGEMIENSIS,

Ejuſdem loci Monachus Benedictinus, floruit circa an. 1300. Cœnobii Prior, ſcripſitque

Vitam S. Lutgardis Aquirienſis, Virginis. Molan. ad Uſuardum, 16. Junii. MS. Affligemii. Hanc Vitam à Fratre Thoma (Cantipratano) latinè ſcriptam, Guilielmum convertiſſe in Teutonicum rythmicè, duobus ſibi ſemper rythmis conſonantibus, auctor eſt in Catalogo ſuo Henricus Gandavenſis.

Sermones, ac *Viſiones cujuſdam Monialis*, Ordinis Ciſtercienſis, eodem Gandavenſi & Trithemio teſtibus: quæ Affligemii MSS. aſſervantur.

GUILIELMUS ALANUS,

Lancaſtrenſis, Anglus, nobilibus ortus parentibus anno 1532. patre Joanne Alano, matre Mariâ Liſtera, ſtudia ſua tum Philoſophica tum Theologica in celebri Oxonienſi Academia inchoavit, quę curâ Cardinalis Reginaldi Poli anno 1552. ab hæreſi expurgata fuerat. Quin & *Alanus* cuidam illic Gymnaſio, quod Aulam B. Mariæ vocant, aliquamdiu Regens præfuiſſe, atque in Metropoli Eboracenſi Canonicatu donatus fuiſſe perhibetur.

Rebus Catholicis poſtmodum denuo in Anglia regnante Eliſabethâ turbatis, ſeceſſit in Belgium, ſtudiaque in Oxonienſi Academia deguſtata, perfecit Duaci, ibique anno 1566. Magiſtralem S. Theol. Lauream adeptus eſt, unà cum viris celeberrimis, Matthia Boſſemio, Joanne Rubo, ac Thoma Stapletono (de quibus inferiùs:) ac Regium aliquamdu egit Profeſſorem.

Hinc Metropolitanæ Cameracenſis Eccleſiæ Canonicus, dein Remenſis in Gallia, primus fuit author inſtituendorum Seminariorum pro ſuæ Gentis exulibus, per totam ferè Europam tum diſperſis; regebatque anno 1568. Seminarium Duacenſe, quod inter omnia primum fuit ad normam S. Concilii Tridentini in regionibus Cis-Alpinis inſtitutum. Dein probante ac dotante imprimis Gregorio XIII. Pont. aliud Remis, alia vero duo in Hiſpania erexit.

Romam tertiò vocatus, inchoato illic quoque Seminario (antea Hoſpitali SS. Trinitatis ad campum Floræ) à præſentato Pontifice Præſes datus eſt. A Sixto V. die 7. Auguſti 1587. S. R. E. Presbyter Cardinalis renunciatus, atque à Philippo II. Hiſpan. Rege penſione notabili ſuper Archiepiſcopatu Panormitano donatus, dein ipſâ quoque Inſulâ Mechlinienſi anno 1591.

Dum autem pro rebus Eccleſiæ moram aliquantiſper Romæ trahit, prius quam Archiepiſcopus conſecraretur, ſupremum illic diem obiit XVII. Kal. Novembris 1594, non tam annorum numero, quam laborum pro fide & Eccleſia exantlatorum pondere gravis, fractuſque urinæ retentione.

Vernaculo Anglico plures libros edidit, qui propter utilitatem eruditio-

nemque latinè ſunt redditi.

De Sacramentis Eccleſiæ in genere,

De Sacramento Euchariſtiæ,

De Miſſæ Sacrificio, libros III. Antv. 1576. in 4. & Duaci typis Belleri 1605.

De authoritate Sacerdotum per Sacramentum Pœnitentiæ.

De Purgatorio & Oratione pro defunctis. De Indulgentiis.

De Prædeſtinatione. De Imaginibus.

De intentione Papæ in erigendis Seminariis, contra libellum famoſum à quodam hæretico editum: ſub titulo: Juſtitiæ Britannicæ.

Apologia pro Sacerdotibus Societatis Jeſu, & aliis Seminariorum alumnis, adverſus duo Decreta Reginæ Eliſabethæ; in qua explicantur cauſæ inſtitutionis prædictorum Seminariorum, & cur Sacerdotes Catholici in Angliam mittantur. 8. Treviris. 1583.

Apologia Martyrum Angliæ &c. 4. Treviris 1588. per Henr. Bock.

Biblia Sacra è latino Anglicè vertit, una cum Gregorio Martino & Richardo Briſtoo Anglis Theologis; quæ & Remis ſunt edita: teſte P. Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro. Dein quoque Novum Teſtamentum ſic prodiit Antverpiæ 1600. Londini 1602. Pariſiis 1633.

Scripſit quoque ad Erneſtum Bavarum Leodienſem Epiſcopum, *Epiſtolam de miſerabili ſtatu & calamitate Regni Angliæ, ſervente ſchiſmate*; extat apud Chapeavillum in Geſtis Epiſcoporum Leodienſium Tomo III. pag. 588.

Sepultus fuit Cardinalis Alanus Romæ, in Templo Collegii Anglorum; addito hoc Epitaphio.

Deo trino & Uni.
GUILIELMO ALANO
Lancaſtrienſi,
S. R. E. Præsb. Cardin. Angliæ,
Qui extorris à Patria,
Perfunctus laboribus diuturnis,
In orthodoxa Religione tuenda
Sudoribus multis, in Seminariis
Ad ſalutem Patriæ inſtituendis,
fovendis, periculis plurimis,
Ob Eccl. Rom. opere, ſcriptis,
Omni corporis & animi contentione
Defenſam, hîc in ejus gremio,
Scientiæ, pietatis, modeſtiæ,
Integritatis famâ & exemplo clarus,
Ac piis omnibus charus, occubuit
XVII. Kal. Novemb. Anno
Ætat. LXIII. exilii XXXIII.
Sal. hum. M. D. XC. IV.
Inter lacrymas exulum pro Religione
Civium, perpetuum illorum effugium.
Gabriel Alanus frater,
Thomas Heſchetus ſororis filius,
Fratri, Avunculo Chariſſ.
Optimèque Merito
mærentes potuerunt.

GUILIELMUS ALTARIUS,

Carolomontanus, Arteſius, ſcripſit *Encomium Galliæ Belgicæ*, editum Antver. 1559.

GUILIELMUS AB ANGELIS,

Silvæducis natus anno 1583. Kalendis Septembribus, parentes habuit *Adrianum Van Engelen* & *Helenam Janſſens*, inter hæreticorum bellorumque tumultus, avitæ Religionis integritatiſque tenaciſſimos. Lovanium ad altiora ſtudia deſtinatus, inter Magiſtros Artium anno 1600. promotus eſt ſeptimus è Pœdagogio Porcenſi, in quo dein toto decennio Philoſophiam profeſſus eſt, ab anno nimirum 1606.

S. Th. Doctor renunciatus die 11. Octobris 1616. eodemque tempore Præſes Collegii, quod à Clariſſ. fundatore *Viglio Zuichemio* nomen obtinuit. Fuit & Profeſſor Ethices Chriſtianæ, Theologiæ in vicina Abbatia Parcenſi Lector, indeque per annos multos Pro-

Digitized by Google

feſſor ejuſdem Academicus, S. Facultatis Regens atque ad D. Petrum Canonicus.

Tum anno 1646, jam prope emeritus, Collegio Adriani VI. Pont. Præſes datur, ac paulò poſt, (renunciante *Henrico Caleno* Mechlinienſi Archidiacono) ad Ruremundenſes Infulas à *Leopoldo Guilielmo* Archiduce ac Gubernatore nominatur anno 1648. Sed dum Confirmationis Apoſtolicæ Diploma expectatur, ſupremum diem in ſuo Collegio obiit 5. Februarii 1649. pro funere laudatus à Collega *Antonio Dave*, S. T. D. oratione typis editâ. Fuit inter diſſenſiones ſuper damnatione doctrinæ Janſenianæ, S. Sedi religioſè addictus; unde & *Innocentius X.* Pont. ejus merita hoc expreſſit encomio: *ingenium in luce gradiens, veritati obſequens, ejuſque doctrina Religioni conformata &c.*

Scripſit vernaculo ſermone adverſus Miniſtros Silvæducenſes, nomen Catholici ſibi falſò vindicantes, hoc tit. *Den deckmantel des Catholycke naems, afgeruckt van de Calviniſten.* 8. Lovanii 1630. & alia quædam contra *Gisbertum Voetium*, pſeudo-Miniſtrum; qui cùm Paſtores Catholicos ad Diſputationem publicam ſuper Articulis controverſis provocaſſet, Doctores Lovanienſes, *Janſenius* & *ab Angelis* congreſſum acceptarunt; *ſi modo daretur locus utrique parti ſecurus, nulluſque adeſſet rerum divinarum imperitus judex*, &c. Sed Calviniſtæ non comparuêre.

GUILIELMUS APOLLONIUS,

Verienſis Zelandus, patre ibidem Conſule natus, Calvinianæ Sectæ Miniſter, primùm in Vico S. Annæ in Muda, tum Middelburgi ab anno 1631. ibique etiam in Schola (quam illuſtrem vocant) Theologiæ Profeſſor publicus. Deceſſit anno 1657. Adverſarium habuit *Nicolaum Vedelium*, in Academia Franekerana apud Friſios Profeſſorem Calvinianum, contra quem ſcripſit imprimis ſequentia.

Jus Majeſtatis circa ſacra, ſive Tractatum Theologicum de Jure Magiſtratûs circa res Eccleſiaſticas; oppoſitum Tractatui Vedelii de Epiſcopatu Conſtantini Magni. 8. Medioburgi 1642. & 1643. Tom. II.

Conſideratio quarumdam Controverſiarum ad regimen Eccleſiæ Dei ſpectantium. 8. 1644.

Grallopæus detectus, ſeu Epiſtola ad Jodocum Larenum de Grallarum Authore. 8. Mediob. 1646.

Diſputationes Theologiæ de Lege Dei, in quibus natura legis divinæ, proprietates, perfectiones, omneſque Controverſiæ explicantur, quæ orthodoxis cum Pontificiis, Socinianis, Antinomis aliiſque intercedunt, &c. Ibid. 1655. in 12. Opuſculum vel ex ipſo titulo damnandum.

Item pauca alia ſcripſit vernacula; fuſiùs à *D. Petro de la Rue*, Zelandiæ litterat. collectore anno 1734. relata.

GUILIELMUS DE AQUISGRANO,

Cognomento Zwers, aliàs Textor ſeu Textoris, Canonicus Eccleſiæ Imperialis Aquiſgranenſis, Eccleſiaſtes Baſileenſis, & in Erfordienſi Gymnaſio S. Theol. Profeſſor, ingenio ſubtilis, eloquio Scholaſticus, vitâ & converſatione præclarus, ut Trithemii verbis utar. Claruit anno 1485. regnante Frederico III. Imp.

Scripſit, recenſente eodem Trithemio, & Petro à Beeck in ſuo Aquiſgrano,

In Euangelium Joannis.
In Canonem Miſſæ.
De Paſſione Dominica.
Quæſtiones Diſputatas.
Itinerarium Terræ Sanctæ. MS. apud Regulares Tungrenſes.

Digitized by Google

Præparamentum hominis Chriſtiani ſe ad mortem diſponentis.

Sermones varios habitos in Eccleſia Baſileenſi.

Notandum tamen, in Hiſtoria Provinciæ Belgicæ PP. Auguſtinianorum, auth. R. P. Tombeur, eundem *Guilielmum Aquiſgranenſem* vendicari Ordini Auguſtiniano, dicique filium Conventûs Colonienſis, ac S. Theol. ibidem Doctorem.

GUILIELMUS ASSONLEVILLE,

Atrebas, Chriſtophori, Regii in ſacro Conſiſtorio Senatoris, filius, Bouchautii in Brabantia Toparcha, J. C. & Philologus, inde ab adoleſcentibus adhuc annis ob oculorum vitium anagnoſtâ uſus fuit, dum ſtudia Duaci & & Lovanii tractaret.

Obiit præmaturè anno 1597. v. Idus Junias, ætatis anno XXXII. Bruxellis in ſacello auguſtiſſimi Sacramenti conditus, curante funus, à variis adornatum, *Leone Meyero* Antverpiano, typis Plantin. 1599. 8. Superſtitem tamen etiamnum ſcripta nobis ſiſtunt:

Declamatio Quodlibetica, habita Lovanii anno 1588. tribus diſtincta Quæſtionibus: quarum I. *Utrum beatior ſit illa Reſpubl. in qua Princeps per ſe quidem ſapiens, nihil, aut certe parum, aliorum judicio tribuit: An verò illa, quæ tametſi Principem non ita induſtrium ſortita ſit, tamen Prudentum arbitrio eandem gubernari patitur?*

II. *An multitudo Doctorum, aut Juris Interpretum varietas, Juſtinianeis conveniat?*

III. *Utrum* Accurſii *Gloſſemata ad Jus Civile ſtudioſæ Legum juventuti ſint utilia?* Antver. typis Plant. 1589. 8.

Oratio Panegyrica de Annuntiatione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, Lovanii habita. Ibid. 1589. 8.

Atheomaſtix, ſive adverſus Religionis hoſtes Diſſertatio. Ibid. 1599. 8. à morte edita.

GUILIELMUS BECANUS,

Iprenſis, Flander, è Societ. Jeſu, Poëta & Orator inſignis, deſcripſit eleganti calamo, quà verſu quà proſâ,

Introitum Triumphalem Sereniſſ. FERDINANDI *Auſtriaci, S. R. E. Card. in Flandriæ metropolim Gandavum*, anno M. D. C. XXXIV. Antver. 1636. fol. apud Joan. Meurſium.

Item *Idyllia & Elegias:* quę extant cum Poëmatibus P. Hoſſchii.

Obiit Lovanii 12. Decemb. 1683.

GUILIELMUS DE BERCHEM,

Duyſliæ in Geldria natus, ac Nielenſis Eccleſiæ Paſtor, Protonotarius, atque Canonicus Eccleſiæ Colleg. S. Stephani Noviomagenſis, claruit anno 1466. ad quem perduxit

Compendium Chronicorum Geldriæ: è diverſis, ut præfatur, Chronicis in longum protractis. Multa interſerit ad externam etiam Hiſtoriam ſpectantia, ut de rebus in Flandria, Hollandia, & alibi geſtis. Incipit: *Creator omnium Deus.* &c. Viſum fuit aliquando Antverpiæ: ex eoque epitome brevis adſervatur Lovanii ad S. Martinum.

Ejuſdem *Hiſtoria captivitatis Adolphi Gelriæ Ducis* aſſervatur Noviomagi inter Archiva illius Ducatûs; teſte Val. Andrea.

GUILIELMUM BAUDARTIUS,

Deinſę Flandrorum anno 1565. natus, apud Batavos vixit multaque ſcripſit, in quibus tamen (ubi commodum eſt) ſe ſenſumque ſuum circa Religionem detegit; & inter alia Belgico, ſed terſo atque emaculato ſermone, *Apophthegmata* edidit: item volumina duo *Memoriarum Eccleſiaſticarum & ſæcula-*

rium Hiſtoriarum, ab anno 1603. ad an. 1624. Verùm pleraque talia admixta habet, quæ Catholici Cenſores & Lectores meritò damnent.

Ejuſdem *Polemographia Auraico-Belgica* edita eſt Amſtelodami apud Mich. Colinum, 1621. 4.

Item *les Guerres de Naſſau*, Amſtelod. 1616. apud Mic. Colin.

GUILIELMUS BERNARDI,

Ordinis Minorum Theologus, ſcripſit

De Sacrarum Literarum communione & ſenſu.

De Ritibus Catholicæ Eccleſiæ.

De Sepulturis. Pariſiis ſimul excuſa, 1547. 8.

GUILIELMUS BIBAUTIUS,

Tiletanus, Flander, fulmine territus, & ad inſtar D. Pauli ad melioris vitę ſemitam evocatus, factus eſt Carthuſiæ Vallis Regalis juxta Gandavum alumnus, inde Prior Domûs S. Mariæ apud Montem S. Gertrudis, ac tandem totius Ordinis Generalis anno 1521. electus; ſcripſit

Sermones & *Conciones Capitulares*, de Vitæ ſpiritualis profectu, ad Fratres; quæ à Cartuſianis in ſingulis ferè Domibus omnium teruntur manibus, ac typis excuſæ Antverp. in 4. 1654.

Obiit anno 1535. die XXIV. Julii, in majori Carthuſia, ubi tale ejus extat elogium.

D. O. M. S.

Occidis ereptus terris, GUILIELME BIBAUTI,
Maxima Carthuſiæ flenda ruina Domûs.
Heu ſubiti rerum lapſus! heu Parca ſuperba!
Quæ citius Patres ſternit ubique pios.
Hic vir erat ſpirans ſincero pectore Chriſtum,
Incumbens ſtudiis nocte dieque ſacris.
Hiſtorias ſanctas, arcanaque ſcripta legebat,
Pertæſus mundi, cœlica ſemper amans.
Nec tamen hoc ſtudium, pietas aut obſtitit iſta,
Ne fieret juris Mors truculenta tui.
Dena ſuæ vitæ numerarat luſtra peracta,
Hoc ſua cum legeret membra caduca loco.
Nam mens quæ tantum ſpectavit, ad aſtra volavit,
Inque tuo recubat, Chriſte benigne, ſinu:
Utque tuum quondam nobis nomenque decuſque,
Sic nunc Angelicis prædicat illa choris.

Vitam illius Lævinus Ammonius Cartuſianus ejuſdem Domûs Gandenſis, deſcripſerat: ſed quam temporum injuriâ, ac Cartuſiæ illius everſione periiſſe veriſimile eſt. Vide Theodorum Petreium in Bibliotheca Cartuſiana, & Notis ad Chronicon Cartuſ. Petri Dorlandi.

GUILIELMUS DE BLITTERSWYCK,

Bruxellenſis Patricius, primùm illius Urbis Scabinus, inde anno 1643. Catholicæ Majeſtatis in ſupremâ Gelriæ Ducatûs Curia Conſiliarius ac Pro-Cancellarius; tum anno 1662. Magni apud Mechlinienſes Conſilii Senator (ubi & mortuus eſt anno 1680.) eruditionis famâ celebris, J. C. Orator ac Poëta. Ab illo exaratæ fuerunt Inſcriptiones emphaticæ quæ hodiedum in ſuprema Senatûs Mechlinienſis Curia leguntur. E conjuge ſua *Guilielmâ Van Zinnicq* Bruxellenſi, numeroſam ac præclaram reliquit progeniem.

Vertit ex hiſpanico in latinum (ſuppreſſo tamen nomine) *Symbola Politica Chriſtiana*, fol. Bruxellis apud Mommartium 1649. iterumque Amſtelod. 1652. Opus inſigne Clariſſ. Viri *Didaci de Saavedra*, Hiſpani, quondam ad Tractatum Pacis Monaſterienſis Legati.

Edidit

Digitized by Google

Edidit *Diſſertationem de Rebus-Publicis.*

Item *Ruremundam vigentem, ardentem, renaſcentem*, pietate Alexandri VII. Pont. & zelo Epiſcopi Eugenii Alberti d'Allamont &c. Arſerat enim pene tota civitas die 31. Maii 1665. Porro Librum hunc in fol. dicavit Blitterswykius anno 1666. huic Pontifici, quem olim Coloniæ Nuncium familialiter noverat, quique ad ſupremam Orbis dignitatem evectus, filium ejus ſeptimo-genitum non eſt dedignatus in ſacro baptiſmatis fonte patrini officio honorare, dato nomine *Alexandri Septimii.*

Hic poſtmodum Societatem Jeſu ingreſſus eſt, unà cum *Carolo* fratre, qui omnium ſui ævi Concionatorum coryphæus fuit, obiitque Antverp. 14. April. 1705.

GUILIELMUS BOLOGNINO,

Antverpienſis, S. Theol. Licent. Philoſophiam Lovanii profeſſus, in Pœdagogio Falconis, ubi olim inter Magiſtros Artium promotus fuerat tertius in Curſu anni 1608. Poſtmodum ad D. Georgium in patria Parochus fuit, deinde in D. Virginis Cathedrali Canonicus, atque etiam librorum Cenſor. Vixit ad annum 1660. ſcripſitque patrio ſermone

Tractatum *De ementita Antiquitate Fidei ſeu Sectæ Calviniſticæ*, adverſus Miniſtros Silvæ-ducenſes. Antverpiæ, 1630. 8. apud Joannem Trognæſium.

De Judice Controverſiarum in materia Religionis. Ibid. 1638. 8. apud Meſium.

Funus reformatæ Cœnæ 1632. 8. apud Joan. Knobbaert.

Alaudam Spiritualem, ſive Cantilenas Flandricas, in honorem Chriſti & Sanctorum ejus. 8. Antv. 1645.

GUILIELMUS DE BONT,

Aliàs *Cuſtodis*, civis & J. U. Doctor naſcentis Academiæ Lovanienſis, ad quam è Facultate Artium Pariſienſi inter primos Profeſſores evocatus fuerat anno 1427. Fuit dein SS. Canonum Primarius Profeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri per ſex annos Decanus, Sacri Palatii Apoſtolici Cauſſarum Auditor, Archidiaconus Antverpienſis in Eccl. Cath. Cameracenſi, in D. Gudilæ Bruxellis & D. Petri Anderlechti Canonicus &c. Obiit Lovanii anno 1454, ſepultus ante Altare D. Andreæ ſacrum: Vir certè ævo iſto maximus, pro more illius ſcripſit

Quodlibetum de Uſuris, & emptione Redituum vitalium ac perpetuorum, recitatum Lovanii anno 1450. excuſum Pariſiis in 4. dein Lugduni in Oceano Juris Tomo VII. pag. 74.

De Contractibus Mercatorum, & De caſibus ad pœnam mortis lege imponendam.

Differentias Legum ac Canonum Quamquam Tractatus hic à nonnullis verius adſcribatur *Galvagno Beneventano*: ut alter de Contractibus &c. *Baldo Peruſino.*

Extiterunt etiam ejuſdem *Bontii* Lecturæ ſive Enarrationes ad Lib. II. priores *Decretalium* MS. Lov. ad S. Mart.

Avunculum habuit *Joannem de Bont*, J. U. D. primum Brabantiæ Cancellarium, in Eccleſia Leodienſi Archidiaconum Famennæ, in Cameracenſi Theſaurarium in D. Gudilæ Cantorem: qui fundatâ Domo XII. Apoſtolorum Bruxellis, anno 1453. è vivis abiit, magnus Lovanienſis Academiæ patronus.

GUILIELMUS BORLUUT,

Patricius Gandenſis, J. C. & in ſuprema Flandriæ Curia Advocatus, adoleſcens edidit Lugduni apud Gallos, Tornaſii typis, 1558. *Hiſtorias memorabiles ex libro Exodi, & ſequentibus.*

GUILIELMUS VAN DEN BOSSCHE,

Leodienſis, urbis Teneramundanæ Medicus, edidit *Hiſtoriam Medicam*, Bruxellis 1639. 4. cum fig.

GUILIELMUS BRANTEGHEM,

Aloſtanus, Flander, Cartuſianus Antverpienſis, (quæ modò Domus Liram vicinum opidum eſt tranſlata) edidit Antver. 1533. in 16. apud Mart. Cæſarem,

Enchiridion piarum Precationum, ex Veteri ac Novo Teſtamento, cum Iconibus: quod aliàs *Pomarium Orationum* vocatur.

GUILIELMUS BROCHÆUS,

Limburgius, Societ. Jeſu Theologus, eximiæ pietatis, Romæ nomen Societati dedit anno 1551. inter ipſa illius incunabula receptus à B. Ignatio. In Germaniam inde miſſus, Moguntiæ Theologiæ & SS. Litterarum arcana plurimis annis tractavit. Hinc variis pro Eccleſia Dei & Ordine ſuo laboribus ſuſceptis, Treviris ingraveſcentem annis ſpiritum piè ac tranquillè poſuit, die ultimâ Februarii 1583. Scripſit

Diſputationes de Orationis vi ac neceſſitate.

De Sacramentis novæ Legis.

De tribus bonorum Operum generibus.

De Oeconomia Verbi.

De Lege & libertate Chriſtiana.

De veritate Corporis Chriſti in Euchariſtia.

GUILIELMUS CANTERUS,

Natus eſt Ultrajecti, anno 1541. die XXIV. Julii, patre *Lamberto* Friſio Groningenſi, Juris Conſulto Clariſſ. ac Senatore, matre *Joannâ de Wyck* (quorum ipſe vitam lib. II. Novarum Lectionum cap. XXVI. breviter complexus eſt:) primùm in patria ſub *Georgio Macropedio* ſolida jecit linguæ utriuſque fundamenta. Deinde Lovanii datus in diſciplinam *Cornelio Valerio*, lateri illius hæſit annos quattuor.

Ætatis anno ſexto-decimo Galliam, Italiam, Germaniamque luſtravit, & in doctiſſimorum virorum, *Joannis Aurati* (quem in Græcis doctorem quoad vixit, coluit) *Caroli Sigonii*, *Fulvii Urſini*, *Antonii Mureti*, aliorumque amicitiam venit; quibuſcum omnis illi ſermo erat de litteris (Græcis præſertim, in quas naturæ quodam ductu ferebatur,) deque bibliothecis, libris benè inſtructis.

Lovanium demùm reverſus, privatim vixit, quò majus ſtudiis otium ſuppeteret, diemque partitus, horas antemeridianas lectioni, pomeridianas ſcriptioni applicabat: adeò quidem exactè, ut ſingulas ad clepſydram revocaret. *Semper ille in libris* (Juſti Lipſii verbis utor Cent. 1. Miſcel. Epiſt. 1. ad Cornelium Valerium) *chartis, noctu, diu, aſſiduus, accubuus: nec dies ſolùm omnes appenſi & numerati ad hanc curam, ſed horæ, quas ſingulas ad clepſydram dividere & attribuere ille ſolitus huic lectioni, aut huic ſcriptioni.*

Tandem in febrim lapſus, ac longâ tabe conſumptus, vitâ defunctus eſt piè ac Catholicè, anno 1575. ætatis XXXIII nondum completo, die XVIII. Maii: ſepultus in D. Jacobi, atque Epitaphio honoratus à *Theodoro* fratre, doctrinâ libriſque editis celebri. Scripſit porrò *Canterus*

Novarum Lectionum libros VIII. Antver. typis Plantin. 1571. 8. & Francof. in Lampade Critica.

Syntagma de Ratione emendandi Græcos Auctores. typis Plant. 1571. 8. &

Notas breves *in Epiſtolas Familiares Ciceronis.* Ibid. 1568. 1572. & aliàs.

Scholia brevia *in Propertium.* Ibid. 1569. 8.

Annotationes in Lycophronis Caſſandram; quam & Latinè ad verbum tranſtulit.

Epitomen Caſſandræ, græco-latinam,

Digitized by Google

Charles qui gouverna l'Empire de son nom
Mais plus Philippe que Charles
Et qui sous le Pourpre Romain
Mena le Prince et l'homme
Roma in the Escurial 1st ed.

Digitized by Google

Digitized by Google

Carmine Anacreontio. Basil. typis Oporini, 1566. 4.

Pepli Fragmentum, sive *Heroum Homericorum Epitaphia*, auctori suo *Aristoteli* primus restituit, Latinè vertit, Annotationibus auxit. Ibid. typis Guarini, 1566. 4. & Antver. apud Plantinum, 1571. 8.

Pythagoreorum quorundam *Fragmenta Ethica*, è Stobæo desumpta, Græco-lat. apud Oporinum, 1566. 4.

Aristidis Orationes, Latinè reddidit, Tomis III. Basil. 1566. fol & Græco-lat. apud Paulum Stephanum, 1603. 8.

Gorgiæ Orationes II Thucydidis I. Lesbonactis I. Andocidis I. Herodis I Antisthenis I Lysiæ I. Dinarchi I Alcidamantis I. Basil. typis Pernæ, 1566. fol. cùm Aristide.

Synesii Orationes aliquot: *De dono ad Paconium Conciones II. Constitutiones* item *duas*, *& Hymnos aliquot*. Ibid. 1567. 8. edente Oporino.

Joannis Stobæi Eclogarum libros II. quorum prior *Physicas*, posterior *Ethicas* complectitur.

Gemisti Plethonis De Rebus Peloponnesiacis Orationes duas: & libellum *de Virtutibus*. Antver. 1575. fol. Plantini typis.

Concinnavit etiam *Variarum in Græcis Bibliis Lectionum libellum*, cum Bibliis Regiis editum.

Ad hæc *Euripidis*, *Sophoclis & Æschili Tragœdias* à mendis repurgatas dedit, ostensâ Carminum ratione, antea aut ignoratâ penitus, aut obscuriore; unà cum *Sententiis* aliquot insignioribus à Cantero Latino versu redditis, typis Plantini, 12.

Denique admodum adolescens ex Italicis Latio reddit *Orationes Funebres* auctoris incerti *in Obitus* aliquot *Animalium* Lugduni Batavor. excudit Raphelengius, 1590. 8.

Vitam *Canteri* pluribus complexus est Suffridus Petrus libro de Scriptoribus Frisiæ. Consule etiam P. Niceronum in Notitia Scriptorum illustrium, Tomo XXIX. pag. 334.

Nobili, variâquê Eruditione,
Utriusque Linguæ Monumentis
Claro Viro
GUILIELMO CANTERO,
Ultrajectino,
Qui XXXIII. annos natus,
Minus LXVI. Diebus
Obiit XV. Junii, M. D. LXXV.
Fratri suo Carissimo
THEODORUS CANTERUS Posuit.

Mortuus ante diem, longo dignissimus ævo
GUILIELMUS *heu!* CANTERUS,
heu meus occidit.
Quo mihi discipulo juvenis non carior alter,
Quo jam Viro conjunctior nemo fuit
Huic studium à puero conjungere Græca Latinis;
Sermone linguam excolere, pectus artibus:
Exarare stylum, Doctorum volvere scripta,
Notare & observare passim plurima.
Ardua debinc adiit mysteria fontis Hebræi,
Linguâ expolitus omnium sanctissimâ.
Hei mihi quantus erat graviore ætate futurus!
Qui lustra sex annosque tres modo vixerit.
Occidit ille quidem ante diem, sed docta manebunt
Monumenta, multis comparata laboribus.
CORNELIUS VALERIUS
Discipulo carissimo posuit.

GUILIELMUS CAOURSIN,

(Quem alii *Canoersinum* aut *Courinum* appellant, sed malè) Duaci natus, patre è Rhodiensi insula oriundo; per annos XL. Ordini Equitum S. Joannis Jerosolymitani (qui olim *Rhodienses*, nunc vero *Melitenses* dicuntur) operam suam summâ fide integritateque addixit. Vice-Cancellarius Ordinis ab anno 1462, Legationes obivit varias, tum ad Rempublicam Venetam, tum Romam ad Paulum II. & Innocentium

VIII. Pontif. titulum *Comitis Palatini ac Secretarii Apoſtolici* promeruit; tum denique ad Ferdinandum quoque Neapolitanum Regem.

Diem clauſit extremum anno 1501. in Rhodienſi Inſula, poſteaquam ediditſet

Obſidionis Rhodiæ Urbis (quæ anno 1480. contigit) *deſcriptionem.*

De terræ motûs labe, quâ Rhodii affecti ſunt.

Orationem in Senatu Rhodiorum, de morte Magni Turcæ, habitam pridie Kal. Junias 1481.

De caſu Regis Zyzymi, Commentarium.

De celeberrimo fœdere cum Turcorum Rege Bagyazit per Rhodios inito, Commentarium.

De admiſſione Regis Zyzymi in Gallias, & diligenti cuſtodia & aſſervatione, exhortationem.

De tranſlatione ſacræ dextræ S. Joannis Baptiſtæ ex Conſtantinopoli ad Rhodios, Commentarium.

Orationem ad Innocentium VIII Papam, habitam 1485.

De traductione Zyzymi Suldani, fratris Magni Turchi ad Urbem, Commentarium.

Volumen Stabilimentorum Rhodiorum Militum ſacri Ordinis Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani; probatum ab ipſo ſupremo Magiſtro *Petro d'Aubuſſon*, totoque Equitum conventu anno 1494.

Opera hæc omnia ſimul edita Ulmæ in Suevia anno 1496. uno Vol. in fol. cum fig. Agit etiam de Caourſino Notitia Virorum illuſtr. P. Niceroni Tomo XV. p. 142.

GUILIELMUS CODDÆUS,

Natus Lugduni apud Batavos, anno 1575. puer in patria ſtudiis admotus, præter alias, Hebraïcam in primis linguam coluit & didicit, manuductore uſus ad eam rem Franc. Raphelengio, cui in Profeſſione illa defuncto ſucceſſor datus fuit an. 1601. Edidit

Notas breves *ad Grammaticam Hebræam Petri Martinii.* Lugduni, 1612. 8. typis Raphelengii.

Hozeam Hebraicè & Chaldaïcè, cum *Notis* Ibid. 4.

Orationem Funebrem, Rudolphi Snellii, Mathematici, laudibus dicatam.

Catalogum librorum omnium Arabicorum, Chaldaïcorum, Syriacorum & Hebraïcorum, qui aut allegantur, aut tam inediti quam editi, extant.

Alia recenſet in Athenis ſuis Batavis Joannes Meurſius. Porrò à profeſſione ſua Hebraïca abſolutus fuit Coddæus die 31. Auguſti 1619. neque diu ſupervixit.

GUILIELMUS CORDIER,

Lobienſis, Poëta, edidit libellum

De Varia Fontium quorumdam natura, Fluminibus, & Anni partibus. Binchii, 1544.

GUILIELMUS CORENHUYSIUS,

Balliolanus, Flander, in Comitio Flandriæ Cauſarum patronus: Vir inſignis litteraturæ, & linguæ utriuſque cognitione non vulgari præditus: quæ illi ad Juriſprudentiam & honores aditum patefecit. Namque ex Advocato primùm in Hollandiæ, deinde Flandriæ Curia Senator, ac demùm anno 1605. ejuſdem Flandrici Concilii Præſes conſtitutus fuit. Vivere deſiit Gandavi anno 1617. Exſtat, illo auctore,

Pandectarum ſeu *Digeſtorum Juris Civilis Partitio & Methodus*, edita typis Plantini, 1565. 8. & Gandavi, apud Jac. Vivarium.

Digitized by Google

GUILIELMUS CRIPIUS,

Batavus, ex Syndico Delfenſi in ſuprema Hollandiæ Curia Senator, indeque Geldriæ Cancellarius: Vir eloquentiæ laude clarus, Poëta argutus, lepidus ac feſtivus, id quod monſtrant edita ejus aliquot *Epigrammata*. Præfatur ad Mich. Marulli & Joannis ſecundi Poëmata, anno 1561. evulgata.

Ejuſdem elegans exſtat libellus pro *Conſolatione Cœcorum*.

Poſtquam Conſilium Geldricum Arnhemo tranſlatum eſſet Ruremundam, ac Cancellarii officium diu vacaſſet, creatus eſt Cancellarius 15 Septembris 1582. Obiit grandævus 25. Januarii 1610.

GUILIELMUS CRIPIUS,

Gelder, Guilielmi Filius, Hiſtoriæ Poëticeſque cognitione excellebat. Moliebatur librum *De Præeminentia Regis Catholici Hiſpaniarum*: ſed hæſiſſe credo in incœpto, morte citâ ſublatum. Tantùm viſa ab illo *Vita S* GERLACI, ab anonymo circa annum 1230. conſcripta, in epitomen redacta, Coloniæ an. 1607. excuſa.

GUILIELMUS CUP,

Bommeliæ apud Gelros natus anno 1606; in Academia Friſio-Franekerana J. U. Doctor ac Profeſſor primarius, ſcriptis & eruditione celebris. Reliquit

Diſſertationum Juris faſciculum. 8. Franeker. 1664.

Diſſertationes ad Inſtituta. 8. Ibid.

Inſtitutiones Juris. Ibid.

Diſputationem de Lege Falcidia 4. Ibid. 1649.

Diſputationes XXVI. de Succeſſionibus. 4. Ibid. 1651.

In templo primario Franekerano legitur hoc illius Epitaphium.

Hoc Saxo continentur oſſa
Viri Clariſſimi
GUILIELMI CUP, J. U. D.
Ejuſdemque Facultatis, dum viveret,
Profeſſoris apud Friſios Primarii;
Nati Bommeliæ,
Denati Franekeræ XVI. Jan. 1669.
Ætat. 63. beatam reſurrectionem
Cum fidelibus expectantis.
In chariſſimi patris ſui
Memoriam
Mœſtus poſuit filius
Winandus Cup, J. U. D.

GUILIELMUS DENYS,

Ordinis FF. Erem. S. Aug. S T. L. Brugis, Antverpiæ, Angiæ, ac demum Herendaliæ primus Prior. Obiit Antverpiæ Jubilarius anno 1653. 25. Septembris.

Scripſerat *Epicedium Ferdinandi II. Imp.* editum Ipris 1631.

GUILIELMUS DIVES,

Sive RYCQUIUS, Gandenſis, Poëta ſacer,

Elegiam de Paſſione Domini edidit Antverpiæ, cum Dominici Mancini, Philippi Beroaldi, & aliorum ſimilis argumenti libellis, 1517. Mich. Hillenii typis, & aliàs alibi.

GUILIELMUS DUPASIUS,

Vulgò DUPAIS, Gemblacenſis, Religioſus & anno 1552. Abbas Floreffienſis, Ordinis Præmonſtratenſis Diœceſis Namurcenſis, variarum diſciplinarum, atque in primis politioris litteraturæ admodum peritus; ſcripſit *Poëmata ſacra*, Leodici, 1577, 8. apud Morberium excuſa.

Obiit anno Domini 1578. regiminis XXVI. Leodici, quò ob bellicos tu-

multus ſeceſſerat. Vide Miræum in Chronico Ordinis Præmonſtratenſis, ad annum 1576.

GUILIELMUS DYEMENUS,

J. C. natus eſt Roterodami, anno 1508. è Gelrica ſtirpe & antiquâ & nobili. Adhuc puer â patre Lovanium ablegatus fuit, primariis illic linguis ac diſciplinis honeſtioribus informandus. Ità ad Juriſprudentiæ adyta aditum ſibi fecit, eâ contentione atque induſtriâ, ut à Juris, ut vocant, Baccalaureis Collegii illius Decanus ſive Præſes electus fuerit, quæ prima inter eos dignitas eſt.

Lovanio relicto, aliiſque Chriſtiani orbis Academiis perluſtratis, Aurelias, Gallicorum in Academiam, venit. Hîc Nationis Germanicæ Procurator, Carolum V. Cæſarem illac tranſeuntem, inſigni ſtudioſorum Germanorum coronâ venientem excepit, ac decedentem proſecutus fuit. Doctor ibidem Juris renuntiatus, in Belgium rediit, & è ſchola, in forum Machliniæ prodiit.

Hinc eundem evocavit Carolus V. Imp. & anno 1535. in ſuprema Veteris Trajecti Curia Senatorem, Parvæque, ut vocant, Rotæ Præſidem conſtituit: quo in munere annos ipſos XLVIII. verſatus fuit, ſumma cum laude, gratiâ, & auctoritate.

Deceſſit ex hac vita, fractus annis ac laboribus, oculiſque captus, anno 1583. V. Idus Novembris.

Vir fuit ad enucleanda Legum ſcripta, expediendaſque difficultates natus, ſolidæ atque exquiſitæ eruditionis, judicii exacti, memoriæ pænè divinæ: & quod ſummum eſt, vitæ integer, Orator & Judex bonus. Scribendi genere utebatur puro & eleganti, uti apparet ex iis, quæ ab *Arnoldo* filio edita ſunt:

De formulis quibuſdam Copulatis & Diſjunctis, ad Salvii Juliani locum, ex libro De Ambiguitatibus; Lovanii, 1606. 4. apud Maſium.

Ad Regulas Juris Romanorum antiqui, Lugduni Batavor. 1616. 8. quibus præfixum *Dyemeni* Elogium. Aliaque filius poſſidere ſolebat; nempe *Commentarios* juſti operis *ad Inſtitutiones Juris Juſtineaneas*: breveſque *Annotationes* ad eaſdem.

Tractatus complures; *De Imperio & Juriſdictione.*

De Officio ejus, cui mandata eſt Juriſdictio.

De V. pedum Præſcriptione non ſublata.

De Rerum ac Verborum ſignificatione.

Anti-Paratitla contra Cujacium.

Notas varias; *ad Bartolum*, *ad Accurſium*, &c.

Item ad T. *Livium*, *M. Varronem*, & *Hiſtoriam Livianam.*

GUILIELMUS VANDER ELST,

Flander, Presbyter & Paſtor in Bouchaute ac Waterdyck, edidit

Poëmata ſive *Rythmos Belgicos*, diverſi ſtatûs hominibus dicatos. Antver. apud Verduſ. 1622. 4.

GUILIELMUS AB ENCKEVOIRT,

Trajecto ad Moſam oriundus, natus eſt in Mierlo Brabantiæ municipio, fuitque primò Canonicus B. M. Antverpienſis, Præpoſitus D. Rumoldi Mechliniæ (ubi & hodie ſubſiſtit duplex hujus Præſulis Fundatio) Decanus S. Joannis Euangeliſtæ Sylvæducis, nec non Perſona ſeu Paſtor Eccleſiæ Aſcanæ, juxta Bruxellam; quem Perſonatum unà cum bonis decimiſque annexis anno 1534. à Paulo III. Pont. Collegio Lovanienſi Adriani VI. Papæ incorporari obtinuit: cujusproinde velut alter Fundator habetur.

Fuit & Præpoſitus ad S. Salvato-

Digitized by Google

rem Ultrajecti, reſignante *Adriano Florentii*, tum Cardinale; ab eodemque jam Pontifice Romano Libellis Supplicibus dandis ac ſubnotandis (*Datarium* vulgo vocant) præfectus, Eccleſiæque Dertuſenſi in Hiſpania Antiſtes datus, ac demùm in Collegium Cardinalium die ante obitum Adriani decimotertio ſolus cooptatus. A Clemente verò VII. Eccleſiâ Trajectenſi ad Rhenum honeſtatus, Romæ diem clauſit extremum anno 1534. die XIX. Julii, in Ædc ſacra S. Mariæ de Anima depoſitus. In Nomenclatore Cardinalium, Toloſæ anno 1614. excuſo, traditur ſcripſiſſe

Orationem ad Facultatem S. Theologiæ Lovanienſem.

WILHELMO ENCHEVOIRTIO
Brabantino,
S. R. E. Presb. Card.
Qui plurimis Romanæ Reipub.
Magiſtratibus & Germaniæ Procuratiõe
Integerrimè functus,
Ab Hadriano VI. Pont. Max.
Cujus item res adminiſtraverat,
Libellis dandis,
Et Eccleſiæ Derthuſenſi præfectus,
Et in Cardinalium Collegium,
Claro benevolentiæ indicio,
Tranſlatis in eum
Priſtinæ ſuæ dignitatis inſignibus,
Solus cooptatus.
Deinde etiam à Clemente VII.
Eccleſiâ Trajectenſi honeſtatus eſt:
Carolo V. Imp. libentiſſ.
Quem ab illo Coronam Imperii
Accipientem inunxit,
Quique beneficiorum memor,
Hadriani cadaver
E Petri Baſilica in hanc Ædem
Cujus conſtruendæ & ornandæ adjutor
Fuit, Sepulcro poſito transferri curavit.
In egenos & in omnes homines benefic.
JOANNES DOMINICUS Tranenſis,
ANTONIUS SANSEVERINUS Cardinales
Et PETRUS VORSTIUS Epiſcopus
Aquenſis,
ANDREAS CASTILLO Scriptor Apoſt.
Ex teſtamento poſſ.
Vixit annos LXX.
Mortem obiit M. D. XXXIV.

GUILIELMUS ESTIUS,

Gorcomii natus, non ignoto Hollandiæ opido, patre *Heſſelio*, viro admodum Catholico & Orthodoxæ Religionis ſtudioſiſſimo, de vetuſta nobilium olim Arcis Eſtenſis, haud procul Tilâ in Batavis, Toparcharum ſtirpe: unde cognomentum & inſignia apud poſteros manſerunt. Puer Ultrajecti litteris politioribus linguiſque ſub *Georgio Macropedio* eruditus eſt. Lovanii in ſtudiis Philoſophicis feliciter inſtitutus, anno 1561. inter Magiſtros Artium ſeptimo loco promotus eſt è Pœdagogio Falconis, in quo dein toto decennio Philoſophiam docuit.

Poſtmodum S. Theologiæ Doctor anno 1580. creatus, mox Duacum accerſitur, Regioque ibidem Seminario primus Præſes datur. Anno 1597. ad D. Petrum Præpoſitus, & Univerſitatis eo nomine Cancellarius ſalutatur: Vir ſanè multis pietatis, doctrinæ & eloquentiæ, modeſtiç chriſtianæ, atque in pauperes beneficentiæ, nominibus ſuſpiciendus.

Lovanii adhuc exiſtens operam quoque ſuam contulit in *D. Auguſtini Opera*, ſtudio Lovanienſium caſtiganda; & Tomum IX. è manuſc. recenſuit. Scripſit præterea

Martyrium Edmundi Campiani, Societ. Jeſu, è gallico. Lovanii 1582. 8. apud Maſium.

Hiſtoriam Martyrum Gorcomienſium XIX. majori numero Fratrum Minorum, (quorum Guardianus *Nicolaus Pickius* Eſtii erat avunculus) an. 1572. à Geuſiis rebellibus interemptorum. 8. Duaci

1603. Namurci 1655; dein integrè inſertam Actis SS. ad diem X. Julii (quo prædictorum Martyrum feſtum colitur) anno 1721. per PP. Hagiographos Societ. Jeſu. Eam quoque vernaculam reddidit *P. Guilielmus Spoelbergh*, Minorita, Antverpiæ typis Plantini, in 8.

Martyrium item *Guilielmi Gaudani*, Minoritæ, ac *Cornelii Muſii*, Delphii, Theologi ac Poëtæ. Excudit Duaci Balthaſar Bellerus, 1603. 8.

Commentarium incomparabilem nullique ſecundum, *in omnes B Pauli Epiſtolas*: cujus editioni immortuus eſt. Prodiit verò à morte, Ex. Viri *Bartholomæi Petri* curâ, *cum Auctario ejuſdem in Epiſtolas Joannis Canonicas*, Tomis II. typis ejuſdem Belleri, & Coloniæ, 1631. fol. & aliàs Pariſiis ac Rothomagi.

Commentarios in Libros IV Petri Lombardi, vulgò *Magiſtri Sententiarum*: quibus *S. Thomæ Aquinatis Summa Theologica* pariter illuſtratur. Ibid. 1615. fol. Tom. II. & alibi. Opus abſolutiſſimum, & quo in re Theologica, poſt S. Thomæ Summam, (teſte *Mart. Steyartio*) non datur magis eruditum ac elaboratum.

Annotationes in præcipua ac difficiliora S. Scripturæ loca. Ibid. fol. 1621. & auctiùs 1628. ſtudio *Gaſparis Nemii* S. T. D. dein Archiepiſcopi Cameracenſis; item Coloniæ 1632. 4. & aliàs ſæpius.

Orationes Theologicas XIX. 1614. 8.

Eſtio quoque, tanquam authori principali, famoſa adſcribitur *Cenſura Facultatis Theologicæ Duacenæ*, adverſus Doctrinas Leſſii, Hamelii, aliorumque Societatis Jeſu Theologorum.

Denique, inter alia Carmina, Elegiam luſit elegantem *de Libera Religione* apud Molanum de Fide hæreticis ſervanda libro I. cap. XXII. & Verſus aliquot *de Agno Dei*, in Oratione ejuſdem de Agnis Dei cap. XIII.

Moritur Duaci, non ſine ſanctitatis opinione, anno 1613. ætatis LXXII. XII. Kalendas Octobris: depoſitus in Æde ſacra D. Petri, ad Altare S. Sepulchri, Epitaphio laminæ æreæ inſculpto.

Deo Sacrum.
GUILIELMUS ESTIUS,
Ex Gorichemio, Hollandus,
S. Theol. Lovanii Doctor,
Et Duaci Profeſſor,
Simulque Regii Seminarii Præſes
Annis XXXI.
Ac hujus Eccleſiæ Præpoſitus,
Eoque titulo
Univerſitatis Cancellarius annis XVIII.
Pietatis, Doctrinæ, Modeſtiæ,
Beneficentiæ, ſpeculum,
Hic ſepultus eſt.
Deceſſit XX. Septembris M.D.C.XIII.
Ætatis ſuæ LXXII.
Gratulare ſpectator, & piè precare.

Cenotaphium quoque amico poſuit Andreas Hojus, vitæ ſeriem verſibus hiſce complexus.

Patria Gorcomium *eſt*; *qui me eduxêre parentes*,
Hic ſtirpe Eſtiades, Pikias *illa fuit.*
Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honeſtæ;
Tota ſtetit priſca pro pietate domus.
Trajectum *antiquis Rheni contermina ripis*,
Muſarum ingenuis artibus erudiit.
Lovanium *in Sophiæ Stagiritidis ardua luxit*,
Et titulo ornavit duplice Theologum.
Ad Cathedram & regimen Schola me Catuaca *vocavit*:
Ædè Petri geſſi munia Præpoſiti.
Ter denis ſpartam geminam, haud inglorius, annis
Doctor, uti & Præſes Regius excolui.
Doctrinæ ingeniique mei monumenta relinquo:
Unde mihi, invitâ morte, perennet honos.

GUILIELMUS FABIUS,

Vulgò Boonaerts, Hilvari-Becanus, Medicinæ Licentiatus, Antverpiæ

verpiæ annis aliquot Scholas rexit litterarias, diſcipuloſque ſuos ſanâ de Fide doctrinâ inter tumultuantes ibidem hæreticos erudiit. Hinc Lovanium migravit, Græcarum literarum in Trilingui Collegio Buſlidiano Profeſſor. Concinnavit ex Varennio, Rulando, aliiſque,

Epitomen Syntaxeos Linguæ Græcæ, editam Antverpiæ 1584. 8. apud And. Baium.

Obiit Lovanii 1590. die XXVIII. Maii, occiſus à petulantibus ſtudioſis per noctem graſſantibus.

GUILIELMUS FABRICIUS,

Noviomagenſis Gelder, Philoſophiam Lovanii in Pœdagogio Caſtrenſi profeſſus, anno 1594. die 30. Auguſti S. Th. Doctor renunciatur, unà cum Reverendiſſ. dein Præſulibus *Joanne Maldero* Antverp. *Petro Lombardo*, Armachano, & *Jacobo à Caſtro*, Ruręmundenſi.

Huic poſtremo ſucceſſit anno 1605. in regimine Collegii Majoris Theologorum, fuitque ſimul Apoſtolicus & Regius Librorum Cenſor, nec non ab anno 1625. poſt *Jacobum Janſonium* Eccleſiæ D. Petri Decanus, & Privilegiorum ejuſdem Academiæ Conſervator. Moritur vehementi apoplexiâ correptus, anno 1628. die feſto D. Thomæ Aquinatis, dum è templo PP. Prædicatorum, audito ejuſdem Sancti encomio domum redit. Ediderat

D. Leonis Magni Enarrationem in Dominicam Paſſionem, è variis ejus locis ac Sermonibus erutam, digeſtamque juxta ordinem Euangelicæ narrationis.

Iſagogen ſive Introductionem in eandem, ex ejuſdem D. Leonis Operibus concinnatam. Quibus & ſuas adjecit *Annotationes*. Lovanii apud Joan. Maſium; 1600. 8.

Evulgata eſt ibidem, eodem auctore, quamvis ſuppreſſo nomine etiam loci ac typographi, *Confutatio Cenſuræ quorumdam Theologorum Pariſienſium*, ſub nomine Facultatis Theol. Pariſ. editæ, *in quaſdam Propoſitiones ex R. P. Santarellæ libris collectas*, 1627. 4.

Ejus Elogium, quod vice Epitaphii ſit, *Ludovicus Medardus*, ad S. Petrum Canonicus, his verbis eleganter expreſſit:

GUILIELMI FABRICII
Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Divi Petri
Decani Pacifici,
Privilegiorum Almæ Univerſitatis
Lovanienſis Conſervatoris Integerrimi,
Librorum Auctoritate Apoſtolicâ &
Regiâ Cenſoris Exactiſſimi,
Majoris Theologorum Collegii
Præſidis Vigilantiſſimi,
Doctrinæ, pietatis, innocentiæ,
Theologis, Canonicis, Eccleſiaſticis,
Ad imitationem veri Exemplaris,
POSTHUMA DENATI VOX.

O Hi me! quàm verè velut aqua delabimur omnes! Non ſic Undam Unda, ut Mors Vitam, propellit. Exemplum quęris Viator? à me ſumas licet. Sanus ſoſpeſque eodem penè momento & Vivo & Morior, nullâ vivæ actionis, præter placidos Mortis ſingultus, intercapedine. An non potui meritò tam feſtinâ & inopinâ morte infelix videri? Et potui & debui; niſi Doctrinæ & Virtutis currum aurigante candore, me ſub Cenſoria meorum conſtanter actuum pluſquam Librorum virgula, in ſuavi optimæ conſcientiæ pulvillo confidentem, Cenſor ille ſupremus, qui ſcrutatur renes & corda, ex miſerrimo Tempore ad beatiſſimam Æternitatem tranſvexiſſet. Abi jam, Viator, meique memor ac tui, ſic Vitam inſtrue, ut quocumque te loco Mors occupaverit, neque novum tibi ſit, neque ſubitum vel in momento MORI. Etenim qui ſic vixit, etiam mortuus, numquam vivere deſiit.

GUILIELMUS FANNIUS,

Leodii ad S. Maternum Canonicus, vixit anno 1608. ſcripſitque

Chronicon Univerſale, potiſſimùm hujus Patriæ.

De Vita B. Julianæ, Virg. Cornelienſis, *& Inſtitutione Feſti Ven. Sacramenti.*

Vitam S. Annæ. Legebantur hæc, manu auctoris ſcripta, apud *Joannem Rivium*, S.T.D. Auguſtinianum Lovanii; & fortè hodie latent ibidem.

GUILIELMUS FILLATRE.

(Dictus etiam DE LATRE, ſed minùs rectè) Burgundus, ex illicitâ quidem copulâ natus erat; verumtamen defectum hunc natalium virtus, doctrina ac dignitates ejus primariæ abundè compenſarunt. Fuit primùm Monachus Benedictinus in Cœnobio S. Petri Catalaunenſi; inde Prior Cermaſii in Barrenſi Ducatu, Abbas S. Theodorici Remenſis, ac paulò pòſt S. Bertini Audomarenſis.

In Academia Lovanienſi Decretorum Licentiatus admittitur anno 1436. die XIV. Januarii, eodemque menſe Doctor. Anno ſequente inauguratur Virdunenſium Epiſcopus; anno 1449. Tullenſis, & 1461. Tornacenſis; commendante imprimis Philippo Bono, Burgundiæ Duce, cui à conſiliis intimis erat *Fillatrius*, ſimulque Cancellarius inclyti Ordinis Aurei Velleris, à Philippo haud pridem inſtituti: variis quoque Legationibus clarus, tum ad Pium II. Pont. tum ad alios plures, Reges ac Principes.

Præter *Orationem*, quam dixit Brugis in funere *Ducis Philippi Boni*, (quæ forte extat alicubi MS.) ſcripſit gallicè de Ordinis Aurei Velleris Origine, magnanimitate Regum Franciæ ac Ducum Burgundiæ. En titulum.

La Toiſon d'or, auquel ſoubs les vertus de magnanimité & juſtice, ſont contenus les haults, vertueux & magnanimes faits, tant des tres-Chreſtienes Maiſons de France, Bourgogne, & Flandres, que d'autres Rois & Princes de l'ancien & nouveau Teſtament. fol. Pariſiis 1517. item Trecis in Gallia apud Nicol. Rouge, 1530.

Notet vero Lector, argumenti ejuſdem Opus, gallicè ſcriptum, tribui ab aliis *Joanni* Abbati ad S. Bertinum Audomaropoli (ita Arn. Wionus in Ligno vitæ) ab aliis vero *Antonio de Berghes*, illic itidem Abbati: de quo ſuperiùs actum.

Porro Præſul *Fillatrius* Gandavi vitâ functus eſt anno 1473. die 23. Auguſti, ac teſtamento voluit in Abbatiali ſua Eccleſia ad D. Bertinum humari; ubi poſita hæc epigraphe.

Abbas quiſquis erat clarâ Wilelmus in aula,
Hoc jacet in templo, cui bona multa tulit.
Virduni fuit hic Præſul, Tullique deinceps,
Indeque Tornaci per pietatis opus.
Hic Ducis invicti Burgundi in Sede Philippi
Conſilii primus, qui bene noſſet, erat.
Sic omnes morimur: ſed virtus ſola beatos
Efficit, illa comes, Teque Guilelme, beat.

GUILIELMUS FULLONIUS,

Sive GNAPHEUS, (hoc enim cognomentum Græco vocabulo expreſſit) Hagienſis, Gymnaſiarcha Elbingæ ac Regiomonte apud Sarmatas. Præfuerat & antea Scholæ quoque patriæ, atque Alberto Marchioni Brandeburgico à conſiliis fuit. Excelluit in Comico ſcribendi genere, Comicique numeros omnes in eo argumento *Gnapheum* expreſſiſſe auctor eſt in Batavia ſua Adr. Junius. Scripſit autem

Eloquentiæ Triumphum, vario metro: Gedani, 1541. 4. & Coloniæ apud Gymnicum 1551.

Acolaſtum Comœdiam, *de Filio prodigo.* Ibid. 1540. & Antver. 1560. apud Joan. Loëum.

Miſobarbarum Comœdiam.

Hypocryſin, Tragi-Comœdiam, &

Digitized by Google

alia, in quibus abortivum ſe Eccleſiæ filium prodit, ac præſertim

Vitam Joannis Piſtorii à Woerden, qui apud Batavos ob hæreſin anno 1525. exuſtus fuit: & *Apologiam pro captivo Wordenate*, &c. Hanc anno 1659. è MS. evulgavit Leidæ in 12. *Jacobus Revius.*

GUILIELMUS GALLANDIUS,

Aërienſis, Arteſius, *Petri Gallandii* è fratre nepos, Boncurtiani Lutetiæ Pariſiorum Gymnaſii Præfectus ac bonarum Litterarum Profeſſor, ibidem deceſſit anno 1612. in Sacello Boncurtiano ſepultus. *Petrum Ronſardum* Poëtam celeberrimum intimè coluit, ſcripſitque

Orationes aliquot & *Poëmata* varia, 8.

GUILIELMUS GAZET,

Atrebas, S. T. L. quondam Lovanii in Vaulxiano Gymnaſio Litterarum Profeſſor, inde Canonicus S. Petri Aërienſis, Paſtor ad S. Mariam Magdalenam Atrebati in patria, in Hiſtoria Eccleſiaſtica, præſertim Belgii, multùm verſatus. Quam & populari idiomate illuſtravit, ſerie Epiſcoporum & Sanctorum in Belgio, Cœnobiorum fundationibus, aliiſque linguę ſuæ hominibus tranſcriptis. Sunt autem

Vitæ Sanctorum Tomis II. Remis, 1613. 8.

Speculum Conſcientiæ. Duaci apud Bellerum.

Sacrum Convivium; id eſt Exercitia de SS. Euchariſtia. Ibid.

Exercitia Spiritualia, & *Litaniæ*, per ſeptimanam. Accedunt Preces quotidianæ *B. Joſcionis* Monachi Benedictini ad S. Bertinum. Atrebati, Duaci, Montibus 1641. Inſulis 1644. &c.

Remedia contra ſcrupulos Conſcientiæ.

Catalogus Epiſcoporum Atrebatenſium & Cameracenſium.

Hiſtoria ſacræ Lanæ, (vulgò *Manna*) adſervatæ in Cathedrali Eccleſia Atrebatenſi. Meminit illius S. Hieronymus in Chronico, ad annum 270. & Paulus Oroſius libro VII. & alii.

Hiſtoria Cerei Atrebatenſis. De quo Aub. Miræus ad Anſelmi Gemblacenſis Abbatis Chronicon, anno 1129.

Tabulæ ſacræ Galliæ-Belgicæ, ſive Series Epiſcoporum ac Sanctorum Belgii.

Bibliotheca ſacra Belgica. Omnia hæc Atrebati, apud Guil. de la Riviere gallicè ſunt evulgata.

Magdalim Comœdiam ſacram, à *Gazæo* ſcriptam, excudit Duaci Joannes Bogardus. 1589. in 8.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam Belgii, ediderunt à morte auctoris hæredes, Valencenis, 1614. 4.

Moritur verò, magno ſui relicto deſiderio, Atrebati anno 1602. ætatis LVIII. VIII. Kal. Septembris, conditus ad D. Magdalenam.

GUILIELMUS GENTIUS,

Noviomagus, Jurium Doctor, Regius primùm in Geldria, atque hinc à rebellibus exulare juſſus anno 1579. in ſuprema Brabantiæ Curia Conſiliarius, elatâque uxore Præpoſitus ad Divam Walburgim Arnhemienſis; Vir fuit omnibus omnium virtutum ac bonarum artium numeris abſolutiſſimus, in Fide orthodoxa ſemper firmùs ac conſtans. Edidit

Adagia quinquaginta è Jure Civili collecta & explanata; quæ cum Chiliadibus Eraſmi leguntur, Pariſiis, 1571. fol. & Antver. apud Plant. cum Giſlinianis.

Item *Exempla illuſtrium aliquot Miraculorum SS. Euchariſtiæ.* Pariſ. 1574. 8. & Coloniæ, 1584. 8. typis Cholini. Præfatus ad Lectorem *Gelricam* promittebat *Hiſtoriam*; & in Jure civili quædam, *Formulas Teſtamentorum*, & *Codicillorum*, *Actionum* & *Exceptionum*, apud veteres Romanos uſitatas, aliaque. An exierint, neſcio.

GUILIELMUS GOESIUS,

Batavus, J. C. Vir Nobilis & eruditus, Caſtri Bouchorſtiani Dominus, in Curia Hollandiæ Senator &c. edidit

Rei agrariæ Authores Legeſque varias, quibus adjunxit ſuum de Antiquitatibus agrariis librum ſingularem, & *Nicolai Rigaltii* Obſervationes ac Notas. 4. Amſtelod. apud Joannem Janſonium Waesbergium. 1674.

Scripſit & contra Salmaſium, *De Mutui alienatione*, (ſub nomine *Lucii Veri*) Lugd. Bat. 1646. & 1648. in 8.

Item *Animadverſiones in Speciminis Salmaſiani cap. I. & II.* Hagæ-Com. 1657. in 8.

Ejuſdem eſt *Pilatus Judex*, ubi Proceſſus Pilati contra Chriſtum juridicè expenditur. Hagæ, 1677. in 4.

GUILIELMUS A GOUDA,

Ordinis FF. Minorum de Obſervantia (ut vocant) Theologus, edidit Daventriæ apud Jacobum de Breda, iterumque anno 1504. nomine typographi ſuppreſſo,

Expoſitionem Myſteriorum Miſſæ. Eadem Antverpiæ recuſa apud Matthiam Goeſium, & Dilingæ, 1567. folio.

GUILIELMUS GROTIUS,

Vulgo DE GROOT, J. C. Delphis apud Batavos natus die 10. Februarii 1597. celeberrimi Hugonis Reipublicæ Fœderatæ Syndici germanus ac junior frater, fuit Conſiliarius illuſtrium Comitum Hohenloenſium, & Senior (ut aiunt) cœtûs Remonſtrantium Hagæ-Comitis. Huic ſectæ cum adhæſiſſet unà cum fratre, illo exulante, Guilielmus nullam pro meritis promotionem apud Batavos conſecutus eſt. Cauſſarum patronum egit Hagæ-Comitis, ubi fato functus eſt die 12. Martii 1662, relictis præclaris ſuæ Juris-peritiæ monimentis.

Iſagoge ad Praxin Fori Batavici. 4. Amſtelod. 1655. item belgicè anno 1656. Hagæ-Com. Prodiit iterum latinè, cum Paraphraſi ac Supplemento *Abrahami de Pape*, J. U. D. Leidæ 1694. in 4.

Enchiridion de Principiis Juris-naturalis. 4. Hagæ-Com. 1667. item Jenæ 1669.

De Vitis Juriſconſultorum, quorum in Pandectis extant nomina. 4. Hagæ-Com.

Item *Poëmata* Hugonis fratris ſui collegit & edidit ab anno 1617. ut & plures ejus Epiſtolas.

GUILIELMUS HACHUSANUS,

Daventrienſis, poſt Gybertum Longolium Scholiis illuſtravit *Deſ. Eraſmi de Civilitate morum* inſignem libellum. Montibus Hannoniæ, 1607. 8. apud Lucam Rivium.

GUILIELMUS HAMERIUS,

Noveſianus, Ditionis Colonienſis oppido oriundus, Ordinem Prædicatorum in Cœnobio Gamundenſi in Suevia profeſſus, claruit circa annum 1564 S. Th. Doctor, græcè hebraïcèque doctus. Unicum ejus opus innotuit,

Commentationes in Geneſim, doctè ac utiles, plurimis Hebrææ, Græcæ & Latinæ linguæ authorum ſententiis ornatæ &c. folio. Dilingæ apud Sebaſt. Mayer. 1564.

GUILIELMUS HANETON,

Philippi filius, qui erat in Aula Bruxellenſi Audienciarius, ac primus Principis Secretarius: fuit J. U. Doctor, & Tornacenſi Nerviorum urbi à Conſiliis, poſtmodùm Bruxellis in ſupremo Senatu Conſiliarius. Vir ingenii candidi atque affabilis, ejuſque ex ore melle dulcior fluebat oratio. Juvenis Juriſprudentiæ initia Lovanii fecit;

& Decani Baccalaureorum J. U. defunctus munere, ad majorem ingenii cultum, fructumque ſtudiorum uberiorem capeſſendum, in Gallias profectus eſt, detentuſque apud Biturigas, Juriſprudentiam honorario publico profeſſus fuit.

Privatim, in gratiam juventutis Belgicæ, tempore vindemiarum (quo ab ordinaria Profeſſione feriæ ſunt) *Feudorum Jura* explanavit: quæ cùm in manus poſtea incidiſſent *Joannis Avichorſtii* J. C. curavit is ea typis publicari, in libros IV. digeſta, Coloniæ 1564. 8. apud Birckmannum; inde relata in Theſaurum ſive Oceanum Juris, Tomo X. Venetiis 1584.

Verùm cùm plurima in iis quà prætermiſſa, quà mutata auctor reperiret, eadem in manus ipſe reſumpſit, curiſque ſecundis repurgata dedit, ut ibidem præfatur. Quæ cum dudum latuiſſent, prodiêre Lovanii in 4. apud Zangrium 1647. cum *Notis Pauli Chriſtinæi & Valerii Andreæ*; *& cum Perioche Feudali Weſembecii.*

Ceterùm notet lector, pari ferè methodo atque ordine tradita poſtea jura Feudorum ab *Eguinario Barone*, qui annis XV. ab *Hanetonii* diſceſſu jura Biturigibus docuit, & *Hanetonium* in omnibus ferè ſecutus fuit.

Scripſit præterea *Hanetonius Tractatum de Ordine & Forma Judiciorum*, primò ſimiliter inconſulto & inſcio auctore excuſum Francofurti typis Chriſtoph. Eginolphi, verùm recuſum deinde à manu & correctione auctoris, Duaci, 1570. Coloniæ, 1584. & Spiræ, 1591. 8.

GUILIELMUS HARDIGNY,

Luxemburgenſis, Societatis Jeſu Sacerdos, olim in Miſſionibus, tum in caſtris, tum in pagis ruſticanis ſtrenuus operarius, edidit gallico idiomate *Librum Precum & Praxeon ſpiritualium. Vitam & Miracula S. Adriani Mart.*

Obiit Montibus Hannoniæ die XV. Octobris, anno 1637. ætatis XLVIII.

GUILIELMUS HEDA,

Alſenus, (*Alſen* ſive *Alſyn* pagus eſt in Rhenolandia, ab urbe provinciæ illius capitali Lugduno-Batavorum ſecundo diſtans milliari, quem Adrianus Junius in Nomenclatore ſuo vocat *Albiniana caſtra*, nomine à vetere non multùm alieno) aliis dictus Egmondanus, à loco, qui ibi dicitur *He* vel *Hede*.

Vir fuit ampliſſimus pariter & doctiſſimus, in hiſtoriis verſatiſſimus, in Antiquitatibus verò perquirendis ac ſcrutandis ſollertiſſimus; Philippo I. Auſtriæ Archiduci, Hiſpaniarum Regi à Secretis, Præpoſitus atque Archidiaconus (id eſt Levita, ut ſe in Hiſtoria ſua inſcribit) Arnhemienſis, Canonicus Eccleſiarum Majoris item S. Salvatoris, & Decanus ad S. Joannem Ultrajecti, nec non Paſtor ſive Curatus alterius Portionis parochialis Eccleſiæ S. Jacobi Civitatis Ultrajectenſis. Nepotem habuit Nicolaum à Nova-terra, primum Harlemenſium Epiſcopum.

Sigillo utebatur, cum hac inſcriptione: SIGILLUM WILHELMI HEDÆ POETÆ LAUREATI ET COMITIS PALATINI. Scripſit

Chronicon, ſeu Hiſtoriam Hollandiæ & Epiſcoporum Ultrajectinorum: editum curis *Bernardi Furmerii* unà cum *Joannis Becani* Chronico, Franekeræ Friſiorum, 1612. 4. & emendatius Ultrajecti, cum Vita Auctoris, per *Gisbertum Lappium à Waveren* J. C. 1643. fol.

Genealogiam ſeu *Panegyricum Auſtriacum*, dictatum Maxæmiliano & filio ejus Philippo: quod fabulis & nugis ſcatere addit Swertius.

Vitas SS. qui ex Britannia digreſſi Friſiam & Bataviam ad Chriſti cultum converterunt: ſed hoc MS. periit.

Obiit Antverpiæ (ubi & Canonicus fuit,) in domo habitationis ſuæ, quam de novo ipſe ædificandam curavit, hodieque omnibus conſpicua eſt, anno 1525. III. Nonas Novembris, in Eccleſia Deiparæ Virginis humatus.

GUILIELMUS HENRICUS VORSTIUS,

Batavus, fuit Conrardi filius, qui natione Colonienſis Germanus, è Sectâ Arminianorum Theologus, ac quondam Profeſſor in Academia Lugduno-Batava deceſſit anno 1622. Ipſe vero Guilielmus Linguæ Hebraïcæ Profeſſor extitit, & Concionator Remonſtrantium Lugdunenſium, dum cogebantur Waermondæ convenire. Ejus curis prodiêre

Maïmonidis Liber de fundamentis Legis, cum verſione & notis ejuſdem Vorſtii. 4. Amſtelod. 1638.

Diſceptatio de Verbo vel ſermone Dei, cujus creberrima fit mentio apud Paraphraſtas Chaldæos Jonathan Onkelos & Thargum Hieroſolymitanum. Prodiit Irenopoli apud hæredes Jacobi Laringhii 1643. in 4. Item belgicè 1649.

Chronologia ſacra-profana Rabbini David Ganz & Pirke, ſeu Capitula Rabini Eliezer, tranſlata in Linguam latinam, cum Obſervationibus. Lugd. Bat. 1644. in 4.

Item Belgicè; *Acta Litteris conſignata inter Contra-Remonſtrantes & Remonſtrantes, Ultrajecti habita anno 1653, de mutua tolerantia.*

GUILIELMUS HERCKENROY,

Trudonenſis, naſcitur anno 1560. dein Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini, Tungrenſis Cœnobii Prior, magnæ vir pietatis, & diſciplinæ regularis obſervantiſſimus, converſatione & ſermone ſuavis, ſummis infimiſque carus, ſummaque in dignitate (ſive Viſitatoris aut Commiſſarii, ſive Prioris Generalis Capituli Windeſemenſis munera obiret) humillimus: in pauperes beneficus, quibus etiam detractas ſibi veſtes elargiri ſolebat: in templo aſſiduus, otioſus numquam, ſemper aut ſcribens aliquid, aut legens, aut orans. Secundò in Germaniam profectus, annuente Cæſare Ferdinando II. undecim ex hæreticorum manibus Monaſteria recuperavit.

Debet illi civitas Tungrenſis Scholas litterarias, quas ibidem regendas per Regulares ſuos inſtituit; debet totus Ordo, ſed ipſum potiſſimùm Tungrenſe Cœnobium, ſuam illi diſciplinam & inſtaurationem. Scripta ejus tota ſpirant pietatem, & ſunt ſequentia:

Collationum ſeu *Exhortationum Capitularium* volumen.

Remedia contra puſillanimitatem & ſcrupulos, ex SS. Patrum dictis.

Modus juvandi morituros.

Meditationum liber, cum *Modo meditandi.*

Modus viſitandi Monaſteria.

Exercitia Pietatis, per ferias diſtributa.

Anno 1632. die die XXIII. Martii, inter ſuorum adſtantium preces & precabundus ipſe ſuaviſſimè in Domino obdormivit, annos natus LXXII. ex mœrore, ut creditum fuit, contracto morbo, ubi intellexit luctuoſam illam Germaniæ cladem, in viſcera ejus irruente ac ſæviente Suecorum & conjuratorum ferro.

GUILIELMUS HESIUS,

Antverpienſis, Societ. Jeſu, Matheſin & Philoſophiam profeſſus, Ora-

Digitized by Google

tor facundus, Bruxellis in Sacello Burgundico coram Archiduce Leopoldo Belgii Gubernatore, per plures annos latinè dixit : fluentis item venæ Poëta. Varia Collegia rexit, & anno 1673. ſenex Domum Profeſſam Antverpienſem Præpoſitus moderabatur. Edidit

Emblemata ſacra de Fide, Spe, Charitate, typis Plantini, 1636. 12.

Item *Emblema Elegiarum* duplex : quo applaudit Lyricorum libris *Matthiæ Caſimiri Sarbievii*, ex eadem Societate. Ibid. 1634. 12.

Legatum fidelem ad Oratores Chriſtianos. 12. Antv. 1657.

GUILIELMUS II.

Hollandiæ Comes, & Romanorum Rex, ab Innocentio IV. P. M. in Italiam accitus, Genuæ Cæſarea accepit inſignia. Inde in ulteriorem profectus Germaniam, certiorque factus Friſiorum rebellione turbari Hollandiæ otia, dum ſecundò in eos movet, à Friſiis occiditur ad V. Kal. Febr. anno 1255. Ejus nomine editum eſt

Agalma Religioſorum, ſive *Meditationes circa myſteria Paſſionis Dominicæ*, Coloniæ apud Kinckium, 1610.

GUILIELMUS HERMANNUS,

Gaudanus, *Cornelii Aurelii* è fratre nepos, *Eraſmi* contubernalis, vitæque & ſtudiorum annos aliquot apud Canonicos Regulares Ord. S. Auguſtini in Stein, juxta Gaudam, ſodalis (quem *inter doctos optimum*, *inter bonos doctiſſimum* idem Eraſmus Panegyrico ad Philippum Regem, & alibi *animæ ſuæ partem*, nominare ſolet) ſcripſit libellum

De Bello Geldro Germanico, Amſtel. rudibus typis olim vulgatum. Hoc ipſum (ut credo) *Hollandiæ Gelriæque bellum*, quod circa annum 1507. geſtum fuit, primus elucidavit Antiquitatum ſcrutator *Antonius Matthæus*, J. U. D. Tomo I. Analect. Veteris Ævi.

Silvam Odarum, Pariſiis in 4. 1497. edente Eraſmo.

Expoſtulationem Chriſti morituri, editam Antver. 1559. 16. cum aliis ſimilis argumenti libellis, typis Joan. Belleri.

Vertit quoque è Græco *Fabulas* aliquot *Æſopi*.

Denique verſu heroïco expreſſit inſignis herois ac Martyris Hollandiæ *D. Hieronis Vitam & Paſſionem*; quæ legitur Lovanii, ad S. Martinum.

Alardus Amſtelodamus hoc illi Epitaphium poſuit.

GUILIELMUS A GOUDA *Aureâ venâ fluens*,
Bonus arte dicendi, ſed ex tempore,
Melior Poëta, & optimus Hiſtoricus.
GOUDA, *hac quieſcit abditus urnâ.*

GUILIELMUS DE HILDERNISSE,

E pago hujus nominis ſub Diœceſi Antverpienſi ac Marchionatu Bergizomenſi oriundus, Religioſus Ord. FF. Carmelitarum, ac quondam Prior Conventuum Mechlinienſis ac Bruxellenſis, hîc adjungitur, non quà bonus ſcriptor, ſed quà malus plurium Errorum Auctor, quos ſcriptis vel concionibus publicavit.

Propterea anno 1411. per ſententiam *Petri de Aliaco* Cameracenſis Epiſcopi ac dein S. R. Eccleſiæ Cardinalis condemnatus, omnium ſuorum Dogmatum palinodiam publicè cantare coactus fuit : nec dubito tamen, quin meliora dein ſenſerit. Extat inter Miſcellanea *Stephani Baluſii* Tomo II. Editionis Pariſienſis anni 1679. pag. 277. ſequens titulus.

Errores Sectæ Hominum Intelligentiæ, & Proceſſus factus contra F. Wilhelmum de

Hildeniſſem Ord. B. M. de Monte Carmeli, per Petrum de Alliaco Epiſcopum Cameracenſem anno Chriſti 1411.

Item pag. 285. *Sequuntur Propoſitiones falſæ, erroneæ & hæreticæ XVIII. per me Fratrem Wilhelmum in forma quæ ſequitur, revocandæ.*

Item pag. 288. *Sequitur ſubſequenter Cedula, quam Ego Frater Wilhelmus propriâ manu ſcripſi, ſuper Articulis mihi impoſitis, eos abjurando & reprobando.*

GUILIELMUS HUYSMANS,

Lyranus, J. U. Licent. Duacenſis, & linguæ Latinæ in Collegio Trilingui Buſlidiano Lovanii pauculis annis Profeſſor, reddidit Latinè ex Italico,

Narrationes rerum Indicarum annj 1585. & 1586. ex variis Societatis litteris deſumptas. Lovanii apud Jo. Maſium, 1589. 8. Celebratur à Joanne Bernartio libro I. De utilitate legendę Hiſtoriæ, à candore, fide, humanitate.

Fuit poſtea Rector Scholæ Dionantenſis, apud Eburones: inde in Italiam conceſſit, & deceſſit ibidem, anno 1613.

GUILIELMUS JACOBI,

Egmondanus in Hollandia Monachus Benedictinus, verſibus deſcripſit *Hiſtoriam Alexandri Magni.*

Chronica Martiniana. Et alia. Quæ omnia in Abbatia Egmondana olim fuiſſe lecta, teſtatur Bunderius.

GUILIELMUS JANSONIUS BLAEUW,

Amſtelodamenſis, Typographus, Mathematicus, atque Geographus celeberrimus, Tychonis Brahæi quondam diſcipulus, ac familiaris amicus, non modo typis elegantiſſimis ſed & variis libris editis ſummum ſibi nomen acquiſivit. Mortuus eſt 18. Octobris 1638, ætatis 67. filios relinquens Joannem & Cornelium, paternæ artis induſtriæque hæredes. Scripſit vernaculè

Tabulas declinationis ſolis ac ſtellarum fixarum. 8. Amſtel. 1625.

Tabulas latitudinis ortûs ſolis &c. 4. Amſtel.

Speculum maritimum. fol. ibid. 1653.

Inſtructionem duplicem de globis terreſtribus ac cœleſtibus 4. 1647.

Inſtitutionem Aſtronomicam. 8. Amſt. 1655.

GUILIELMUS JENNYN,

Brugenſis, Paſtor in Weſt-Capella, Poëta & author ſequentium

Bivium juventutis, carmine delineatum. 4. Brugis 1652.

David cadens & reſurgens, tragicè exhibitus. 4. ibidem. 1663.

Luſus anagrammaticus & chronographicus, circa nomen Principis Joannis Auſtriaci, Belgii Gubernatoris. ibidem in 4.

GUILIELMUS INSULANUS MENAPIUS,

Grevibrocenſis, (quod Ducatûs Juliacenſis eſt opidum) pleriſque Chriſtiani orbis Academiis peragratis, Patavii in Philoſophicis *Nicolao Leonico Thomæo* operam dedit: doctiſſimorum adhæc virorum conſuetudine uſus, Romæ diu vixit, Medicæ non rudis artis. Ad ſuos reverſus, Præpoſitus ad S. Adelberti Eccleſiam Colleg. Aquiſgrani deſignatus eſt; quod ibidem munus cum vita depoſuit anno 1561. Scripta ab eo hæc leguntur:

Encomium Febris quartanæ, editum denuo Lugduni Bat. anno 1636. inter Diſſertationes ludicras variorum.

Ratio curandi Febrim quartanam. Baſileæ, apud Oporinum, 1541. 8.

Ratio Victûs ſalubris, & ſanitatis tuendæ. Coloniæ, 1540. 4. & Baſileæ 1541. 8.

Silva

Digitized by Google

Silva ſeu *Miſcellanea Obſervationum Linguæ Latinæ.*

Laudatio Funebris Deſid. Eraſmi. Baſileæ, in 8. typis Rob. Winteri, & iterum Tomo X. Operum Eraſmi.

Oratio Suaſoria ad Carolum V. Cæſ. & Franciſcum I. Galliæ Regem, *pro Pace concordiaque conſtituenda.* Ibid. 1537. 8.

Statera Chalcographiæ, quà bona ejus & mala ſimul appenduntur, an. 1547. Coloniæ, & 1617. in 12. cum ejuſdem *Menapii Hiſtoricis Obſervationibus.*

De Aula Dialogus, in quo partim refelluntur partim attenuantur criminationes in Aulam, Æneæ Silvii & Utrici Germani, Lutherani. Coloniæ, 1530 & Francof. 1606. 8. cum Aulico Balthaſaris Caſtellionis, in 8.

Dialexis De SS. Euchariſtia. Coloniæ, 1542.

Denique *Divinatio extremorum mundi temporum*, anno 1549.

GUILIELMUS JORDAENS,

Canonicus Regularis S. Auguſtini in Viridi-Valle, apud Bruxellam, *Joannis Ruysbroeckii*, primi ibidem Prioris, viri ſanctiſſimi, diſcipulus, vivere deſiit anno 1372. die 23. Novembris. Scripta quædam ejuſdem *Ruysbroeckii* ex idiomate Brabantico Latinè reddidit, veluti

De Tabernaculo ſpirituali.

De Nuptiis ſpiritualibus libros III.

De Calculo, ſive *De perfectione filiorum Dei.*

Varias quoque ipſe ingenii ſui lucubrationes reliquit,

Rythmum, *De conflictu vitiorum cum virtutibus.*

De Apibus, ſive *De X. Præceptis.*

De reprobatione viſionum mulierculæ cujuſdam.

De ſeptemplici lapſu.

Lamentum ſuper obitu Joannis à Speculo Curegemii, Monachi & Diaconi in Viridi-Valle.

Flores B. Auguſtini, & Moralizationes de Civitate Dei. Leguntur pleraque MSS. in dicto Cœnobio.

GUILIELMUS LAMORMAINI,

Arduennas, Societatis Jeſu Doctor Theologus in Academia Græcienſi in Stiria, in qua Philoſophiam ac Theologiam cum laude profeſſus eſt. Præfuit deinde Collegiis Græcienſi ac Viennenſi, & Ferdinando II. Imp. plures annos fuit à Confeſſionibus. Deſcripſit ejuſdem

Ferdinandi II. Rom. Imp. Virtutes: Viennæ, 1638. 4. & Coloniæ eodem anno in 12. Eſtque liber hic quartus & poſtremus operis, quod moliebatur de Vita ejuſdem Imperatoris: cum Epigraphe: *Idea Principis Chriſtiani.*

Oratio in Funere Sereniſſ. Mariæ, matris Ferdinandi II. Græcii habita anno 1608. die XXVIII. Maii, ibidem excuſa eſt.

Obiit non minus meritis cumulatus, quam ætate gravis, Viennæ in Domo Profeſſorum, die 22. Februarii 1648.

GUILIELMUS DE LANDSHEERE,

Caſletanus Flander, Societatis Jeſu Sacerdos, litteras humaniores, S. Scripturam ac Theologiam Moralem pluribus annis profeſſus, ſcripſit

Controverſias quaſdam contra Jacobum Laurentium, Prædicantem Amſtelodamenſem. Ant. typ. Henr. Aertſens 1642.

Delicias piorum ſpirituales, item *Euchariſticas.* 4. Ipris 1648.

Salutaris hominis Chriſtiani exercitationem; cui accedit *Faſciculus myrrhæ, ex piis variorum erga Chriſtum Patientem affectibus collectus* Prodiit primùm Ipris in 12. anno 1648, dein frequenter reimpreſſus.

De Sanctorum cultu. 8. Antv. 1648.

De Miraculis. Ibidem 1649. 8.

Rationabilem exigentiam ab Hebræis, ut probent ſua Biblia eſſe Verbum Dei. Antv. 1649.

Diarium hominis piè Chriſtiani. 4. Ipris 1653.

Originem & progreſſum novæ Reformationis. 8. Antver. 1664.

Viam æternitatis ingreſſus eſt Gandavi 7. Decembris 1666.

GUILIELMUS LAPIDANUS,

Vulgò VAN DEN STEENE, Viroviacenſis, Flander, Monachus Benedictinus Bergis ad S. Winocum: ſcripſit

Methodum Dialectices Ariſtotelicæ. Lugduni, apud Griphium, 1542.

De non timenda morte. Lovanii, apud Reſcium, 1533.

De miſeria conditionis humanæ. Ibid. apud Gravium.

Conciliationem dubiorum in Sacrificio Miſſæ.

Enarrationes in VII. Pſalmos Pœnitentiales, Lovanii, apud Barſium, 1530. Alia ejuſdem adſervari ſolent Winoci-Bergis; ſed poſtea in apoſtaſiam lapſum fuiſſe refert in Catalogo manuſc. Abbatum S. Winoci Petrus Waloncapellius.

GUILIELMUS LEMNIUS,

Lævini Filius, Ziriczæus, Zelandus, Medicinam, patris exemplo, factitavit, atque *Errico*, Suecorum Regi, à conſiliis valetudinis fuit: quo à fratre ſuo *Joanne*, Finlandiæ Duce, Regnum affectante, in vincula conjecto, *Guilielmus*, fidus domino Medicus, unà fortunis vitâque exuitur, eodem, quo pater è vivis exceſſit, anno (nempe 1568.) ſi Melchiori Adamo libro de Vitis Germanorum Medicorum credimus. Legitur *Guilielmi* ad patrem *Epiſtola*, quâ obiter docetur, *plus efficere in animis hominum educationem, quàm aëris ambientis aut loci qualitatem*; edita Antver. typis Nutii, 1554. & Lugd. Bat. cum libello patris, de Termino vitæ, 1638. 12.

Scripſiſſe quoque luculentum *Tractatum de Stomacace* teſtatur pater libro II. cap. VI. de Complexionibus; verùm is hactenus lucem non vidit.

GUILIELMUS LINDANUS,

Damaſi Filius, Dordraci anno 1525. in lucem editus eſt, parentibus Catholicis, Patriciis Dordracenis, ac Lindæ (quæ anno 1422. communi inundationis calamitate involuta, cum LXXI. pagis à maritimo æſtu abſorpta eſt) Dominis. Duodecim annorum puer apud Meranos (Comitatûs Hooghſtratani vicus eſt) triennium litteris melioribus operam gnaviter dedit. Mox Philoſophiam Lovanii Porcenſi in Gymnaſio feliciter didicit.

Theologiæ deinde ſcientiam, anteſignanis potiſſimùm *Ruardo Tappero*, *Judoco Tiletano*, & *Joanne Haſſelio*, ſingularem eſt aſſecutus; Græcas interim litteras, Hebraïcaſque, tradentibus *Rutgero Reſcio & Andrea Baleno.* Eam ob cauſam in Galliam concedens, Rabbinorum Commentariis ſcriptiſque uberiùs deguſtandis, familiariſſimè ibidem *Joanne Mercero & Adriano Turnebo*, Linguarum Profeſſoribus, aliiſque uſus eſt.

Lovanium reverſus, anno 1552. ſacris Ordinibus initiatur, ſacræque Theologiæ Laureâ inſignitur; alteroque poſt anno ad excitatam tunc recenter auſpiciis Ottonis Truchſeſii, Epiſcopi Auguſtani ac S. R. E. Cardinalis, Dilinganam Suevorum Academiam evocatus, per triennium inibi ſacras profitetur Litteras.

Lovanium revocatus anno 1556. Lau-

Digitized by Google

Digitized by Google

ream Doctoralem capit. Denique ex Decano Hagæ-Comitano, Conſiliario Regio, Epiſcopi Ultrajectini per Bataviam Friſiamque Vicario, & in Fidei violatę reos Quæſitore, primus Ruræmundenſium apud Geldros Antiſtes anno 1562. deſignatus ac conſecratus, non niſi ſeptimo pòſt anno ad capiendam poſſeſſionem Eccleſiæ ſuæ admittitur.

Admiſſus autem nihil prius habuit, quàm ut arduum in primis & periculoſum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ac reformandi Cleri negotium aggrederetur. Semel iterumque exſul, dum militum rabie & tumultu plena ſunt omnia, an. 1578. relictis oviculis paſtor, Romam proficiſcitur; cujus adventus Gregorio XIII. Pont. Staniſlao Hoſio, Sirleto, ceteriſque Cardinalibus gratiſſimus accidit; uti & Regi Catholico in Hiſpania, quò cum Internuntio Apoſtolico profectus erat.

Reverſus, loca pleraque repperit peſte atque inediâ exhauſta, è millibus aliquot vix viceſimum numerat. Quod tamen muneris ſui fuit, quantum potuit & quantum licuit, præſtat: Diœceſin obit univerſam, ſubditos ore & ſcripto inſtruit atque in officio continet.

Alterâ Romam inſtitutâ profectione anno 1584. & abſolutâ, anno deinde 1588. ad Gandenſem Cathedram promotus, vix trimeſtri ſpatio ſupervixit, moriturque IV. Nonas Novembres, annos natus LXIII.

Fuit certè vir ille (Cardinalis Baronii elogium eſt, Notis ad Martyrologium Romanum XXIII. Nobembr.) *non tantùm omnis generis litterarum eruditione clariſſimus, verùm etiam egregii Confeſſoris Fidei nobilitatus inſignibus: quippe qui exilia, proſcriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes ferè frequentes inconcuſſo robore Fidei cauſſâ ſuſtinuit.* Hactenus Baronius.

Quanti verò eumdem fecerit Cardinalis ille, vel ex eo liquidò conſtat, quod ſuas ad Martyrologium Romanum Notationes publici uſus ac juris facturus, priùs eas unius *Lindani*, viri accuratiſſimi, graviſſimo judicio voluerit ſubjectas.

Reliqua de viri innocentiſſimi & doctiſſimi Vita, rebuſque præclarè pro Religione Orthodoxa geſtis, Arnoldus Havenſius ſuppeditat Commentario de Erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum. Ceterùm Scriptorum *Lindani* Catalogus Silvæducis, 1584. 8. editus fuit, qui hìc quibuſdam additis ſubjicitur, annorum, quibus ſcripſit, ſervatâ ſerie:

De optimo genere Interpretandi Scripturas libri III. Coloniæ, 1558. 8.

Tabulæ Analyticæ omnium Hæreſeon hujus ſæculi.

Panoplia Euangelica ſeu *de Verbo Euangelico*, libri V. Coloniæ 1590. fol.

Stromatum libri III. *pro Defenſione Conc. Tridentini*, adverſus Chemnitium, Ibid. 1575. typis Cholini.

De Sacrificio Miſſæ audiendo, ſive quonam modo ſit ſtudioſis Dilinganis quotidie audienda Miſſa.

Dubitantius Dialogus: De origine ſectarum hujus ſæculi, Coloniæ, 1571. 8.

Ruewardus Dialogus, De animi tranquillitate: quo Sectarii omnes ex ſuiſmet principiis ad Catholicam revocantur Eccleſiam.

Diatriba analytica de vera Jeſu Chriſti apud Romanos Eccleſia, contra Witebergenſes, eam Witebergæ collocantes. Coloniæ, 1572. 8. Extat denuo in Bibliotheca Maxima Pontificia P. Rocaberti Tomo XX. p. 463.

Apologeticon libri III. ad Germanos, *pro Concordia cum Catholica Chriſti Eccleſia*, contra novam Proteſtantium Confeſſionem Auguſtanam, ex Lutherana Calvinizantem. Antver. 1570. & pars altera, 1578. 4. typis Plantini.

Confutatio Confeſſionis Antverpienſis, Flandricè.

Apologia ejuſdem, contra Illyricum, Flandricè.

Paraphraſis & Caſtigationes in Pſalmum CXVIII. cum Iſagoge & Oratione paraſceuaſtica in eumdem.

Commentatiuncula brevis *de Cantico Angelico Allelu-ia.*

Reſponſio pro vero ac vivo Chriſti corpore in ſancta Euchariſtia, adverſus Joan. Campani blaſphemias. Simul edita Coloniæ, typis Cholini, 1575. 8.

De Sapientia Cœleſti : ad Sophiam Lindanam, Sanctimonialem, Jeſu Chriſti ſponſam, typis Plantini, 1567. 16.

Pſalterium Vetus, à mendis 600. repurgatum, & de Græco atque Hebraïco fontibus illuſtratum. Ibid.

De modo veræ Confeſſionis. Belgicè, 1568.

Oratio Synodica, habita in Synodo Ruræmundenſi, *de Officio Paſtorum.*

Paraphraſes in Pſalmos XXX. priores, typis Plant. 4.

Paraphraſes in Pſalmos, ad Laudes antelucanas decantari ſolitos. Ibid.

Catechiſmus, Belgicè. Ibidem.

Speculum Sacerdotale : ſive Meditationes, quibus ſe Sacerdotes quotidiano præparent Sacrificio. Coloniæ, 12. & aliàs ſæpiùs.

Exhortatio ad Hollandos, ut redeant ad Catholicam Chriſti Eccleſiam. Cujus Præfatio demonſtrat *D. Thomam fuiſſe Germanorum Apoſtolum.* Ibid. 4.

Myſticus Aquilo, ſive Declaratio Vaticinii Jeremiæ Prophetæ : *Ab Aquilone pandetur omne malum* ; quâ demonſtratur, non pertinere ad Saxoniam, unde omne malum Eccleſiæ aperiatur, ſed ad calamitates Eccleſiæ illinc orituras. Ibid. 1580.

De Apoſtolico Virginitatis Voto, atque Euangelico Sacerdotum Cœlibatu, libri V. pro Conc. Tridentino, adverſus Chemnitium. Ibid 4. 1580.

Orationum Theologicarum Eximii Theologi *Ruardi Tapperi* Tomi II. à *Lindano* in lucem editi, 1577. & 1578. 8. qui *Præfationem* doctiſſimam appoſuit ad Rodolphum II. Imp.

De fugiendis hujus ſæculi Idolis, noviſque iſtorum Euangelicorum Dogmatibus &c. Coloniæ, 8.

De Virtute Eccleſiæ, ad Weertenſes, Belgicè, 1580.

Contra Carnivoros, qui vetitis temporibus carnes comedunt, Belgicè, 1580.

Dogmaticæ Conciones, Bredæ habitæ, quibus doctrinæ de Eccleſiæ Origine, Unitate, Certitudine, ex Prophetis & Apocalypſi : item de Sacramentis, ceteriſque Controverſiis, explicantur, Belgicè ; ſuntque numero XXIII.

Concordia diſcors, ſive Confeſſionis Auguſtanę adulteratæ Confutatio, 1582. Coloniæ.

Labyrinthus Chriſtianus, Belgicè, 1583.

Dux Viæ ad verum Deum Chriſtum Jeſum, Belgicè.

Conciones per Quadrageſimam & Adventum.

Conciones in Feſtis Sanctorum habitæ.

Conciones Catechiſticæ aliquot.

Catbechiſmus, juventuti Ruræmundenſi ſcriptus, juxta Concilii Tridentini doctrinam, 1571. & 1583. Colon.

Illuminator obcæcatorum Calviniſtarum, 1586. Belgicè.

Miſſa Apoſtolica, ſeu *Liturgia S. Petri Apoſtoli, G. L. cum Annotationibus & Apologia pro eadem*, apud Plantin. 1588. item Pariſiis 1595. in 8. apud F. Morel, Typogr. Reg. Extat etiam in Bibliotheca PP. Lugdunenſi, Tom. II. p. 14.

Glaphyra in Epiſtolas Apocalypticas S. Joannis Apoſtoli, ad Epiſcopos Catholicos, ubi veri Epiſcopi adumbratur typus. Prodiit Lovanii, à morte auctoris, 1602. in 8.

Euſebius, ſive *de fugienda impœnitentia*, *& de ingredienda ſeriò angustæ vitæ Euangelicæ via* : ad Clericos Eccleſiæ Catholicæ.

Paraphraſis in VII. Pſalmos Pœnitentiales, ad concipiendum veræ compunctionis ſpiritum concinnata. Coloniæ 1609. typis Bern. Gualteri.

SEQUENTES libri nondum in lucem editi ſunt, prælo tamen parati, teſte Arnoldo Havenſio.

Theophilus, ſive *De officio pii viri*, contra Caſſandrum.

Pro Decreto Concilii Tridentini de Purgatorio, contra quartum Tomum Examinis Chemnitii in idem Conc. Tridentinum.

Epiſtola Apologetica pro Concilio Tridentino : quâ reſpondetur Præfationibus Chemnitii in ſuos Examinis III. & IV. Tomos &c.

Exhortatio ſecunda ad Hollandos, de Gog & Magog in Belgium adventantibus, cum Præfatione ad Guilielmum Aurangię Principem.

Lacrymæ Germaniæ, ad S. D. N. Gregorium XIII. &c. de Clericis non Canonicè viventibus.

Cur neceſſaria ſit SS. Bibliorum Caſtigatio? ad Gregorium XIII.

Epiſtolarum libri III. *Politicarum, Theologicarum & Miſcellanearum.*

Et quartus *Hebraïcarum Quæſtionum*, qui habet *Apologiam* LXXII. *Interpretum.*

Romanum Pontificem verè ac meritò appellari Univerſalem Epiſcopum Eccleſiæ Chriſti.

De Victoria Chriſti contra Judæos, & Judaizantes Bibliorum Interpretes : ubi ordine alphabetico plura proponuntur SS. Bibliorum loca à Judæis modò depravata, & aliter lecta quàm olim vetus legit Synagoga, LXX. & doctiſſimus D. Hieronymus, Aquila, Symmachus &c.

Paraphraſis in Pſalmum, Exurgat Deus.

Paraphraſis in Canticа Canticorum, cum *Annotationibus Variarum Lectionum & trium linguarum.*

Miſſa Apoſtolica : in qua eſt luculenta & ſolida Rituum & Apoſtolicarum Cæremoniarum explicatio.

Chriſtomachia Calviniſtica : quâ nunc Satanas Chriſtianos conatur ſemi-Turcas facere.

Decuriæ locorum, ab Hæreticis noſtri ſæculi in Patribus aut edendis aut pervertendis depravatorum.

Epiſtola ad N. Calvinizantem, ut ad Catholicam redeat Eccleſiam, &c.

Tabulæ naufragii Nicæni, ubi aurea SS. Canonum & Actorum Nicænorum ramenta ex variis veterum Patrum ſcriptis repræſentantur.

Acta Colloquiorum Religionis per Germaniam conciliandæ cauſſâ habitorum, potiſſimùm anno 1530. Auguſtæ, 1540. Ratisbonæ, 1557. Wormatiæ.

Communi tumulo cum Prædeceſſore Janſenio ſepultus fuit in Ædе Cathedrali Gandavenſi, ubi viſitur tumba in Sacello S. Ivonis, cum hac Epigraphe.

Unicus eſt Phœnix, cineres hæc tumba duorum
Phœnicum veræ Religionis habet.

D. O. M.
Reverendiſſimis in Chriſto Patribus,
S. Th. Doctoribus,
CORNELIO JANSENIO
Et
WILHELMO DAMASI LINDANO.
Primo & ſecundo hujus Urbis
Epiſcopis, ob multos in ſcrutandis
Et interpretandis Sacris Scripturis
Exanthlatos labores,
Et merita in Dei Eccleſiam
Et rem Chriſtianam, poſitum.
Obiit hic 11. Nov. M.D.LXXXVIII.
Ille vero XI. Aprilis M. D. LXXVI.

Quomodo in vita dilexerunt ſe,
Ita in morte non ſunt ſeparati. II. Reg. I.

GUILIELMUS DE LOUVEIGNIES,

Ex vico cognomine juxta Bavacum Hannoniæ oppidum, ut creditur, oriundus, Monaſterii Bonæ Spei Præmonſtratenſis Canonicus, ac in Decretis Doctor; dein primùm Abbas Clari-fontis, tum Cuiſſiacenſis, demum Abbas & Archimandrita Præmonſtratenſis anno 1287. electus: non minus converſatione quam doctrinâ clariſſimus.

De conſilio Co-Abbatum, in Capitulo generali anno 1290. pulchro ordine digeſſit *Statuta Ordinis Præmonſtratenſis, in IV. Diſtinctiones.*

Anno 1304. quietis gratiâ, dignitate Abbatiali ſeſe abdicavit, ac piè obdormivit in Domino, anno 1311.

GUILIELMUS LUPUS,

Vulgo Wolffs, Godſenhovius, agri ſeu territorii Thenenſis, Lovanii in Gymnaſio Standonico ſive Porcenſi Profeſſor, & Rhetor publicus; obiit circa annum 1580. ſcripſit

Vitam S. Trudonis, carmine heroïco, excuſam Lovanii, typis Saſſeni, 1540. 4. cum Ger. Moringo de Vita ejuſdem.

GUILIELMUS MAGISTER,

Vulgò Le Maitre, Medicus Inſulenſis, moritur anno ſalutis 1585. menſe Auguſto. Edidit

Iſagogen Therapeuticam de ſævitia, curatione & præventione Peſtis. Francof. 1572. 8.

GUILIELMUS MALINÆUS,

Brugenſis, Vir Nobilis, & Carolo V. Imp. à Cubiculis interioribus; præter priſcam probitatem, priſcâ & eleganti doctrinâ imbutus, Latinè reddidit *Ludovici ab Avila Commentariorum de Bello Germanico à Carolo V. Cæſ. geſto*, libros II. Antver. apud Steelſium, 1550. 8.

Legebantur in multorum manibus ejuſdem *Epiſtolæ*, pleræque circa annum 1551. & quattuor ſequentes ſcriptæ ad Ludovicum Dominum Pratenſem, & una benè longa ad Paulum Jovium de Tunetana Victoria: de quibus Juſti Lipſii, ſummi ingeniorum arbitri, in Epiſt. ad Lamb. Vander Burchium anno 1583. ſcriptâ hoc judicium eſt: *Epiſtolas* Malinæi *legi ſeriò: & fateor dupliciter delectatum me, & quòd res ipſa ſtiluſque placuit, & quòd in Belgica noſtra tam politum ingenium patrum ævo.* Iterùm: *Latuit iſte, quem, uti ex guſtu unius libelli video, adfirmem fuiſſe virum judicio & doctrinâ inter primos. Stilus non adfectatus & doctus: ſententiæ breves, nec obſcuræ; eaque omnia, quæ non exſpectes à ſubita nec elaborata ratione ſcribendi.*

Bruxellis in Eccleſia Collegiata D. Gudilæ habetur tale ejus Epitaphium.

Hîc conditur,
Variâ eruditione
Ac morum probitate celebris,
Guilielmus Malinæus,
Caroli V. Imp. Rom. ſemper Auguſti,
Dum viveret, à Cubiculis;
Et pietate atque prudentiâ inſignis,
Hyppolita Reynen,
Ejus uxor amantiſſima.
Obiit ille Kal. Januarii
Anno à partu Virginis M. D. LX.
Hęc verò Kal. Octobris M. D. LXXIX.

Cæterum Guilielmus iſte præclaram reliquit poſteritatem, nempe filium *Carolum*, in ſupremo Rei maritimæ Conſilio & Rationum Belgii Camera Præſidem; Nepotem *Aurelium Auguſtinum*, è Senatore Conſilii Brabantiæ, Præſidem Flandriæ & Sanctioris Conſilii Aſſeſſorem; Abnepotes *Carolum Aurelium Auguſtinum* Principum

Digitized by Google

Leopoldi Guilielmi, ac Joannis Auſtriaci Belgii Gubernatorum, equis ſtabuloque Prefectum, & *Philippum*, magnum Brabantiæ Foreſtarium: quorum poſtremus nonagenario major obiit Bruxellis 1707.

GUILIELMUS MARQUIS,

Antverpianus, primùm Hulſtenſis in Flandria opidi, pòſt Antverpienſis & Noſocomii ejuſdem urbis Medicus, ſcripſit de Aloës eſſentia, qualitatibus & facultatibus librum, hoc titulo,

Aloë morbifuga in ſanitatis conſervationem concinnata. Antverpiæ, apud Guil. à Tongris, 1633. 8.

Item *Decas peſtifuga*, ſeu Quæſtiones decem Problematicæ de Peſte, cum inſtructione purgandarum ædium infectarum. Antv. 1627. apud Cæſ. Trogneſium, in 4.

GUILIELMUS MARCI,

Dionantenſis, Eburo, Societ. Jeſu Coadjutor Spiritualis (ut vocant) obiit Valencenis anno 1638. Edidit Gallicè

Recreationem iis, qui quid veritatis in unaquaque re ſit, cupiunt cognoſcere. Rhotomagi & Pariſiis.

Supplicationem Valencenenſem die VIII. *Septembris quotannis inſtitui ſolitam.* Valencenis apud Joannem Vervliet, 1614.

Luſcinias Spirituales. Ibid. apud eumdem.

GUILIELMUS MARTENUS,

(Ita auctor ipſe ſcribere ſolet, non MARTINUS) Dunquercæus, Flander, J. U. Doctor, & Poëta, primùm Lovanii vixit ſtudiorum cauſſâ; pòſt in in Italia, uſus familiariter Andrea Alciato (quem præceptorem laudat) & Viglio Zuichemo. Scripſit ad eumdem Viglium Concilii ſecretioris Præſidem apud Belgas,

Ecphraſin Elegiacam in Tit. Digeſt. *De diverſis Regulis Juris antiqui*, cum *Scholiis.* Lovanii, apud Velpium, 1553. 4.

Obiit Præſes Concilii Luxemburgenſis, anno 1559.

Fratrem habuit conſanguineum, *Joannem Martenum*, doctum ac pium virum, Cantorem & Canonicum Cathedralis Gandavenſis.

GUILIELMUS MASIUS,

Leendanus, è Sylvæducenſi diſtrictu, naſcitur anno 1588. XI. Idus Maii. Poſt hauſta Trajecti ad Moſam litterarum humaniorum fundamenta, Lovanii ingenio ſtudioque emerſit, & Clariſſ. *Valerium Andream* collegam nactus anno 1621. die XXI. Novembris Doctoralibus Juris utriuſque ornatur inſignibus, Legumque declaratur Anteceſſor Ordinarius anno 1627. Ingenii ac judicii ſingularis teſtes ſunt

Singularium Opinionum in Jure Civili libri III. vulgati Lovanii, 1629. 4. quibus alios tres adjecit anno 1641. typis Jac. Zegeri.

Tractatus de rei debitæ æſtimatione 4. Lov. apud Andr. Bouvet 1653.

GUILIELMUS A MECHLINIA,

Monachus Affligemienſis, Ord. S. Ben. Prior in Wavria, demùm Abbas ad S. Trudonem, in Hasbania, ab anno 1276. uſque ad 1297. quo obiit. Scripſit

Vitam B. Beatricis, Prioriſſæ in Nazareth. MS. ad S. Martinum Lovanii.

GUILIELMUS MENNENS,

Particius Antverpianus, J. C. Philoſophus ac Poëta, natus eſt anno 1525. patre Guilielmo, matre Machtilde Doornia. Recenſuit, & typis Plantinianis evulgavit, 1566. 16. *Adriani*

Scorelii Poëmata postuma. Scripsit etiam *De Aureo Vellere*, sive *Sacræ Philosophiæ, Naturæ & Artis admirabilum* lib. III. Antverpiæ apud Gasp. Bellerum, 1604. 4. & rursus Argentor. 1622.

Obiit Antver. anno 1608. die XXVIII. Decembr. relicto *Francisco* filio, Liræ Canonico, scriptis quoque nomen adepto; atque in Æde D. Jacobo sacra conditus est.

GUILIELMUS MERCERUS,

Nascitur Athi, opido Hannoniæ, anno 1572. v. Kal. Febr. patre *Joanne Merchier*, ad publica Magistratûs munia, dum vivebat, quotannis ferè adsumpto, matre *Mariâ Louchier*. Studiis humanioribus in patria dans operam triennii spatio scholas omnes, cum prærogativa loci, obivit; atque ætatis anno XVII. Lovanium ablegatus locum in promotione ad Licentiam Philosophicam obtinuit à primo tertium.

Hinc annis aliquot in Collegio Adriani VI. studio Theologico impensis, ei Linguarum Græcæ atque Hebraïcæ cognitionem non vulgarem conjunxit. Indeque Professioni Philosophicæ deputatus in Pædagogio suo, cui ab insigni Porci nomen tribuitur, paullò post ad primariam in Falcone evocatus fuit: ubi eâ industriâ fructuque docuit, ut vix umquam discipulos suos communi concursui commiserit, quin illi bravium & prima in promotione loca ceteris præriperent.

A Philosophico hoc pulvere transitum fecit ad Theologicam Professionem, quam primò in nobili Abbatia S. Gertrudis annos octo, deinde Doctor renunciatus anno 1605. Regiis auspiciis in Scholis publicis totos viginti & octo annos pari semper sedulitate atque assiduitate sustinuit: adsumptus interim ad regimen Collegii Houterlæi, Theologici, quod Minus vocant, atque anno 1625. Pontificii, dignitatemque Decanalem in Ecclesia D. Petri, successor *Guilielmi Fabricii* anno 1628.

Vir fuit, ut & de ingenii dotibus, deque virtutibus ejus aliquid dicatur, doctrinæ omnifariæ; quippe Orator, Poëta, Historicus, Philosophus, Theologus, Mathematicus, Musicus, in omnibus eximius. In primis verò memoriâ excelluit & ingenii acrimoniâ, adeoque Scripturam sacram velut in numerato habebat. Nihil ferè legebat, quin retineret firmiter, eratque ipse velut ἔμψυχος seu spirans quædam omnis generis librorum bibliotheca.

Cum hisce ingenii dotibus conspirabant reliquæ ejus virtutes: Humilitas, quæ vix ab eo impetrare potuit, ut pateretur aliquod ingenii sui extare apud posteros monumentum; Pietas, quæ sæpiùs inter celebrandum ei suspiria & lacrymas excussit; Castitas, quam ut illibatam conservaret, illecebras omnes, à quibus vel minimum metui periculum poterat, procul à se abesse jussit. Temporis suique, dum vixit, rigidus & exactus fuit observator, ad omnem fortunæ aleam inconcussus: semper sibi similis, id est, lenis & placidus, etiam in extremo vitæ suæ actu. Obiit autem anno 1639. die VI. Augusti, in Choro templi sui conditus. Edidit

Commentaria in Tertiam partem Summæ D. Thomæ à Quæstione LX De Sacramentis, Censuris, Irregularitate, Indulgentiis, Purgatorio & extremo Judicio: laudatum atque utile opus, praxique Ecclesiæ accommodatum. Lovanii, typis Hastenii, 1630. fol.

GUILIELMUS MOERBECANUS,

Flander, è vico de Moerbeecke juxta Ninoviam, Ordinis Prædicatorum Theologus, & Romanæ Ecclesiæ Pœnitentiarius,

Digitized by Google

nitentiarius, dicitur de græco in latinum tranſtuliſſe libros omnes Natutales ac Morales Ariſtotelis, ad inſtantiam D. Thomæ Aquinatis. Tranſtulit idem librum *Procli*, MS. olim Gandavi apud Dominicanos.

Item *Simplicii Commentarium in libros Ariſtotelis de Cœlo & Mundo.* MS. in Bodeloënſi Monaſterio, apud Gandavum, teſte Bunderio in Indice.

Ceterùm *Guilielmus* hic Valerio Andreæ idem viſus eſt cum *Thoma Cantipratano*, ut colligi videbatur ex Chriſtiani Maſſæi Chronico, ad annum 1269. ubi *Wilhelmum Brabantinum*, Ordinis Prædicatorum, conſcripſiſſe librum Apum memorat. Quæ nominis mutatio unde orta ſit, inquirit Georgius Colvenerius in Vita Thomæ Cantipratani, vel quòd *Brabantini* nomine notior eſſet, quàm proprio; vel quòd præ humilitate nomen libris ſuis non adſcripſerit: vel denique, quod ſæpè contingit, in Religionis ingreſſu aliud aſſumpſerit.

Sed longè rectiùs refert P. Echard Tomo I. de Scriptoribus Ordinis Prædicat. pag. 388. *Guilielmum de Moerbeka*, linguæ græcæ peritiſſimum, ac Gregorii X. Pœnitentiarium, claruiſſe anno 1274. in Concilio Lugdunenſi, ac paulò pòſt promotum ad Archiepiſcopatum Corynthienſem in Græcia, ubi & anno 1280. reſediſſe notatur, ac circa annum 1300. fato functus. Plura de eodem ſcriptiſque ejus vide libro citato Scriptorum Ord. Prædicat. Pariſiis edito anno 1719.

GUILIELMUS MONTANUS,

Athenſis, Hanno, Societ. Jeſu Coadjutor Spiritualis, ut vocant, ſcripſit gallicè varia Opuſcula aſcetica:

De Confeſſione Sacramentali.

Praxin bonarum Intentionum.

Praxin Chriſtianarum Virtutum.

Exercitium Pietatis ſuper Pater noſter, Ave Maria, & Credo.

De Virtute Pœnitentiæ. Valencenis 1619. Viennæ 1644.

De Methodo ſerviendi Deo, D. Virgini &c.

Aliquot annis ante obitum ad patientiæ exercitium cœcus effectus, vivere deſiit 28. Martii 1658.

GUILIELMUS NAKATENUS,

Ex Oppido Gladbacenſi, Juliacenſis, Societat. Jeſu, per annos plures concionator facundus in Æde Metropolitana Colonienſi, edidit germanicè *Cæleſte Palmetum, ſeu ſelectorum Exercitiorum libellum*, primò excuſum Coloniæ 1660, dein latinè, gallicè, flandricè, hiſpanicèque redditum. Cujus quidem libelli octo prioribus annis XIV. ultra millia exemplarium fuerunt diſtracta.

GUILIELMUS NASSOVIUS,

Princeps Orangiæ, fundator Reipublicæ VII. Provinciarum Fœderatarum atque author Rebellionis ſæculo XVI. contra Philippum II. Regem Catholicum; apud omnes iſtius ævi hiſtoricos notiſſimus: occiſus fuit Delphis in Hollandia 10. Julii 1584. Prodiit ab ipſo, aut ejus nomine,

Apologie du Prince Guillaume d'Orange contre le Ban & Edict publié par le Roi d'Eſpagne, par lequel il proſcrit ledit Seigneur Prince. 8. Delphis. 1581.

GUILIELMUS VAN DEN NIEULANT,

Antverpienſis, Pictor & Poëta vernaculus utrimque excellens, publicè exhibuit coram S. P. Q. Antverpienſi, typiſque deinde publicavit,

Tragoedias VI. Saulem, Neronem, Liviam, Cleopatram, Sophonisbam & Sa-

lomonem; typis Guil. à Tongris, 1617. 1624. & 1626.

Ejuſdem *de Homine* Poëma rythmicum. Ibid. 1621. 4.

GUILIELMUS OONSELIUS,

Antverpienſis, naſcitur anno 1571. die IX. Auguſti. Familiæ religioſæ S. Dominici nomen dedit Gandavi, curſumque ſtudiorum partim in Hiſpania, partim in Belgio peregit, S. Theol. Licentiatus Lovanii & Magiſter in Ordine renuntiatus. Vir vitæ integer, doctrinâ & eloquio clarus, præco Evangelii non minùs zeloſus quam diſertus, præfuit ſuis Prior Gandavi ac Brugis. Tandem morte inopinatâ, Teneramundâ rediens & à Priore benedictionem petens, ante pedes ejus expiravit, Gandavi 3 Septembris 1630. Ejus ſunt hæc:

Conſolatorium Animæ hinc migrantis, ſive *Praxis juvandi ægrotos*. Gandavi, 1618. 12. apud Corn. Marium.

Syntaxis ad Verbi Dei tractationem, Alphabeti ſerie. Antver. 1622. 8. typis Guil. à Tongris; Duaci apud Bellerum 1624. & Pariſiis 1682, curâ *Petri Guſſanvillæi* Presbyteri Carnotenſis.

Officina ſacra Biblica, præcipuarum dictionum S. Scripturæ, ordine ſimiliter Alphabetico. Duaci, 1624. 8. typis Belleri.

Hieroglyphica ſacra, id eſt Rerum ſacratarum & divinæ ſapientiæ arcanorum Sacræ notæ &c. Antver. 1627. 12.

Enchiridion Concionatorium, ex Roſa aurea *Silveſtri Prieratis*, Ord. Prædicat. Ibid. 1619. 8.

Perſpectiva Chriſtianæ Nobilitatis, latinè, hiſpanicè, gallicè & belgicè. Ibid. 1626. 8. apud Verduſ.

Victoria & Triumphus Apoſtolicæ Rom. Eccleſiæ, & caſus Synagogæ hæreſeos, Belgicè. Gandavi, 1625.

Libellus Precum, ex Soliloquiis S. Scripturæ, item Belgicè. Ibid. 1626. Nec non alia quædam Opuſcula, de quibus conſule Belgium Dominicanum, Authore P. de Jonghe, editum Bruxellis 1719.

GUILIELMUS PANTINUS,

Tiletanus Flander, Medicus Brugenſis, Lovanii vixit, ſcripſitque

Commentarios & Annotationes in Corn. Celſi De re Medica libros VIII. Baſileæ excudebat Joan. Oporinus, fol. 1552.

Deceſſit Brugis, an. 1583. VI. Nonas Octobris, ad D. Walburgis ſepultus. Patruus hic major fuit *Petri Pantini*, Tiletani, Decani ad S. Gudilam Bruxellis, viri famâ ſcriptiſque clari. Illud memorabile de *Guilielmo*, hoſti Brugas invadenti proceſſiſſe non aliter obviam, quàm duobus armatum libris, uno in pectore, altero à tergo.

GUILIELMUS PARADIS,

Namuranus, S. T. B. F. Eccleſiæ Collegiatæ B. M. V. Namurci Canonicus & per annos XVII. Decanus, obiit menſe Novembri 1648.

Scripſit *Tractatum de Reſervatione, ſeu Caſibus Reſervatis*. 4. Namurci 1644. & Lugduni 1665.

GUILIELMUS PARENT,

Medicus Leodienſis, edidit, graſſante lue epidemicâ,

Methodum ſanandi Peſte affectos. 8. Leodii 1669.

Dialogum inter Hippocratem, Paracelſum & Themiſoonem, quo demonſtrantur omnes cauſæ Peſtis, ejuſque ſpecies & effectus; ſimulque probantur Poſitiones Methodi ſuæ ſupra-dictæ. Leodii 1671. 8.

Digitized by Google

GUILIELMUS PISO,

Lugduno-Batavus, Medicinæ Doctor, magnam vitæ partem exegit in Braſilia (dum hanc regionem Batavi occuparent) item in Indiis occidentalibus. Hîc itaque, auſpicio & beneficio Mauritii Comitis Naſſoviæ illarum Provinciarum & Maris ſummi Præfecti, deſcripſit

Hiſtoriam naturalem Braſiliæ; in qua non tantùm plantæ & animalia, ſed & indigenarum morbi ingenia & mores deſcribuntur, & iconibus pluſquam ſoo. illuſtrantur. Lugd. Bat. apud Franc. Hackium, & Amſtelod. apud Ludov. Elzevirium, 1648. fol.

De Indiæ utriuſque Re, naturali & Medicâ, Libr. XIV. Amſtel. apud Elzevirios, 1658. fol. Authores vero & tituli Librorum, qui hoc Volumine exhibentur, ſunt, teſte Lindenio de Scriptor. Medicis.

I. Guil. Piſo, de Aëribus, aquis & locis.

II. De natura & cura morborum, Occidentali Indicæ, imprimis Braſiliæ, familiarium.

III. De Animalibus, aquatilibus, volatilibus, & terreſtribus, educibilibus.

IV. De arboribus, fructibus & herbis Medicis, atque alimentariis, naſcentibus in Braſilia & regionibus vicinis.

V. De noxiis & venenatis, eorumque antidotis: quibus inſertæ ſunt animalium quorumdam vivæ ſectiones: tum & aliquot Metamorphoſes Inſectorum.

VI. Mantiſſa aromatica, ſive de Aromatum Cardinalibus quatuor, ſcilicet Canellâ, Caryophillâ, Nuce muſcatâ & Pipere; deque Plantis aliquot in Medicinam receptis, Relatio nova.

Accedit *Georgii Marcgravii de Liepſtat Tractatus Topographicus & Meteorologicus Braſiliæ, cum obſervatione eclipſis ſolaris.*

Commentarius ejuſdem, de Braſilienſium & Chilenſium indole ac lingua &c.

Item *Jacobi Bontii*, Bataviæ novæ in majore Java Medici Ordinarii, *I. De conſervanda valetudine. II. Methodus medendi. III. Obſervationes in cadaveribus. IV. Notæ in Garciam ab Orta. V. Hiſtoria animalium, & VI. Plantarum.* Quibus ſparſim inſeruit G. Piſo Annotationes & Additiones, quâ Icones atque res neceſſarias.

GUILIELMUS PHILIPPI,

Hallenſis, in Academia Lovanienſi J. U. ac Medicinæ Licentiatus atque Profeſſor, Philoſophiam quoque per annos XXXII. in Pœdagogio Lilienſi docuit, ubi & inter Magiſtros Artium tertius anno 1618. promotus fuerat. Dein uxorem duxit, retentâ ſimul Philoſophicâ Profeſſione, in vim ſententiæ Conſilii Brabantiæ; ita tamen, ut impoſterum Profeſſoratu excideret ipſo facto, qui uxorem duxiſſet. Obiit Lovanii anno 1664, relicto filio *Joanne Antonio Philippi*, J. U. Doctore ac Profeſſore, viro admodùm faceto.

Edidit *Medullam Logicæ, Phyſicæ & Metaphyſicæ, ſecundùm Principia Ariſtotelis.* 4. Lovanii III. Tomis 1661. & ſequentibus.

GUILIELMUS PISCIS,

Sive Poisson, Atrebas, Poëta Laureatus, dedit carmine Elegiaco, (teſte Ferreolo Locrio)

Deſ. Eraſmi Roterodami Encomium, & Epitaphia in ejuſdem obitum. Lovanii, apud Rutgerum Reſcium, 1537. & Antverpiæ apud Mart. Cæſarem, anno eodem.

Meminit etiam Valerius Andreas alterius *Gisberti Piſcis*, Atrebatis, in Urbe natali cauſſarum Patroni, eique adſcribit *Commentarium* luculentum & doctum *in Conſuetudines Artheſiæ*. An forte non idem Author, qui ſupra?

GUILIELMUS DE PRETERE,

Societatis Jesu, Bruxellæ anno 1578. natus, maximam vitæ partem Antverpiæ egit: totusque incubuit animarum saluti, omnia propterea factus omnibus; atque in primis B. M. Virginis honori ac cultui promovendo omnem industriam adhibuit. Scripsit, ediditque ascetica Opuscula sermone vernaculo.

Enchiridion Sodalitatis Beatæ Virginis. Antverp. 1611. 12.

Examen pro Confessione generali. Ibid. 12.

Spiritualem Paradisum piarum Cantionum. Ibid. 1619.

Remedium spirituale in morbis contagiosis. Ibid. 1614. 1625. & auctiùs 1626.

Moritur Antverpiæ die x. Novemb. anno 1626. ætatis 48. Vide de hoc plura apud Phil. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societ. Jesu.

GUILIELMUS PROCURATOR,

Cognomen hoc adeptus à cura Cœnobii Egmondani, Ord. S. Benedicti, apud Batavos. Continuavit *Chronicon Egmondanum*, incipitque ab Adæ Principis & Ludovici Lossensium Comitis infelicibus nuptiis, hoc est, ab anno 1205. in quo definit Monachus Egmondanus, qui Chronicon illud Belgicum, & potissimùm Hollandiæ, condidit, orsus ab anno 1147. Vide Joannem Vossium de Historicis Latinis libro II. cap. LV.

Guilielmus autem noster in Continuatione sua ad annum 1424. scribit se Monachum Egmondanum, & quondam fuisse Capellanum in Brederode.

Editionem *Chronici Egmondani*, unà cum *Continuatione*, Petrus Scriverius meditatus fuerat. Produxit autem Antonius Matthæus J. U. D. in Analectis Veteris Ævi, 1700. Tomo IV.

GUILIELMUS QUACKELBEEN,

Cortracensis, Flander, Medicus, Augerii Gisleni Busbequii valetudini præfectus, ac Byzantium cum eodem profectus, ibidem moritur, ut in Itinerario suo Busbequius memorat. Exstat illius ad Matthiolum Epistola prima libri III. Epistolarum Medicinalium *De Plantis quibusdam*, à se Constantinopoli ad Matthiolum missis.

GUILIELMUS A RADELANT,

Batavus, è vico de Eemnesse, J. U. D. Advocationis munere in suprema Provinciæ Ultrajectinæ Curia annos decem functus, exinde ibidem per XVIII. annos, nempe à die 4. Octobr. 1580. Consiliarius sedit; ac tandem à die 8. Junii 1598. Præsidis titulo honoratus fuit. Sed anno 1611. die 29. Maii ab eo officio per Status Provinciæ Ultrajectinæ exauthoratus, haud diu post supervixit. Symbolo utebatur: *Virtus repulsæ nescia sordidæ.*

Prodierunt à morte

Decisiones ejus postumæ, memoriæ causâ, dum vixit, annotatæ, *Curiæ Provincialis Trajectinæ*, 1637. 4. typis Joan. Doornii, & rursus 1648 Amstelodami.

GUILIELMUS DE REBREVIETTES,

Artheſius, Vir Nobilis & Dom. d'Escouvres, scripsit gallico idiomate

Imaginem Nobilitatis S. Gertrudis ejusque parentum. 8. Paris. 1612.

Imaginem veri Pastoris, seu Historiam S. Alberti Leodiensis Episcopi. 8. Paris. 1613.

Apotheosin Christianam, sive Panegyricum Sereniss. ALBERTI, Belgarum Principis &c. Bruxel. 1622. 8.

Digitized by Google

GUILIELMUS RUCHIUS,

Gandavenſis, Presbyter, ſcripſit *Caroli V. Genealogiam*, editam Antver. 1536. typis Graphæi.

GUILIELMUS A RUYSBROECK,

Ordinis Minorum Hiſtoricus, ſcripſit, teſte Valerio Andrea,

Itinerarium Orientis.

De Geſtis Tartarorum.

Porrò is eſt (ut credo) *Guilielmus de Rubriquis*, anno 1255. à S. Ludovico Rege miſſus ad Principem Tartarorum. *Vide Hiſt. S. Ludovici.*

GUILIELMUS CORNELIUS SCHOUTENS,

Hornanus, Batavus, edidit *Diarium* vel deſcriptionem itineris à ſe facti annis 1615, 16. & 17., cum à parte Auſtrali freti Magellanici novum ductum in magnum Mare detexit, totumque Orbem circum-navigavit. 4. cum fig. Amſtel. 1619. ac rurſum 1648. item gallicè ibid. 2. Vol. in 12. 1706.

Extat Inſula in Mari pacifico prope novam Guinæam, quæ in hodiernum diem ab Inventore ſuo *Schoutenii Inſula* appellatur.

GUILIELMUS SEGUIER,

Audomaropoli in Artheſia natus anno ſæculari 1600. Ordinem FF. Prædicatorum profeſſus in patria anno ætatis XVII. in Academia Duacena lauream Magiſterii in S. Theologia obtinuit die 9. Novembris 1637. Tornaci tertiùm Priorem egit: ac tandem à ſuis Audomarenſibus anno 1670. in Priorem expetitus, vix inchoato regimine infirmari cœpit, ac vivere deſiit 11. Aprilis anni ſubſequentis. Vir diſciplinæ tenax, Privilegiorum Regularium defenſor, Juriſperitus æque ac Theologus, & imprimis Hiſtoricarum Antiquitatum curioſus ſcrutator.

Sepultus in periſtilio juxta Eccleſiæ PP. Audomarenſium odæium, hac inſcriptione.

Monumentum
Rev. Adm. ac Eximii P.F.
GUILIELMI SEGUIER,
Ord. Prædic. Sac. Theol. Doctoris,
Et Studii generalis Duacenſis
in Collegio S. Thomæ
Repetitis vicibus Regentis primarii;
Privilegiorum Mendicantium,
Suis ſcriptis fidelis defenſoris,
Sæpius Capitulorum Provincial.
Diffinitoris, tertiò Tornaci,
Ac ſui Conventûs Audomarenſis
Prioris emeriti,
Qui ætatis ſuæ anno LXXII. obiit
XI. Aprilis M. D. C. LXXI.
R. I. P. A.

Scripſit autem hæc.

Præludia defenſionis FF. Mendicantium pro jure deferendi rectà ad ſuas Eccleſias corpora Fidelium defunctorum, quorum ſepultura ibidem electa eſt. 12. Duaci 1664.

Pharetra defenſionis Mendicantium, continens Jus commune circa ſepulturam fidelium apud Religioſos &c. Duaci 1648.

Bulla Urbani VIII Papæ, & Declarationes Congregationis Cardinalium circa ſepulturam fidelium in Eccleſiis Regularium, adjunctis Notis ad Litteras Monitoriales ſub nomine Proſperi Caffarelli Auditoris Generalis Cauſſarum Cameræ Apoſtolicæ publicatas &c. 8. Duaci apud Bellerum. 1651.

Laurea Belgica Ordinis Prædicatorum, in celeberrimis Belgii Univerſitatibus Lovanienſi & Duacenſi comparata. 12. Tornaci apud Viduam Andreæ Quinque 1659.

Laurea Belgica &c. in diverſis extra Belgium Univerſitatibus comparata. &c. Ibid. 1660.

Inſulæ Belgicæ Ordinis FF. Prædic. ſeu de Epiſcopis, qui ex eodem Ordine Belgium illuſtrarunt. Ibid. 1660.

Palma triumphalis SS. Roſarii, de

Turcis anno 1571. *à Principibus Chriſtianis, prælio navali ad Naupactum reportata.* Duaci 1665.

Triumphus Doctrinæ S. Thomæ quinti Eccleſiæ Doctoris, ſapientum orbis Chriſtiani judicio elogioque expreſſus. MS. apud Dominicanos Audomarenſes, uti & ſequentia.

Monumenta & Antiquitates Provinciæ Inferioris Germaniæ : item gallicè *Diarium Antiquitatum ac rerum notabiliorum, tum Ordinis, tum patriæ ſuæ* ; aliaque plura, quorum ſeriem vide in Bibliotheca Scriptorum Ord. Prædic. Tomo II. pag. 639.

GUILIELMUS SIMONIUS,

Tiletanus, Flander, in compendium redegit

Vitas Sanctorum, Aloyſio Lipomano collectore. Lovanii, typis Saſſeni.

GUILIELMUS DE SOMERE,

Sylvæducenſis, ibidemque ultimus ante occupatam à Batavis civitatem in Conventu Prædicatorum Prior, vir integer vitæ, ſceleriſque purus, ex libris potiſſimùm Ludovici Granatenſis Prædicatorii Ordinis Aſcetici inſigniſſimi, collegit

Viridarium ſeu Paradiſum Frecum. Sylvęd. 1621. 12.

Poſt expugnatam anno 1629. Sylvamducis, cum fratribus exulans, piè moritur menſe Martio 1635.

GUILIELMUS SPOELBERGH,

Bruxellis naſcitur anno 1569. die XXI. Auguſti, dein Ordini FF. Minorum adſcriptus, ejuſdem per Provinciam Belgicam Definitor, variiſque in locis Præfectus ſive Guardianus, ut illi vocant, fuit ; atque utiles frequenteſque ad populum conciones habuit. Scripſit, vertitque vernaculo ſermone varia, veluti

Speculum Conſcientiæ.

Exercitia ſuper myſteriis Sacrificii Miſſæ.

Meditationes de bonitate Dei.

Meditationes ſuper XL. Opera B. V. Mariæ.

Catholicam Inſtructionem contra Catechiſmum Phil. Marnixii. &c.

Triumphum Sanctorum ex tertio Ordine S. Franciſci, cum Iconibus.

Latinè verò edidit, Notationibus auctius emendatiuſque, *Speculum Vitæ B. Franciſci & Sociorum ejus.* Antver. 1621. 8.

Manuale Fratrum Minorum.

Conciones Morales de Dominicis, Feſtis ac Feriis per annum, apud Guil. Leeſtenum, 1626. 4. Quibus poſtea acceſſerunt *Collationes Morales ad ſingulas Dominicas & Feſta*, itemque *Exhortationes ad Religioſos.* Ibid. apud eumdem, 1632. in 4.

Machliniæ an. 1633. Kalendis Junii, diem clauſit extremum, ſepultus in choro, quem à fundamentis reſtaurare cœperat.

GUILIELMUS STANIHURSTUS,

Bruxellenſis, Nobili ac perantiquâ apud Hibernos familiâ oriundus, patre *Richardo*, qui ob fidem Catholicam exul in Belgio, elatâ dein uxore ordinatus Sacerdos, Sereniſſ. Principibus Alberto & Iſabellæ fuit à ſacris Oratorii. Ipſe vero *Guilielmus* anno 1617. Societati Jeſu adſcriptus, varia illic ſubiit munia, fuitque Eccleſiaſtes celeberrimus, ac plurium librorum ſcriptor ; fato functus die 10. Januarii 1663.

Theſaurus Moralis Franciſci Labatæ, cum Additionibus Stanihurſt. 1652. Antv.

Regio Mortis. Antv. 1652.

Carcer inferni. Ibid. 1655.

Digitized by Google

Dei immortalis in corpore mortali patientis Hiſtoria 8. Ibid. 1660.

Quotidiana Chriſtiani hominis Teſſera. Ibid. 1661. in 4.

Veteris hominis, per expenſa IV. Noviſſima, Metamorphoſis, & novi Geneſis. 8. Ibid 1661. item gallicè Duaci 1666.

Selectiſſima moralis Doctrinæ præcepta, metris expreſſa. 12. Ibid. 1662.

Eccleſia Militans. 4. Antv.

Album Marianum, in quo Dei in Auſtriacos Beneficia, & Auſtriacorum erga Deum obſequia recenſentur. fol. Lov. 1641. tacito Authoris nomine.

GUILIELMUS SPREEUWEN,

Trudonenſis, Canonicus Regularis Tungrenſis, vir piiſſimus, ex utero materno dicatus Deo, cœleſtium contemplationi totus addictus, atque *in meditatione Vitæ & Paſſionis Chriſti exardeſcens, de dilecti ſui* Jesu *actionibus & paſſionibus faſciculum myrrhæ ſibi colligebat*, ut in Vita ejus legitur. Deſiit eſſe inter vivos anno 1467. die XXIV. Julii. Prodiit à morte, poſt centum & ſexaginta annos, procurante *Joanne Voetſio*, ejuſdem Ordinis ac loci Religioſo,

Faſciculus Myrrhæ, ſeu *Pii Diſcurſus ſuper Myſteria Redemptionis humanæ & præcipua totius anni Feſta.* Lovanii, 1631. in 12.

Item *Schola triplex, Perfectionis, Compaſſionis & Jubilationis.* Ibid. 1632. 12.

GUILIELMUS TAELBOOM,

Brugenſis, Lovanii anno 1561. inter Magiſtros Artium quarto loco promotus, dein ibidem S. T. Licentiatus, ac Paſtor primùm S. Annæ, & Sacrarum Litterarum apud Brugenſes Profeſſor, pòſt anno 1590. Canonicus Graduatus, & dein Archidiaconus Audomaropolitanus, ſcripſit

Laudationem funebrem in obitum Jacobi Pamelii, Epiſcopi Audomaropolitani deſignati. Antverpiæ, typis Petri Belleri, 1589. 4.

Brugis anno 1580. *Orationem Apologeticam pro Defenſione Catholicæ Religionis* habuit; & *Diſputationem De Verbo Dei non ſcripto*, cum ſectæ Calviniſticæ Miniſtris. Excudit Lovanii Maſius, 1588. 8. Ob hanc juſſu Magiſtratûs Acatholici exulare coactus, relequos vitæ dies exegit Audomaropoli, ubi & extremum obiit anno 1608, die XIX. Septembris, ætatis 68, ſepultus Brugis apud FF. Guilielmitas, ſub hujuſmodi Epitaphio.

Datori Vitæ, Mortis Victori
Sacrum.
Guilielmo Taelboom,
Brugenſi, S. Th. Lic. in Urbe patria
Profeſſ. publico,
Simul in Æde D. Annæ & S. Crucis
Flamini vigilantiſſ.
Subinde Canon. Archidiacono
Primario Audomarenſi,
Dum munere ſuo hîc & illic
Defungitur,
Ac hoſtibus Religionis
Fortiſſimè reſtitit,
Exceſſit terris, annos natus LXVIII
Ut cœlo frueretur,
XI. Kal. Octobr. M. D. C. VIII.
Patruo hæredes,
Et Avunculo cariſſimo
Piet. & Mem. cauſſâ H. M. P. C.
Hoſpes jacenti fauſta precatus,
Diu vivas ſoſpes.

GUILIELMUS TASSELON,

Bruxellenſis, Ord. Eremit. S. Auguſt. creatus in Academia Lovanienſi S. T. Doctor anno 1640. die 10. Januarii, hinc Definitor ac Viſitator Ordinis. E Capitulo generali Romano in Belgium reverſurus, Bergomi in Ditione Veneta moritur anno 1649. die 4. Novembris. Edidit

Theologiam Auguſtinianam, ſive *Conclu-*

ſiones Theologicas de Deo uno & Trino, Angelis & primo homine, &c. Lovanii, typis Maſii. 1643. 4.

Item *Concluſiones è Theologia univerſa.* Ibid. 1646.

GUILIELMUS TEELINCK,

Ziriczæus, Calviniani dogmatis Miniſter Middelburgi apud Zelandos, fœcundus (ſi quis alius) vernaculorum libellorum author. Fertur enim uſque ad 127. ſcripſiſſe aut edidiſſe, quorum pleriſque Religionem Catholicam impugnavit, aut per modum Exhortationum conterraneos ſuos in cœca pertinacia continuit. Elenchum vide in Zelandia Litteraria D. Petri de la Rue, editâ Medioburgi 1734. pag. 200.

Obiit *Guilielmus Teelingius*, Medioburgi die 8. Aprilis 1629. Fratrem habuit *Ewaldum Teelingium*, Juriſconſultum, patriæ civitatis Ziriczeæ Conſulem, & Ordinum Zelandiæ Tribunum Ærarii generalem: ſcriptis quoque Theologicis famoſum: ſed pleriſque pſeudonymis, ſub titulo *Irenæi Philalethii.* Obiit eo ipſo anno 1629. à Giſberto Voetio inter celebriores Calviniſtas memoratus. Extat Operum ejus Elenchus inter Scriptores Zelandiæ, ut ſupra, pag. 198.

GUILIELMUS A THENIS,

Brabantus, Dominicanus, ſub annum 1400 claruiſſe creditur. Scripſit

Commentarium in Libros IV. Sententiarum. Lecti fuere MSS. Lovanii, apud Auguſtinianos. Ex Bunderii Indice.

GUILIELMUS DE TORNACO,

Ex Ordine Prædicatorum Theologus, in Academia Pariſienſi claruit anno 1260. & 1275. Scripſit

In Libros IV. Sententiarum.

In univerſa Biblia.

In Matthæum, MS. Trecis, in Gallia, apud Dominicanos.

In Epiſtolas D. Pauli.

Tractatum de modo docendi pueros. MS. in Monaſterio Dunenſi, apud Brugas.

Sermones de Tempore & Sanctis. MS. Lovanii ad S. Martinum, in fol. Hæc ferè Bunderius. Plura vide inter Scriptores Ordinis Prædic. P. Echard, Tomo I. pag. 349.

GUILIELMUS DE TORNACO,

Ad S. Martinum Tornaci Monachus Benedictinus, claruit circa annum 1249, ac collegit

Flores ex Operibus D. Bernardi, ideſt *Opus Exceptionum ſive Florum*, ut auctor indigetat, *Bernardini* titulo, libris X. MS. Tornaci; hoc initio: *Cùm non eſſem alicui exercitio magnopere occupatus &c.* Extat Pariſiis vulgatum anno 1499. ac rurſus Lugduni anno 1556. ſed nomine auctoris utrobique ſuppreſſo.

GUILIELMUS,

Monaſterii Truncinienſis, Ordinis Præmonſtrat. juxta Gandavum Abbas XVI. & ultimus non mitratus; Vir eruditus, utravis oratione vinctâ ſolutâve diſertus. Obiit anno 1514. Scripſerat

Poëmata varia & *Epigrammatum* lib. I. qui hodieque ibidem adſervatur. Cætera anno 1566. Iconoclaſtarum furore perierunt.

GUILIELMUS VELDIUS,

Geldrienſis, (Trithemius Venlonienſem facit) Canonicus Regularis S. Auguſtini in Franckendael, Diœceſis Wormatienſis; Philoſophus, Mathematicus ac Coſmographus, Trithemii ævo atque elogio celebris, ingenio profundus: ſcripſit

Empy-

Digitized by Google

Empyreale majus, ſive de toto Univerſo, libros XXIV.

Empyreale minus: prioris Compendium, libris VII.

Statuta Sororum Ordinis ſui.

Mathematica nonnulla, *Sermones*, *Epiſtolas*, & alia. Ex Trithemio libro de claris Scriptoribus Germaniæ.

GUILIELMUS VANDE VELDE,

Bruxellenſis, olim Lovanii primus in Scholis Artium è Pœdagogio Falconenſi anno 1610; inde in Lilienſi Profeſſor Philoſophiæ Primarius, nec non J. U. L. ac Decretorum Profeſſor, Collegiique S. Ivonis ſeu Baccalaureorum Præſes; poſtremò in Metropolitana Cameracenſi Eccleſia Canonicus.

Scripſit *De Privilegiis Nominationum Academiæ Lovanienſis Tractatum* doctiſſimum, qui hactenus MS. apud plures Academicos legitur.

GUILIELMUS VERHEYDEN,

Gravienſis, Brabanticæ ſive Geldricæ ditionis, edidit

Orationem Venetam De Ortu & Occaſu maximorum Imperiorum.

Orationem de Ratione ſtudiorum ſuorum, impreſſam Hagæ-Comitis, & Lugd. Batavorum.

Obiit in expeditione Hulſtana, in Flandria, anno 1591. Vitamque ejus dedit *Jacobus* frater.

GUILIELMUS VORNTKEN,

Ultrajectinus, Canonicus Regularis S. Auguſtini anno 1399. profeſſus in Windeſemenſi Cœnobio, Prior II. in Monte S. Agnetis prope Zwollam, pòſt XVII. annorum præfecturam ad propriam Domum, totumque Ordinem ſive Capitulum Windeſemenſe regendum revocatur, præfuitque ibidem Prior ordine quartus annos XXVIII. Ordinis ſui decus & gloria. Scripſit

De Fundatoribus Monaſterii Windeſemenſis, in Germania Inferiore, teſte Joanne Bunderio in Indice. MS. in Biblioth. publica Ultrajectina, hoc titulo: *Regularium Canonicorum Viri Illuſtres, ſeu De Origine Collegii in Windeſſeime.* Incipit: *Illuſtrium Patrum geſta præclara.*

Moritur anno 1455. ætatis ſuæ LXXXII. profeſſionis LVI. non ſine ſanctitatis opinione.

Vide Joannem Buſchium Chron. Windeſem. Lib. II. Cap. XLVIII. & Thomam à Kempis in Chronico Montis S. Agnetis.

GUILIELMUS DE WAAL A VRONESTEYN,

Ultrajecti apud Batavos nobili familiâ natus, poſtquam in Equeſtrem Ordinem Teutonicum fuiſſet adſcriptus, ſanctiùs Deo ſe in Societate Jeſu dedicavit Romæ anno 1602. Concionatorem egit multis annis, Rectorem Trajecti, Lovanii Bruxellis per annos amplius 20. Provinciamque totam bis adminiſtravit. Vivere deſiit Bruxellis pridie Kalendas Septembris 1659. Edidit

Coronam SS. Chriſti Vulnerum, 35. *Conſiderationibus illuſtratam.* 8. Antverpiæ 1649. & Bruxellis 1657. latinè; item flandricè Antv. 1654.

Epitomen Hiſtoriæ Crucis Caravacanæ, Flandrice. Antv. 1649.

Officium Paſſionis Domini, & Methodum perveniendi ad bonam mortem. 12. Bruxellis.

Epiſtolam Parænetícam ad Virgines Deo devotas, adlaborantes in inſtituendis ad pietatem Chriſtianam puellis. flandricè Bruxellis 1656. & aliàs.

GUILIELMUS DE WARLINCOURT,

Bethunienſis, Poëta, luſit
Poëmata ſacra & profana.
Veteris & novi Teſtamenti Cantica, & *Jobæ Propheticæ partem* erudito carmine illuſtravit.

GUILIELMUS ZENOCARUS,

Aliàs SNOECKAERT, à Schauwenburgo, Brugenſis, Eques, Toparcha arcis vetuſtæ ac nobilis de Binckhorſt juxta Hagam-Comitis, Carolo V. Cæſari à Bibliothecis, & in Hollandiæ Senatu à Conſiliis: Scripſit
De Republica, Vita, & Geſtis Caroli V. Aug. libros VII. numero, (ut ait Marchantius) pondere & menſurâ. Excuſi Gandavi, apud Manilium, 1560. fol.

Stemma *Guilielmi Zenocari* habes è ſubjecto parentum ejus Epitaphio, quod Brugis in Cathedrali D. Donatiani Eccleſia extat affixum parieti.

Deo Opt. Max.
Graviſſ. ac eloquentiſſimo Viro,
Domino MARTINO ZENOCARIO,
Sacratiſſimi Imperatoris Caroli V.
Cæſaris Aug. Secretario,
Ac hujus celeberrimæ urbis
Archi-Graphiario,
Poſt XVII. annos
Diligentiſſimè atque ſanctiſſimè
Hanc Rempublicam adminiſtratam,
Ac honeſtiſſimæ Matronæ
LIVINÆ BENNING,
Singularis naturæ fortunæque
Dotibus prædítæ,
Parentibus bene meritis,
Neque teſtamento juſſi,
Neque fideicommiſſo gravati,
Sed mortis memores,
Amoris ac pietatis ergo
Filii mæſtiſſimi poſuere.
Vixerunt
Ille ann. XLVII. menſes VI. dies XX.
Hæc ann. XXXVII. menſes IX. dies XV.
Obierunt
Anno poſt natum Chriſtum,
Hæc M. D. XXVIII. menſ. Feb. die XXVIII. ille anno XXXIII. menſ. Octobris die VI.

GUIMANNUS,

Religioſus Vedaſtinus, Ord. S. Benedicti, deſcripſit prima *Domûs Vedaſtinæ* cunabula, & pleraque cùm Pontificum tum Imperatorum & Regum Privilegia collegit. Claruit anno 1160.

GUINANDUS RUTGERSIUS,

Dordracenus, Batavus, ſcripſit *Inſtitutionum Metaphyſicarum* libros II. Oppenhemii, 1610. 12. typis Lævini Hulſii. Filium reliquit *Joannem Rutgerſium*, Guſtavo magno Suecorum Regi à conſiliis & Legationibus; de quo infra.

GUMMARUS CRANIUS,

Vulgo VAN CRAEN, è Wavria S. Catharinæ prope Mechliniam, Paſtor in Zulſicke (quæ eſt Parochia Diœceſis Mechlinienſis ſub Decanatu Rothnacenſi) Poëta elegans & facetus, in gratiam Eccleſiaſticorum familiam alentium, ac præſertim Paſtorum edidit, leonino verſu, opuſculum, lectu dignum, cui titulus:
Æconomia moralis Clericorum, duobus Tractatibus Carmine leonino breviter ac lepidè deſcripta: qualiter domi cum domeſticis, præſertim ancillâ; in conſortio cum laïcis, præſertim feminis; in officio cum ſubditis, præſertim ruſticis, vivendum. 8. Lovanii apud Coppenium 1653. item Antverp. apud Jouret 1710.

GUNTHERUS,

Monachus Elnonenſis ad S. Aman-

Digitized by Google

dum; in Gallo-Flandria, Congregationis Cluniacenſis, floruit temporibus Frederici Barbaroſſæ Imp. anno 1160. Poëta ſæculo illo princeps, Theologus clari nominis; Sigeberto cap. 167. De Viris illuſtribus, ac Trithemio laudatus. Scripſit eleganti metro

Martyrium & Paſſionem SS. Cyriaci & Julittæ. MSS. ad S. Amandum.

De Oratione, Jejunio & Eleemoſyna libros XIII. Baſileæ, 1504. & 1507. apud Mich. Furterum, 4.

Ligurinum, ſive *De Geſtis Friderici Barbaroſſæ Imp.* libros X. verſu heroïco. *Ligurinum* inſcripſit, quòd bella Ligurum & Inſubrium, hoc eſt Mediolanenſium, contineat. Argentorati, 1531. Baſileæ. 1569. cum Othone Friſingenſi, Francofurti, 1584. fol. & Tomo tertio Rerum Germanicarum ex Bibliotheca Juſti Reuberi J. C. cum Scholii *Jac. Spiegelii*, atque alibi, cum Notis *Cunradi Rittershuſii:* ut vel hinc libri illius æſtimes ſive doctrinam ſive argumentum. Sed & Auctor ipſe ad libri decimi finem de ſeipſo ita cecinit: *Hoc quoque me famæ, ſi deſint cetera, ſolùm Conciliare poteſt, quòd jam per multa latentes Sæcula, nec clauſis prodire penatibus auſas Pierides vulgare paro, priſcumque nitorem Reddere carminibus, tardoſque citare Poëtas. &c.* Conſule Oudinum de Scriptor. Eccl. Tom. II. pag. 1651. qui hæc opera *Gunthero* Monacho Ord. Ciſt. Germano attribuit.

GYBERTUS LONGOLIUS,

Ultrajectinus, nobili Langerackiorum familiâ oriundus: græcè latinèque doctus, in patria, unà cum Corn. Valerio collega, Literas, cùm latinas, tum græcas potiſſimùm, didicit, docuitque. Medicus poſtea Andernacenſis, ac domeſticus Hermanni Archiepiſcopi Colonienſis, (qui tum in apoſtaſiam deteſtandam lapſus erat) in Ubiis circa annum 1544. fermento & ipſe Luterano infectus periit. *Ea de cauſa* (inquit Chytræus, ejuſdem farinæ homo, libro XII. Chronici Saxoniæ,) *cùm defuncto ſepulturæ locus in cœmeteriis urbis Colonienſis negaretur; exuviæ corporis Bonnam delatæ ſunt.* Scripta verò illius, utpotè ad rem Medicam ac litterariam ferè ſpectantia, legi permittuntur:

Scholia brevia *in Deſ. Eraſmi* libellum *De Civilitate morum puerilium.* Coloniæ, 1530. Pariſiis & alibi.

Annotationes in Metamorphoſin Ovidii. Coloniæ apud Gymnicum, 1534. & 1538. 8.

Annotationes ad loca difficiliora Rhetoricorum ad Herennium. Ibid. 1535. 8.

Scholia quædam *in Plautum.* Ibidem 1538. 8.

Scholia in libros Elegantiarum Laur. Vallæ. Ibid. 1539. 8.

Dialogus de Avibus (quas *Pulveratrices* appellant) *& earum nominibus*, græcis, & latinis & germanicis: ad intelligendos Poëtas utilis. Adjectum eſt *Longolii Carmen Elegiacum protrepticum ad bona ſtudia.* Ibid. 1544. 8.

Scholia ad Vitas Imper. Græcorum Æmilii Probi. Coloniæ in 8.

Lexicon Græco-latinum auctum. Ibid. 1533. 8 apud Joan. Prælium.

Philoſtratus De Vita Apollonii Tyanei, interprete *Alemano Rhinuccimo*, ad græcum exemplar emendatus: *Annotationibus* etiam *ad marginem adjectis.* Ibid. 1532. 8.

Plutarchi Opuſcula aliquot Moralia, à *Longolio* primùm Latinè reddita, I. *Num Seni gerenda ſit Reſpublica.* II. *De parentum erga liberos amore* III. *Cauſarum Naturalium liber.* IV. *Utrùm Aqua an Ignis ſit utilior.* V. *Stoicos magis mirabilia, quàm Poëtas aſſerere* VI. *De tribus Reip. formis, Monarchia, Democratia, Oligarchia.* VII. *De Odio & Invidia.* Ibid. 1542. 8.

Denique *Concilium Nicænum* è græco quoque latinum fecit. Ibid. 1540.

H.

PP. HAGIOGRAPHI E SOCIET. JESU,

INter Hiſtorias Monumentaque Eccleſiaſtica, inſignem ſibi locum, communi Eruditorum conſenſu, vindicant libri, qui *Acta Sanctorum* inſcribuntur. Opus vaſtiſſimum, ab Hagiographis Belgis, Societatis Jeſu Theologis, exaratum: jam prope à ſæculo inchoatum, atque hoc anno 1736. ad Tomum XXXIV. perductum, ac facile ultra LXX. producendum, cum nunc tantùm uſque ad diem XII. Auguſti perventum ſit. Opus, in quo geſta Sanctorum omnium, omnis nationis, conditionis ac temporis, quotquot toto Orbe legitimum cultum habent, ex Latinis & Græcis, aliarumque Gentium antiquis monumentis eruuntur; ordine dierum ac menſium digeruntur, ac Commentariis prævis Notiſque illuſtrantur.

Fundamentalem Operis hujus lapidem poſuit *P. Heribertus Roſweydus*, Ultrajectinus, Societ. Jeſu Theologus ac Concionator Antverpiæ; qui dum Vitas Sanctorum ſermone vernaculo dilucidat, diverſa ſimul monumenta ad SS. ſpectantia, in variis Belgii Bibliothecis aut aliunde acquiſita, collegit; & amplius quidpiam jam tum molicbatur, dum anno 1629. piis conatibus ejus mors finem Antverpiæ impoſuit.

Tum juſſu R. P. *Jacobi Stratii*, per Provinciam Flandro-Belgicam Præpoſiti Provincialis, Antverpiam accerſitus eſt *P. Joannes Bollandus*, Limburgenſis è Julio-monte, Vir multiplici ſcientiâ ac utili variarum Linguarum notitiâ præditus: ut rudem hanc indigeſtamque molem, à Roſweydo derelictam, accuratiùs diſcuteret, ac ſegregaret. Eâque occaſione natus eſt *Bollando* animus, aggrediendi Operis ſolidioris, cui titulus: *Acta Sanctorum*. Quam provinciam verè arduam, ſolus ipſe, amicis hortantibus, animo impavido ſuſcepit, ac nonnulla ſcribere aggreſſus eſt horis ſubſecivis: nam plurimis aliis negotiis, atque imprimis concionibus latinis ad optimates habendis, diſtinebatur.

Cum vero tam magnum ac difficile opus ſub manu ſolius *Bollandi* lentè procederet, Socius laboris ei adjunctus eſt P. *Godefridus Henſchenius* Venradienſis Gelder. Atque ita prodiit anno 1643. curante *Bollando* Menſis Januarius, duobus magnæ molis Voluminibus, typis Joann. Meurſii. *In quo M. C. LXX. nominatorum Sanctorum, & aliorum innumerabilium memoria, vel res geſtæ illuſtrantur.*

Interea *Henſchenius* gnaviter illuſtrabat Acta plurium SS. qui Menſe Februario occurrebant: ſed propter crebras *Bollandi* infirmitates, aliaque impedimenta, Menſis iſte Februarius, qui tria Volumina complectitur, primùm anno 1658 in lucem prodire potuit. Dein P. *Daniel Papebrochius*, Antverpienſis, ad idem Opus promovendum eligitur.

Eo tempore *Bollandus* ab Alexandro VII. Pont. quocum olim familiare litterarum commercium habuit, atque ab aliis dignitate & eruditione eminentibus Viris, Romam invitabatur, ut pro SS. Actis majorem veterum Monumentorum copiam in hac alma Urbe conquireret. Sed ille, propter infirmam valetudinem ſe excuſans, anno 1660. *Henſchenium & Papebrochium* pro ſe Romam deſtinavit, ut in Italia, aliiſve quà tranſeundum erat regionibus, ea colligerent documenta, quæ Operi perficiendo congrua judicarent. Succeſſit ex voto iter: favente enim Summo Pontifice, aliiſque Hagiophi-

lis ſubminiſtrantibus, copioſam Hiſtoriarum ſacrarum ſupellectilem ſub finem anni 1662. Antverpiam retulerunt ad *Bollandum*; qui anno 1665, prope ſeptuagenarius, labores ſacros beato (ut ſperare licet) fine complevit. Præfixum fuit ejus elogium Tomo I. SS. Martii.

Henſchenius & *Papebrochius* conjunctis dein viribus tam alacriter Operi inſtiterunt, ut anno 1668. Menſem Martium typis Meurſianis, tribus ingentibus Voluminibus, & 1675. totidem Menſis Aprilis Tomos typis Cnobbartianis evulgaverint. Additus eis fuit ſocius *P. Daniel Cardon*, Antverpienſis, qui ad ſublevandum onus aptiſſimus videbatur, utpote Scriptor elegans, ac ſeptem linguarum peritus. Sed virum longiore vitâ digniſſimum, anno 1678, ætatis ſuæ 34. contagioſus morbus avulſit: teſtante id ejus Elogio Tomo II. Menſis Maii præfixo.

Cum autem *Henſchenius* & *Papebrochius* anno 1680. tres primos Menſis Maii Tomos è prælo Cnobbartiano produxiſſent, *Henſchenius* tandem octuagenario major è vivis exceſſit anno 1681: debito celebratus encomio à conſodale *Papebrochio*: quod ante Tomum VII. Menſis Maii conſpicitur. Mox *Papebrochio* ſoli ſuperſtiti adjunxit ſe P. *Franciſcus Baertius*, Iprenſis Flander; & anno 1686. utrique acceſſit P. *Conradus Janningus*, Groninganus Batavus; atque ſub hoc triumviratu prodiêre Menſis Maii Tomus IV. & V. anno 1685, item VI. & VII. 1688. apud Michaelem Cnobbartium.

Propter notas illius temporis controverſias, citiùs expediri non potuit Menſis Junius, quam anno 1695. quo prodiit Tomus I. apud Henricum Theullier: ſecundus autem 1698. adjuncto interim novo Hagiographo P. *Nicolao Rayé*, Bruxellenſi, qui pro eruditionis ſpecimine exhibuit *Acoluthiam Græcorum* à ſe latinè redditam, eruditis notis explicatam, atque in idiomate utroque præfixam Tomo II. Junii. Verum novus iſte adjutor, aſſidui tetricique laboris hujus cito pertæſus, Lovanium ad Profeſſionem Theologicam pertranſiit.

Locum Raeyei occupavit P. *Franciſcus Verhoeven*, Brugenſis, vir ad ſtudium hagiographicum aptiſſimus, magnæque expectationis, niſi immatura eum mors ſuſtuliſſet; quemadmodum *Janningus* in brevi ipſius encomio teſtatur ante Tomum III. Menſis Junii, qui anno 1701. in publicum prodiit.

Itaque Hagiographi in Muſæum ſuum evocarunt anno 1702. P. *Joannem Baptiſtam Sollerium*, qui anno 1669. in Herſeaux territorii Cortracenſis pago natales habuit. Hic *Martyrologium Uſuardi* multis obſervationibus Notiſque illuſtravit, & unà cum ſociis ſtudia contulit ad reliquos Menſis Junii Tomos: quorum IV. anno 1707. V. 1709. VI. pro primâ Parte 1715. ac pro altera Parte 1717. è prælo exierunt.

Poſt editionem vero Tomi V. *Papebrochius* ob ingraveſcentem ætatem ab elucidandis SS. Actis deſiſtere coactus, tandem meritis ac ſenio gravis, anno 1714. longævam 86. annorum vitam cum morte commutavit. Elogium ejus, Tomo VI. Junii præfixum, concinnavit P. *Joannes Pinius*, Gandavi anno 1678. natus, & ad Muſæum Hagiographorum anno 1713. cöoptatus.

Obiit quoque anno 1719. P. *Franciſcus Baertius*, poſt quadriennalem ferme infirmitatem, annos tunc natus 68. Supplevit locum ejus P. *Guilielmus Cuperus*, Antverpiæ natus anno 1686, ac deceſſoris ſui ſtudia & inſignia patientiæ exempla laudavit, in fronte Tomi II. Julii. Vix autem *Baertius* animam efflaverat, quando &

Digitized by Google

Janningus hemiplexiâ correptus eſt, quæ virum prope ſeptuagenarium per annos circiter quatuor ad ſtudia Hagiographica prorſus inutilem reddidit, eumque tandem anno 1723. ex hac miſerâ vitâ eripuit. Interim ab anno 1721. inter Hagiographos adſcitus fuit P. *Petrus Boſchius*, Bruxellenſis (natus anno 1686.) qui egregias *Janningi* deceſſoris ſui virtutes ſuſceptoſque pro Hagiographia labores celebravit encomio, ante Tomum III. Julii præfixo.

Acta SS. Menſis Julii per antedictos Scriptores prælo Antverpiano ſubjecta fuerunt hoc temporis ordine: Tomus I. anno 1719. II. 1721. III. 1723. IV. 1725 V. 1727. VI. 1729. VII. 1731. Primus vero Menſis Auguſti anno 1733. II. 1735: atque ita ſingulis nunc bienniis Volumen unum. Singulis quoque Tomis præfixi ſunt Tractatus quidam Hiſtorici præliminares, quibus nomina Authorum ſuorum ſeparatim adſcribuntur, uti & quam quiſque Vitam elucidandam ſibi aſſumpſerit.

Dum autem Hagiographi *Sollerius*, *Pinius*, *Cuperus & Boſſchius*, hanc ſui laboris ſocietatem diuturniorem fore confidunt, ecce junior omnium Boſchius tantâ capitis imbecillitate affligi cœpit, ut ab omni ſtudio abſtinere cogeretur, nullâ etiam recuperandæ valetudinis ſpe affulgente.

Huic itaque ſucceſſit anno 1736. P. *Petrus Dolmans*, ex vico Limmel haud procul Moſæ-Trajecto anno 1697. ortus; qui Commentarios Tomo IV. Auguſti inſerendos parat, dum jam tertius Tomus ſub prælo ſudat. Faveant piis eorum conatibus Superi, pro quorum gloria tot labores vigiliaſque conſecrant!

HAIO HERMANNUS,

Friſius, J. U. Doctor, Caroli V. Cæſaris Conſiliarius, primùm in Senatu Friſico, dein à 28. Februarii 1532. in Rheno-Trajectino. Vir utriuſque linguæ peritus, & Deſ. Eraſmi litteris orbi notus, Luciani libellum, *περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ*, *De non facilè credendis delationibus*, à Rudolpho Agricola eleganter latinè factum primus in lucem protulit; nactus è Bibliotheca Pompeii Occonis ſoceri ſui: additâ doctiſſimâ Præfatione ad Erardum à Marca, Cardinalem & Epiſc. Leodicenſem. Lovanii, apud Rutg. Reſcium. 1530 8.

Exſtant ejuſdem *Epiſtolæ* aliquot ad Deſid. Eraſmum, volumini Epiſtolarum Eraſmianarum inſertæ, *quibus nihil purius, ſanius aut ſuavius*, ut in Ciceroniano ſuo ſcribit Eraſmus. Idemque præfando ad Senecam Philoſophum meminit ejuſdem, dum juvenis adhuc eſſet. *Felici*, inquit, *natus indole, ut unus videatur idoneus, qui Rodolphicæ laudis* (de Rodolpho Agricola loquitur) *ſucceſſionem capeſſat, tantique viri gloriam ſuſtineat, alioqui & patriam habens cum illo communem, & affinitate propinquus.*

HALITCHARIUS,

Sive HALITGARIUS, (quem HAICARIUM nominat Maſſæus in Chronico, ad annum 595.) XVII. Epiſcopus Cameracenſis, vir doctrinâ Apoſtolicus, & ad res agendas natus, à Ludovico Pio Imp. Caroli Magni filio, Conſtantinopolim ad Michaëlem Imp. miſſus, benignè & honorificè ab illo ſuſceptus fuit. Conſcripſit ad inſtantiam & preces Ebonis Remenſis Archiepiſcopi,

De Remediis Peccatorum, & ordine vel judiciis Pœnitentiæ libros VI. ex SS. Patrum dictis Canonumque ſententiis; qui meritò cenſeri debent inter primos Caſuiſtas. Legi ſolebant MSS. Coloniæ ad S. Pantaleonem, Corbeiæ in Gallia, & alibi. Legitur in Chro-

Digitized by Google

nico Cameracenſi libro I. cap. XXXVIII. & apud Flodoardum Hiſt. Remenſis libro II. cap. XIX. Epiſtola Ebonis ad *Halitcharium*, quâ ad dicti libri editionem eundem hortatur, cum reſponſione *Halitcharii*. Edidit utramque, & *De Vitiis*, *Virtutibus*, *atque ordine Pœnitentium* libros V. itemque *Pœnitentiale* (qui Operis ejuſdem eſt liber ſextus) Henricus Caniſius J. C. Tomo V. Antiquarum Lectionum, ex manuſcripto exemplari celeberrimi Monaſterii S. Galli apud Helvetios, & Tomo XIV. Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunenſis anno 1677.

Hugo Menard, Benedictinus Gallus, è Congregatione S. Mauri, eruditas præfato Operi Notas appoſuit, totumque ſuo Sacramentario S. Gregorii Tomo III. inſeruit.

Obiit Halitgarius Cameraci anno 830. in Abbatia Montis S. Eligii prope Atrebatum conditus.

HANNARDUS GAMERIUS,

Vulgò VAN GAMEREN, Moſæus, natus in Hemertenſi pago juxta Moſeicam, Medicinæ Licentiatus, ac Poëta laureatus, in Academia Ingolſtadienſi Græcam Linguam docuit, Scholæ inde Tungrenſi apud Eburones Præfectus. Scripſit

Viam Regiam ad Muſas: hoc eſt, Methodum de dictionum omnium ac ſyllabarum quantitatibus. Monachii, 1567. 8.

De conſcribendis Epiſtolis.

Bucolica, ad imitationem Principum Poëtarum conſcripta.

Orationem, verſu heroïco, *De laudibus Linguæ Græcæ*, Ingolſtadii 1564. die XII. Decembris in auſpiciis Profeſſionis publicè habitam.

Eccleſiæ Catholicæ Querimoniam.

Satyram de merito Chriſti.

Pornium, Tragœdiam ſacram. Simul edita Antver. apud Plant. 1568. 8.

Satyram contra Lutherum, *Brentium* &c. Leodici, 1570. 8.

Satyram contra impudens Jac. And. Smidelini *de Lutheranorum concordia mendacium.*

Spongiam adverſus fallaces Wolfangi Martii *ineptias*. Coloniæ, 1569. 8. apud Nic. Graphæum.

De Igne Purgatorio, *De Sanctorum Reliquiis*, carmine.

Præterea è Græco *Orpheum Poëtam De Lapidibus* verſu latino reddidit, & *Obſervationes* adjecit. Leodici, 4.

Item *Apollinarem Syrum De ætatibus hominum.* Ibid. 1575. 8.

E Germanico verò Latio dedit *Martini Eiſingrinii Orationem*, *Utrùm ſolis Scripturis Biblicis ſit credendum?* Dilingæ, cum aliis Eiſingrinii Orationibus.

Demùm caſtra ſecutus Joannis Auſtriaci, *Apologiis* pro eodem conſcriptis, civili obiit (incertum ubi) bello.

Apologias verò ac *Narrationem eorum, quæ ab adventu* Joannis Auſtriaci *in Belgio geſta ſunt*, excudit Luxemburgi Mart. Marchantius, 1578. 4. additis *Epiſtolis* aliquot à Joanne Auſtriaco partim ad Belgii Ordines ſeu Status, ut vocant, Generales, partim ad privatos homines & Epiſcopos ſcriptis, & à *Gamerio* latinè redditis.

HARINGUS SIFRIDI SYNNAMA,

Ex Hagis Friſiæ, qui territorii Wintbritſerani prope Snecam pagus eſt, oriundus, J. U. Doctor ac Profeſſor Coloniæ in Ubiis, pòſt Conſiſtorii Imperialis Aſſeſſor Spiræ, multa ſcripſit in Juris utriuſque titulos; quæ Trithemius recènſet, qui vulgò *Hermannum* dictum refert: quorum quædam Coloniæ edita, apud Joan. Roeloff Lubecenſem, 1494. hoc titulo:

Expoſitiones ſive *Declarationes Titulorum utriuſque Juris.*

HARIULPHUS,

In Pontivio apud Gallos natus, Monachus primum Centulenſis, ſeu S. Richarii in Pontivio, dein III. Aldenburgenſis in Flandria Abbas, inſtituti Benedictini, conſignavit literis ad Guilielmum Dorovernenſem ſeu Cantuarienſem Archiepiſcopum,

Dialogos De miraculis S. Petri Apoſtoli in Aldenburgo. MS. Ibidem.

Librum de Miraculis S. Richarii, editum à Mabillono Sæculo V. Benedictino pag. 567.

Vitam S. Angilberti Abbatis : apud præfatum Mabillonum, & apud Bollandum Tomo III. Menſis Februarii pag. 98.

Vitam S. Madelgiſili Confeſſoris & Eremitæ apud Mabillonum Sæculo IV. Bened. & apud Hagiographos Societ. Jeſu Tomo VII. Menſis Maii pag. 265.

Vitam S. Angelranni Abbatis Centulenſis : extat in Mabillonii Sæculo VI. parte I. pag. 494.

Vitam S. Arnulphi, Sueſſionenſium Epiſcopi, ad Archiepiſcopum Cantuar. apud Surium, Tomo IV. XV. Auguſti, ſed præfatione triplici omiſſâ, quæ leguntur MSS. in Urſicampo Ord. Ciſtercienſis Cœnobio, apud Noviomum Picardiæ urbem, hoc initio: *Domino* Isamberto *Dei gratiâ Tornacenſi Epiſcopi filiorum ultimus* Hariulphus &c. Extat item apud Mabillonum Sæculo VI. Bened. Parte II. pag. 502.

Vitam B. Gervini, II. Abbatis Aldenburgenſis, prædeceſſoris ſui : cujus compendium eſt apud Molanum in Natalibus SS. Belgii, 17. Aprilis. Utrumque ſcriptum Aldenburgi ſolebat aſſervari cum Miſſali & Pontificali, quibus ferunt B. Arnulphum fuiſſe uſum, teſte Molano in Natalibus 16. Auguſti. Mabillon, ut ſupra, pag. 318.

Chronicon Centulenſe ſeu S. Richarii in Pontivio; extat in Spicilegio Dacheriano Tom. IV. pag. 419.

Vitam produxit ad annum 1143. die 16. Auguſti, poſteaquam laudabiliter præfuiſſet annis 38. Suum ipſe Epitaphium ſcripſit, quod è Mabillonii Analectis Tomo I. pag. 431. huc tranſcribitur.

Pontivo natus, pronus ſtudiis Hariulfus,
Almi Richardi clauſtra puer ſubiit.
In quibus imbutus, deceat quid noſſe Magiſtrum,
Aldemborgenſis tertius Abba fuit.
Rem ſibi commiſſam pro viribus amplificavit,
Creſcere, Petre, tuas ſemper opes ſitiens.
Fratribus exemplum prætendens compatientis
Multa nimis tacuit, quæque loqui docuit.
Centula quos fratres retinet, coluit ſeniores,
Illis quod ſit honor cernere ſemper amans.

HAYMINUS,

Ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Vedaſtum, in civitate Atrebatenſi, fuit Alcuini diſcipulus, Caroli Magni condiſcipulus. Obiit anno 834. relicto libro,

De Miraculis S. Vedaſti, cujus initium : *Sanè quæ nuper & oculis probavimus &c.* Legi is per Octavam in choro Baſilicæ Cathedralis Atrebatenſis ſolet.

Item *Sermonem de Virtutibus ejuſdem Sancti*, incipit : *Excitentur obſecro filii lucis corda veſtra.*

HECTOR BOURICIUS,

Friſius, operam ſtudio Juris dedit Lovanii, ibidemque Baccalaurei titulo anno 1610. donatus eſt. Poſt. J. U. D. & Profeſſor ordinarius in Academia Franckerana, ac poſtremò in ſuprema Friſiorum Curia Senator, edidit

Diſſertationes Academicas & Lectiones Juris. Amſtel. typis H. Laurentii.

Orationem de Ambitis.

Orationem funebrem in obitum Timæi Fabri, J. C. Franek. 1623. 4.

HEI-

Digitized by Google

HEIMERICUS DE CAMPO,

Gymnaſii Colonienſis Vice-Cancellarius, in Philoſophia Ariſtotelica nulli ſuo tempore ſecundus (inquit Trithemius) & diſputator difficilium quæſtionum egregius, claruit in Concilio Baſilecnſi, ubi multa eum ſcripſiſſe, ad inſtantiam Nicolai Cuſani, poſtea Cardinalis, auctor eſt idem Trithemius.

Coloniâ anno 1444. accitus Lovanium, annis quindecim Theologicam ibidem Profeſſionem ſuſtinuit, Canonicus Eccleſ. D. Petri Lovanii, item Anderlechti; vitâque anno 1460. defunctus. Scripſit

Compendium Quæſtionum. Incipit: *Poſt pleroſque occaſio &c.*

Super Sententias libros IV. *Ut dicit Auguſtinus.*

De Eſſe & Eſſentia Incipit: *Eſſe non eſſe repugnant*

Compendium Divinorum. Incipit: *In hoc opuſculo.*

De Auctoritate Concilii.

Quæſtiones varias: & alia complura, inquit Trithemius, è quibus *in Magiſtrum Sententiarum* αὐτόγραφον in Parcenſi cœnobio, extra Lovanium, exſtare dicitur. Meminit ejuſdem Joannes Impens in Chronico Bethleemitico Manuſc. libro V. art. XIII. §. 8. & contuliſſe ait Conventui iſtius loci duas partes ſuarum *Expoſitionum in Apocalypſin*, ſcripſiſſeque Tractatum, *De laude Solitudinis*, proque *Incluſione Canonicorum Regularium.*

Fertur quoque ſcripſiſſe *Apologiam, cur receſſerit à Concilio Baſilcenſi, & Eugenio IV Papæ adhæſerit.*

Item Tractatum *De imagine Chriſti, è Cruce depoſiti & in ſinu matris funerali linteo involuti*, cujus meminit Molanus libro IV. de Picturis cap. XII.

Diſputatio ejuſdem *De Controverſiis Fidei inter Bohemum & Catholicum*, exſtat MS. apud Regulares Tungrenſes.

Denique ad hunc *Heimericum* legitur *Dionyſii Cartuſiani* Epiſtola, de pueris anno 1458. catervatim euntibus ad S. Michaëlem, quam recitat Joannes à Meerhout in libro ſuo MS. de mirabilibus eventibus, cap. CXXIX. ubi & judicium ſubjungitur *Heimerici de Campo* de iiſdem pueris.

HENRICA VAN ERP,

Abbatiſſa Cœnobii Monialium Benedictinarum, vulgò *Vrauwen-Clooſter*, in ſuburbanis Ultrajectenſibus, ab anno 1503. ad 1528. quo obiit. Reliquit vernaculè *Annales Trajectenſes*, dein continuatos ad ann. 1583, quos primum cum Notis edidit *Antonius Matthæus*, J.U.D. inter Analecta Veteris Ævi Tomo I. pag. 130.

HENRICUS ADRIANI,

Presbyter Antverpienſis, & Paſtor ad S. Elizabetham, edidit Brabantico idiomate,

Martyrologium Romanum, 1600. 4.

Item *Vitas & Miracula Sanctorum.* Antver. typis Verduſſii, 1609. fol.

HENRICUS AGYLÆUS,

Silvæducis natus patre *Antonio*, Italicæ ſtirpis, atque à puero ad promovenda litteraturæ melioris, ac potiſſimùm Græcæ, ſtudia inclinatus inter J. C. clariſſimus; cum Juriſprudentiæ dat operam, è græco interpretatus eſt

Nomo-Canonem Photii Patriarchæ, ſive ex Legibus & Canonibus compoſitum Opus, cum Commentariis Theodori Balſamonis. Baſileæ, typis Oporini, 1561. fol.

Novellas Juſtiniani Imp. Conſtitutiones, à *Gregorio Haloandro* è græco verſas & editas Norimbergę anno 1531, revidit & emendavit, adjectâ Lectionum varietate. 4. Pariſiis 1560. & alibi.

Juſtiniani etiam *Edicta*, *Juſtini*, *Tiberii*, *Leonis Philoſophi Conſtitutiones*, *& Zenonis* unam. Excudit Henr. Stephanus Pariſiis, 1560. in 8.

Scripſit & ad *Lætum Introitum Brabantiæ Philippi II.* Regis Catholici, 1620. 8. Ultrajecti: ubi anno 1586. in factione Liceſtriana ſupremæ Curiæ Senator & Fiſci Patronus conſtitutus fuit. Eumdem Joannes Bochius in Opere ſuo Triumphali pag. 488. facit gladia toriæ factionis apud Silvæducenſes ducem & anteſignanum.

E vita abiit anno 1595. menſe Aprili, annos natus LXII.

HENRICUS AQUILIUS,

Arnhemius, Geldrus, Hiſtoricus patriæ; edidit

Compendium Chronici Geldriæ. Coloniæ, 1567. 8. & Lugduni Batavorum cum Additamentis & Obſervationibus Petri Scriverii, 1629. 4. item 1650. fol.

Moralium libellos III. quorum tertius *Paraphraſin Orationis Dominicæ* complectitur. Coloniæ, 1568. 8.

Progymnaſmatum De Paſſione Domini libros III. Daventriæ, 1565.

HENRICUS DE ARENA,

Canonicus Cameracenſis Eccleſiæ, & Clementi VII. Anti-Papæ à Secretis, claruit anno 1379.

Ejus *Epiſtolæ*, ſive *Epiſtolarium*, (ut habet titulus) leguntur in Bibliotheca Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis.

Anglum Nortfolcenſem, non Belgam fuiſſe, notat Oudinus in Supplemento Scriptorum Eccleſiaſtico; eumque poſtea profeſſum Ord. FF. Carmelitarum, plura alia ſcripſiſſe, atque anno 1399. deceſſiſſe, aſſerit etiam Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro.

HENRICUS BAERSIUS,

Aliàs VEKENSTYL, Mathematicus, & Typographus Lovanienſis, evulgavit Lovanii libellum ſuum,

De Compoſitione & uſu Decretorii Planetarum, 1530. 4.

De Compoſitione & Uſu Quadrantis. Ibid. 1535. 4.

Ejuſdem Auctoris ſunt, tametſi nomen non exprimatur, *Tabulæ perpetuæ Longitudinum ac Latitudinum Planetarum, ad Meridianum Lovanienſem*, editæ à Gilberto Maſio 1528. 4.

HENRICUS BATENUS,

Machlinienſis, Doctor Theologus & Cancellarius Pariſienſis, nec non Cantor & Canonicus in Eccleſia Leodicenſi; ſcripſit

Speculum Divinorum, partibus X. diſtinctum: quo de divinorum, ut loquitur, Entium intellectualium notitia agit, & præcipuas Philoſophiæ quæſtiones tractat. Legitur Lovanii ad S. Martinum, & in Tongerloënſi Ordinis Norbertini Cœnobio.

HENRICUS BOMMELIUS,

Gelder, Frater Domûs S. Hieronymi, & Rector Sororum B. Mariæ Magdalenæ in civitate Ultrajectina, obiit anno 1542. Deſcripſit *Bellum Ultrajectinum*, inter Geldriæ Ducem Carolum, & Henricum Bavarum Epiſc. Ultrajectinum. Marpurgi, 1542. 8.

Addit Bibliotheca Tigurina ſcripſiſſe *Lamentationes Petri*, ſeu *novum Eſdram*, fuiſſeque Eccleſiaſten Veſalienſem: verùm niger is eſt, & diverſus ab hoc noſtro, quem tu, Romane, caveto.

HENRICUS BOORT,

Silvæducenſis Gymnaſiarcha, collegit è probatis Poëtis *Faſciculum Mo-*

rum. Antverpiæ apud Henr. Eckert de Homberch in 4. & Silvæd. 1569. 8.

HENRICUS A BRA,

Doccomienſis, Friſius, Medicus nulli noſtrâ ætate ſecundus (inquit Suffridus Decade XVI. de Scriptoribus Friſiæ) celeberrimas Italiæ Academias, Romanam, Florentinam, Bononienſem luſtravit, & per Germaniam in patriam cogitans, Doctoralem Baſileæ lauream anno 1580. ætatis ſuæ XXV. adeptus eſt, artemque Medicam Campis apud Trans-Iſalanos, Leovardiæ & Doccomiæ factitavit. Scripſit

De Medicinis ſimplicibus & facilè parabilibus. Franekeræ, apud Ægid. Radæum, 1589. 8.

Medicamentorum ſimplicium adverſum Iſterum & Hydropen & Calculum Catalogum: & quomodo iis utendum. Ibidem, 1590. & 1597. 8.

Medicamentorum facilè parabilium adverſus Peſtilentiam Catalogum. Arnhemii, 1605. 8. Item *Adverſus Epilepſiam.*

De curandis Venenis libros II. Leovardiæ 1616.

Quæſtiones medicas de Febribus.

Deſcriptionem Febris popularis, quæ an. 1581. & 1582. in Friſia aliquot hominum millia abſumpſit.

HENRICUS BRUCÆUS,

Aloſtanus, Flander, Romæ diu vixit, ac Matheſin docuit. Lutetiæ Adriano Turnebo ac Petro Ramo familiariter uſus eſt. In Germaniam reverſus, Medicinam ac Matheſin Roſtochii apud Saxones annos XXV. explanavit.

Scripſit ibidem

De primo Motu libros III. 1580. 8.

Inſtitutiones Sphæræ, in 8. editas.

Obiit Roſtochii, anno 1593. ætatis LXII. pridie Nonas Januarii ſtilo veteri, ex apoplexia, febrim continuam ſecuta.

HENRICUS DE BRUXELLIS,

Monachus Ordinis S. Benedicti, Abbatiæ Affligemienſis, in Brabantia, ſcripſit

De Ratione Computi, librum I.

Calendarium de Incenſionibus.

De Aſtrolabio &c.

Claruit circa annum 1300. Ex Trithemio.

HENRICUS BUSCHEY,

E Baſtonia provinciæ Luxemburgenſis opido, Ord. Minorum Eccleſiaſtes facundus. Vivere deſiit in Cœnobio Antverpiano, anno 1600. relinquens vernaculè

Dialogum de ſacra Oeconomia incarnati Verbi. Antver. typis Plantini, 1587.

Precationes ad SS. Trinitatem & Virg. Mariam.

HENRICUS CANISIUS,

Noviomagus, Gelder, *Petri Caniſii* Societatis Jeſu Theologi eximii, è fratre nepos, juvenis Lovanii Jura didicit, uſus præceptore *Petro Pecquio*, aliiſque. Poſt J. U. Doctor, & SS. Canonum in Academia Ingolſtadienſi apud Bavaros Anteceſſor perpetuus fuit.

Vir præter exactam Juris ſcientiam, melioris litteraturæ & elegantiæ ſtudioſus, cui illud in primis curæ ſemper fuit, ut ex ipſis ſtatim fontibus depromptam, id eſt, verè puram, ſimplicem, integramque Juriſprudentiam traderet, & non aliis quàm ſuis depictam coloribus. Qualis nimirum *Caniſii* vita, talis & doctrina erat. Unde paſſim in Scriptis illius elucet perſpicuitas doctrinæ, proba rerum diſpoſitio, eruditio multa, maturum judicium. Scripſit

Summam Juris Canonici, in Libros

IV. Inſtitutionum contractam.

Commentarium in Regulas Juris, è libro IV. Decretalium; cum Appendice *De differentiis Juris Canonici & Civilis.* Sæpiùs ſimul edita, Ingolſtadii, Antver. Duaci in 8.

Commentarium in Rubricas libri VI. Decretalium. Additis Luitprandi, aliorumque opuſculis. Ingolſtadii, 1600. 4.

Prælectiones Academicas in Tit. duos ſingulares Juris Canonici. I. *De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.* II. *De Uſuris.* Ingolſt. 1609. 8.

In librum III. Decretalium, ſeu Titulos illius celebriores, XIII. XVII. XVIII. XX. XXI. XXII. XXIII. XXVI. XXVII. XXXVIII. XLIX. Spiræ, 1615. 8.

De Sponſalibus & Matrimonio, in lib. IV. Decretalium. Ingol. 1613. 8.

Refutationem trium Tractatuum De Judice cauſarum Matrimonialium: quos Heydelbergæ quidam J. C. ſub nomine *Marſilii de Padua* & *Guilielmi Occam* anno 1598 edidit. Ibid. 1599. 4.

Opera Canonica Caniſii denuo prodierunt Lovanii apud Andream Bouvet anno 1649. in 4. item Coloniæ 1662.

Hiſtoriam miſcellam Paulli Diaconi, à Landulpho Sagaci ad imperium Leonis IV. productam, *Notis* illuſtravit. Ibid. 1603. 8.

Poſtremò edidit *Tomos VI. Antiquæ Lectionis*, in quibus exhibet varia Scriptorum priſcorum Monumenta, ad Hiſtoriam mediæ ætatis illuſtrandam, numquam antea evulgata, pleraque cum *Notis Caniſii.*

Tomus I. typis editus eſt Ingolſtadii, 1601. 4. in quo præter cætera continentur:

Flacci Alcuini Epiſtolæ.

Tironis Proſperi Chronicon, vulgato ac Pithœano auctius.

Weingartenſis de Guelfis Principibus, cum ejuſdem *Chronico*, ad annum 1197.

Annales Henrici Steronis.

Annales Eberhardi Altaſſenſis, à Rudolpho Habſpurgio ad annum 1305.

San-Gallenſis de Geſtis Caroli Magni libri II.

Hermanni Contracti Chronicon auctius.

Concilia Salisburgenſia tria, & Viennenſe unum.

Poëmata SS. Columbani, Salomonis, Epiſc. Conſtantienſis, *Waldrammi.*

Et *Quirinalia Metelli Tegernſeenſis*; omnia cum Notis *Caniſii.*

Tomo II. anno 1602. 4. vulgato continentur,

Vita S. Emerani per Meginfredum & Arnolfum, Monachum S. Emerani.

S. Lamberti, per ἀνώνυμον.

Geſta Epiſcoporum Salisburgenſium, auctore S. Eberhardo.

Vita S. Erminoldi, Abbatis Lorſacenſis.

Vita S. Guntheri Turingii.

Collectio Hiſtorica Chronographica ex Idacio & aliis.

Item alia *Collectio ex Toromacho & aliis.*

Menologium Græcorum, interprete Card. *Sirleto.*

Tomo III. anno 1603. 4.

S. Gregorii Thaumaturgi Anathematiſmi, Græco-lat.

Hipolyti Thebani Chronicon, Græco-lat.

Anaſtaſius Sinaita de Synaxi, & *in Pſalmum VI.*

Anaſtaſius Abbas contra Judæos.

Francicorum Annalium Fragmentum, ab anno 741. ad annum 793.

Ægidius Carlerius, Decanus Camerac. *ad Articulum Bohemorum, de corrigendis peccatis publicis.*

Diſputatio Capituli Eccleſiæ Pragenſis cum Rockyzana, de Huſſiticis Controverſiis, & alia, pleraque cum Notis *Caniſii.*

Tomo IV. anno 1603. 4. inſunt:

Leontius Byzantius, contra Eutychianos, Neſtorianos, Enantiodocetas, Apollinariſtas, &c.

S. Damaſcenus contra Acephalos, & *Neſtorianos.*

Nicephori Opuſcula varia.

Digitized by Google

Theodori Hagiopolitani Diſputationes III. Omnia interprete Franc. Turiano.

Henricus Kalteiſer de libera Prædicatione Verbi Dei

Joannes de Polemar contra IV. Articulum Bohemorum.

De civili domicio Clericorum.

Vita S. Bonifacii per Willibaldum & Othlonum Fuldenſem.

Vita S. Willibaldi, ejuſque fratris Wuribaldi.

Item *S. Solæ per Ermenoldum* ſcripta.

Vita S. Walpurgæ Virginis per Philippum *Epiſc. Eiſtetenſem & Wolfhardum Haſenrietanum.*

Vita SS. Kiliani Epiſc. Wirceburgenſis, *Karlemanni, & Totuani*, Martyrum.

Item *S. Burchardi* Wirceburg. Epiſcopi.

Itinerarium S. Willibaldi duplex. &c.

Tomo V. comprehenduntur Scriptores varii *contra Manichæos.*

Halitcharii Epiſc. Camerac. *De Vitiis, Virtutibus, & ordine Pœnitentium*, libri V.

Pœnitentiale ejuſdem

Adelinus De Virginitate, deque VIII. *vitiis principalibus*, metro.

Alcuini Grammatica, Dialectica &c.

Genealogia Caroli Magni.

Guntheri Hiſtoria Conſtantinopolitana.

Guil. de Bandelſel Hodoeporicon ad Terram ſanctam.

Tomo VI. *Barlaami Epiſc. Epiſtolæ.*

S. Anſelmi, Epiſc. Lucenſis, *contra Guibertum Antipapam* libri II.

Burchardi de Monte Sion, Deſcriptio Terræ ſanctæ.

Vita S. Willibrordi per Alcuinum, carmine.

Vita S. Henrici Imp.

Officium de Carolo Magno.

Martyrologium Rabani & Notkeri Balbuli.

Catalogus Præſulum Salisburgenſium &c.

Porrò *Theſaurus hic Monumentorum Eccleſiaſticorum & Hiſtoricorum*, ſive *Henrici Caniſii Lectiones antiquæ*, ordine mutato, & per ſæculorum ſeriem digeſto, variiſque Opuſculis auctо, denuò cum Præfatione & animadverſionibus *Jacobi Baſnagii* Miniſtri Calviniani prodierunt fol. Amſtelodami, pulchro charactere Fratrum Weſteiniorum 1725. VII. Tomis, 4. vol. Mors ultima linea rerum, Authorem *Baſnagium* in eadem Præfatione calamum ſiſtere coegit anno 1723. Verumtamen in ipſa ejus eruditione elucet ſpiritus Calvinianus; ideoque poſterior editio cautiùs legenda.

B. HENRICUS de Calstris,

Lovanienſis, ex antiqua nobiliſſimaque Calſtrenſium Patriciorum Lovanienſium familia natus, in Ordine Prædicatorum ſanctitate & doctrinâ clarus, circa annum 1340. floruit, tempore videlicet Illuminati ejuſdem Ordinis Theologi *Joannis Tauleri*, cui Coloniæ (ubi & obiiſſe fertur) familiaris fuit ipſe *Henricus.*

Scripſit aliqua, Operibus *Tauleri* permixta; ut teſtatur Laurentius Surius in Epiſtola ad Adophum Archiepiſc. Colonienſem, præfixâ iiſdem Operibus Taulerianis, à ſe ex germanico in latinum ſermonem tranſlatis, ubi ſic loquitur: *Quod autem inter ipſas* Tauleri *lucubrationes ſparſim aliorum certè excellentium virorum, puta utriuſque* Eccardi, D. Henrici Suſonis, D. Joannis Rusbrochii *viri excellentiſſimi*, D. Henrici Lovanienſis, *& ſimilia quædam admiſta ſunt, &c.*

Nominatim autem inter Epiſtolas Joannis Tauleri legitur Epiſtola XXIX. ſub nomine *Henrici Lovanienſis*, titulum hunc habens: *De ſex quibuſdam, quæ faciunt hominem immobiliter in divina unione perſiſtere.* Hanc, velut omnem vitæ ſpiritualis doctrinam continentem, prælo ſubjecit *Andreas à Turri*, Ord.

Præd. S. T. D. Lovanienſis, ibidem apud Ever. de Witte 1647. in 8.

Porrò Vitam hujus ſanctiſſimi viri ſcripſit olim *Joannes Gilemannus*, Canonicus Regularis in Rubea Valle, quam inter Vitas aliorum Sanctorum Belgii Ordinis Prædicatorum edidit Duaci *Hyacinthus Choquetius*, ejuſdem Ord. S. Theol. Doctor. Vide & Belgium Dominicanum P. de Jonghe, pag. 142.

HENRICUS CARLERIUS,

Doctor Medicus apud Atrebates, ſcripſit

Caſtigationes Medicinæ Practicæ.

Tractatum *De promiſcuis Erroribus.* Ex Ferreolo Locrio.

HENRICUS CASTRITIUS,

Geldorpius Brabantus, Gymnaſiarcha primùm Delphenſis, apud Batavos, pòſt Duysburgi Cliviorum, ſcripſit

Inſtitutionem rei litterariæ in Schola Delfenſi, unà cum *Legibus Scholaſticis.* Antver. apud Withagium, 1556.

De optimo genere Interpretandæ Philoſophiæ, in quo proponitur Ratio atque Ordo Scholæ Duysburgenſis.

Nomotheſiam, ſive de Legum latione ad conſtituendum vitas moreſque ſtudioſorum: ad S. P. Q. Duysburgenſem, 1561. 4.

Exſtat libellus ejuſdem *de Votis hominum, ſeu Spe*, Carmine elegiaco, Coloniæ excuſus in 8. in quo ſæpè pueriliter hallucinatur, peccatque in ſyllabarum modulis. Unde non-nemo ita de eo luſit:

Caſtritium *malè metiri quid carmina mirum eſt!*
Se pede metiri qui nequit ipſe ſuo.

HENRICUS DE COESVELDIA,

Weſtphalicæ ditionis opido oriundus, Ordinis Carthuſiani, Prior ſecundus Domûs S. Mariæ prope Montem S. Gertrudis, vir magnæ famæ, inquit Trithemius, & declamator ſermonum celeberrimus.

Moritur in Domo Vallis Gratiæ prope Brugas anno 1410. VII. Idus Julii, dum Viſitatoris officio fungitur.

Multa ſcripſit, quorum idem Abbas Trithemius meminit,

In Exodum, myſticè.

In Epiſtolam D. Pauli ad Romanos.

De tribus Votis ſubſtantialibus. MS. Lovanii apud Martinianos, Tungris ſimiliter apud Regulares, & apud Camberonenſes in Hannonia.

Item *De Inſtitutione juvenum ſeu Novitiorum.* MS. olim in Cartuſiis Antverpienſi, Gandavenſi & Dieſtenſi. Extant modo Mechliniæ in Bibliotheca *D Caroli Major* Canonici Zellarienſis.

De tribus Cuſtodiis Monaſticis.

De Sacramento Altaris. MS. ibidem.

Contra vitium proprietatis.

Circumciſorium myſticum.

De Annuntiatione Dominica.

Sermones de Tempore & Sanctis.

Sermones Capitulares. Epiſtolas &c.

HENRICUS COGMANNUS,

Harlemenſis, Medicinæ Doctor, edidit

Flores ex omnibus *Ludovici Granatenſis* Opuſculis ſpiritualibus, hiſpanicè & latinè redditos. Coloniæ, 1585. in 12.

Item *Stephani Guazzi de mutua & civili converſatione* libros IV. ex Italico Latinè interpretatus eſt. Ibid. eod. anno.

HENRICUS COMANS,

Antverpienſis, Ordinem Minimorum S. Franciſci de Paula profeſſus in in Conventu Nigeonenſi juxta Pariſios, dein S. T. Licentiatus, variorum Provinciæ Belgicæ Conventuum Corrector, ac Concionator diſertus (ab Ant.

Sandero in Brabantia illuſtrata ampliùs laudatus) deſcripſit gallicè,

Ideam Chriſtianæ perfectionis. Bruxellis 1645. in 12. qui libellus, ob pietatis doctrinæque profunditatem denuò ibidem prodiit 1657. in 8.

Item gallicè *Orationem funebrem Reverendiſſimi P. Balthazaris d'Avila Inſulenſis*, Ordinis Minimorum Ex-Generalis. Bruxel. apud Vivien 1668.

E vivis exceſſit in Conventu Bruxellenſi, die 12. Maii 1671.

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA,

Natus ex nobili familia à *Nettenſheim*, Coloniæ Agrippinæ anno 1486. portentoſi ingenii, vaſtæque memoriæ fuit; ſed judicii in tantum critici, ut non ſolum ſcientiarum omnium diſciplinas convelleret, ſed & ipſam Religionem in dubium revocaret.

Maximiliano I. Imperatori à ſecretis, & Caroli V. Imper. Conſiliarius ac Hiſtoriographus, nec non Reipubl. Metenſis Syndicus Advocatus & Legatus fuit. Ante autem hos aliquot annos nempe 1509. Dolæ Burgundionum in Gymnaſio publicè cum omnium ſtupore docuit.

Juris & Medicinæ Doctoris gradum tum demùm aſſumpſit, cum jam ante Equitis aurati dignitatem virtute bellicâ fuiſſet meritus. Theologiæ quoque non ignarus fuit. Medicinam fecit tum in Urbe Gebennarum, tum etiam Friburgi Briſgoiæ, & in Gallia. Amicitiam coluit cum *Johanne Trithemio*, Abbate Herbipolenſi, & *Eraſmo* Roterodamo.

Magiæ & Necromantiæ ſuſpectus, cum appropinquante morte ad pœnitentiam urgeretur, cani ſuo nigro, quem velut cacodæmonem circumduxiſſe ferebatur, collare magicis inſcriptum notis indignabundus cum his verbis exſolvit: *Abi perdita beſtia, quæ me totum perdidiſti:* nec umquam familiaris ille canis ac aſſiduus itinerum omnium comes poſtea conſpectus eſt. Præcipiti enim fugâ ſaltu in Ararim ſe immerſiſſe, nec enataſſe, ab his, qui vidiſſe aſſerebant, dicebatur. Ita quidem *Paulus Jovius* in Elogiis Virorum eruditorum; ſed *Gabriel Naudæus*, in *Apologia Virorum de Magia ſuſpectorum*, gallicè editâ, cap. XV. merum figmentum eſſe affirmat; & *Jovii* authoritatem, (*venalis cui penna fuit, cui gloria flocci*) nihili facit. Et ipſe Agrippa de multis, à ſe in adoleſcentia ſcriptis, poſtmodum palinodiam cecinit, libro de Vanit. ſcientiar. cap. 48.

Obiit Agrippa Gratianopoli in Gallia, egeſtate extremâ preſſus, anno 1535. ætatis ſuæ 49, duarum uxorum nobilium maritus, & liberorum aliquot parens. Ita de eo refert Lindenius de Scriptor. Medicis.

Porrò omnes Libri ejus ad primam Authorum damnatorum claſſem Romæ referuntur: quorum hos noſce titulos, ut caveas.

Opera Henr. Corn. Agrippæ prodierunt Lugduni apud Beringos fratres, anno 1550. in 8. duobus Tomis, quorum primo continentur

De occulta Philoſophia libri III. quos primùm anno 1531. Antverpiæ edidit, & Archiepiſcopo Colonienſi dicavit: dein prodierunt etiam Pariſiis & Coloniæ; at mox etiam cenſurâ Inquiſitoris Fidei notati.

Geomantica diſciplina.

Liber de Ceremoniis Magicis.

Tomo II. habentur ſequentia.

De incertitudine & vanitate Scientiarum Declamatio invectiva: prodiit primùm Antv. 1530. dein Coloniæ apud Eucharium 1531. & alibi ſæpius; etiam gallicè tranſlata 1583. per *Ludovicum Turquet* Lugdunenſem. Fuit hic liber mox à Doctoribus Theol. Lovan. cenſuratus: quorum judicio *Agrippa* ſeſe

oppoſuit : Imperator autem Carolus V. libellum Agrippæ dijudicandum ad Conſilium ſuum Mechlinienſe remiſit : mandatumque illi, ut quædam retractaret.

Apologia pro defenſione Declamationis de vanitate ſcientiarum, contra Theologiſtas Lovanienſes.

Querela ſuper calumnia, ob editam Declamationem ante dictam.

Commentaria in Artem brevem Raymundi Lulli, cum Tabula abbreviata Commentariorum.

Liber de triplici ratione cognoſcendi Deum.

Dehortatio Gentilis Theologiæ.

Expoſtulatio ſuper expoſitione ſua in librum de Verbo mirifico, adverſus F. Joannem Catilinetum Provincialem Franciſcanorum per Burgundiam.

Declamatio de Nobilitate & præcellentia fœminei Sexûs. Tranſlata in gallicam linguam ab anno 1578. per Ludovicum Vivant Andegavenſem, Pariſiis in 16. prodiit rurſus ibidem 1713. ex tranſlatione N. *d'Arnaudin* Abbatis Galli, & Leydæ 1726. in 12. tribus Tomis, cum recenſione & Notis *N. Guedeville*; item Anglicè per *H. Caré* Londini 1670.

De Sacramento Matrimonii, in quo Tractatu contra Doctores Catholicos Agrippa opinabatur, Matrimonium poſſe propter adulterium diſſolvi.

De Originali peccato diſputabilis Opinionis Declamatio. Conſtituit eſſentiam illius, in ipſo carnali proto-parentum commercio.

Sermo de Vita Monaſtica

Sermo de inventione Reliquiarum B. Antonii Eremitæ.

Contra peſtem Antidota ſecuriſſima.

De B. Annæ Monogamia ac unico puerperio, Propoſitiones abbreviatæ & articulatæ, juxta Diſceptationem Jacobi Fabri Stapulenſis, in libro, *De tribus & una.*

Defenſio Propoſitionum prænarratarum contra Claudium Fabrum Dominicanum, qui SS. Deiparæ Virg. Matrem Annam conatur oſtendere Poligamam.

Epiſtolarum ad familiares & eorum ad ipſum; Libri VII. nempe ab anno 1507. ad 1533.

Orationes decem.

Hiſtoriola de duplici Coronatione Caroli V. Cæſ. & Epigrammata nonnulla.

Sunt qui ei adſcribunt *Tractatum pro divortio Henrici VIII. Angliæ Regis :* ſed alii negant.

Teſtatur etiam ipſe Agrippa, ſe ſcripſiſſe *Tractatum de Homine, Commentarium in Epiſtolam ad Romanos, item in Mercurium Triſmegiſtum.*

Plura de hoc Viro curioſa invenies in Collectione Authorum ſcriptis illuſtrium P. Niceronii, Tomo XVII. pag. 1. & Tom. XX.

Hoc illi poſuit Epitaphium *Jacobus Latomus* Theol. Lovan. teſte Paulo Jovio.

Hunc tumulum haud Charites ſervant, ſed Erynnies atra,
Non Muſæ, at ſparſis anguibus Eumenides.
Colligit Alecto cineres, miſcetque aconito,
Grataque dat Stygio liba voranda cani.
Qui quod erat vivum comitatus, atrociter orci
Nunc quoque per cunctas raptat agitque vias.
Inſultatque adeo : & Furias quia noverat omnes,
Salveat, injungit, nomine quamque ſuo.
O miſeras artes, quæ ſolæ ea commoda præſtant,
Accedas Stygias notus ut hoſpes aquas.

HENRICUS COSTERIUS,

Bruxellenſis, Protonotarius Apoſtolicus, ad D. Virginem Antverpiæ Parochus, dein Eccleſiæ S. Gertrudis Bergizomenſis Decanus ultimus, poſt Canonicus & Scholaſticus ad S Gudilam.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCUS
ARCHIEPISCOPUS
CAMERACENSIS

Gudilam Bruxellis, homo acri, ſed maligno ingenio, dedit

Medum orandi Deum, Antver. typis Plantini, in 24.

Preces in Vitam B Virginis MARIÆ, in 8.

Vitam S Georgii Martyris, vernaculè. Antver. apud Verduſſium.

Moritur Vilvordiæ poſt octennem captivitatem, Dominicâ ſecundâ Quadrageſimæ, anno 1618. vel ſequente, inediâ voluntariâ extinctus.

HENRICUS CULENS,

Cortenbergenſis, æquali Lovanium inter ac Bruxellam ſpatio, promotus inter primos anno 1585. è Pœdagogio Lilii; S. Theologiæ lauream Lovanii accepit anno 1597. IX. Kal. Octobres. Pòſt oppidi Gerardimontani in Flandria per 50. & ultra annos Paſtor jubilarius, edidit

Strenarum Spiritualium, ſeu *Concionum variarum Manipulum*, typis Plantini, 1613. 8. Antverpiæ.

Documenta Catholica, *ſeu Catechetica* XV. de Lege Dei ſeu Decalogo generatim. Ibid. apud Verduſſ. 1618. 8.

Jubilæi veteris Hebræi, *& novi Chriſtianorum Collationem*: dicatam Illuſt. *D. Matthiæ Hovio*, Archiepiſcopo Machlinienſi, Sacerdotii jubilæum celebranti, 1618. 8. typis Moreti.

Theſaurum Locorum communium: in gratiam Paſtorum & Concionatorum, Alphabeti ſerie. Ibid. 1622. 8.

HENRICUS CUYCKIUS,

Culenburgenſis Gelder, *Joannis* filius, à *Georgio Macropedio* Ultrajecti bonis litteris probiſque formatus moribus, ac Lovanium unà cùm *Cornelio* fratre ablegatus, decurſo Philoſophiæ ſtadio in Pedagogio Lilii, anno 1566. primum *Henricus*, & à primo non ita remotum *Cornelius*, raro profectò exemplo, locum obtinuit.

Annis exin novem elapſis, S. Theologiæ ornatus laureâ, eamdem primùm apud Canonicos Regulares ad S. Martinum, pòſt apud Gertrudanos ſimiliter Regulares, profeſſus eſt: atque annos ipſos quatuordecim Profeſſor Academicus Ethicen ſive de Moribus Philoſophiam publicè tradidit.

Tum S. Th. Doctor anno 1584. die 29. Auguſti, unà cum Viris eximiis *Jacobo Janſonio* & *Joanne Clario* renunciatus, fuit & Vicarius generalis Archiepiſcopi Machlinienſis in Diſtrictu Lovanienſi atque Officialis ejuſdem, & anno 1589. poſt *Michaelem Baium* in D. Petri Lovanii Decanus. Tandem ad Ruræmundenſem cathedram vocatur anno 1596. Quo munere ſummâ cum laude, tuendæque Religionis zelo functus eſt; atque Eccleſiæ Orthodoxæ vivo ore, ſcriptiſque plurimùm profuit; ut pluribus commemorat *Arnoldus Havenſius* Libro de novorum in Belgio Epiſcopatuum Erectione, qui ferme totus eſt eſt de rebus à Cuyckio geſtis. Scripſit vero pleraque ſtilo & dictione eleganti:

Quæſtionem Quodlibeticam de anno Jubilæo, Lovanii anno 1575. habitam. Excudit Plantinus eodem anno, in 8.

Orationes Panegyricas VII. I. *De Romana vera Chriſti Eccleſia.* II. *De Hæreticorum ortu atque interitu.* III. *De vitandis*, *& è Republ. proſcribendis libris pernitioſis Hæreticorum.* IV. *Contra Politicos.* V. *De Vetuſto raſuræ Clericalis more.* VI. *De Canonicorum Officio.* VII. *De beneficiorum Eccleſiaſticorum pluralitate.*

Epiſtolam Paræneticam in Henricum Bochorinck, è Paſtore ac Decano Thenenſi infamem Catholicæ Religionis deſertorem. Omnia Lovanii apud Zangrium, 1596. 8.

Epiſtolam Paræneticam ad Mauritium, *Comitem Naſſavium.* Ibid. 1599. 8.

Epistolam alteram *Paræneticam ad eumdem Comitem :* cum Præfatione *De confœderatis cum Hollandia per duellibus in Belgio Provinciis, quæ se fucato & ementito titulo Unitas vocant.* Ibid. 1600. 8.

Epistolam Expostulatoriam ad Nystadienses opidi in Palatinatu Præfectos. Ibid. 1601. 8.

Speculum Concubinariorum, Sacerdotum Monachorum, Clericorum. Coloniæ, 1599. & Lovanii 1601. 8.

Paræneticas tres, ad Clerum Ruræmundensem. I. *De renovando usu pristinæ rasuræ Clericalis.* II. *De moderatione Cleri, De Testamentariis tabulis Ecclesiasticorum, & anno gratiæ abolendo.* III. *De Ecclesiarum Rectoribus*, an rectè dicant præstare Concubinarios, quam nullos habere Pastores, *Exegetica Tractatio.*

Epistolam Paræneticam ad cives & populares suos Culenburgenses. Leodii 1605. in 8.

Epistolas *Paræneticas* tres. I. *Ad quendam Sacerdotem sæcularem Catholicæ fidei suique Sacerdotii desertorem.* II. *Ad Religiosum quendam, qui existimabat se votis relaxari posse.* III. *Ad quendam Doctorem Medicum, hæreticum.* Silvæducis apud Joan. Schefferum, 1609. 8.

Conciones XX. De Sacrificio Missæ novi Testamenti, ad Petrum Aldobrandinum S. R. E. Cardinalem.

Refutationem Articulorum XXIV. Mauritii Hassiæ Lantgravii, De Reformata in ditione sua Fide : ad Mauritium Nassavium.

Libellum Precationum Liturgicarum. Lovanii 1605. apud Masium.

Explicationem brevem *Sacramenti Confirmationis*, latinè, & belgicè.

De Sacramento Pœnitentiæ, belgicè.

Edidit quoque *Cassiani Opera*, recognita è MSS. exemplaribus, cum Annotationibus censoriis in loca aliquot, atque obscurarum Vocum & Sententiarum explicatione. Antver. typis Plantini, 1578. 8.

Præterea *D. Bernardi de Consideratione ad Eugenium* libro V. & *De Præcepto ac Dispensatione* librum I. ad veteres Codices recensuit. Ibid. in 16.

Decessit Ruræmundæ, in Geldria, anno 1609. Nonis Octobris, sepultus in antiquâ Ecclesia Cathedrali S. Spiritûs, quam anno 1665. cum tota urbe flamma vorax absumpsit. Sequens Epitaphium posuit Præsuli suo ac patrono Confraternitas *Romanescorum*, id est, eorum qui limina Apostolorum aliquando salutarunt.

Hîc ante sepulchrum Domini
Positus est
Reverendiss. in Christo Dominus
D. HENRICUS CUYCKIUS,
Ruræmundensis Ecclesiæ Episcopus,
Atque Præpositus dignissimus,
Erectionis Confraternitatis,
Dictæ Romanescorum,
Ad honorem SS. Petri & Pauli
Confirmator, ejusdemque Patronus
Spiritualis electus,
Quam Confraternitatem & indulgentiis
Decoravit.
Obiit anno Dom. Salvatoris MDCIX.
VII. Idus Octob. qui pio Domino
(Quem omnes pii dolent)
Climactericus erat,
Cujus anima fruatur vitâ æternâ.
Confraternitas Romanescorum
Pietatis ergo posuit.
QUOD EST NOS ERIMUS.

HENRICUS DANCKERTS,

Zelandus, evulgavit vernaculè *Antiquas raritates Dumburgenses*, cum fig. Hagæ-Com. 1647. Porro Domburg fuit olim opidum Zelandiæ, aquis absorptum.

HENRICUS DOLENDORPIUS,

Carmelitarum in Belgio Prior Provincialis, moritur Coloniæ, anno

Digitized by Google

1366. IV. Idus Februarii, apud ſuos ibidem ſepultus. Scripſit, teſte Trithemio,

Super Sententiarum libros IV.
In Philoſophiam Moralem, Libros X.
Sermones de Tempore & Sanctis.

HENRICUS DRISIUS,

Haſſelenſis, Ord. Erem. S. Aug. Concionator zeloſus; animarum ſaluti intentus & rigidioris vitæ cupidus, ad Auguſtinianos Diſcalceatos in Galliam tranſiit, & dictus *Angelus à S. Clara*. Pariſiis Catholicos confirmans, & hæreticos debellans è cathedra, ibidem obiit 10. Octobris 1633, cum nota ſanctitatis.

Edidit *Politico-Sacra*. Pariſiis.

HENRICUS ELVERICH,

Embricenſis, Clivius, natus anno 1582. die XII. Aprilis, Societ. Jeſu, græcè doctus, & Bibliothecæ Colonienſi præfectus: obiit anno 1636. edidit

Radices Linguæ Græcæ & Latinæ, Coloniæ typis Gualteri in 8. ſæpiùs excuſas.

HENRICUS ENGELGRAVE,

Antverpienſis, Societatis Jeſu Theologus, Provincialis Flandro-Belgicæ anno 1655. Concionator eruditus ac facundus, Poëta elegans, atque in concinnandis præſertim Emblematibus mirè ingenioſus; uti teſtantur libri ſequentes.

Lux Euangelica, ſub velum ſacrorum Emblematum recondita, in omnes anni Dominicas ſelectâ Hiſtoriâ & morali doctrinâ variè adumbrata 4. Partes duæ, primùm editæ Antverpiæ anno 1648. Quinta Editio ab ipſo Authore recognita prodiit in 4. Coloniæ Agrippinæ apud Joan. Buſæum 1655.

Lucis Euangelicæ ſub velum ſacrorum Emblematum reconditæ Pars tertia; hoc eſt, Cœleſte Pantheon, ſive Cœlum novum in Feſta & Geſta Sanctorum 4. Partes duæ, Antverpiæ anno 1647. Pars prima hujus Operis fuit dein Romæ per Congregationem Indicis prohibita, 2 Julii 1686.

Cœlum Empireum in Feſta & Geſta ſanctorum per annum, aliorumque Divorum tutelarium, & in Patriarchas Ordinum, cum Octavis. Fol. Coloniæ Agrippinæ per Joan. Buſęum 2. vol. 1668. cum figuris.

Divûm Domus, facta & virtutes J. C. Mariæ, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum &c. 4. Coloniæ 1688.

Meditationes in Paſſionem Domini J. C. ſtrictè 8. Antverpiæ typis Knobbartii, & alibi ſæpius.

Obiit Author anno 1670. die 8. Martii Antverpię.

HENRICUS ERSMERS,

Gravienſis (Brabantus, an Gelder, ſub judice lis eſt) Ordinis S. Benedicti Monachus in Abbatia S. Pantaleonis Coloniæ, eruit è tenebris ſuiſque obſervationibus adjunctis luci dedit inter alia, quæ necdum innotuêre,

Commentarium in Cantica Canticorum libr. IV. à Wolberone S. Pantaleonis Colonienſis Monacho & Abbate, ſcriptum circa annum 1150. Prodiit Coloniæ in 4. anno 1650.

HENRICUS FARNESIUS,

(In patria FURNIUS cognomen to) Leodicenſis, J. U. Doctor, & Artis Oratoriæ Interpres Regius Ticini, apud Inſubres: ſcripſit

De Imitatione Ciceronis, ſeu *De ſcribendarum Epiſtolarum ratione*. Antverp. apud Joan. Loëum, 1571. 8.

De Verborum ſplendore & delectu, Ap-

pendices duas ad Ambr. Calepini Dictionarium, Venetiis editum, 1590.

De ſimulacro Reipub. ſive de Imaginibus Politicæ & Oeconomicæ Virtutis libros IV. Papiæ, 1595. 8.

Diphtheram Jovis, ſive *De antiqua Principis Inſtitutione* libros III. Mediolani, 1607. 4.

In fata conceſſit anno 1619. in Italia.

HENRICUS FLESSERS,

Tungrenſis, ibidem in D. Virginis Vice-Plebanus, vixit circa annum 1440. reliquit

Conciones in Euangelia, & Paſſionem Domini. MSS. apud Regulares Tungrenſes.

HENRICUS FLORENTIUS,

Batavus, Doctor Medicus, edidit

Tractatum Petri Pauwii de Peſte, cum ſuis ad ſingula Capita Additamentis. Lugduni Batavor. apud Hieron. Commelinum, 1636. 12.

HENRICUS FRANCISCUS VANDER BURCH,

Gandavi in lucem editus die XXVI. Julii 1567. patre *Joanne*, Patricio Brugenſi, priùs ſupremi Conſilii Mechliniæ, dein Sanctioris ac Regii Senatûs Præſide, matre *Camillâ Margaretâ Diaceti*, è patricia apud Florentinos familia; juventutis annos Ultrajecti apud patruum *Lambertum* Ædis B. M. Decanum meritiſſimum exegit, ſtudiiſque litterariis ibidem eruditus, Philoſophica Duaci, Juridica Lovanii abſolvit.

Fuit in Cathedrali Atrebatenſi, nec non in D. Germani Montibus Hannoniæ Canonicus; inde ab anno 1593. Metrop. Mechlinienſis Decanus, item Archiepiſcopi Matthiæ Hovii Vicarius generalis: qui ſibi Coadjutorem exoptavit *Burchium*, ideoque Alberto & Iſabellæ, Principibus noſtris commendavit. Verumtamen prius ad Gandavenſem Epiſcopatum nominatus eſt anno 1612, ac quarto pòſt anno ad Archiepiſcopalem Cameracenſis Eccleſiæ dignitatem.

Publici juris fecit,

Decreta & Statuta Synodi Diœceſanæ Gandavenſis, quam anno 1613. habuit; quamque ſucceſſor *Phil. Erardus Vander Noot* anno 1716 recudi voluit Gand. apud Petr. Goeſin.

Ordinata in Synodo Diœceſana Cameracenſi anno 1617. in ipſo ſui Archiepiſcopatûs exordio.

Brevem Elucidationem totius Miſſæ, interrogationibus & reſponſionibus diſtinctam. 12. Mont. per Franc. Waudræum, 1639. Libellus hic verè pius, ac Sacerdotibus omnibus utiliſſimus, recudendus propediem Lovanii.

Concilium Provinciale Cameraci habuit anno 1631, menſe Maio, quod & Urbanus VIII. Pont. laudavit ac confirmavit: ſed Acta illius hactenus impreſſa non extant.

Naturæ debitum ſolvit Præſul laudatiſſimus, Eccleſiarum, Monaſteriorum ac pauperum inprimis benefactor munificus, Montibus Hannoniæ, anno 1644. ſepultus ibidem apud PP. Societ. Jeſu in Sacello S. Ignatii; erecto mauſolæo magnifico, additoque hoc Epitaphio.

D. O. M.
Piæque memoriæ
Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini
D. FRANCISCI VANDER BURCH,
Archiepiſcopi ac Ducis Cameracenſis,
S. R. I. Principis, Comitis Cameraceſii,
Cujus mens recta, mores angelici,
Vita omnis ſancta.
Animâ in cœlum receptâ,
Corpore hîc in terrâ condito
Monumentum
Mœſti poſuerunt tantæ virtutis hæredes.

Digitized by Google

Vixit annis LXXVII.
Mechliniæ Decanus annis XX.
Gandavi Epiſcopus III.
Cameraci Archiepiſcopus XXVIII.
Ubique benignus Pater,
Vigilans Paſtor,
Semper amabilis.
Devixit Montibus Hannoniæ
IX. Kal. Junii M. D. C. XLIV.

Epitomen Vitæ ejus *Virtutumque* typis edidit *Ludovicus Foulon*, Eccl. Cameracenſis Canonicus, huic Præſuli quondam à ſecretis Epiſtolis. 4. Inſulis apud Nicol. de Rache. 1647.

HENRICUS FRISO,

Cartuſianus, obiit circa annum 1500. teſte Suffrido libro de Scriptoribus Friſiæ Decade X. qui eumdem ſcripſiſſe refert

Chronicon ſui Ordinis.

De Novitiorum Inſtructione.

De Vita librum I. Nihil horum adhuc viſum.

Meminit quoque illius Jac. Wimphelingus in Epitome Rerum Germanicarum cap. LII. qui ſub Friderico III. floruiſſe auctor eſt.

HENRICUS A GANDAVO,

Cognomento GOETHALS, ſive BONI-COLLIUS, Archidiaconus & Canonicus Eccleſiæ Tornacenſis, Doctor Sorbonæ Pariſienſis, ac Philoſophus ſui ſæculi celeberrimus, adeò ut communi Academiæ ſuffragio & recepto præconio *Doctoris ſolemnis* nomen meruerit. Scripſit

Commentariorum & Quæſtionum in Phyſica Ariſtotelis libros VIII.

Item in *Metaphyſica ejuſdem* libros XIV.

Summam Theologiæ, ſeu *Quæſtionum Ordinariarum*. Pariſiis, apud Badium 1520. fol.

Quodlibeta Theologica in Libros IV. Sententiarum. Ibid. 1518. fol. & cum Commentariis *Vitalis Zuccolii* Ordinis Camuldulenſis, Venetiis apud Majettum, anno 1613. duo Vol. in fol. Sed nota, ab hoc *Vitale* perperam adſcribi *Henricum* Ordini Servorum B. M. de Monte Carmelo.

De Viris ſeu Scriptoribus Illuſtribus, uſque ad annum 1280. poſt Sigebertum. Coloniæ, 1580. 8. cum aliis ejuſdem argumenti libris, à *Suffrido Petro* editis, item Antverpiæ apud Jac. Meſium 1639. fol. cum Scholiis *Auberti Miræi.*

Vitam S. Eleutherii, Tornacenſium Epiſcopi, hoc initio, *Temporibus Imperatorum Diocletiani & Maximiniani.* MS. ad S. Martinum: & *Elevationem corporis ejuſdem S. Eleutherii.* MS. Ibid.

Summam de Pœnitentia. MS. Namurci, apud Cruciferos.

Quodlibetum de Mercimoniis & Negotiationibus. MS. olim in Valle B. Mariæ, apud Valencenates.

Alia ejuſdem *Quodlibeta* de variis materiis, ordine Alphabetico digeſta, extant MSS. Lovanii, ad S. Martinum, in fol.

Tractatum *De caſtitate Virginum & Viduarum.* MS. apud Reg. Tungrenſes.

Sermonem de Purificatione Virg. Deiparæ, incipit: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam.* MS. Tornaci ad S. Martinum.

Sermones ejuſdem MSS. olim Gandavi apud Dominicanos lecti fuerunt, & in Bibliotheca Curiæ Epiſcopalis Chiemenſis anno 1606. reperti ſunt.

Obiit Tornaci, anno 1293. III. Kal. Julias, qui dies Apoſtolorum principibus Petro & Paulo ſacer; ſed ſepulcri memoria nulla exſtat.

Ceterùm obſervet Lector, *Henrico* huic cognomentum *Mudani* tribui à Meyero in Annalibus, à Maſſæo in Chronico, & Marchantio in Flandria; à *Muda* ſuburbio, quod hodie urbis

pomerio incluſum : *Goethalſii* verò libri typis editi præferunt. Sunt etiam, qui Gandavi natum inficientur, ac Tornacenſem faciant ; quòd nonnullæ ibi familiæ ſint, quibus ab urbibus cognomen datum. Pro quo facere putant ſepulcrorum inſcriptiones in porticu templi Virginis Deiparæ, ubi *Joannes à Gandavo*, Conſiliarius Tornacenſis anno 1385. 14. Maii, ac *Matthias à Gandavo*, anno 1422. 22. Februarii deceſſiſſe leguntur.

Sed & *Henrici* cujuſdam GOETHALS ante chori ingreſſum viſitur hoc Epitaphium : *Hic jacet quondam Venerabilis & circumſpectus Vir, Magiſter* HENRICUS GOETHALS, *Magiſter in Artibus, & Baccalaureus in Theologia, Decanus Leodienſis, & Præpoſitus Inſulenſis, Canonicus hujus Eccleſiæ, Conſiliarius illuſtrium Principum Dominorum Joannis & Philippi Ducum & Comitum Burgundiæ, Flandriæ & Arteſiæ, qui obiit anno Domini* M. CCCC. XXXIII. *menſis Decembris die* XIV.

HENRICUS GARETIUS,

Lovanienſis, Medicæ artis ſcientiam didicit partim in patria, partim in Italia. Doctor Patavii anno 1558. die XXXI. Julii renunciatus, & in Belgium reverſus, vixit annos aliquot Bruxellis, indeque Moguntiam evocatus Wolfgangi Archiepiſcopi & Principis Electoris per annos plures Medicus fuit cubicularius, & à conſiliis Statûs. Ejus operâ ac ſtudio edita ſunt

Conſilia variorum, Jac. Silvii, Joannis Fernelii, Hieremiæ Triverii &c. *De Arthritidis præſervatione ac curatione.* Præfatur de ratione ac methodo tractandi artem Medicam, & adverſus vulgare illud, PROBATUM EST. Francof. 1592. 8.

Vivere Lovanii, natali in urbe, deſiit anno 1602. Nonis Aprilis, conditus in D. Jacobi. Frater hujus fuit *Joannes Garetius*, Canonicus Regularis ad S. Martinum, ſcriptis item celebris.

HENRICUS A GAUDA,

Batavus, Ord. Eremitarum S. Auguſtini, claruit Doctor in Academia Heidelbergenſi, circa annum 1435. & tum legendo ac docendo, tum componendo facilè ſuo tempore principatum obtinuit, teſte Trithemio. Scripſit, eodem recenſente,

In Sententias, incipit : *Fons hortorum.*

De celebratione Miſſæ.

Quæſtiones diſputatas, & alia.

HENRICUS GORCOMIUS,

Vulgò de GORRICHEM, (à Gorcomio Hollandiæ opido, quod in litteris publicis vetuſtioribus *Gorrichem* dicitur) Doctor Theologus anno 1420. renunciatus ac Vice-Cancellarius Colonienſis, & Philoſophus inſignis, ſub Pio II. Pontifice Max. claruit ; ſcripſitque

Tractatum *De Caſibus* ſeu *Ceremoniis Eccleſiaſticis.* Coloniæ, 1503. 4.

De celebritate Feſtorum. Ibid. 4. eod. anno.

Concluſiones & Concordantias Bibliorum ac Canonum in Libros Magiſtri Sententiarum : additis ad Diſtinctiones ſingulas Summariis ; itemque erroribus Magiſtri Lombardi, Pariſiis & in Anglia damnatis. Baſileæ apud Nicol. Keſſers, 1489. Coloniæ 1502. & 1513. & Venet. 1506. in fol.

Commentarium ſeu *Poſitiones in libros Ariſtotelis de Cœlo & Mundo.* Coloniæ 1501. apud Henr. Quentelium.

Quæſtiones Metaphyſicas de Ente & Eſſentia. Ibid. 1502.

Eidem adſcribitur in Appendice Gerſonis, Tomo II. Operum ejus,

Digitized by Google

Tractatus *de Puella apud Francos olim in armis equitante*; laudatque in Chronico Opmeerus ad annum 1407.

De ſuperſtitioſis quibuſdam caſibus Tractatus, item *de modo conjurandi & ejiciendi dæmones*, olim MS. Extant in *Malleo Maleficarum*, ſeu Collectione Authorum qui de iis ſcripſerunt; Tomo III. Lugd. 1669.

Joannes Bunderius, Indice MSS. Codicum per Belgium, hæc inſuper illi attribuit.

De Sepultura & Proceſſionibus Ibid.

Contra Huſſitas & Bohemos. MS. Averbodii apud Brabantos, & Gandavi olim in Carthuſia. Fuit & in Bibliotheca Petri Francii Amſtelod. ante annum 1705.

De Sacramento Euchariſtiæ, & efficacia Miſſæ. MS. in Viridi Valle, apud Bruxellam.

Summam. MS. olim in Monaſterio VII. Fontium, apud Bruxellam.

Complementum tertiæ Partis D. Thomæ. Ibid.

De Prædeſtinatione. MS. olim in Trajecto ſuperiore, & Zutphaniæ, apud Dominicanos.

De divinis Nominibus. Ibid.

De Simonia. Ibidem.

De Bello juſto. Ibidem.

De Obligationibus MS. olim Zyrixzeæ, in Zelandia.

In libros Phyſicorum Ariſtotelis. MS. olim Antver. apud Dominicanos.

In Libros Ethicorum ejuſdem. MS. olim Bruxellæ, apud Tertiarios.

HENRICUS GRAVIUS,

Lovanienſis, Bartholomæi typographi filius, anno 1556. inter Magiſtros Artium quinto loco promotus, Pædagogii Porcenſis alumnus; poſtmodum creatus anno 1570. die 30. Maii S. Theologiæ Doctor. Præſes fuit primùm Collegii Minoris dein Majoris Theologorum ibidem: ipſe magni nominis Theologus, eximiæque probitatis: primus Catecheſios Profeſſor Regius, Matheſeos quoque non ignarus.

Hunc Virum, poſt quatuor luſtrorum in florentiſſima Lovanienſi Academia publicam Profeſſionem Sixtus V. Pont. Max. inſignis eruditionis ergò, ut Bibliothecæ ac Typographeio Vaticano præeſſet, Bibliiſque Vulgatæ Editionis cum aliis incumberet, Romam evocavit. Gregorius XIV. in Pontificiam Aulam excepit. Cardinales Caraffa, Borromæus, Columna, atque imprimis Baronius Antiquitatum Eccleſiaſticarum Scriptor, ſingulari eum amicitiâ proſecuti ſunt. Sed ampliori-bus dignum honoribus, quinto ab adventu menſe, dum aërem ferre Romanum non poſſet, Chriſtus in cœlum evexit. Scripſit

Notas in Tomum VII. B. Auguſtini, qui eſt contra Hæreſes; apud Plantinum, 1578. fol. cum Auguſtini Operibus, operâ & ſtudio Theologorum Lovanienſium caſtigatis. Meminit in his Notis non ſemel *Commentarii* ſui, quem meditabatur, *Rerum Donatiſticarum*: cujus prima lineamenta, manu auctoris ducta, & deſignatio Capitum futuri operis, leguntur in Bibliotheca Academica Lovanii. Ut & *Oratio* anno 1586. Lovanii habita, quâ tractatur dictum illud Chriſti, Lucæ XVII. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.*

Opus ejus *Catechiſticum*, aliaque, Romæ periiſſe putantur.

Famoſa quoque *Cenſura Facultatis Theologicæ Lovanienſis, ſuper Aſſertionibus de S. Scriptura, Gratiâ & Prædeſtinatione*, anno 1586. *Lovanii Scripto traditis*, de mandato ejuſdem Facultatis ab Henrico Gravio conſcripta fuit.

Obiit magno omnium doctorum luctu, anno 1591. IV. Nonas Aprilis, annos natus LV. ſepultus ad S. Mariam

de Anima, quæ Germanorum ac Belgarum ibidem Basilica est. Tumulum cum Epitaphio sequente amico posuit Cæsar Cardinalis Baronius: justaque alumno suo persolvit Academia Lovaniensis, perorante *Jacobo Jansonio*, Doctore Theologo.

D. O. M.
HENRICO GRAVIO,
Eximiæ probitatis, spectatæque
Eruditionis viro;
Quem post quattuor lustrorum
In florentissima Lovaniensi Academia
S. Theologiæ publicam Professionem
SIXTUS V. P. M. insignis eruditionis
Ergo, Romam evocavit,
GREGORIUS XIV. in pontificiam aulam
Excepit. Sed amplioribus dignum
Honoribus, Christus in cœlum evexit,
Die 11. April. anno M. D. XCI.
Ætat. suæ LV.
CÆSAR BARONIUS S. R. E. Card.
Amico posuit.

Notatu digna est Epistola Cardinalis Baronii ad Facultatem Theologicam Lovaniensem, de morte Gravii: quâ imprimis petit, *inter Collegas ejusdem laudatissimi Corporis annumerari*. Visum est, eam ex Archivis dictæ Facultatis nunc primùm erutam, hîc adjungere.

Præstantissimi atque Religiosissimi Patres.

Vix digitis inhæret calamus præ dolore, quo affectus est animus, hebetatum est corpus, amissione Clarissimi Viri Domini Henrici Gravii: quem anhelantem ad cœlestem patriam, invitum retinere in hac vita nullatenus potuimus, licet in hoc plurimum studii atque officii impenderimus.

Vix credi potest, quantum mœroris eruditi quique ac probi Viri in Urbe conceperint. Jam degustaverant egregiam ipsius eruditionem, & sinceram morum probitatem. In pluribus comitiis de nonnullis Ecclesiasticis controversiis, summæ peritiæ specimen edidit: quam ob causam cunctis admirationi ac venerationi pariter esse cœpit.

Coluit eum inter Illustrissimos ac Reverendissimos Cardinales, vitæ moribus & eruditione præclarus Cardinalis Borromeus: Columna etiam, Cusanus, & alii complures eum omni officio prosecuti sunt.

Ego autem indignus inter tales adnumerari, præ omnibus, dicam audacter, amplexus sum Virum, & instar Jonathæ cum Davide, conglutinata est anima mea cum anima illius: adeoque tenaci vinculo, ut nec mors ipsa, quæ solvit omnia, valuerit me ab eo separare. Versatur assiduè veneranda ejus imago in mente meâ, sonitus verborum ejus adhuc in auribus meis personat.

Repeto frequenter illud; O quando Gravi tecum Christo perfruar! Sed quid in his versor? luctum iterum provoco, & vos, quos solari debeo, acerbiori dolore conficio tanti jacturâ Viri.

Unum illud sic habetote Patres amantissimi, me ardentiore studio requirere in Vobis, quod jam possidebam in Gravio. Recipite me & connumerate inter Collegas vestros, allegite inter amicos Baronium vestrum, licet doctrinâ longè imparem, amore tamen nulli secundum. Sint hujus optatissimæ conjunctionis nexus digna merita Gravii. Valete, mihique hæc non sine lacrymis scribenti ignoscite. Romæ 3 Nonas Aprilis 1591.

Subscribebatur: Servus, Discipulus, & si quid ero, AMICUS, CÆSAR BARONIUS.

HENRICUS GRAVIUS,

Cognomento VERMOLANUS, patriâ Gravienſis, Ordinis S. Dominici Noviomagi Prior ac S. Theologiæ Lector, trium SS. linguam peritissimus, vivere desiit in patria anno 1552. die 22. Octobris. Scripsit

Annotatiunculas breves *in B. Cyprianum*, Coloniæ, 1544. apud Quentelium: quibus postmodum usus Jacobus Pamelius in evulgatione Operum S. Cypriani.

Scholia & Annotationes in Hieronymi Epistolas:

Epiſtolas : quibus tamen Hieronymianæ dictionis politiem magis annotare voluiſſe viſus eſt quàm loca corrupta ſanare. Illarum primam Decadem edidit Antverpiæ Guil. Silvius, 1568. 8. Reliquas Pariſiis excudi curavit Andreas Schottus, 1609. fol. & emendatiùs Coloniæ Agrippinæ, typis Antonii. Hierati, 1618.

S. Joannis Damaſceni Opera, partim cum græcis exemplaribus contulit, ediditque Coloniæ typis Petri Quentel 1560. fol.

Divi quoque *Paulini Opera*, poſt Badii editionem, emendavit. Coloniæ, typis Cholini, 1560. 8.

Plura de hoc inſigni Theologo vide inter Scriptores Ordinis Prædic. authore P. Echard, Tomo II. pag. 140.

HENRICUS HALMAELE,

Aliàs Mellis, Tungrenſis, Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini in patria Prior, vir in officii ſui adminiſtratione ſtrenuus: cujus potiſſimùm operâ atque induſtriâ Monaſterii ejuſdem & templi ſtructura conſummata eſt. E vivis abiit anno 1578. die v. Julii, relinquens,

Exhortationum Capitularium, & *Epiſtolarum piarum* volumen.

HENRICUS ab HEER,

Tungris patriciâ familiâ natus, Medicinæ Doctor, Philoſophus & Mathematicus, trium, quas vocamus, linguarum, præter vernaculam, Germanicam, Gallicam, Hiſpanicam, Italicam atque Anglicam, peritiſſimus, Erneſti & Ferdinandi, Epiſcoporum & Principum Leodicenſium, per triginta annos, & ultra Medicus cubicularius; Vir omnigenæ eruditionis, lectionis indefeſſæ, judicii atque ingenii acerrimi: ſcripſit libellum, cui titulus:

Spadacrene, de Spadano viciniſque Fontibus acidis, & eorum ad ſanitatem ſervandam, recuperandamve bibendi modo. Leodii 1620. 8. item Lipſiæ 1645. Lugd. Bat. 1685. & aliàs.

Deplementum Supplementi de Spadanis Fontibus, adverſus *Joannem Bapt. Helmontium*, Chymicum, quem *Os Inferni* interpretatur. Ibid. 1624. 8.

Obſervationes Medicæ, oppido raras, in Spa & Leodii animadverſas, cum medicamentis aliquot ſelectis. Leodii 1631. Lipſiæ 1645. &c.

HENRICUS HERPIUS,

Sive Harphius, vulgò *de Herph* aut *de Erp*, (qui pagus eſt Campaniæ Brabanticæ) Ordinis Minorum Theologus, & Provinciæ Colonienſis Miniſter: Vir, ut ſcripta loquuntur, non minus doctus quàm illuminatus; cui proprium fuit divina & cœleſtia meditari, terreſtria contemnere. Scripſit teutonicè

Directorium aureum Contemplativorum, quod latinè reddidit *Petrus à Blommevenna*, Cartuſianus.

Collationes III. accommodatas pervenire cupientibus ad Chriſtianæ Religionis perfectionem, ſive Compendium Directorii, latinè. Antverpiæ ſimul excuſa apud Henricum Eckertanum, 1513. 8. itemque Coloniæ 1556. fol. & 1611. 4. apud Arn. Quentelium, ac poſtremò Romæ, 1584. 4. per *Paulum Philippum*, Ord. Prædicatorum Doctorem Theologum, hoc titulo: *Theologiæ Myſticæ libri III.* quorum primus Cantica explanat: ſecundus Directorium complectitur. *P. de Marbault*, Gallus, Theologiam hanc tranſtulit in idioma gallicum. 4. Pariſ. 1617.

Speculum aureum decem Præceptorum Dei. fol. impreſſum Moguntiæ 1474. ſub ipſis Typographiæ incunabulis:

dein Norimbergæ 1481. Basileæ per Joann. Frobenium 1496. & Argentinæ 1486. & 1520. in 4.

Notatu digna sunt, quæ ad calcem primæ editionis apponuntur. *Opus præclarum in nobili Urbe Moguntia, quam imprimendi Arte ingeniosâ gratuitoque dono gloriosus Deus plus cæteris terrarum nationibus præferens, illustrare dignatus est: non atramento plumali, aereâve pennâ, cannâve, sed adinventione quadam perpulchrâ, per honorabilem Virum Petrum Schoeffer de Gernsheim feliciter est consummatum, anno Dominicæ Incarna- M. CCCC. LXXIIII, mens. sept. Id. quarto.*

Sermones De Tempore & Sanctis, de tribus Pœnitentiæ partibus, de triplici Adventu Christi. Spiræ, 1484. Haganoæ, 1509. 4.

Obiit Guardianus, ut vocant, Conventûs Machlinienſis, anno 1477. die 22. Februarii, sepultus ibidem in medio chori.

De eo sic habet Martyrologium Franciscanum, ad diem XXII. Febr. *Mechliniæ* B. Henrici Herphii, *Confessoris, eximiæ eruditionis & contemplationis Viri, famâ sanctitatis, & Regulari observantiâ celebris.*

HENRICUS HOLLANDUS,

Vernaculè d'Hollander, S. Theologiæ Doctor, descripsit

Arcam novi Fœderis, in SS. Missæ Canone repræsentatam. Antverpiæ typis Bellerorum fratrum, 1615. 8.

HENRICUS HORNKENS,

E territorio Silvæducensi oriundus, Philippo II. & III. Regibus Catholicis, ac deinde Alberto & Isabellæ, Belgarum Principibus (quibuscum ex Hispania Belgium repetiit) à sacris Oratorii, postremò Liræ ad S. Gummarum Decanus, obiit anno 1612. Edidit

Dictionarium Gallico-Hispanico-Latinum. Brux. apud Rutg. Velpium, 1599. 4.

HENRICUS HYVÆUS,

Vulgo d'Yve, ex pago cognomine juxta Insulas, Ord. Eremit. S. Augustini, professus Bruxellis anno 1597, dein Doctor Theologus in Universitate Tolosana, Ecclesiastes facundus ac disertus. Obiit Aureliæ in Gallia anno 1627. edidit

Libellum pium, cui titulus, *Jacula Animæ.*

Orationem Panegyricam, habitam in Ecclesia Cathedrali Carcassonensi, dum *Ludovicus XIII.* Rex Franciæ inauguraretur.

Vitam B. Thomæ de Villanova, Archiepisc. Valentini, gallicè. Bruxellis, 1621. 8.

HENRICUS JAUPEN,

Hasselensis Eburo, Ordinis S. Augustini, Prior Conventuum Leodiensis, Hasselensis, ac Mechlinienſis, postea Provincialis Belgii annis 1589. & 1598; sublimis ac modesti animi vir, qui acerba tempora vidit. Nam & ipse factâ visitatione Conventûs Vesalienſis per hæreticos captus anno 1599. non nisi 2000. florenorum litro redemptus fuit. Ejus, curâ & industriâ Augustinianus Ordo in Belgio magnum sensit incrementum, ipseque Bruxellensis Conventus exurrexit, uti & quædam Litterarum humaniorum Gymnasia. Scripsit

Conciones disertas, à se Mechliniæ elaboratas, quas lucem visuras spondebat Swertius in Athenis Belg.

Exemptus rebus humanis Mechliniæ anno 1608. secundùm Provincialis:

Digitized by Google

ſepultus ibidem inter ſuos, ſub hoc Epitaphio.

H. S. E.
Venerabilis Pater
P. HENRICUS JAUPEN,
S. Theol. Baccal.
Qui poſt-quam XXXV. ann.
In Conventu Priorem egit,
Et bis Provincialem, ætat. LXVII.
Relictis Fratribus ſuis
Multis & optimis pietatis
Et Religionis exemplis,
Obdormivit in Domino
Anno M. D. C. VIII. XXVI. Junii.
A. R. I. S. P.

HENRICUS JOANNIS,

Batavus, Lector publicus Colonienſis, ſcripſit

Commentaria in tres morales Præfationes Plinii. Coloniæ, typis Corn. Zierickzæi, 1514.

HENRICUS JONGHEN,

Haſſelenſis Eburo, Ord. FF. Minorum S. Th. Lector Jubilatus, Concionator emeritus, Provinciæ Diffinitor &c. evulgavit ſequentia.

Medulla Sti Evangelii, ſeu Regula FF. Minorum expoſita. 1657. fig.

Nuptiæ Agni, ſive Diſcurſus exhortatorii pro ſacris Veſtitionibus, Profeſſionibus, Jubilæis Religioſorum, item de Dedicationibus Eccleſiarum Streniſque ſpiritualibus. 4. Antver. 1658.

Brevis elucidatio Litteralis Libri Job. 8. Antv. 1661.

Vera Fraternitas, declamanda Confratribus Sodalitatum, Roſarii Dominicani, Scapularis Carmelitani, Zonæ Auguſtinianæ, Funiculi Franciſcani. 4. Antv. 1662.

Haſſeletum Mariale.

Novena pro cultu S. Antonii Paduani, &c.

Tandem in Cuſtodem Provinciæ aſſumptus, laboribus & ſcribendis libris exhauſtus, vivendi finem fecit in Conventu Moſæcano, die 20. Octobris 1669.

HENRICUS KALKARIENSIS,

Cognomento ÆGER, è Clivia oriundus, S. Theol. Baccalaureus fuit Pariſienſis, & Canonicus Colonienſis ad S. Georgium. Ordinis hinc Cartuſiani inſtitutum amplexus, Arnhemii & Ruræmundæ in Geldria, Coloniæ & Argentinæ in Germania Prior Rectorque ſuis præfuit; Provinciæ illius viginti ipſos annos, & alibi in Gallia, Bohemia ac Moravia Viſitator, vir multùm probatæ vitæ. Obiit octogenarius Coloniæ, in Cartuſia, anno 1448. die 20. Decembris. Scripſit

De Ortu ac Progreſſu Ordinis Cartuſienſis.

De Rhetorica. De Muſica.

De Continentiis & Diſtinctione Scientiarum.

Scalam Spiritualis Exercitii.

De Holocauſto quotidiano Spiritualis Exercitii.

Librum Exhortationis; ad Petrum quendam, Cartuſiæ Confluentinæ Religioſum.

Modum faciendi Collationes more Cartuſiano.

Sermones Capitulares. Epiſtolas varias.

Roſarium B. Virginis, 150. dictionibus conſtans. Legitur illud in Bibliotheca Cartuſiana Theod. Petrei. Reliqua quoque adſervari pleraque MSS. in Carthuſia Colonienſi, teſtatur idem Petrejus.

HENRICUS KIFELIUS,

Aliàs CHIFELLIUS, Antverpianus, naſcitur anno 1583. litteraſque humaniores Antverpiæ, Philoſophiam Lo-

Digitized by Google

vanii, Juriſprudentiam Ingolſtadii apud Bavaros didicit. Inde Romam profectus, Doctor J. U. anno 1607. renuntiatus, tertioque pòſt anno, incidente in oculos uberrimo catarrhi profluvio, utroque lumine orbatur, atque alterum Belgii noſtri Didymum Alexandrinum imitatus, Romæ Eloquentiam publicè profeſſus eſt in Archi-gymnaſio Sapientiæ. Mœrorem è cœcitate contractum ſublevavit *Joannis Baptiſtæ Coccini* Veneti, Romanæ Rotæ Decani profuſa in *Kiſelium* liberalitas, nec non ipſius Urbani VIII. Pont. & aliorum eruditorum applauſus, qui miram ejus in condendis carminibus facilitatem commendarunt. Ab ejus ingenio hæc profecta ſunt.

Panegyris de laudibus Pauli V. Pont. Max. Romæ 1613. 4.

Epithalamium Sereniſſ. Friderici de Ruvere, Urbinatium Ducis Filii, & Claudiæ Mediceæ, magni Etruriæ Ducis ſororis. Ibid. apud Aloyſium Zanetti. 1621. 4.

Lacippiados, ſeu *de Bello Granatenſi per Ferdinandum Catholicum geſto* libri II. Romæ 1613. in 8. apud Guil. Franciottum. Quod opus poſtea libris IV. auxit.

Lucii Annæi Senecæ Thebaidos, chori totius, & quinti Actûs additione ſuppletâ. Romæ typis Faciotti 1625. in 8.

Panegyricum de laudibus Ludovici Card. Ludoviſii, oratione ſolutâ. Romæ typis Vaticanis 1628. in 8.

HENRICUS KINSCHOTIUS,

Naſcitur Turnhouti, opido Brabantiæ, anno 1541. *Ambroſio*, Quæſtore Ducali, & *Annâ Gevartiâ* parentibus, familiâ ibidem ab aliquot ſæculis notâ & nobili, agnomen hoc gentilitium à loco fortè cognomine ac feudo antiquo *de Kinſchot* (quod poſſidere in clientela Ducum Brabantiæ majores ejus ſolent) mutuatâ; cuique & *Divitis* cognomentum apud Turnhoutanos datum fuiſſe legitur.

Ab illis, poſt ſtudiorum tirocinia, Lovanium ablegatus ad uberiorem ingenii fructum capeſſendum, navatâ Philoſophiæ operâ, ſe totum Juriſprudentiæ mancipavit: cujus etiam, ut & gallici idiomatis gratiâ, Galliam adiit, ac Lutetiæ Pariſiorum aliquantiſper commoratus fuit. Inde Lovanium poſtliminio reverſus, anno 1566. III. Kal. Septembris rude Laureâque donandus, egregium experimentum fecit, Poſitionibus ex *L. Stipulationes non dividuntur, D. de Verb. obligat.* ad propugnandum publicè & novo intellectu propoſitis.

In foro ac praxi eundem formavit avunculus *Joannes Gevartius*, in Curia Brabantiæ celebris nominis Advocatus. Ipſeque poſtmodum *Kinſchotius* per quadraginta annos in eadem Curia Advocatum egit, eâ nominis celebritate & conſiliorum integritate, ut certatim omnes ad domum ejus velut conſultantium oraculum confluerent; ut plerique plurimùm ſe profeciſſe in praxi profiterentur, quibus domo ac lare, familiaritateque ejuſdem frui datum eſſet; ut denique non ſemel ad illuſtres judicii gradus fuerit evocatus.

Verùm oblatas ille ſemper reſpuit dignitates, cùm quia ambitionis omnis expers: tum quia valetudo adverſa privatam vitam depoſceret, quippe quæ per viginti aut circiter annos hiberno eum tempore ferè domi detinuerit. Planè vir fuit, præter rerum experientiam, praximque, integer vitæ, non appetens alieni, juſtitiæ atque æquitatis in primis amans, pauperum juxta ac divitum Advocatus. Vivere deſiit anno 1608. ætatis LXVII. menſe Septembri: ſepultus in D. Gudilæ.

Filium reliquit, ex *Margareta Douglaſſia*, dictâ *de Schott*, *Franciſci* Dom. de Bautershem Filiâ, *Franciſcum de Kin-*

Digitized by Google

ſchot, Equitem, Dom. de Clercamp, Rivieren &c. Regi Catholico à Conſiliis Statûs, & ſupremum ſacri Ærarii in Belgio Theſaurarium, dein Brabantiæ Cancellarium; filiam *Annam* nuptam *Hieronymo de Gaule*, eidem Regi à Conſiliis interioribus, & Geldriæ Zutphaniæque Cancellario. A morte auctoris prodierunt hæc ejus ſcripta, Lovanii anno 1633. fol. ſimul excuſa.

Reſponſa ſive Conſilia Juris.

De Reſcriptis Gratiæ, à ſupremo Brabantiæ Senatu nomine Ducis concedi ſolitis, Tractatus VII. videlicet,

1. *An Brabantia ſit patria Juris ſcripti, & quo modo à Juriſdictione Imperiali per Bullam auream ſit exempta.*

2. *De præſtantia & auctoritate Senatûs Brabantiæ.*

3. *De Remiſſionibus homicidiorum, cum Explicatione Edicti Caroli V. anni* 1541.

4. *De Solutionum induciis.*

5. *De Securitate corporis.*

6. *De Legitimationibus.*

7. *De Licentia teſtandi aut aliter diſponendi de Feudis.*

Hæc Opera iteratâ Editione emendatiora & auctiora; Reſponſis *Henrici*, Patris, *Franciſci Henrici* filii ejus, dein Brabantiæ Cancellarii, ſeparatis; cum Caſibus ſeu Quæſtionibus aliquot reſolutis, ſummariiſque & indicibus appoſitis à Clariſſ. Viro Valerio Andrea J. U. D. Lovan. prodiêre fol. Bruxellis apud Joann. Mommart 1653.

HENRICUS KISPENNING,

Venlonianus, Canonicus & Paſtor Sanctenſis in Clivia, edidit

De Meditatione Mortis, deque modis conſolandi eos, qui mortem obeunt lentam, ſubitam, vel violentam, libros VII. Coloniæ, 1573. & Antver. 1574. 8.

Precationes Chriſtianas, & Admonitiones ad piè vivendum; ex S. Scriptura & SS. Patribus. Coloniæ, 1581. 12.

HENRICUS LAMORMAINI,

Arduennas, è Ducatu Luxemburgenſi oriundus, *Guilielmum* fratrem ſecutus, anno 1596. ætatis XXI, Societati Jeſu nomen dedit. Libros pleroſque aſceticos, quò ad plures eorum manaret utilitas, è gallico latinè interpretatus eſt; nimirum.

Catechiſmum Controverſiarum Guil. Bailii, ex eadem Societate. Viennæ, 1626. 8. & Coloniæ typis Joan. Kinckii, 1627. 12.

Academiam Honoris Lud. Richeomi, S. I. Viennæ, 1635. 8.

Aulæ Sanctæ Nic. Cauſſini, S. I. Tomis III. deſcriptæ, *Prælatum*, *Equitem Chriſtianum*, *Politicum Chriſtianum*. Ibid. 1636. 1637. 1638. 8.

Sequebantur etiam, *Impietas Aularum, in exemplo Herodis: Pietas Aularum, in exemplo Theodoſii: Converſio Saxonum per Carolum Magnum: Nobilis fœmina Chriſtiana, in exemplo Clotildis Reginæ Francorum.*

Magnetem Amoris, trahentem efficaciſſimè cor humanum ad Jesu *Chriſti dilectionem*, auctore *Steph. Bineto.* S. I. Ibid. 1636. 8.

Aliaque, ſuppreſſo ſuo nomine, à ſe in latinam linguam tranſducta edidit. Vide Philippum Alegambe in Bibliotheca Scriptorum S. J.

Obiit Lamormainus ſeptuagenario major, Viennæ in Auſtria 26 Novembris 1647.

HENRICUS LANCILOTTUS,

Cornelii (de quo ſupra) frater, Machliniæ anno 1576. naſcitur. Adhuc pueruluum parentes, Catholicæ religionis retinentiſſimi, quando perduelles Geuſii Machliniæ in ſacra profanaque graſſabantur, Antverpiam, ubi res adhuc pacatiores erant, ablegarunt, bonis litteris fideque orthodoxâ imbuendum.

Quantum verò tunc ſudaverit, ſubſequens deinde ætas toti orbi teſtatum fecit.

Anno ætatis decimo octavo in Ordinem Auguſtinianum Machliniæ admiſſus eſt; miſſuſque inde ſtudiorum cauſâ Lovanium, curſu Philoſophiæ ac Theologiæ abſoluto, tituloque Licentiæ in ſacra Facultate inſignitus, annos vixdum natus XXV. ſuis præeſſe cœpit, Prioris officio functus Haſſeleti, Treviris, Gandavi, Antverpiæ, & tertiùm in principe urbe Bruxella: Definitor Ordinis ſui per Belgium, & in Germania per Trajectum Rheni, ac Sueviæ Commiſſarius Generalis.

Lovanii Regens ſtudii Theologici, anno 1617. primus, ex legibus Academiæ tunc præſcriptis, poſt ternas publicè abſque Præſide habitas Diſputationes, unà cum *Cornelio Janſenio*, Iprenſium poſtea Antiſtite, S. Th. Doctor, applaudente Scholâ Theologicâ, renuntiatus eſt.

Vir fuit oris elegantiâ, verbi facundiâ & heroïcâ proceritate inſignis: Fidei orthodoxæ & regularis obſervantiæ fervidus zelator, Hæreticorum, quos ad exemplum S. Patris ſui Auguſtini & coram & ſcriptis perpetuò eſt infectatus, oſor acerrimus. *Erat illi ſtilus pro gladio, Verbum Dei pro clypeo, doctrina pro ſubſidiis, pietas pro auſpiciis*, ut verbis utar *Joannis Mantelii*, qui & ceteras *Lancilotti* virtutes in Oratione funebri (typis editâ) proſequitur. E Scriptis illius hæc publicè leguntur.

Pharos Apoſtolica, ſive *Miſſionis illegitimæ omnium Miniſtrorum, præſertim Lutheranorum & Calviniſtarum, Demonſtratio Apoſtolica.* Antver. typis Verduſſii, 1611. 8.

Capiſtrum Hunnium, ſive *Apologeticus pro Demonſtratione De illegitima Miſſione* &c. Ibid. 1616. 8.

Anatomia Chriſtiani deformati, ſive Exegeſis Theologica, Catholica, Moralis Epiſtolæ Canonicæ D. Judæ Apoſtoli. Ibid. 8.

Hæreticam QUARE *per Catholicum* QUIA, *in omni penè materia Religionis clarè ſolutum.* Gandavi, 1615. 8. & alibi: legiturque Polonicè, Anglicè & Gallicè redditum.

Abecedarium Luthero-Calviniſticum, 1617. 8.

De Libertate Religionis è Republ. Chriſtiana proſcribenda. Moguntiæ 1622. 12.

Paralleli LXXIII. *Auguſtini Romano-Catholici, & Auguſtino-maſtigis Hæretici.* Ibid.

Corona Calviniana, V. margaritis, in gratiam Euangelicorum adornata: unâ cum

Paræneſi ad Ferdinandum II. Imp. pro Calviniſmi è toto Imperio proſcriptione. Antver. 1626. 8.

Paræneſis ad Romano-Catholicos Duci-Silvios.

Os blaſphemum Calvini, de Chriſti in Cruce deſperatione, pœnarum inferni perpeſſione, &c. obturatum.

Corona Juſtitiæ Eccleſiæ triumphantis, de Beatitudine animæ & corporis. Coloniæ, 1625.

Funiculus triplex Religioſæ Obligationis, Perfectionis & Obſervationis.

Viticula Mariana, XX. pampinis myſticis adornata. Gandavi, 1614. 24.

Lapis Adjutorii, hoc eſt, *Pſalmi IV. Cùm invocarem &c. Exegeſis Theologica, Catholica, Moralis.* Antver. typis Mart. Binnarti, 1641. 4.

Chronica Monaſterii Bruxellenſis. MS. Bruxellis.

Denique *Commentarium in omnes utriuſque Teſtamenti Libros* parabat, eique uſque ad Jonam Prophetam perducto immortuus eſt, morienſque illius perficiendi ex ſparſim à ſe annotatis, & edendi curam demandavit prædicto *Joanni Mantelio*, ejuſdem Ord. Theologo.

Obiit Antverpiæ, 11. Idus Januarii, 1643. annos natus LXVII. ſepulcro illa-

tus fraterno, hoc appoſito Epitaphio.

Hîc reſurrectionem exſpectat
R. P. HENRICUS LANCELOTTUS,
S. Th. Doctor Lovanienſis,
Studiique Theol. ibid. Magiſter Regens,
Qui variis in Ordine ſuo
Summa cum laude,
Ac morum integritate
Adminiſtratis muneribus,
Fidei Orthodoxæ
Et regul. obſervantiæ fervidus Zelator:
Hæreticorum,
Quos ad exemplum S. P. Auguſtini,
Et coram & Scriptis
Perpetuò eſt inſectatus,
Oſor acerrimus.
In Cœlis coronam accepturus,
Curſum hujus vitæ conſummavit
Antverpiæ, annos natus LXVII.
Religionem Auguſtianam profeſſus LI.
Sacerdotio initiatus XLIII.

HENRICUS LAURENTII SPIEGELIUS,

Amſtelodami patriciâ familiâ oriundus, Poëta vernaculus, linguâ ſuâ Lucilium aut Venuſinum, aut ſi qui alii Romanorum Veterum rotundo & ſuo ore carmen dederunt, referre, atque in uſum deducere ſtudio habuit; ita de eo ſcribente in Deſcriptione Amſtelodami Joanne Iſacio Pontano. *Spiegelii* operâ atque induſtriâ editum eſt Chronicon vetus Hollandiæ, Rythmis vernaculis compoſitum, auctore *Amilio Stoockio* Amſtel. 1591.

Ad plures abiit Amſtelodami anno 1612. Fratrem habuit *Joannem Spiegelium*, & ipſum linguâ noſtrate Poëtam inſignem, multoque rerum uſu & variis in Republica functionibus clarum.

HENRICUS VANDEN LEEMPUTTE,

Quaſi *Argillæ* ſive *Glebæ puteum* dixeris, natus Silvæducis anno 1588. avum habuit maternum, virum litteratum *Joannem Lanſertium*: à quo latinis, & à *Petro Vladeraco* græcis atque hebraïcis imbutus litteris, Lovanii Philoſophiam in Falcone, Theologiam in *Adriani VI.* Collegio æquè feliciter decurrit.

Peritia linguarum in eo non vulgaris effecit, ut ſubinde à Doctore ſuo Eximio *D. Jacobo Janſonio* in obſcurioribus Scripturæ locis conſuleretur, ad græci, & præſertim hebraïci, textûs reconditam energiam eruendam. Scholaſticam & Moralem Theologiam tum Machliniæ tum Silvæducis multis annis profeſſus eſt, non exiguo Sacerdotum & Paſtorum bono.

Pòſt in S. Theologia Lauream anno 1614. adeptus, ad Cathedralem Eccleſiam inter Graduatos Canonicus atque Archidiaconus adſcitus fuit: Vir ſtudii ac laboris planè indefeſſi, & de quo Lipſianum illud jure dixeris, MORIBUS ANTIQUIS.

Fuit dein primus Vicarius generalis Diœceſis Silvæducenſis, ex quo illa ſuis orbata fuit Epiſcopis. Obiit ſeptuagenarius circa annum 1657. Vide Hiſtoriam Epiſcopatûs Silvæduc. Bruxellis anno 1721. editam.

Theſes Theologicas evulgavit, compendio tradentes univerſam doctrinam Scholaſticam & Moralem *de tribus Sacramentis characterem imprimentibus* Silvæd. apud Turnhoutium. 1624. 4.

Dialepſin Quæſtionum conducentium ad intelligentiam variorum locorum & verborum S. Scripturæ &c.

Refutationem prolixam & ſolidam libri Miniſtri cujuſdam Calviniſtæ; aliaque penes ſe adfecta & prælo deſtinata poſſidebat.

Novum quoque *Teſtamentum* à ſe in Flandricum idioma tranſlatum, edidit Antverp. in 8. 1650.

HENRICUS A LINDHOUT,

Bruxellenſis, Doctor Medicus, edidit

Speculum Aſtrologiæ : in quo vera Aſtrologiæ fundamenta & genethliacæ Arabum doctrinæ vanitates demonſtantur. Hamburgi, 1597. 4.

Tractatum *Aſtrologicum*, ſeu *Introductionem in Phyſicam Judiciariam*, Lipſiæ, 1618. 4.

HENRICUS LOEN,

Aliàs DE LOE, civis & Theologus Lovanienſis, anno 1432. primus in Scholis Artium renunciatus, ipſis Academiæ incunabulis, primus quoque in patria Gymnaſium Porcenſe (à Porci inſigni nomen domui adhæſit) inſtituit, rexitque. Cartuſienſe dein Inſtitutum amplexus, vitæ ſanctitate eminuit; fertur aliquoties inter celebrandum tantâ devotione exarſiſſe, ut ſublimis in aëra ferri videretur.

Domûs Cartuſianæ in agro Bruxellenſi, quæ *Noſtra Domina de Gratia in loco de Scheut*, dicta fuit, primarius ipſe initiator, uti & Prior fuit. Demum Domûs Capellæ prope Angiam in Hannonia Prior, in Domino ibidem obdormivit anno 1481. die 3. Februarii, ætatis LXXI. inter Beatos Ordinis ſui recenſitus.

Scripſit, Sutore ac Boſtio teſtibus,

In Ethica Ariſtotelis.

In Pſalmos Davidicos.

Sermones. Et alia.

HENRICUS LUYTENS,

Mechlinienſis, è Paſtore Eccleſiæ Parochialis S. Lamberti in Muyſen, renunciatus anno 1562. Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ D. Rumoldi. Obiit ſenior Capituli ſui, die 14. Novembris 1593. Ediderat

Sermones de Nativitate Chriſti. De VII. Donis Spiritûs Sancti. De IV. Virtutibus Cardinalibus. De VIII. Beatitudinibus: cum aliis. Excudit Plantinus, 1565. 8.

Enarrationes item *Euangeliorum Dominicalium*, ab Adventu ad Quadrageſimam. Ibid.

HENRICUS MAMERANUS,

Luxemburgenſis, Typographus Colonienſis, Poëta & Philologus, ſcripſit

Gratulatorium Carmen in Philippi Regis Angliæ &c. adventu in Germaniam, anno 1549. *In Angliam* verò anno 1554. *In Belgium* anno 1555.

Epitalamium Nuptiarum ejuſdem cum Maria, Angliæ Regina. Coloniæ, apud Jac. Soterum, 1555. 4.

Strenam Kalendarum Januarii anno 1556. ad Amicos, carmine conſcriptam, de *Leone & Aſino.*

Priſcæ Monetæ ad hujus noſtri temporis diverſas aliquot Nationum Monetas Supputatio; ab ipſo Authore anno 1551. typis edita: dein etiam à *Reinero Budelio* Ruremundenſi, in Tractatum Scriptorum de Monetis inſerta, Coloniæ 1574. & 1591.

HENRICUS MARCELLI,

Roſmalienſis, haud procul Silvâducis, Brabantus, Societatis Jeſu, Philoſophiam & Matheſin Moguntiæ docuit, pulſuſque inde motu metuque Succico Theologiam Moralem Remis in Gallia. Poſtmodum rurſus per annos plures vixit in Germania, ibique creatus fuit S. T. Doctor. In Academia Wirceburgenſi Theologiam ac ſacras Litteras profeſſus eſt; atque publicavit

Armamentarium Scientificum, Tomis II. Pariſ. 1635. 8.

Canones explicandæ Scripturæ. 12. Herbipoli 1653.

Artem

Artem interpretandi Scripturas 4. Coloniæ 1658.

Commentarium in Librum Joſuë. 4. Herbipoli 1661.

Theologiam divinæ Scripturæ ſententiarum 4. Brux. 1658.

Orationem funebrem de Melchiore Othone Epiſcopo Bambergenſi. 4. Bambergæ 1653.

Et alia quædam Theologica. Mortuus eſt Author Bambergæ 25. Aprilis 1664.

HENRICUS MATHISIUS,

Patricius Brugenſis, Caroli V. & Philippi II. Medicus domeſticus, ſcripſit

In Aphoriſmos Hippocratis.

Bruxellis in D. Gudilæ ſepulturam & Epitaphium habet, mortuus anno 1565. die XXIX. Junii. Idemne an diverſus ſit à Cornelio Henrico Mathiſio (de quo ſupra) ignoro hactenus.

D. O. M.
HENRICO MATHISIO,
Patricio Brugenſi,
Medico celeberrimo,
In comitatu Caroli V.
Et Philippi Hiſp. Reg.
Suo munere
Probiſſimè & feliciſſimè functo,
Uxor & liberi poſſ.
Obiit anno M.D. LXV. XXIX. Junii.

HENRICUS A MAUDE,

Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini in Cœnobio Windeſemenſi, de quo illud memoratu dignum refertur, quòd recenter natus tam exiguæ fuerit extenſionis, ut pedali pyxide includi poſſet; creviſſe autem temporis ſucceſſu in eam craſſitiem, ut nullus ferè eo eſſet obeſior: vir fuit prophetico ſpiritu dotatus, & celebris divinis revelationibus. Vide Joannem Buſchium in Chronico ſuo Windeſemenſi. Multa ejus ſcripta recenſentur, quæ legi olim manuſcripta ſolebant in Windeſemenſi Bibliotheca:

Quo modo veterem hominem exuere debeamus.
De intimis Chriſti, & viis ad ea.
De perfecta Amoris altitudine.
De vera Sapientia.
Speculum Veritatis.
De luce Veritatis.
De tribus ſtatibus hominis converſi.
Amoroſa querela Animæ cum Deo.
Allocutio amantis Animæ cum amato.
De præparatione internæ habitationis.
De Vita ſpirituali & impedimento ejus.
De Vita contemplativa & impedimento ejus.
Dialogus inter Animam & Deum.
De raptibus & collocutionibus cum Deo.

Quibus addi debet Apocalypſis ejus, quam in Chronico ſuo habet Buſchius. Quia verò Opuſcula hæc omnia *Maudæus* ſcripſit ſuppreſſo nomine, fit, ut paucula eorum reperiantur. Putabat autem *Joannes Voetius*, Canonicus Regularis Tungrenſis, *Maudæi* eſſe, quæ ibidem MSS. leguntur, ſimili ferè cum præcedentibus titulo, videlicet,

Colloquium JESU *& Monachi.*
De interna converſatione.
De Vita contemplativa.
Liber invitans ad ſpiritualem progreſſum.
Libellus ducens ad primordia perfectionis.

Piè in Domino obdormivit anno 1431. in Cœnobio ſuo Windeſemenſi.

HENRICUS DE MERICA,

Vernaculè VANDER HEYDEN, Oorſchotanus è Majoratu Silvæducenſi, vitam Canonicam profeſſus eſt in Bethleem prope Lovanium, anno 1436. electuſque ibidem Prior ordine nonus anno 1450. ſumma cum laude munus illud, quoad vixit, adminiſtravit. Fuit enim moribus, litteraturâ (ver-

ba ſunt Petri Impens in Chronico ſuo Bethleemitico) pietate, religione, dignitatis ſpecie inſignis, quem plures Lovanienſium Doctores, ob verecundam morum illius reverentiam & formæ dignitatem, ut Angelum Domini, dum illos inviſeret, ſe illum recipere profitebantur. Diem ſupremum obiit in Monaſterio ſuo, anno 1479. ætatis ſuæ LIX. Scripſit

Tractatum *de Deſolatione Civitatis & cladibus Terræ Leodienſis*, facta à *Carolo Audace Burgundiæ Duce*, *anno* 1469.

Extat MS. in Rubea Valle, item inter Codices Bibliothecæ Cottonianæ in Anglia, quorum Catalogum anno 1696. Thomas Smitus Oxonii evulgavit.

Item *Epiſtolas* ad diverſos, elegantes, & prudentiâ plenas.

In Capitulo Generali Windeſemenſi *Orationes* binas habuit.

HENRICUS METTECOVEN,

Trudonenſis, Juris Utr. Licentiatus, Leodii ad D. Dionyſium Canonicus, pietate & doctrinâ clarus, ſtudii indefeſſi, vivebat anno 1575, in ipſam uſque grandævam ſenectam ſcriptitans. Scripſit autem

De tribus connubiis S. Annæ, Matris Deiparæ Virginis.

Vitam, Miracula & Encomium S. Annæ.

Teſſeras XII. veræ Eccleſiæ.

Catholicam velitationem contra Hæreticos.

Scopas Hæreticorum, ad Gerardum à Groesbeeck, Epiſcopum Leodienſem. Quorum omnia autographa in folio conſcripta ſervantur apud Regulares Tungrenſes.

HENRICUS D'OULTREMAN,

Rombiſii Toparcha, Valentianæ apud Hannones naſcitur anno 1546. XI. Kalendas Septembres, nobili & antiquâ apud Gandavenſes familiâ, dictâ *Outermans* ſive *Woutermans*, oriundus. Puer in patria ubi litteraturæ melioris fundamentis egregiè imbutus fuit, Lovanium à parentibus anno 1562. miſſus, ibidem Philoſophiæ Juriſprudentiæque aliquamdiu operam dedit.

Verùm cùm eam facultatem ſine forenſi agitatione ſciret parum fructuoſam eſſe, ingenium ad humaniores convertit litteras, quibus natus & deſtinatus à natura videbatur; idque tantâ pertinaciâ, ut intra breve tempus, evolutis pleriſque linguæ latinæ, iiſque melioris notæ auctoribus, ad culmen ſolidæ eruditionis pervenerit. Memoriâ ſiquidem erat admodum tenaci, peracri judicio, nec minùs felici fœcundoque ingenio, valuitque poëſi cùm latinâ tum gallicâ.

In Senatum urbis patriæ adhuc juvenis adſcitus, per omnes dignitatis gradus ad ipſam tandem Præfecturam ſecundò admotus fuit, ſeque ſummis & imis acceptiſſimum reddidit. Pro ulteriore encomio ſit ipſa ejus Inſcriptio ſepulchralis, inferiùs recenſenda. Deſcripſit

Triumphum & Spectacula Sereniſſimis Belgarum Principibus ALBERTO & ISABELLÆ *in civitate Valentiana edita.* Antver. fol. typis Plantinianis, 1602. cum Spectaculis *Joannis Bochii.*

Epicedium in obitum Emanuëlis Lalani, Marchionis Rentiaci, verſu Elegiaco.

Geſta præcipua *& Elogia trium Principum, Alexandri Farneſii Parmæ Ducis, Alberti Auſtriæ Archiducis, & Caroli Croiaci, Ducis Areſchotani* MSS.

Varia ad hæc Poëmatia, cùm Latina, ad *Juſtum Lipſium*, cui per litteras familiariſſimus atque amiciſſimus, dum vixit, fuit, alioſque, tum Gallica, quorum maxima pars eſt rerum ſacrarum, *Paſſio, Reſurrectio, & Aſcenſio Chriſti; Peregrinus, Hyems Animæ,*

Digitized by Google

Hymni matutinales, *Triumphus S. Agnetis.*

Hiſtoriam Urbis & Comitatûs Valentiniarum, gallicè. Duaci, 1639. fol. cum Vita Auctoris, edente *Petro d'Outremanno*.

Deceſſit anno 1605. Kalendis Octobribus ætatis LIX. ſepultus ad S. Joannem, in choro templi, ubi pulcherrimum è marmore atque alabaſtrite monumentum poſuerunt, cum hac Inſcriptione, marito vidua *Joanna de la Croix*, parenti liberi, *Henricus* Cartuſianus, *Adrianus* Benedictinus, *Philippus* & *Petrus* Societ. Jeſu Theologi & ſcriptis clari.

D. O. M.
HENRICO D'OUTREMANNO,
Rombiſii Toparchæ,
Valentianarum ſecundùm Præfecto,
Viro nobili, docto, probo,
Antiquitatis, Legum,
Politices Conſultiſſimo.
Gratiis non minùs quam Muſis nato.
Religione in Deum, in Regem fide,
In Patriam pietate, in cives amore,
In amicos officio,
In omnes comitate eximio.
Summis juxta atque imis acceptiſſimo.
In rebus agundis prudentiâ,
In ſecundis modeſtiâ,
In adverſis conſtantiâ, ſpectabili.
Non memoriæ ergo,
Quam immortalem ſcriptis & factis
Sibi ipſe comparavit:
Sed ad deſideni ſolatium Hær. M. P.
EX JOANNA DE LA CROIX,
Lectiſſimâ Matronâ ſuſcepti,
Henricus, Carthuſianus,
Philippus, Societatis Jeſu,
Adrianus, Benedictinus,
Petrus, Societatis Jeſu.
Maria, Carola, cœlibes;
Anna brevis ævi.
Vixit annos LIX. menſem I. dies VIII.
Obiit Kal. Octob. an. M. D. C. V.
Suo magis, quam aliorum tempore.
Tu, quiſquis es, bene de te merito,
Bene apprecare.

Inferiùs ad ipſum Mauſolæum leguntur hi duo verſus.

Mel Sophiæ, Hiſtoriæ rivos, Aganippidos undas,
Et Legum pelagus hæc brevis urna capit.

HENRICUS PALUDANUS,

Minorita Leodicenſis, ex hiſpano latinum fecit *Paradiſum Gloriæ Sanctorum, eorumque Triumphum*, id eſt, *Conciones atque Exercitia pia in Feſta anni totius*, auctore *Didaco de la Vega*, ejuſdem Inſtituti.

HENRICUS PHILIPPI,

Arduennas, ex fano S. Huberti, Societatis Jeſu S. Theol. Doctor, Philoſophiam, Theologiam Scholaſticam, & ſacram Scripturam in Academiis Cæſareis Græcenſi, Viennenſi ac Pragenſi profeſſus, Sereniſſ. Ferdinando III. Regi Hungariæ ac Bohemiæ fuit à Studiis & ſacris Confeſſionibus. In medio Aulæ ſtrepitu procul ab Aulæ moribus, ſuiſque intentus ſtudiis nihil aut parum ad ſe pertinere credebat quicquid foris ageretur. Scripſit

Introductionem Chronologicam, ſeu *De Computo Eccleſiaſtico ad Chronologiam accommodato.* Coloniæ apud Joan. Kinckium, 1621. 4.

Synopſin generalem Sacrorum temporum. Ibid. 1624. 4.

Quæſtiones Chronologicas de Annis Domini, Julianis, Nabonaſſeri & Æræ Julianæ componendis. Item *de Annis nati & paſſi Salvatoris.* Ibid. 1630. 4.

Tabulas Annorum expanſorum pro Chronologia Eccleſiaſtica; nomine ſuo non adſcripto. Viennæ, 1634.

Tractatum *de Olympiadibus.* Ibid. 1635.

Manuale Chronologicum Veteris Teſtamenti. Antver. apud. Joan. Meurſium, 1635. 8.

Notas, & Quæſtiones Chronologicas in Pentateuchum.

Notas & Quæſtiones Chronologicas in Prophetas, Majores & Minores. Ibid. 1636.

A morte prodiit opus poſtumum, *Chronologiæ Veteris Teſtamenti accuratum Examen.* Coloniæ, 1637. 4.

Moritur autem Ratisbonæ, pridie Kal. Decembris, anno 1636. Plura vide apud Phil. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societ. Jeſu.

HENRICUS DE PIRO,

Aliàs Brunonis, quondam S. Pauli Leodienſis Canonicus, Legum Doctor & Profeſſor in Academia Lovanienſi, anno 1427. in ipſa ejus erectione, è Colonienſi Univerſitate accitus. Quam deinde provinciam quadriennio vix elapſo deſeruit, & ſuam poſtliminio repetiit Agrippinam. Interfuit Concilio Conſtantienſi, in cujus Actis frequens ejus mentio habetur, tandemque feſſus laborum, ac ſæculi pertæſus, Religionem Inſtituti Cartuſiani amplexus eſt. Exſtant ejus, typis editi,

Commentarii in Libros IV. Inſtitutionum Juris Civilis.

Item *Quæſtiones III. de emptione redituum.* Oppenheimii, 1514. 4.

Scripſit quoque *de Eſu & abſtinentia carnium, ad Bartholomæum S. Th. Prof. Carthuſienſem in Ruremunda:* extat MS. in Bibliotheca Abbatiæ Haſnonienſis. Plura recenſet Theodorus Petrejus in Bibliotheca ſua Cartuſiana.

Fallitur verò Theodoricus Loërius, ejuſdem Inſtituti Religioſus, dum, præfando ad Dionyſium Cartuſianum in librum IV. Sentent. *Henricum à Piro* primùm Legum ac Canonum Profeſſorem in naſcente Gymnaſio Trevirenſi fuiſſe memorat.

HENRICUS A POMERIO,

Vernaculè Van-den-Bogaerde, Lovanienſis, Artium Magiſter, Canonicus Regularis in Viridi Valle, inde Prior in Monaſterio ſeptem Fontium juxta Bruxellam electus anno 1422, poſt annos circiter novem, ad proprii Cœnobii regimen revocatur. Tum rurſus à Septifontanis anno 1454. in Priorem expetitus, cum tunc ageret annum ætatis LXXII. utiliter ubique præfuit. Sed tandem ſenio fatiſcens, in Viridem Vallem rediit, ubi & obdormivit in Domino anno 1469, quarto Nonas Junii. Erat Theologus myſticus ſuo ævo celebris, qui ſcripto reliquit,

De Origine Monaſterii Viridis Vallis. MS. in Viridi Valle, & in Bibliotheca publica Ultrajectina.

Vitam ac Miracula Ven. Patris Joannis Ruysbrockii, primi ibidem Prioris: & *Joannis de Leeuwis*, ſive *Leonii*, primi ejuſdem Monaſterii coci. MSS. ibidem & apud Regulares Tungrenſes.

Scutum veritatis & ſpeculum charitatis. MS.

Librum de Prædeſtinatione.

Promptuarium Spiritualium Meditationum. MS. Ibid.

Exercitium ſuper Pater noſter & Ave Maria, Lovanii ad S. Martinum.

Dialogum inter animam & hominem de Paſſione Domini, & alia plura MSS. in Viridi Valle.

HENRICUS vander PORT,

Batavus, Medicus ſimul ac Poëta, *Hipocratis Aphoriſmos* metricâ paraphraſi græcè & latinè edidit. Ultrajecti 1657. in 24.

HENRICUS PREVOST,

Dictus de le Val, Eques, Dominus de Tenants, Fecialis Armorum ordinarius ſuæ Catholicæ Majeſtatis, titulo Comitatûs Artheſiæ, creatus 9. Februarii 1637.

Digitized by Google

Edidit gallicè librum hiſtoricum ſimul ac genealogicum,

La Vie exemplaire de pluſieurs Abbeſſes decedées en opinion de Sainteté, le Mauſolée des SS. les Eloges de l'Abbaie de Rooſenbergh, alias Waeſmunſter &c. 4. Leodii 1660.

HENRICUS PRIEM,

Silvæducenſis, Gymnaſiarcha apud Monaſterienſes in Weſtphalia, dedit *Scholia in Eraſmi libellum, de octo Orationis Partium conſtructione*, Tiguri impreſſa. Periit Embeccæ in incendio, ut habet Epitomator Geſneri.

HENRICUS PRUDENS,

Ordinis Cartuſiani, Prior Vallis Gratiæ prope Brugas, & Domûs S. Sophiæ juxta Silvamducis, in qua diem clauſit extremum anno 1484. VI. Idus Novembres. Scripſit, teſtibus Boſtio ac Trithemio, opus celeberrimum,

Tetralogum Devotionis: quod *Henrico Vroedio* adſcribit Petrus Sutor libro II. Vitæ Cartuſianæ.

HENRICUS PUTZIUS,

Marcoduro opido Ducatûs Juliacenſis oriundus, Societati SS. Nominis Jesu nomen dedit anno 1586. Fuit raro & excellenti vir ingenio; nec minus probitate & pietate excelluit. Scripſit

Tragœdiam Joſue; aliaque Carmine eleganti.

Obiit Coloniæ anno 1596. die VI. Aprilis. Fratrem habuit germanum *Matthiam*, de eadem Societate.

HENRICUS RAMPEN,

Huenſis, Eburo, Linguam græcam Philoſophiamque Lovanii in Pædagogio Lilii docuit; Doctorque S. Theologiæ anno 1607. unà cum Ex. Viro *Joanne Wiggers* renuntiatus, Theologiam Scholaſticam in Cœnobio Parcenſi, & ſacram novæ Legis Scripturam in Scholis Academicis per decennium profeſſus eſt, vicariam impendens operam *Jacobo Janſonio*, qui ſenio gravis, corporiſque moleſtiis fractus, hanc illi provinciam demandarat.

Præfuit primùm Collegio S. Annæ, ac demum ab anno 1628. Collegio S. Spiritûs (vulgò Theologicum majus vocant) in quo delectam juventutem, ſtudiis ſacris operantem, & primaria ingenia habere, alereque ſolebat. Fuit & per Privilegia Academica in Cathedrali Antverpienſi Canonicus.

Ipſe vero ingraveſcente ætate cum acutiſſimis podagræ ac chiragræ cruciatibus diu conflictatus fuit, incredibili patientiâ, nihil interim remittere ſolitus de ſolita curâ ac diſciplinâ cùm ſcholæ, tùm Collegii. Moritur anno 1641. IV. Martii, ad S. Petrum in Sacello S. Caroli Borromæi conditus. Edidit

Commentarium in IV. Euangelia, quo Euangeliorum inter ſe concordiam ſenſumque litteralem breviter & clarè explicat. Lovanii, typis Franciſci Simonis, 1632. Tomis III.

HENRICUS REGIUS,

Aliàs de Roy, Ultrajectinus, Artium & Medicinæ Doctor, naſcente Academiâ Trajectenſi, primus Profeſſor extraordinarius Medicinæ Theoriæ ac Botanices inauguratus fuit 18. Martii 1638, ac vertente anno Ordinarius. Tandem Medicinæ primarius die 2. Decembris 1661. naturæ debitum ſolvit octuagenarius, die 18. Februarii 1679. Pro funere laudatus à *Joanne Georgio Grævio* Hiſtor. Prof. Claruit ſcriptis ſequentibus.

Phiſiologia, ſive cognitio ſanitatis, tri-

plici Diſputatione propoſita. Ultraj. 1641. in 4.

Fundamenta Phyſices. 4. Ibid. 1646. item 1661. ſub tit. Philoſophiæ naturalis. Compendium eſt Philoſophiæ Cartheſianæ.

Praxis Medica, Meditationum exemplis demonſtrata. Ibid. 1657. in 4.

Explicatio mentis humanæ. Ultrajecti 1659. in 4.

Spongia pro eluendis Animadverſionibus Jacobi Primiroſii in Theſes ipſius de circulatione ſanguinis. 4. Leidæ apud Joh. le Maire 1641.

Fundamenta Medicinæ libris IV. Ultrajecti apud Theod. Ackersdyck. 1647. item 1657. dum cætera ejus Opera Medica ſimul edita ſunt, ac tertiò cum auctario 1668. in 4.

Hortus Academicus Ultrajectinus. 8. Ultrajecti.

HENRICUS RHALA,

J. U. D. & Hiſtoriarum Profeſſor in Academia Franekerana apud Friſios, dedit, præter *Topica Juris*, Francof. 1641.

Diſſertationem Politicam ad I. Annal. Taciti, ſuper illuſtri ſententia, *Donec Auguſtus cuncta diſcordiis civilibus feſſa* &c. Arnhemii, 1619. 4.

De Origine & progreſſu Juriſprudentiæ Romanæ. Franek. 1641. in 8.

Orat. De calumnia & delationibus.

Legitur Franekeræ hoc Epitaphium.

„ Anno 1640. 18. Novembris mor-
„ tuus eſt *Henricus Rhala*, Juris utriuſ-
„ que Doctor & Profeſſor in Academia
„ Franekerana, natus annos XLIX.
„ Anno 1665. 3. Decembris mortua
„ eſt *Anna* ejus Uxor, nata LXII. &
„ jacent hîc ſepulti.

Juris-Conſulti hîc HENRICI RHALA
ſepulchrum eſt,
Incomparabilis Viri.
Juris qui in Friſia, & qui præſtantiſſimus olim
Profeſſor Eloquentiæ.
Nox premit hunc, at fama Viri poſt funera vivit,
Majorque poſt cineres venit.
P. P. I. R. S.

HENRICUS RYSWICH,

Legum Doctor, Sanctis Cliviorum vixit: vir, præter Juris ſcientiam, antiquitatis omnis perquàm ſtudioſus, imitatus in hoc Doctorem ſuum Claudium Cantiunculam. Edidit

Paratitla, & Notas breves *ad Tit. D. De diverſis Regulis Juris antiqui:* item *Librum ſingularem Regularum prætermiſſarum.* Coloniæ, typis Gymnici. 1572. in 8.

HENRICUS SAMERIUS,

Luxemburgenſis, Societatis Jeſu, hiſtoriæ omnis & præſertim Eccleſiaſticæ peritiſſimus, & in annorum potiſſimùm temporumve ſupputationibus admodum accuratus. Edidit

Chronologiam Sacram, ab orbe condito ad Chriſtum natum; confutatis multorum ad hanc diem calculis. Antver. typis Verduſſii, 1608. fol.

Obiit in urbe natali, Nonis Januarii, anno ſalutis 1610. ætatis ſuæ LXX.

HENRICUS SANCTÆGIDIANUS,

Bruxellenſis, Abbas Riddaghuſani Ordinis Ciſtercienſis in Diœceſi Halberſtadienſi Monaſterii in Germania anno 1170. creatus; vir ad miraculum doctus, ut de eo loquitur Auctor Chronici Riddaghuſenſis, plurima ſcripſit, quorum Arnoldus Lubecenſis, Helmoldi continuator libro II. cap. XVIII. & Crantius libro VII. cap. II. Metropoleos meminêre.

Notare hic lubet, ſæculo XVI.

Lutheranos (Riddaghuſanum Cœnobium occupaſſe, & de Miniſtris ſuis Abbatem ac pſeudo-Monachos conſtituiſſe; neque etiam in Chronico Meibomii extare nomen præfati Abbatis *Henrici*.

HENRICUS SCHOTANUS,

Friſius, J. U. D. primus ac primarius in Friſiorum Academia Franekerana Legum Profeſſor, præter *Diſputationes*, quas flagitantibus Legum candidatis ac Studioſis indulſit, *Erotemata* in aliquot libros Codicis concinnavit. Edita ſunt illa, à morte auctoris, per Timæum Fabri J. U. D. Franekeræ, 1610. 8. & aliàs ſæpius, hoc titulo:

Schotanus redivivus, ſive *Commentarius Erotematicus aut Paratitla in tres priores Libros Codicis*. Prohibitus Romæ anno 1623. die 17. Februarii.

Moritur anno 1605. die XXII. Januarii. Cenotaphium doctori ac præceptori ſuo ſcripſit Marcus Lycklama lib. VII. Membran. Eclogâ XLII.

Filium reliquit *Bernardum Schotanum* J. U. D. in eadem Academia Franekerana ac Profeſſorem celeberrimum, de quo plura ſuperiùs.

HENRICUS DE SECLIN,

Patricius Gandavenſis, Poëta, felicis venæ ac ſtili, luſit librum *Carminum*, typis vulgatum.

HENRICUS SEDULIUS,

Clivius, Ordinis Minorum in Belgio iteratò Miniſter Provincialis, Commiſſarius, ac Definitor generalis, variis in locis Guardianus &c. vitæ ac diſciplinæ Monaſticæ ſeverus rigiduſque Magiſter fuit: Vir ab eruditione, ceteriſque ingenii dotibus, in primis verò ab accuratiſſima lectione & tractatione SS. Patrum laudatus: è quibus & contexere ſcripta ſua ingenioſè ſolebat. Exemplo hujus rei ſint;

Commentarius de Præſcriptionibus Hæreticorum, Tertulliani exemplo & titulo. Antver. typis Plantinianis, 1606. 4.

Apologeticus adverſus libellum famoſum, cui titulus: Alcoranum Franciſcanorum, pro libro conformitatum S. Franciſci cum Chriſto &c. Ibid. 1607. 4.

Diva Virgo Moſæ-Trajectenſis; Beneficia ejus ac Miracula Trajecti patrata. Eodem libro de SS. Imaginibus, Reliquiis, deque Proceſſionibus ſacris ex Antiquitate diſſeritur. Ibid. 1609. 8.

S. Bonaventuræ Liber de Vita S. FRANCISCI, erudito *Commentario* illuſtratus. Ibid. 1597. 8.

Commentarius in Vitam S. Ludovici, ex Ord. Minorum Epiſcopi Tholoſani. Ibid. S. 1602.

Imagines Religioſorum Ord. S. Franciſci, in æs inciſæ, cum brevibus Elogiis. Ibid. typis Gallæi, 1602.

Hiſtoria Seraphica, ſive *Sanctorum Ordinis ſui Vitæ*, cum *Notis*. Ibid. typis Nutii, 1613. fol.

Martyria FF. Minorum, Alcmarienſium, Gorcomienſium, & aliorum, in Belgio ab hæreticis interemptorum. fig. 4. Antv. apud Nutium 1613.

Chronicon MSS. Weerthenſe, ubi omnium Belgii Monaſteriorum Ord. S. Franciſci, etiam Monialium, recenſet Origines, viros illuſtres &c.

Denique *D. Bonaventuræ Speculum Diſciplinæ* recenſuit & *Notas* auxit, 1593. 12. apud Moretum: quod tamen comperit poſtmodùm non *Bonaventuræ* eſſe, ſed *B. Davidis Auguſtani*, indicium ejus rei faciente Marco Velſero, viro doctiſſimo.

Deceſſit ſeptuagenarius, Antverpiæ, anno 1621. die 25. Februarii, exactis in Ordine 52. annis; ſepultus in choro.

HENRICUS SMETIUS,

A LEDA, anno 1537. III. Kal. Ju-

Digitized by Google

nii, nobili apud Aloſtanos in Flandria familiâ natus, puer triennis patre *Roberto* Medico Aloſtano orbatus fuit. A matre dein litterarum ſtudiis admotus, XV. annorum adoleſcens *Pythagoræ ac Phocylidis Gnomas Græcas*, item *Homeri Batrachomyachiam*, & *Suſannæ hiſtoriam* Latio donare cœpit; aliaque verſu cecinit. Medicæ artis initia accepit Lovanii: inſignia ac titulum Bononiæ, anno 1561. ætatis XXIV.

In patriam reverſus, ductâque uxore *Joannâ Corputiâ*, annos ſex Antverpiæ vixit. In Germaniam dein ob Calvinianam, quam profitebatur, religionem profugus, præfuit valetudini Friderici III. Comitis & Electoris Palatini ad Rhenum, ejuſque filii Caſimiri; & ſcientiam artemque ſimul Medicam Heydelbergæ docuit & exercuit. Edidit

Proſodiam: de ſyllabarum quantitate, ex veterum Poëtarum auctoritate, Francofurti, 1611. 8. & alibi ſæpiùs.

Juvenilia Sacra, ut *Regum Judaïcorum* libros III. *Elegiarum* libros II. *Odarum* lib. I. *Suſannæ* lib. I. Heydelbergæ, 1594. 8.

Miſcellanea Medica, libris XII. Francofurti, 1611. 8.

Heydelbergæ anno 1614. die XV. Martii in fata conceſſit; legiturque ibidem illius Epitaphium ſtylo Calviniano exaratum.

AUREA MEDIOCRITAS.

„ HENRICUS SMETIUS, à Leda, „ natus Aloſti XXIX. Junii anno M. „ D. XXXVII. per annos XXXXII. „ Palatinatui, quà in Aulâ, quà in „ Academia Medicinam faciens, do- „ cens: JOANNÆ CORPUTIÆ Conju- „ gi ſuaviſſ. & JOHANNÆ SMETIÆ „ filiæ chariſſ. JANO GRUTERO vix „ biennium nuptæ; nec non ELIZA- „ BETHÆ CORPUTIÆ, FRANCISCI „ JUNII Theologi uxori, matronis „ caſtis, modeſtis, piis, hîc poſitis, „ in ſpem vitæ cœleſtis appoſitus „ quieſcit: defunctus XV. Martii an- „ no Chriſti M. D. C. XIV.

HENRICUS SMEYERS,

Bruxellenſis, S. Theol. Licentiatus, Canonicus & Scholaſticus in D. Gudilæ, librorumque Cenſor, edidit à ſe habitam

Orationem de D. Thoma Aquinate, Doctore Angelico, divinæ & humanæ Sapientiæ Phœnice. Bruxel. 1624. 4.

HENRICUS SOETEBOOM,

Batavus, Hiſtoricus, multa ſcripſit vernaculè, inter quæ innotuêre,

Saan-lanſche Arcadia, libri V. ubi ſub fictione poetica agit de Batavorum & Caninefatum origine, urbium ſitu &c. 12. Amſtelod. 1658.

De Origine & interitu Veronæ Urbis, apud Friſios antiquiſſimæ, de qua vulgatum Chronographum: *eCCe CadIt Mater FrIsIæ*. 16. Amſtel. 1661.

De ortu & interitu Stauriæ Friſiorum Urbis, ſeu Chronicon ab anno 313. ante Chriſtum, uſque ad 1580. Amſtel. 1648. in 12.

HENRICUS SOMMALIUS,

Dionantenſis, Eburo, in Societatem Jeſu ab ipſo *S. Ignatio* Romæ anno 1551 admiſſus, Græcas litteras Laureti profeſſus eſt. Reverſus in Belgium, primus Collegium Duacenſe rexit, variiſque locis cum laude & fructu Eccleſiaſten egit; atque interim ſtudium non vulgare impendit eruendis, caſtigandis ac recenſendis veterum & ſacrorum Auctorum ſcriptis.

Senio & quadam ſatietate vitæ magis quam morbo victus, occubuit Valencenis die 30. Martii, anno 1619. ætatis 85. Ediderat

Thomæ

Thomæ à Kempis Opera, ad veterum Codicum ipſumque autographum emendata. Antverp. typis Mart. Nutii, 1600. 8. & alibi.

D. Auguſtini Confeſſionum libros XIII. Duaci 1608. 12. typis Belleri.

Meditationes, *Soliloquia* & *Manuale ejuſdem*. Ibid.

Albertum Magnum de Paradiſo animæ, ſeu de *Virtutibus*; quem & *Scholiis* illuſtravit. Antver. apud Joan. Moretum.

B. Anſelmum de Excellentia B. M Virginis Similitudinum libellum, & *Epiſtolas*, eodem auctore. Ibid. 1605. 16. *B. Anſelmi*, *Tractatum de* XIV. *dotibus Beatorum*. Ibid. in 12. Omnia hæc S. Anſelmi Archiep. Cantuar. Opera denuo prodiêre Pariſiis, fol. 1675. curante *Gabr. Gerberon*, Benedictino.

Joannis Trithemii Abbatis Commentaria in Regulam S. Benedicti. Duaci apud Bellerum, 1608. & Valencenis apud Joannem Vervliet eod. anno in 8.

Denique, *Sommalio* collectore è SS. Patrum Opuſculis, *Faſciculum Divini Amoris atque Devotionis*, excudit Duaci Bellerus, 1608. 16.

HENRICUS THABORITA,

Friſius, Canonicus Regularis S. Auguſtini in Thabor prope Snecam, ſcripſit Opus vaſtum, ſtylo tamen rudiore, quo complectitur Hiſtoriam mixtam, hoc eſt Eccleſiaſticam ſimul & Politicam, à nativitate Chriſti ad annum 1501. quo floruit. Uſus eo fuit Suffridus Petrus in ſuis Friſiæ Annalibus concinnandis.

HENRICUS,

Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus, S. Bernardo Abbati Claræ-vallenſi contemporaneus, & Herimanno, ad S. Martinum in urbe Tornacenſi Abbati notus.

Vitam S. Eleutherii, Epiſcopi Tornacenſis, quam Sancto ipſo revelante didicerat, ſcriptis mandavit. Exſtat MS. in Bibliotheca Martiniana, hoc initio: *Temporibus Imperatorum Dioclesiani & Maximiani &c.* ubi & ſequentia verba eidem Vitæ antiquâ manu præfixa leguntur:

Erat Tornaci Clericus,
Puer, Civis, Canonicus,
Henricus *dictus nomine,*
Alumnus magnæ Dominæ,
Cui revelantur omnia
Hujus libri ſequentia,
Quæ fuerant igni data
A gente nimis elata.

Scripſit præterea idem *Henricus* libellum *de Antiquitate Urbis Tornacenſis.* MS. ibidem; ſicque incipit: *Anno ab everſione Trojani imperii &c.*

Ceterùm quod ad ipſius viſiones attinet, in Auctario ad Chronicon Anſelmi Abbatis Gemblacenſis, anno 1140. earum fit mentio, his verbis: *Apud Tornacum adoleſcens Clericus*, Henricus *nomine*, *multa in ſpiritu vidit. Vitam quoque S. Eleutherii*, *Tornacenſis Epiſcopi*, *notitiæ hominum tradidit*, *& alia multa tam de ipſius urbis Epiſcopatu*, *quàm de ceteris rebus prophetavit.* Quibus conſentientia ſcribit prædictus Herimannus Abbas, qui totam dictæ viſionis & rei geſtæ hiſtoriam, quam præſens oculis ſpectavit, fuſè eſt proſecutus.

HENRICUS DE VICQ,

Ooſthovii & Warnaviæ in Flandria Toparcha, natus eſt Valencenis in Hannonia, anno 1536. denatus Armenteriæ in Flandria anno 1596. IV. Idus Martias.

Adoleſcens ſtudium Philoſophiæ, & præcipuè Theologiæ, cum Juriſprudentia, cui operam ex præcepto parentum dabat, conjunxit; idque non in alium finem, ut alibi ipſe ſcribit, quàm ut primùm ſibi, dein neceſſariis

ſuis, & poſtremò quibuſcumque aliis prodeſſe poſſet. Quod eo profectu præſtitit, ut poſtea cùm jam conjugatus eſſet, publicè Ipris, ſub præſidio *Martini Rythovii* Præſulis, Theſes de Fide controverſas non ſemel in doctiſſimorum virorum conſeſſu propugnarit. Juriſconſulti verò titulum Duaci primos inter, naſcente Academiâ, adeptus fuit.

Luſtratâ hinc Italiâ, atque in Flandriam redux, Bergis S. Winoci ſubſtitit, eaque in urbe duodecim ipſos annos Conſulem laudabiliter egit, donec Calviniſtarum preſſus furoribus, relictis Bergis, Armenteriam quietis cauſâ ſeſe contulit: ubi & in libris ſacris volvendis placidè conſenuit. Scripſit

De Sacramentorum Chriſtianorum Natura, Officiis ac Numero. Lovanii, typis Bogardi, 1571. 8.

De Deſcenſu Chriſti ad Inferos. Antver. 1586. 4. apud Plantinum.

Apologiam ſacrarum imaginum, gallicè.

De Communione Sanctorum, ſive *Controverſiarum hujus temporis* librum ſingularem, XXXVII. conſtantem titulis. Atrebati, 1598. 4.

Dedit & *Conſilium*, *quo oſtendit è re fore Eccleſiæ Chriſtianæ, ut in locum Sententiarum* Petri Lombardi *in Scholis aliud opus ſubſtituatur, ad hæreſes perimendas accommodatius.* Duaci, in 4. 1596.

Obiit, ut dixi, anno 1596. Nipkerkæ in Majorum monumento conditus.

HENRICUS URANIUS,

Reſenſis Clivius, τρίγλωττος, Scholæ Embricenſis Moderator fuit. Edidit

Grammaticæ Hebrææ Compendium. Baſil. typis Henr. Petri. 1541. 8.

De Uſu & Officiis Litterarum Servilium: de Nominum diverſitate, de Punctorum mutatione, deque Radicum Inventione, apud Hebræos. Coloniæ, 1570. 8.

Commendationem Linguæ Græcæ. Ibid. 1571. 8.

Epitomen de Re Nummaria, Menſuris & Ponderibus, ex Budæo, Agricola, & aliis. Ibid. 1569. 8.

Tractatum, *quo ſapienti mortem non eſſe metuendam oſtendit.*

HENRICUS VANDEN WEYDEN,

Sive à PASCUIS, Aſtenſis, Brabantus, Paſtor Begginagii Silvæducenſis, vir pius, humilis, zeloſus, & non indoctus, varia ſcripſit Opuſcula pia, & inter alia *Precationum* libellum. Silvæd. in 16.

Item *Hiſtoriam miraculoſæ Imaginis B. Mariæ in Omel*; cujus loci Virginibus tunc, erat à ſacris Confeſſionibus.

HENRICUS WICKIUS,

Waſſenbergenſis, è provincia Juliacenſi, Profeſſor Oratoriæ Facultatis in Gymnaſio Laurentiano Coloniæ, habuit, ediditque

Orationem in Laudem ALBERTI MAGNI, Epiſcopi Ratisbonenſis.

Obiit præmaturâ morte, in patria anno 1626. ipſo Paraſceves, juvenis apud omnes magnæ ſpei, magnæque exiſtimationis.

HENRICUS WILLOT,

Fontibus Epiſcopi, vulgò *Fontaine l'Evêque*, in finibus territorii Leodicenſis, natus, Ord. Minorum ſtrictioris Obſervantiæ, ut vocant, S. T. Lector, & Eccleſiaſtes facundiſſimus, Grammatices ac politioris litteraturæ ſtudiis Coloniæ imbutus, curſum Philoſophiæ abſolvit Lovanii in Gymnaſio Lilienſi, ac Theologiam Lute-

Digitized by Google

tiæ Parisiorum didicit, docuitque suos Namurci & Audomaropoli.

Fuit Ordinis sui Minister Provincialis & Commissarius generalis per Belgium, profectusque è Conventu Leodicensi ad Capitulum generale Romam, ibidem diem clausit extremum in Conventu Aræ-Cœli anno 1599. die secundo Septembris. Ingenii sui monumenta hæc reliquit:

Athenas Orthodoxorum Sodalitii Franciscani; de Scriptoribus sui Ordinis. Leodii, 1598. 8.

Octavæ II. Homiliarum de SS. Eucharistiæ Sacramento Prior edita Duaci, apud Joan. Bogardum, 1592. 8. altera Leodii, eodem anno.

Enochum Euangelicum, qui de judicio extremo apud Judam Apostolum prophetavit. Leodii, 1598. 4. Multa alia, eodem auctore, in Conventu Leodicensi adservantur, hoc ordine:

Syrachides Euangelicus.
Elias Euangelicus.
Eliezer Euangelicus.
Noëmi Euangelica.
Rebecca Euangelica.
Manna Euangelicum.
Daniel, Helizeus, Jephte, Jonas, Isboset, Noë, Abel, Tobias, David, Moyses, Raphaël, Abimelech, Hieremias, Simon, Sampson Euangelicus.

Populari verò idiomate, hoc est gallico, edidit *Conciones de Indulgentiarum vi, natura & antiquitate*; Namurci habitas in Sodalitio Cinguli Franciscani, à Sixto V. instituti. Lovanii, apud Masium.

Orationem in Exequiis Helenæ de Melun, conjugis Florentii Comitis Berlemontii. Ibid.

HENRICUS A WITTEM,

Poëta, lusit carmine gratulatorio *De pace Antverpiæ factâ inter Principem Parmensem & cives Antverpienses*, typis Plantin. in 4.

HENRICUS WORMERIANUS,

Hollandus, vixit Coloniæ, scripsitque ibidem *Epitomen Astronomiæ*, editam anno 1514.

HENRICUS VULPIUS,

Lingensis, (quod unicum est opidum, à quo ditio Lingana nomen habet) Rostochii in Germania Mathesin Artesque bonas docuit: & ibidem decessit, anno 1560. Prodierunt libelli duo Coloniæ excusi, anno 1544. *Vulpio* auctore,

De Arithmeticæ Practicæ Regulis.
De Minutis Physicis, & *Arithmeticæ Astronomicæ Regulis practicis.*

HENRICUS DE ZOEMEREN,

(Qui Brabantiæ vicus est, ante bellorum turbas & loci ambitu & platearum, ædium, incolarum numero ex Campaniæ maximis:) S. Theologiæ Doctor Parisiensis Academiæ, dein Lovanienſi incorporatus, ac S. T. Professor Lovanii, nec non Decanus Ecclesiæ B. M. V. Antverpiæ & Canonicus ad S. Joannem Sylvæducis.

Scripsit ad instantiam Bessarionis, Cardinalis Nicæni, Apostolici tum per Germaniam ac Belgium Legati,

Epitomen Dialogi Guilielmi Ockami de Hæreticis. Lovanii, 1481. fol. apud apud Joan. de Westphalia.

Epistolarum volumen. Ibid.

Epistolam de capta Constantinopoli, cujus in magno Chronico Belgico, Francofurti edito, fit mentio; recitatque totam Joannes à Meerhout in libro suo Manusc. de mirabilibus eventibus cap. 116.

Obiit anno 1472. XIX. Kal. Septembris; libris, calice, aliisque pro anniversario atque animæ suæ refrigerio relictis Parcensi Præmonstrat. Ordinis

Digitized by Google

Abbatiæ, extra muros urbis Lovaniensis.

HENRICUS ZOESIUS,

Amersfortius, Catholicis ac patricię ſtirpis parentibus natus, jactis in patria primę litteraturę fundamentis, Lovanium, ad majorem ingenii cultum capeſſendum, ablegatus, Philoſophiam Ariſtotelicam in Falconenſi Gymnaſio didicit, atque ibidem Rhetoricam Græcamque Linguam docuit; interim Juris utriuſque ſtudio non ignavam dans operam: adeò ut qui Collegio Baccalaureorum J. U. Fiſci ac Decani munere præeſſet, anno 1597. concordantibus collegarum omnium ſuffragiis dignus fuerit judicatus.

Hinc ſtudiorum itineriſque comes datus Viro Nobili *Chriſtophoro van Etten*, Domino Couwerburgio, in Hiſpanias profectus, Salmanticę aliquantiſper ſubſtitit, Hiſpanis, quorum ad eum frequens concurſus erat, mirantibus in juvene Belga reconditam ſcientiam Juris, & vel ab hoc uno Academiam Lovanienſem deprædicantibus.

Lovanium reverſus anno 1603. Licentię titulo inſignitur, ac triennio pòſt, id eſt anno 1606. pridie Idus Apriles, Linguæ Græcę publicus Profeſſor in Collegio Trilingui Buſlidiano conſtituitur: verùm ſeſqui-anno dumtaxat in ea functione verſatus, ad Profeſſionem Inſtitutionum Imperialium ab Alberto Archiduce adſumitur.

Doctor utriuſque Juris anno 1610. VI. Kal. Octobres unà cum *Andrea Vallenſi* ſcriptis itidem claro renuntiatus, prima ſcientiæ legitimæ elementa tredecim ipſos annos eâ diligentiâ, conſtantiâ ac pertinaci ſtudio tradidit, ut recurrente anno numquam eadem omninò auditoribus ſuis ad calamum dictaret, quin vel adderet vel detraheret quidpiam, ſæpè etiam in totum reformaret, ſibique, quoad vixit, otium nullum à Prælectionibus atque exercitiis ſcholaſticis, quà publicis quà privatis, daret.

Nam anno 1619. in Profeſſione Legum ordinaria à S. P. Q. Lovanienſi ſurrogatus Viro Clariſſ. *Petro Gudelino*, Jura Pandectarum toto octennio ac pari aſſiduitate prælegit: curſuque illo ſtudiorum abſoluto, ſimul & vitæ ſuę curſum conſummavit, annoque à parta generi humano ſalute 1627. XIV. Kal. Martii, publico luctu Magiſtratum temporalem (Rector tunc Academiæ) cum æterno mutaturus, præmiſſam in cœlos conjugem *Barbaram de Ayala*, Baltazaris J. C. & Regii Conſiliarii filiam ſubſecutus eſt, relictâ filiâ unicâ *Agnete*, quæ à patris obitu nupſit Conſultiſſ. *Joanni Snyers* J. C. apud Antverpienſes Senatorii ordinis.

Sepulturam habet in primario D. Petri templo, ad Aram Virgini Deiparæ ſacram, cui hæc inſcripta leguntur.

D. O. M. S.
Monumentum
HENRICI ZOES, Amersfortii,
Et BARBARÆ DE AYALA, conjugum.
Ille cum eſſet J. U. Doctor & Profeſſor,
A pietate & à Doctrina, & quà privatim
Quà publicè à docendi aſſiduitate
Celeberrimus,
Anno erectæ Academiæ ducenteſimo,
In medio Jubilæi gaudio,
Publico luctu Magiſtratum temporalem
Cum æterno mutaturus,
Præmiſſam in cœlos Conjugem
Subſecutus eſt anno M. D. C. XXVII.
Die Febr. XVI.
Parentibus optimis filia mœſta P. C.

Ex lucubrationibus illius prodiere

Prælectiones ſive *Commentarii De jure Feudorum*; Lovanii, typis Jacobi Zegeri, 1641. 4.

Commentarius ſeu Prælectiones ad Decretales Epiſtolas Gregorii IX. Pont.; ſive *univerſum Jus Canonicum* fol. Lovanii per Nempæum 1647.

Digitized by Google

Additiones ad eundem Commentarium. 4. Coloniæ 1682.

Commentarius ad Inſtitutiones Juris Civilis. cum Additionibus *Valerii Andreæ* J. U. D. 4. Lov. per Nempæum. 1653.

Commentarius ad Digeſtorum ſeu Pandectarum Juris Civilis Libros 50. cum Notis ejuſdem *Valerii Andreæ* fol. Lovan. Editio quinta 1692. per Ægid. Denique ac rurſus ibidem anno 1718, ex recenſione *Henrici Antonii Poringo*, Thenenſis J. U. D. Lovan.

Commentarius in Codicem Juſtinianæum. 4. Colon. 1660.

HENRICUS ZYPÆUS,

Vulgò VANDEN ZYPE, Machlinienſis, Franciſci, Juriſconſulti celeberrimi Antverpienſiſque Archidiaconi frater, naſcitur anno 1577. Philoſophiam Duaci didicit; Theologiam cùm Lovanii, cum Duaci. Profeſſus Monaſticen Ipris Flandrorum, in Abbatia S. Joannis, Ordinis S. Benedicti, Sacras ibidem Litteras ſuis prælegit, & Prior præfuit. Eodem titulo ac munere dein Affligemium accitus fuit, ad formandam inibi diſciplinam Monaſticam, conſtitutus mox ejuſdem Cœnobii Præpoſitus.

Poſtremò Abbas ad S. Andream, juxta Brugas, inſtituitur anno 1616. cum prærogativa mitræ, quam primus à Sede Apoſtolica impetravit anno 1623. Cœnobium ſuum ab iconoclaſtis ſub finem ſæculi XVI. devaſtatum, reſtauravit, ſuoſque Religioſos è Brugenſi refugio poſt 54. annorum exilium ad priſtinos lares anno 1632. reduxit. Neque ſuis tantùm proficuus; ſed & Abbatiam Monialium S. Godelevæ, Brugis, ad nihilum ferme redactam, in temporalibus ac ſpiritualibus, inductâ Reformatione tit. S. Mariæ de Pace, reſtituit, ſemperque protexit. Vitâ ac laboribus defunctus anno 1659. ſepultus in Abbatia Andreana.

Scripſit librum, hoc titulo:

S. GREGORIUS MAGNUS, *Eccleſiæ Doctor, primus ejus nominis Pont. Romanus, ex nobiliſſima & antiquiſſima in Eccleſia Dei familia Benedictina oriundus*: quo *SS. Gregorium* atque *Equitium* Ordini ſuo, adverſus Baronium, vindicat. Ipris, apud Franc. Belletum, 1611. 8.

Item Tractatum *De Vita, Conſecratione & Religioſo ſtatu S. Scholaſticæ, ſororis S. Benedicti.* Cui aliud ſubjunxit opuſculum, in quo curioſum atque utile miſcuit dulci, dum Quæſtionem illam examinat, *An magis expediat devotam in mundo, quam Religioſam in Monaſterio vitam agere.* Brugis, 1631. 8. Et cùm pro ejuſdem libri ſuppreſſione extinctioneque, libello ſupplice exhibito, decretum deinde eſſet, nulla ampliùs exemplaria diſtrahi poſſe, & abſtinendum à traductione ejuſdem in alias linguas, auctor *Conſiderationes* LIV. edidit, proponendas Conſiliariis ſecretioris Concilii, in cauſſâ libri ſui; excuſas ibidem eodem anno in 4.

Series Facti, & Motivum Juris in cauſa coram Conſilio privato & pro parte D. Abbatis S. Andreæ, adverſus Abbatem S. Pantaleonis Congregationis Burſfeldenſis Præſidem, ratione tranſlationis ac Reformationis Abbatiæ S. Godelevæ Brugis. 4. Ibid. 1640.

Scripſiſſe etiam fertur, *de clauſura Monialium, & de libertate confeſſionis Monialibus tribuenda.*

D. O. M.
Hoc conditur ſub marmore
Reverendus admodum Dominus
HENRICUS VANDEN ZYPE,
Abbas hujus loci XXXIII.
Mitrâ redimitus primus,
Verbo ſimul & opere clarus,
Munificentiâ in pauperes eximius,
Suæque, ac Virginum
S. Godolevæ Abbatiis

Digitized by Google

Multum proficuus; Qui ex lapide Iconis
In Affligemio ſalutatricis S. Bernardi,
Formatam Beatiſſ. Virginis imaginem
Hîc locavit. Ceſſit è vita
Anno ætatis LXXXIII. Prælaturæ
XLIII. pridie Idus Martii,
Anno M. D. C. LIX.
Defuncto lector bene precare.

HERIBERTUS ROSWEYDUS,

Ultrajectinus, natus anno 1569. XI. Kal. Februarii, Societati Jeſu nomen dedit vicenarius. Philoſophiam Duaci didicit & docuit. Sacras item litteras Duaci & Antverpiæ profeſſus eſt: à quibus ſtudiis miſſione impetratâ, rudeque donatus, animum ad ſcribendum appulit, & pleraſque Belgii Bibliothecas luſtravit atque excuſſit, Sanctorum Vitas aliaque eruit.

Ad Ingenii perſpicaciam & judicii maturitatem accedebat ſtudium quoddam indefeſſum laborandi, indagandi & inquirendi in Antiquitatem omnis ævi, cùm ſacram, tum etiam profanam. Edidit

Faſtos Sanctorum, quorum Vitæ MSS. in Belgio; cum *Actis præſidialibus Sanctorum Taraci, Probi & Andronici*. Antver. typis Plantin. 1607. 8. Specimen hîc exhibet & delineationem Operis, quod moliebatur, *De Vita Chriſti ac B. M. Virginis, Sanctorumque in Eccleſia Catholica*, Tomis omninò XIV. At *Heriberto* huic molitioni immortuo, ſucceſſit in provinciam illam *Joannes Bollandus*, qui totum in ea ornanda ac promovenda ſe dedit, ac ſucceſſerunt alii ejuſdem Societatis Hagiographi, *Godefridus Henſchenius*, *Daniel Papebrochius*, *Conrardus Janningus*, aliique hodierni, Sanctorum glorioſa merita pari zelo publicantes, & ipſi æternâ memoriâ digni.

Diſputationem De fide hæreticis ſervanda, ex Decreto Conc. Conſtantienſis, cum *Daniele Plancio*. Ibid. 1610. 8.

Legem Talionis XII. Tabularum Card. Baronio ab Iſ. Caſaubono dictam, retaliante Roſweydo. Ibid. 1614. 8.

Anti-Capellum, ſive *Expoſitionem Neniarum, Jacobi Capelli, quas funeri Iſ. Caſauboni ad Legem XII. Tabb. in Vindiciis ſuis accinuit*. Ibid. 1619. 8.

Syllabum malæ fidei Capellianæ, excerptum ex Jac. Capelli mendaci Aſſertione bonæ fidei. Ibid. eod. anno.

Notationes in Vetus Martyrologium Romanum, hactenus à Baronio deſideratum: & *Martyrologium Adonis* ad MSS. recenſitum è Cathuſia Colon. Ibid. 1613. fol. Lege animadverſiones *P. Sollerii* S. J. Theol. in Præfatione ſua ad Martyrologium Uſuardi an. 1714. editum, pag. XX.

Joannis Moſſchi Pratum Spirituale, cum Notis. Ibid. 1615. fol.

Vitas Patrum, ſive Hiſtoriæ Eremiticæ Libros X. ad veteres Codices emendatas, & *Notis* illuſtratas. Ibid. 1615. & auctiùs 1628. fol. typis Plant.

Vindicias Kempenſes pro *Thoma de Kempis*, auctore libelli aurei *De imitatione Chriſti*, adverſus Conſtantinum Cajetanum Ord. S. Ben. Italum. Ibid. 1617. 12. & aliàs. Multis argumentis probat Roſweydus, tantam in hoc ſtylo ſimplice Thomæ à Kempis fuiſſe conformitatem cum expreſſionibus noſtris Belgicis, ut non ab Italo ſed à Belga, libros ejus de Imitatione Chriſti ſcriptos fuiſſe oporteat.

Joan. Buſſchium de origine Cœnobii & Capituli Windeſemenſis. Ibid. apud Belleros, 1621. 8.

Eucherium Lugdunenſem, De contemptu mundi, & Laude Eremi. typis Plant. 1621.

S. Paulini Epiſc. Nolani Opera Notis illuſtrata. Ibid. 1621. 8.

Vindicias Inferiarum Juſti Lipſii, contra Joſ. Scaligerum nomine ſuo ſuppreſſo, edidit. Ibid. 1606. 8.

Linguâ vernaculâ ſeu Belgicâ ſcrip-

Digitized by Google

ſit ediditque *Vitas Sanctorum*. Antver. typis Hieron. Verduſſii, 1619. 1629. & 1641. Tomis II.

Sylvam Eremitarum Ægypti ac Palæſtinæ, cum Figuris. Ibid. 1619. 4.

Hiſtoriam Eccleſiaſticam à Chriſto nato ad Urbanum VIII. Item *Hiſtoriam Eccleſiæ Belgicæ*. Ibid. apud Joan. Cnobbaert, 1623. fol. Tomis II.

Vitas Sanctarum Virginum, quæ in ſæculo vixerunt; cum Iconibus: addito Tractatu *De Statu Virginitatis*. Ibid. 1626. & 1642. 8. aliaque.

Obiit Antver. in Domo Profeſſa, die v. Octòbris, anno 1629. ætatis LX.

HERIGERUS;

Ab anno 991. Abbas Laubienſis, (quod Inſtituti Benedictini in ditione Leodicenſi Cœnobium eſt, ſecundo milliari à Binchio Hannoniæ opido) vitâ & ſcientiâ etiam apud exteros clarus & inter ſapientes ſuo tempore ſapientiſſimus habitus fuit, in tantum carus & familiaris *Notgero*, Epiſcopo Leodicenſi, (ut ſcribit Continuator Fulcuini Lobienſis in Ordinis ſui Chronico,) ut non ſolùm in domeſticis vel Eccleſiaſticis rebus, ſed in palatinis quoque negotiis idem Epiſcopus inter primos eum ſemper habuerit, ejuſque obſequiis & conſiliis non in Lotharingia ſolùm, ſed & in Italia, ubi Ottoni II. adhuc puero regnum præparabat, uſus fuerit.

Obiit anno 1007. regiminis XVII. pridie Kal. Novembris, ante altare D. Thomæ ſacrum, in S. Urſmari templo, à ſe conſtructum depoſitus. Scripſit

Hiſtoriam & Geſta Epiſcoporum Leodicenſium. Exſtant ea MSS. Atrebati apud Vedaſtinos, & Leodici ad S. Martinum, cum *Notgeri* Epiſcopi ad Werenfridum Abbatem Stabulenſem Præfatione, in qua iſta leguntur: *Non modo S. Remacli, verùm etiam ceterorum noſtræ Sedis Pontificum tempora & geſta, quæ undecumque potuere corradi, ad noſtra uſque tempora collegi*. Unde factum, ut quæ *Herigeri* ſunt, *Notgero*, à multis adſcriberentur. Quin imò unà cum *Notgero* Epiſcopo ſcripſiſſe eum ſuſpicabatur Aubertus Miræus; aut certè ex *Notgeri* Collectaneis dictorum Pontificum geſta concinnaſſe: *Notgerum* verò, ut dignitate potiorem, iis proœmium præmiſiſſe.

Verùm cum *Notgero* Hiſtoria illa nec à Sigeberto, nec à Trithemio tribuatur; neque meminerint illius Anſelmus Epiſtolâ ad Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, & Ægidius Aureæ Vallis Monachus ad Mauritium Abbatem: adducor, ut ſolum *Herigerum* auctorem illius eſſe credam. Accedit, quòd in Alnenſi Cod. MS. & alibi, *Herigeri* nomen Præfationi diſertè præfigatur, nuſquam *Notgeri*. Edita eſt hæc *Herigeri Hiſtoria* Leodici, 1613. 4. curâ Joannis Chapeavillii illius Eccleſiæ Canonici. Scripſit præterea

De Vita & Miraculis S. Urſmari, MS. Gemblaci, carmine inculto ac Barbaro; de quo tamen agit Bollandus ad diem 18. Aprilis.

Vitam S. Amandi. Extat in Februario Bollandino Tomo I. pag. 855.

Vitam Stæ. Berlendis Virginis, Merbecæ in Flandria, evulgatam à Mabillonio inter Acta SS. Ord. S. Ben. Tomo III. & apud Bollandum ad diem 3. Februarii.

Vitam S. Remacli.

Vitam S. Landoaldi, ejuſque Tranſlationem, libris II. *Herigerum* enim illius quoque eſſe auctorem, non *Notgerum* Epiſcopum, (cui eam adſcribit Molanus ad Uſuardum, 19. Martii,) ex veteri manuſc. Chronico Gandenſi conſtat, in quo ad an. 981. ita legitur: *S. Landoaldi & ſociorum ejus Miracula veraciter divulgata, juſſu* D. Notgeri, *Pontificis eximii, ſunt collecta, & per* D. Herigerum, *ejus diſcalum, ac muſi-*

Digitized by Google

eæ artis peritum, breviter quidem, ſed ſatis diſertè ac luculento ſermone ſunt deſcripta, & ipſius Epiſcopi auctoritate, atque ſigilli ejus impreſſione roborata, & Wommaro Abbati Cœnobii Gandenſis, omnibuſque Fratribus feliciter ſunt miſſa. Hæc Chronographus : alibi tamen idem Chronographus, ad annum 972. *Notgerum* auctorem Vitæ illius facit, conſcriptæ tum ex antiquis libris, à Nortmannis & Danis olim ambuſtis, tum ex veterum fide dignorum relatione. Extat in Martio Bollandino Tomo III. pag. 35. Reliquit adhæc

Dialogum de Diſſonantia Eccleſiæ, Adelboldo & Herigero interlocutoribus. MS. Gemblaci.

Congeſſit quoque contra *Ratbertum* multa Catholicorum Patrum ſcripta *De Corpore & Sanguine Domini*, teſte Continuatore Fulcuini Lobienſis & Sigeberto, cap. 136. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Ad quem locum Suffridus Petrus notat, è Cod. MS. Martiniano, *Ratherium* pro *Ratberto* legendum videri : quem *de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium* ſcripſiſſe conſtat ex eodem Sigeberto cap. 128. Verùm non ego credulus illi ; præſertim cùm *Ratherii* labor, liberque à Sigeberto aliiſque laudetur, & uterque ejuſdem fuerit Cœnobii ac loci Religioſus.

Invenio quidem & *Paſcaſium Radbertum*, Abbatem Corbeienſem, de Sacramento Altaris ſcripſiſſe librum, cujus etiam meminit Trithemius in Catalogo Scriptorum Germaniæ : at verò eo in libro *Ratbertum* genuinum Eccleſiæ ſenſum ita primùm explicuiſſe, ut viam ceteris aperuerit, qui de eodem argumento multi poſtea ſcripſere, teſtatur Jacobus Sirmondus in editione Operum ejuſdem *Radberti*, Pariſ. 1618.

Præfatum *Opus de Corpore & Sanguine Domini*, velut anonimum evulgavit *Ludovicus Cellot* Societ. Jeſu Theologus, ad calcem *Hiſtoriæ Gottescalci Prædeſtinatiani* ; quam edidit in fol. Pariſiis anno 1655. Sebaſtianus Cramoiſy.

HERIMANNUS,

Vel HERMANNUS, Monachus Benedictinus Abbatiæ S. Vincentii Laudunenſis, floruit circa annum 1150, factus poſtea Abbas III. Monaſterii S. Martini, in urbe Tornacenſi. Is patre *Radulpho*, nobili Equite (qui relicto ſæcularis militiæ cingulo, Regi Chriſto militaturus, cum uxore & quattuor filiis comam poſuit, & ibidem Monachus effectus eſt) progenitus, conſcripſit luculento ſtilo

Hiſtoriam reparationis ſeu inſtaurationis ſui Monaſterii per Odonem poſteà Cameracenſem Epiſc. factæ, ab anno Chriſti, 1092. uſque ad annum 1162. Quod opus Romæ in Lateranenſi Palatio ſcribere eſt aggreſſus, cùm ibidem apud Innocentium II. Pont. negotium Tornacenſis Eccleſiæ pro priſtina proprii Epiſcopi dignitate recuperanda proſequeretur. Multa per digreſſionem in eo Opere recitat de Regibus Galliæ & Comitibus Flandriæ, fuſeque commemorat, quomodo Tornacenſis Epiſcopatus à Noviomenſi fuerit ſeparatus, priſtinæque dignitati ac libertati reſtitutus. Exſtat MS. ibidem, & Atrebati apud Vedaſtinos.

Meminit *Herimanni* Monachi Chronicon Tornacenſe *ἀνώνυμον* : ait enim *Hermannum* locum illum paternis poſſeſſionibus copiosè ditaſſe : tertium regiminis locum obtinuiſſe, & ad annum uſque ſexageſimum vixiſſe.

Addunt monumenta prædicti Monaſterii, eum, in adminiſtratione decem annis nondum expletis, gravem incurriſſe ægritudinem, atque exinde, nemine prorſus cogente, ſed propriâ voluntate & humilitate, curam ſibi commiſſam, baculumque ſuſcepti regiminis reſignaſſe in manus *Simonis*, Torna-

Tornacenſium Epiſcopi : poſtea verò circa annum 1147. maximo cum comitatu Regum, Antiſtitum, Abbatum, Ducum, Comitum, &c. Jeroſolymam, Sepulcri Dominici viſendi cauſſâ, profectum fuiſſe : in itinere autem quid egerit, quid de eo actum fuerit, certò conſtare non potuiſſe.

Hiſtoriam *Herimanni* gallicè reddidit *Thomas le Roi*, Prior ad S. Martinum, cum paucis Additionibus; dein evulgavit eam ut ſcripta erat ab autore, Domnus Lucas d'Achery, Benedictinus Gallus è Congregatione S. Mauri, Tomo XII. ſui Spicilegii pag. 358.

Scripſit quoque *Herimannus Libros tres de Miraculis B. Mariæ Laudunenſis*, oblatos Bartholomæo Epiſcopo; quos evulgavit idem Dacherius cum Operibus Guiberti Abbatis de Novigento impreſſis in fol. Pariſiis anno 1651. apud Lud. Billaine.

Item *Tractatum de Incarnatione Domini, ad Stephanum Viennenſem Archiepiſcopum*, MS. modo in Bibliotheca Abbatiæ S. Germani de Pratis Pariſiis. Ita Cæſar Oudin in Supplemento Scriptorum Eccleſiaſt. in 8. p. 385.

HERMANNUS A BORCULOO,

Delineavit ac deſcripſit *Civitatem Jeroſolymitanam, ac loca ſacra univerſæ Paleſtinæ*. Ultrajecti, 1538. Vide *ſupra de Chriſtiano Adrichomio*.

HERMANNUS A BURGUNDIA,

Comes Faleſius, vir omni ſcientiarum variarumque linguarum genere excultus, ſcripſit

Davidis Monomachi libros II.

Davidis adulteri librum I.

Abſalonis Fratricidæ librum I. Heroicis omnia verſibus, heroe tanto & æternâ lauro dignis.

Item *Miſcellaneorum* vario carminis genere lib. I. Leodii, 1624. 4. apud Joan. Ouwerx.

Vivendi finem fecit anno 1626. heros longiori vitâ dignus.

HERMANNUS CROMBACH,

Coloniæ natus anno 1598. Societatem Jeſu ingreſſus eſt anno ætatis XVII. in qua dein variis perfunctus eſt muniis primariis; Lauream quoque Doctoralem S. Theologiæ in Academia Agrippinenſi adeptus, neque Theologus ſolum, ſed & Hiſtoricus celeberrimus, & ſacrarum patriæ ſuæ antiquitatum vindex ſtrenuus. Obiit circa annum 1676. Ejus ſunt

Primitiæ Gentium, ſive Hiſtoria SS. trium Regum Magorum Euangelicorum. Coloniæ per Jo. Kinchium 1654. in fol. 2. Tomi.

S. Urſula Vindicata, ſeu Vita & Martyrium SS. Urſulæ & ſociarum XI. mille Virginum. Coloniæ fol. 2. vol. 1647; cui acceſſit additio 1669.

Idæa veri & pii Sacerdotis, ſive Vita Jacobi Merlo-Horſtii, Paſtoris B. M. V. in paſculo, in opinione ſanctitatis defuncti. (de cujus encomiis infra latiùs.) Coloniæ. 12. 1661.

Vita S. Gerardi, germanicè. Ibid. 1652.

HERMANNUS CRUSERIUS,

Campenſis, J. U. Doctor, primùm Medicæ ſcientiæ operam dedit, græcè in primis peritus, multaque Galeni latinitate donavit : verùm poſtea Juri Civili totum ſe addixit, functus Conſiliarii intimi officio apud Carolum Geldriæ Ducem, atque inde apud Guilielmum Clivium, Ducem Geldriæ electum. Vir fuit ſingulari facundiâ, famâque doctrinæ oppidò clarus. Scripſit

Commentarium in Hippocratis lib. I. &

III. De morbis vulgaribus; item *in librum de ſalubri diæta.* Baſil. per Guarinum 1570. 8.

Galeni de differentia Pulſuum libros IV. *De dignotione Pulſuum* libros item IV. *De cauſis Pulſuum*, totidem; *de præſagitione ex Pulſibus*, totidem, è græco latinè reddidit. Baſileæ, typis Frobenianis, in nova Galeni editione.

Item *Plutarchi Vitas* ac *Moralia.* Baſileæ in fol. 1573. à Guarino excuſa: qua in verſione cum *Xylandro* meritò de palma contendit.

Obiit anno 1574. Regiomontii in Boruſſia, dum Eleonoram filiam Ducis Cliviæ Alberto Frederico Boruſſiæ Duci deſponſam comitatus, in patriam reditum cogitaret; in majore urbis Regiomontanæ templo conditus.

HERMANNUS DOCCOMIENSIS,

Friſo, Theologus & Paſtor Leovardiæ ad S. Vitum, vixit circa annum 1514. Scripſit, inter alia, teſte Suffrido Petro, Decade IX. cap. VI.

Commentaria in XVII. priores Pſalmos Davidicos.

HERMANNUS A FOLKERSHEIM,

Friſius, nobili genere natus, adhuc adoleſcens è græco latinè reddidit

Marinum Neapolitanum de Vita Procli. Tiguri apud Geſneros fratres.

Scribit Epitomator Geſneri, cum in Gallia, cum Rotomagum peteret, ut inde in Angliam trajiceret, à latronibus trucidatum eſſe.

HERMANNUS FOLLINUS,

Friſius, Artium ac Medicinæ Doctor, & Reipublicæ Sylvæducenſis Medicus, vocatus inde Coloniam Agrippinam ad publicam Medicinæ Profeſſionem, ibidem peſte extinguitur. Scripſit

De Luis peſtiferæ fuga, deque remediis ejuſdem, ex uſu fere obſervatis, libros II. quos inſcripſit *Amuletum Antonianum*; dicatos *Antonio* Baroni Grobbendoncano, urbis Gubernatori.

De Cauteriis, ad *Thomam Fienum*, Doctorem Medicum. Antver. 1618. 8. apud Verduſſium.

Orationes II. De natura & curatione Febris peticularis: deque ſtudiis Chymicis conjungendis cum Hippocraticis. Coloniæ habitas & editas, 1622. 8.

Algebram ſive *De rebus occultis* lib. I. cui præmittitur *Arithmetica ſynthetica.* Ibid. 1622.

Naturæ humanæ, ſive mores & temperamenta hominum, uſque ad ultimos animorum receſſus cognocendi modus, methodo Ariſtotelis illuſtratus. Hunc è belgico in latinum vertit *Follinus*; prodiitque Coloniæ apud Jod. Calcovium 1649. in 12.

HERMANNUS GRETHUS,

Canonicus & Scholaſticus Sanctenſis apud Clivios, reliquit

Tractatum *de divinis Officiis*; quem aliquoties in Bibliotheca ſua Eccleſiaſtica laudat Corn. Schultingius.

HERMANNUS HERMES,

Colonienſis, in ea Univerſitate Agrippinenſi J. U. D. & ab anno 1636. Profeſſor publicus, Dictator Filci & Præſes, Ordiniſque Equeſtris Syndicus. Migravit inde ad Academiam Salisburgenſem, Juris publici & Codicis Profeſſor renunciatus: quam ſpartam ab anno 1652. & per XXVIII. ſequentes, etiam in grandæva ætate egregiè exornavit: trium inſuper Archiepiſcoporum ac Principum Salisburgenſium Conſiliarius.

Digitized by Google

Obiit Salisburgi die 28. Aprilis 1680. annos natus 75. ſepultus ibidem, unà cum ſecundâ conjuge Eliſabethâ à Büſtorf, nobili muliere, quæ fato functa eſt die 8. Junii 1684. annos nata 64. Edidit *Hermes*

Faſciculum Juris publici, ex Labyrintho Canonico, Legali, Feudali, & S. R. J. viridariis collectum. 4. Salisburgi; editio I. anno 1663. II. auctior 1674. III. ibidem 1697.

HERMANNUS HERTANIUS,

Ordinis Benedictini Religioſus ad S. Amandum, in Hannonia, græcè latinèque doctus, edidit

Orationem de mirabilibus Euchariſticis.

Homiliam Hiſtoricam de Tranſlatione S. Amandi, factâ anno 1604. Kalendis Junii.

Orationem in laudem Linguæ Græcæ Duaci, 1609. 4. typis Balth. Belleri.

HERMANNUS VANDER HEYDEN,

Lovanienſis, Urbis ac Reipublicæ Gandavenſis Doctor Medicus, vir cùm in arte ſua tum in politiori litteratura multùm verſatus; luſit

Elegias III in adventum Per-illuſtris Viri Caroli à Burgundia, magni Gandavenſium Prætoris. Gandavi typis Gualt. Manilii, 1619. 4.

Poſtea idiomate gallico edidit *Diſcurſus & Tract. Medicos de Fluxu ventris, de Cholera morbo, de Peſte, Arthritide, Febri tertiana & quartana &c.* longâ experientia à ſe obſervatos & probatos. Ibid. typis Servatii Manilii, 1643. 4.

Diſcurſus tres I. *Seri lactis, in fluxu tormentali, & maximè dyſenterico.* II. *Aquæ frigidæ, inter inauditos & incredibiles alios effectus, Podagræ dolores vel ſiſtentis vel mirabiliter demulcentis, & Iſchiadicos novitios penitus extirpantis; & ſecurè abſque omni ſuppuratione & deſiguratione, primo apparatu perſanantis vulnera.* III. *Et aceti vini, in præſervatione à Peſte, & ejuſdem curatione, aliiſque morbis venenatis, ut in præcautione ab Hydrophobia, præſtantiſſimæ facultates explicantur & commendantur:* multis additis Obſervationibus novis & ſcitu neceſſariis. Gandavi apud Servatium Manilium, 1649. in 8. item Londini 1653. in 12.

HERMANNUS HUGO,

Bruxel. natus 1686. promotus Lovanii in Scholis Artium loco quarto, Societatem Jeſu dein amplexus, vivido atque excitato fuit ingenio. Litteris humanioribus probè excultus, iis non vulgarem Philoſophiæ ac Theologiæ cognitionem conjunxit: docuitque apud ſuos Antverpiæ ac Bruxellæ. Atque hìc facilè in principum virorum amicitiam interiorem ſe inſinuavit, cùm linguis uteretur, præter latinam, velut vernaculis, flandricâ, italicâ, hiſpanicâ, germanicâ, gallicâ. Scripſit

De prima ſcribendi origine & univerſæ rei litterariæ antiquitate; typis Plantinianis, 1617. 8.

De vera Fide capeſſenda, pro Conſultatione *Leonardi Leſſii*, ad Neo-Euangelicam Synodum Dordracenam, *libros Apologeticos* III. Ibid. 1610. 8.

Pia Deſideria, Emblematis, Elegiis & affectibus SS. Patrum illuſtrata. Ibid. typis Nutii, 1624. 8. & aliàs, in 12.

Obſidionem Bredanam, cui ipſe interfuit, eratque tunc Marchioni *Spinulæ* à confeſſionibus, typis Plant. 1626. fol. item hiſpanicè, ibid. 1627.

De Militia Equeſtri, antiqua & nova, libros V. Ibid. 1630. fol.

Denique *Vitam Caroli Spinulæ*, Societ. Jeſu, pro chriſtiana Religione in Japonia mortui, à *Fabio Ambroſio Spinula* italicè ſcriptam:

Item *Vitam Joannis Berchmanni*, Dieſtenſis Brabanti, ex eadem Societ. à *Virgilio Cepario* ſimiliter italicè deſcriptam, latinè reddidit. Ibid. 1630. 8.

Anno 1629. in caſtris regiis febri contagioſâ correptus, ac Rhenobergam devectus, vivere ibidem deſiit, quarto Idus Septembris, in Æde ſacra Monialium S. Auguſtini conditus.

HERMAS LETHMATIUS,

Aliàs HERMANNUS, Gaudanus, Sorbonæ Pariſienſis Doctor primarius, Decanus ad S. Mariam Ultrajecti, ab anno 1530. & Cardinalis Guilielmi Enckevortii illius Sedis Epiſcopi Vicarius Generalis; Vir fuit ſingulari doctrinâ, pietate, ac morum gravitate: quo etiam nomine eidem ab Eraſmo lib. XVII. Epiſt. ad Nicol. Everardum, inſigne Elogium poſitum eſt.

Hermanus, inquit, cùm antequam ſtadium Theologicum ingrederetur, feliciter eſſet auſpicatus Græcarum, ac bonarum, ut vocant, litterarum notitiam, ita ſe geſſit in hoc curſu Sorbonicæ Theologiæ, ut omnium punctis primas meruerit, idque in ea Schola, quæ ſine controverſia in hoc ſtudiorum genere ſemper primas tenuit. Neque verò tantùm eſt inſtructus argutiis illis, quibus in ſcholis velitantur: nihil hiſtoriarum, nihil veterum Theologorum non excuſſit, atque adeò habet in promptu. Ingenium velox ac rapidum, diſcendi aviditas inexplebilis, judicium præſens & expeditum. Plura ſequuntur. Scripſit

De inſtauranda Religione, libros IX. Baſileæ, 1544. fol. apud Oporinum. Inſcripſit eos Carolo V. Imp.

Primus agit *De Religione.*
II. *De Deſertoribus.*
III. *De Vacillantibus.*
IV. *De exortu Eccleſiæ.*
V. *De illuſtri Eccleſiæ progreſſu.*
VI. *De Eccleſiaſtica varietate.*
VII. *De Eccleſiaſtica Juris adminiſtratione.*
VIII. *De auctoritate Scripturarum.*
IX. *De ſacris Ritibus.* Alardus Amſtelodamus, Præfat. verſionis Theophilacti Bulgariæ Epiſcopi, *Hermannum* ſcripſiſſe refert & edidiſſe, libros XXXV. quos inſcripſerit *Suſpirium* ſive *Deſiderium Matris Eccleſiæ ſuper redintegranda Religione.* Luſitque in hos libros elegantem Oden idem Alardus.

Deliberatum aliquando fuit, de *Lethmatio* unà cum aliis Theologis Lovanienſibus ad Tridentinum Concilium deputando: ſed aliter ſentiebat *Viglius*, Sanctioris Conſilii Præſes, in Epiſtola ſua ad *Ant. Granvellanum*, Epiſcopum tunc Atrebatenſem anno 1550. ſcriptâ; *Quidam*, inquit, *his adjiciunt Hermannum à Gauda Decanum S. Mariæ Trajectenſis: ſed aiunt eum plus ſatis eſſe cerebroſum.* Extat hæc Epiſtola Tomo III. Collectionis Diplom. Belgic. pag. 463. quæ prodiit Bruxellis apud P. Foppens 1734.

Obiit Ultrajecti, anno 1555. die D. Nicolao ſacro, ætatis anno LXIII. Decanatûs XXV. ſepultus in medio templi, è regione chori, ſub ſarcophago, cui lamina ærea cum inſcriptione impoſita fuit, militum ibidem hoſpitantium inſolentiâ detracta. Supereſt lapidi inciſa hæc inſcriptio:

JOANNES A NOORTWYCK,
Lethmatius, Canonicus,
Qui ætate abiens immaturâ
Juxta patruum humatus Idibus Martiis
M. D. LXX.

Meminit hujus Joannis à Noortwyck, Molanus in Natalibus SS. Belgii, & Surio complures olim Sanctorum Belgii Vitas ſuggeſſiſſe refert.

HERMANNUS LOEMELIUS,

Antverpienſis, S. Theol. Licentia-

Digitized by Google

tus, anno 1617. titulum illum Duaci adeptus, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Audomarenſis, edidit *Spongiam* quâ diluuntur calumniæ, nomine Facultatis Pariſienſis impoſitæ libro, qui inſcribitur, *Apologia circa regimen Catholicorum in Anglia &c.* Audomar. 1631. 4

Item *Eccleſiæ Anglicanæ querimoniam apologeticam.* 4. Audom. 1631. Cui anno ſequente repoſuit *Franciſcus Hallier*, Sorbonæ Doctor ac dein Cavallicenſis Epiſcopus, *Defenſionem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ &c.* 4. Pariſiis.

HERMANNUS MEYERUS,

J. C. Friſiæ Orientalis & Reipublicæ Embdanæ Conſul, edidit

Tractatum *De Pignoribus & Hypothecis, & creditorum Privilegiis.* Francof. 1611. 4.

HERMANNUS NUENARIUS,

Sive à NOVA AQUILA, S. R. I. Comes, è Ditione Juliacenſi oriundus, Præpoſitus major Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis & Regalis Baſilicæ Aquenſis, à Carolo Hiſpaniarum Rege ablegatus fuit anno 1519. ut apud Principes Imperii electionem ejus ad diadema Cæſareum promoveret. Mortuus eſt anno 1530, ætatis XXXIX. Auguſtæ Vindelicorum in Comitiis à Carolo V. indictis. Scripſit

De origine & ſedibus priſcorum Francorum. Baſil. apud Hervagium, 1532. Extat denuo cum *Conradi Peutingeri* ſermonibus convivalibus, de finibus Germaniæ contra Gallos. Jenæ 1684. in 8.

De Gallia Belgica Commentarium, typis Plantin. 1584. 8. & rurſus Jenæ 1684.

Annotationes aliquot Herbarum, cum Herbario *Othonis Brunſfeldii* editas, adjectâ *Formulâ excudendi Herbarii* per eundem *Nuenarium.* Baſil. 1540.

De morbo ſeu febri ſudatoria, vulgò *Sudorem Britannicum* vocant. Coloniæ apud Joan. Soterem, 1529. 4.

Carmina aliquot, *quibus Hiſtoria mortis* JESU *in ſeptem horas diſtributa eſt.* Lipſiæ, 1592. cum Hymnis *Georgii Fabricii.*

Orationem in Comitiis Francofurtenſibus, *pro Carolo Rom. Rege* recens electo, anno 1519. habitam.

Fl. Vegetii Renati de Arte Veterinaria ſive Mulo-medicina libros IV. primus publicavit, Baſil. 1528. 4.

Vitam Caroli Magni Cæſ. per Eginhardum ſcriptam, primus omnium è latebris eruit, & anno 1521. Coloniæ edi curavit.

Sunt & qui accuſant *Hermannum Nuenarium*, tamquam authorem partialem damnati à Leone X. Pont. libri, *Epiſtolarum obſcurorum Virorum* &c. (de quo latiùs infra, ſub nomine *Ortuini Gratii.*) Nec mirum: quippe *Nuenarius*, aliquantiſper Lutheri hypocriſi deceptus, ut amicum coluerat atque protexerat: poſtmodum vero ſtrenuus illius ac Lutheranorum adverſarius fuit.

HERMANNUS OEM,

Ex clara vetuſtaque apud Dordracenos ſtirpe, Dordraco oriundus, J. U. D. olim familiæ S. Ignatii adſcriptus, acceptis à Societate honeſtis dimiſſionis tabulis, in patriam redux, incolis ſuis ab anno 1626 ut Paſtor deſerviit. Aſſeſſor Vicariatûs Ultrajectini, dein & Archipresbyter Hollandiæ auſtralis conſtitutus, obiit demum in patria, V. Maii 1639.

Vitam D. ac M. Hermanni Haeckii, J. U. L. Presb. ac Vicarii Eccleſiæ D. Nicolai Dordraci, ſui olim cognati, ex veteribus & autographis monumentis ver-

naculè deſcripſit, anno 1626. Item

Annales Eccleſiæ, in quibus titulus de ortu & progreſſu Urbis Dordracenſis, Zuyt-Hollandiæ primariæ; & Familiæ Dordracenæ. MS.

Item *Annotata in Hiſtoriam Dordracenem Valerii Gouthoven.* MS. apud conſanguineos.

HERMANNUS DE PETRA,

Santdorpius, Carthuſianus, ac Virginum Carthuſianarum juxta Brugas per annos XXXIV. Cœnobiarcha, è vivis deceſſit anno 1428. IX. Kal. Maii. Scripſit

Sermones 50. in Orationem Dominicam. Aldenardæ, 1480. apud Joan. Cæſarem, & Lovanii, typis Joan. de Weſtphalia, 1484. fol. Prior editio *Hermannum de Petra*, poſterior *de Santdorpe*, auctorem præfert. Reliquit præterea

Sermones de Tempore & Sanctis.

Tractatum *De Immaculata Conceptione Virginis* MARIÆ.

De regimine Monialium. Aliaque, à Trithemio ac Sutore recenſita.

HERMANNUS RYD,

De Rhenen, quod opidum eſt Geldriæ, ſcripſit librum

De Vita & honeſtate Clericorum: editum cum aliis ejuſdem argumenti, Baſileæ, 1555.

HERMANNUS THYRÆUS,

Noveſii, in territorio ac Diœceſi Colonienſi, natus anno 1532. Romæ ab ipſo fundatore S. Ignatio anno 1556. in Societatem admiſſus eſt. Docuit Theologiam Ingolſtadii & Treviris. Moguntiæ apoplexiâ prope ſexagenarius tactus extinguitur anno 1591. die XXVI. Octobris. Scripſit

De Religionis libertate, latinè & germanicè.

Collegit & *ſex millia dubiorum de Confeſſione Auguſtana, & duo millia irregularitatum.* Dilingæ, 1587. 4. & in fol.

HERMANNUS TORRENTINUS,

Zwollanus, Trans-Iſalanus, *Alexandrum Hegium* nactus Daventriæ præceptorem, inſignis eâ tempeſtate fuit Grammaticus, atque à morte Hegii cœpit *Grammaticam* ſive *Doctrinale Alexandri de Villa Dei* corrigere emendareque, verſibus tum obſcuris, vitioſis ac barbaris ſublatis, tum melioribus magiſque perſpicuis in eorum locum ſubſtitutis, cum nova vocabulorum interpretatione, Argentinæ 1516. multis tamen contra-nitentibus, operamque ejus ita lacerantibus, ut ad F. Joannem Torrentinum, Monachum regularem, coactus fuerit ſcribere Apologiam. Scripſit præterea in ſtudioſorum gratiam,

Opuſculum perutile *De Generibus Nominum, de Heteroclitis, de Patronymicis, & de Nominum ſignificationibus.* Antverpiæ. 1514. 4. apud Vorſterman.

Commentarium in XIII. *Elegias Sabellici de B. Virgine, Gregorii Tipherni Hymnum & Baptiſtæ Mantuani Votum ad eamdem.* Silvæd. apud Fratres Gregorianos in 4.

Comment. in Bucolica ac Georgica Virgilii. Daventriæ, 1502. 4. Coloniæ apud Quentelium, & alibi.

Scholia in Euangelia Dominicalia, item *in Hymnos, & quas vocant Sequentias.*

Primus quoque conſcripſit *Elucidarium Poëticum.* Baſileæ, 1535. typis Thomæ Wolphii excuſum; cui Robertus Stephanus Pariſiis, aliique dein alibi manum admoverunt & auxerunt.

Orationes familiares & elegantiſſimæ ex omnibus Publii Ovidii libris formatæ, per

Herm. Torrentinum, impreſſæ ſunt in Officina ingenuorum liberorum Quentell. 4. Coloniæ 1510.

HERMANNUS A WOESTENRAEDT,

Leodienſis, Vir Nobilis, Collegii Patrum Ord. S. Crucis in patria Rector ſeu Prior, in divinis humaniſque verſatus ſcripturis, atque utravis oratione excellens, in defecta propemodum ætate, vitæ ſeu profeſſionis Monaſticæ jubilario major, verſus tum faciles tum ſuaves ludere ſolebat. Ex ingenii ejus lucubrationibus hæc publici uſus facta ſunt.

Thomæ Malleoli à Kempis De Imitatione Chriſti, aureus libellus, carmine Elegiaco redditus. Leodii, 1623. 8.

Sidus lucidum peregrinantis animæ, XLII. *manſionum Iſraëlitarum umbris* erutum. Ibid. 1627. 4.

Monachus, ſive Myſtica Monachi elucidatio. Ibid.

Hiſtoria Joſaphat & Barlaam, Joan. Damaſceni carmine reddita.

Martyrologium Wandelberti Prumienſis auctum, adjectis Sanctis ex *Joanne Molano.* Aliaque.

HERMANNUS ZITTARDUS,

Ordinis Prædicatorum S. Th. Magiſter, Coloniæ vixit circa annum 1408. & ſcripſit metricè

Manuale Confeſſorum.

HERMES LE CLERCQ,

Tornacenſis, Societ. Jeſu, in Gallia vixit, & docuit in Billomenſi Collegio. Verſibus Elegiacis, exemplo Ovidii Naſonis & Ambroſii, luſit

Faſtos ſacros Sanctorum Sanctarumque.

Vitam S Ignatii de Loyola, carmine. Aliaque, nondum edita, teſte Petro Ribadineira.

Fuit & alter *Hermes le Clercq*, Tornacenſis, ſui ſæculi Proto-Medicus, ſive Theoriam ſive praxin attendas; qui & in arte ſua aliquot ſcripſit Opuſcula, teſte Andrea Catullo in ſuo Tornaco, pag. 109. Hic tandem plenus dierum ſeſe recepit in ſolitudinem Domûs Carthuſianorum juxta Tornacum, in quâ filium habebat Priorem, nomine *Agathangelum*, aliàs *Jacobum le Clercq*, inſignem Juriſconſultum, qui & Carthuſiæ Bruxellenſi cum laude præfuit. Obiit autem Hermes pater circa annum 1630.

HERMES HOUWAERT,

Rotmacenus, Flander, Ord. Minorum S. Franciſci, Sacræ Theologiæ Lector in Conventu Lovanienſi, vita defungitur Machliniæ, Guardiani officio functus, anno 1567. die XII. Decembris. Scripſit

Commentarios in libros I. *&* II. *Sententiarum.* MSS. in Bibliotheca Machlinienſi.

HERO AB INTHIEMA,

Friſius, J. C. exercitûs Ordinum Belgii fœderati in Friſia Cenſor militaris, edidit

Diſquiſitionem Juridicam, circa gentilitias familiarum domos, earumque prærogativas maſculas, ac defunctorum ſuper iiſdem voluntates, pro *D. Georgio à Lyauckema*, Chiliarcho Brab. Ducis &c. Leovardiæ, 1609. 4. typis Abrah. Radæi.

HIEREMIAS TRIVERIUS,

Vulgò DRYVERE, Brachelius, qui pagus eſt Gerardimontanæ ditionis in Flandria, vulgo *Braeckel*; unde Gerardimontanum ſe in Actis Facultatis Medicæ ſcribere Lovanii ſolebat. Primus

Digitized by Google

illic in Scholis Artium renunciatus fuit anno 1522. è Pœdagogio Falconis; hinc anno 1537. creatus Medicinæ Doctor, ac poſtmodum Profeſſor primarius à Magiſtratu urbico anno 1543. ob ſingularem, quâ in docendo valuit gratiam, huic cathedræ impoſitus. Varia ſcripſit, in quibus eruditionis firmitas, judicii acrimonia, ingenii felicitas elucet, quorum hic ſyllabus:

Oratio, ad Studioſos Medicinæ, *De duabus Medicorum Sectis, & ipſarum methodo.* Antverpiæ apud Mart. Nutium, 1544. 8.

Diſceptatio cum Ariſtotele & Galeno ſuper natura partium ſolidarum. Item *Argumenta aliarum multarum Diſputationum quibus varia paradoxa, hactenus ambigua vel incognita, aſſeruntur.* Ibid. 1543. in 8.

Diſceptatio de ſecuriſſimo victu, à Neotericis perperam præſcripto. Lovanii, typis Servatii Saſſeni, 1531 4.

De Miſſione ſanguinis in pleuritide, & aliis phlegmonis tam externis quàm internis omnibus, *cum* Petro Briſſoto & Leon. Fuſchio *Diſceptatio*, ad Medicos Pariſienſes.

Item *Commentarius de Victu ab arthriticis morbis vindicante*; ubi quamplurimi Neotericorum errores deteguntur. Ibid. apud Barthol. Gravium, 1532. 4.

De Temporibus morborum & opportunitate auxiliorum.

Item *Elenchus Apologiæ* Leon. Fuſchii *De miſſione ſanguinis in pleuritide.* Ibid. typis Saſſeni, 1535. 4.

Commentarii quatuor in libros III. Galeni, De temperamentis, & lib. I. De inæquali temperie. Ibid. 1535. 8.

In Artem Medicam Galeni. Lugduni apud Beringos fratres, 1547. 16.

In Lib. I. Aphoriſmorum Hippocratis. Antver. apud Matth. Crommium, 1547. & *in Libros VII. Aphoriſmorum.* Lugd. 1551. 4.

In Polibum, ſive *Hippocratem de ratione victus Idiotarum aut privatorum.* Ibid. 1548. 8.

In Hippocratem de Ratione victus in morbis acutis. Ibid. 1552. 8.

In Corn. Celſum de Sanitate tuenda. Antver. 1539. 8. & Lugd. Batavor. typis Plant. 1592. 4.

Apophthegmata varia. Lugd. apud Beringos fratres, 1549. 12.

Conſilia aliquot *Triverii de Arthritide* edidit *Henr. Garetius* Francof. 1592. 8.

Denique à morte Auctoris, procurante *Dionyſio* filio, prodiit Lugd. Batavorum, 1592. 8. *Methodus* breviſſima abſolutiſſimaque *Medicinæ univerſæ.*

Vivere autem deſiit, lentâ tabe confectus, anno 1554. menſe Decembri, ad D. Petrum depoſitus.

HIERONYMUS BUSLIDIUS,

Vulgò Busleyden, Franciſci Archiepiſcopi Bizuntini ac S. R. E. Cardinalis deſignati frater, Arluno, Ducatûs Luxemburgenſis opido, oriundus, J. U. Doctor, in Cathedralibus Leodienſi & Cameracenſi, Mechliniæ in D. Rumoldi, Bruxellis in D. Gudilæ, & forte alibi, Canonicus, atque Aërienſis ad D. Petrum apud Arteſios Præpoſitus, ſupremique Senatûs Belgici apud Machlinienſes ab anno 1503. Conſiliarius & Libellorum ſupplicum Magiſter, vir doctus, facundus & variis functus Legationibus, ad Julium II. Pont. & Franciſcum I. Francię, ac Henricum VIII. Angliæ Reges.

Vixit admodum familiaris *Deſiderio Eraſmo*, *Thomæ Moro*, Angliæ Cancellario (ac quem legitur elegans *Buſlidii Epiſtola*, Utopiæ ejuſdem Mori præfixa) aliiſque doctrinâ & dignitate illuſtribus. Auctor eſt ac Fundator celeberrimi apud Lovanienſes Collegii, quod *Trilingue Buſlidianum* vocant, quia tres in eo primariæ Linguæ, hebraica, græca ac latina, quotidie ſtatutis horis docentur.

Planè

Planè virum fuiſſe in primis eloquentem & politioris litteraturæ amantem inſigniterque peritum, teſtantur abundè ingenii monumenta ab eo relicta, nimirum *Carmina*, *Orationes*, & *Epiſtolæ* variæ, quæ mirum eſt latuiſſe hactenus. Legebantur ea olim Lovanii, beneficio Viri Clariſſimi *Olivarii Vredii*, qui Brugis Flandrorum reperta miſit ad Clariſſ. Doctorem Valerium Andream.

Obiit *Buſlidius* Burdigalæ, dum à Carolo, Belgarum Principe Legatus in Hiſpaniam mittitur, anno 1517. die XXVII. Auguſti. Epitaphium bilingue, græcum atque latinum, ſcripſit Eraſmus ad imaginem ejuſdem, libro tertio Epiſt. VI. Plura de eodem vide in Originibus prædicti Collegii Buſlidiani in Faſtis Academicis Valerii Andreæ.

Nominis BUSLIDIANI *proximum primo decus*,
Itane nos orbas, virenti raptus ævo HIERONYME?
Litteræ, genus, Senatus, aula, plebs, Eccleſia,
Aut ſuum ſidus requirunt, aut patronum flagitant.
Neſcit interire, quiſquis vitam honeſte finiit.
Fama virtutum perennis vivet uſque poſteris.
Eruditio Trilinguis, triplici facundiâ
Te loquetur, cujus opibus reſtituta, refloruit.

HIERONYMUS COCCIUS,

Vulgò COXIE, Antverpianus pictor & Iconographus, in æs incidit anno 1558. figuras libri (hodie rariſſimi, ac magnis ſumptibus exarati) cui titulus.

Thermæ Diocletiani Imp. quales hodie etiammum extant, ſumptibus & ardenti erga venerandam antiquitatem ſtudio Antonii Perenoti Epiſcopi Atrebatenſis in lucem eductæ, induſtriâ autem & incredibili labore Sebaſtiani ab Oya Caroli V. Imp. Architecti, tanti Heroïs impulſu, quam-exactiſſimè ad vivum à fundo uſque deſcriptæ, ab ulteriori prorſus interitu vindicatæ, & ab Hieronymo Coccio, Antverpiano, &c. in æs inciſæ. Fol. Antverpiæ 1558.

HIERONYMUS COMMELIN,

Duacenſis, Gallo-Flander, Typographorum omnium, poſt Henricum Stephanum, doctiſſimus, Græcos potiſſimùm Auctores typis ſuis vulgavit, cum Manuſc. Codd. collatos, & quibuſdam, ut *Heliodoro*, *Apollodoro*, aliiſque *Notas* addidit. Adeoque morte hujus Litteras præſertim Græcas ſummam jacturam feciſſe teſtatur Notis ad Senecam Tragicum, & in Epiſtolis Joſephus Scaliger.

Filii ejus ac nepotes poſtmodum in Hollandiam tranſmigrantes, ſimul à Religione Catholica deviârunt, ibique artem typographicam multorum librorum editione claram exercuere.

Extat etiam de eo Teſtimonium *Thuani*, *in Hiſtoria ſui temporis*, ſub finem Libri C.XIX. in hæc verba. *Hieronymus Commelinus, aliàs Santandreanus dictus, natione Gallus, qui tranſlato è patria Genevam primùm, dein in Heidelbergam, domicilio, rem litterariam multum juvit, editis tum veterum Græcorum plurimis nunquam antea editis monumentis, tum Athanaſio imprimis & B. Jo Chryſoſtomi magnâ Operum parte; in quibus & propriâ induſtriâ multum contulit, & immaturâ morte hoc anno 1567. exeunte nobis ereptus, filiis eandem curam, quaſi hæreditario jure, demandavit.*

HIERONYMUS ELENUS,

Balenus è Campinia Brabantus, Lovanii in Caſtrenſi Gymnaſio Philoſophiæ operam dedit ſanè diligentem,

atque anno 1542. ibidem primus Magiſterio inſignitus fuit. Inde ad Juris ſtudium ſe tranſtulit, cœpitque tum litteris græcis ac latinis, quibus Jus omne conſcriptum eſt, diligentiùs intendere; Hiſtoriç etiam, Oratoriæ & & politicæ philoſophiæ in primis incumbere.

Lovanio ſe contulit Aureliam, Juriſprudentiæ pleniùs hauriendæ gratiâ, nactus ibi familiaritatem *Joachimi Hopperi*, Friſii, juvenis tum undecumque doctiſſimi, quocum deinceps magna illi fuit conſuetudo. Lutetiæ *Joannem Straſelium*, Belgam, Græca interpretantem audivit. Lovanium reverſus, tituloque Juriſconſulti auctus, græcas ipſe quoque Litteras, Legeſque publicè interpretatus eſt: poſtea Advocatum egit Antverpiæ. Scripſit

Diatribarum ſeu *Exercitationum ad Jus Civile*, libros III. I. continet *Orationes tres de Ratione ſtudii Juris.* II. *Locorum quorumdam Juris Explicationes, & Legum Antinomias.* III. *Regulas Juris Civilis* Carmine expreſſas. Cui adjectum eſt Carmen eodem auctore, *De Jure Prætorii Antverpienſis.* Antver. typis Plant. 1576. 8. Prodierunt denuo curis *Everhardi Otthonis* J. U. D. & Anteceſſoris Ultrajectini, anno 1725, in *Theſauro Juris Romani, continente rariora meliorum Authorum Opuſcula*, Tom. II. pag. 1393.

Joan. Lanceloti Inſtitutiones Juris Canonici Annotationibus Legumque indiciis illuſtravit. Ibid. 1566. 8.

E vita præmaturè abiit Antverpiæ, anno 1576.

HIERONYMUS FRANCUS,

Vulgò DE FRANCE, Duacenus, Eques, primò Lovanii vixit, illuſtrium Boſſutiorum ſtudiis moribuſque præfectus, & Juriſconſulti titulum ibidem accepit, Anteceſſorem Juris ac præceptorem nactus *Gabrielem Mudæum.* Relicto cum Boſſutiis Lovanio, in Germaniam Helvetiamque conceſſit, & Friburgi Briſgoiæ rogatus, ut Juris ibi partem aliquam publicè explanandam ſuſciperet, quod privatim Lovanii identidem præſtiterat, Titulum D. De Regulis Juris in manus ſumpſit, ac prælegit.

Poſtquam verò in Belgium rediit, annos plures S. P. Q. Duacenſi fuit à conſiliis: inde anno 1573. Machliniam ad magnum Senatum Belgicum vocatus eſt, ac demùm anno 1586. ſupremo Arteſiæ Senatui datus Præſes.

Commentarii in Regulas Juris Civilis uſque ad L. 50. editi Baſileæ, 1558. 8. apud Oporinum, item Lugduni 1593. cum Commentariis *Jacobi Revardi.*

Scripſit & *de Academiæ Duacenſis Erectione*; in qua non infimas partes habuit, ac primas dedit in Jure Civili prælectiones.

Deceſſit dierum plenus, anno 1606. relicto *Rainutio* filio, paternæ doctrinæ & dignitatis hærede, ſummi Conſiſtorii Belgici, quod Machliniæ eſt, Præſide.

HIERONYMUS DE MEYERE,

Antverpianus, Ord. Minorum S. Franciſci, deſcripſit verſu Jambico ac facili, Extremam *Cœnationem Filii Dei*, aſſertoris noſtri. Edidit Lovanii Maſius, 1602. 4.

HIERONYMUS DU MORTIER,

Inſulenſis, Vir Nobilis, Poëta non infelix, eoque nomine *Augerio Giſleno Busbequio* laudatus, cecinit

De Victoriâ per Comitem Egmondanum apud Gravelingam obtentâ.

Inſulis, natali in ſolo, obiit peſte, annos natus LX. corporiſque exuviæ

templo S. Mauritii illatæ ſunt.

Ferdinandus de Maubus, Schoondorpii Toparcha, ex ſorore pronepos, hoc Epitaphium ei ſcripſit.

DU MORTIER *jacet hîc*, *Muſis gratiſſimus olim*,
Clarus & antiquâ Nobilitate patrum.
Cui conjux enixa prior decieſque quaterque eſt :
Altera ſed ſterili viſa cubare thoro.
Hic ut luſtra decem, totidemque expleverat annos,
Dignus perpetuò vivere, peſte obiit.
Si tamen is moritur, cujus mell.ta leguntur
Carmina, quique volat docta per ora virûm.

HIERONYMUS PUTEANUS,

à S. Trudonis Fano, quod in Eburonibus eſt, cum *Henrico* fratre uno partu editus, domi Leodiique, cum eodem fratre ſuo, litterarum humaniorum imbutus elementis, deinceps iiſdem, uti & Philoſophicis Juriſque ſtudiis incubuit Lovanii, atque uno eodemque die XXIX. Menſis Aprilis, anno 1546. Licentiæ uterque titulo inſignitus fuit.

Dolam hinc Sequanorum profecti, & Cathedras nacti, docuerunt ambo, quod Lovanii didicerant. *Henricus* etiam Rector Academiæ ibidem moritur. *Hieronymus* verò gradu Doctoratûs ſuſcepto, ac Româ, totâque Italiâ perluſtratâ, Leodium rediit, forenſibus negotiis & cauſſis agendis intentus, Scabinatu (qui honor ibi perpetuus eſt & ſummus) à Gerardo Groesbecano Epiſcopo-Principe Leodienſi donatus. In quo munere ſummâ vixit innocentiâ atque integritate annos plus minùs octo. Moriens reliquit

Conſiliorum ſeu *Reſponſorum* Volumina aliquot.

Item *Comment. ad Conſuetudines & Statuta Urbis ac Provinciæ Leodienſis*; quorum edendorum ſpem fecerat Gualterus filius J. C.

Obiit autem anno 1565. XVI. Kal. Auguſti, ſepultus in choro templi ſui parochialis, D. Servatio ſacri; appoſito hoc carmine ſepulchrali.

Conditus hoc tumulo quis ſit ſi forte requiras,
Dum ſubſcripta legas carmina, ſiſte gradum.
Trudonis phanum patria eſt, Hieronymus illi
Nomen erat, columen gens Puteana tuum.
Præ multis quos priſca ætas & Legia vidit,
Hic fuit æterno dignus honore coli.
Nam ſive doctrinam & ſancti myſteria Juris,
Seu ſpectes ſtili flumina, primus erat.
Unde ſibi propriâ nomen virtute paravit,
Perpetuum in terris & ſuper aſtra locum.
MorItUr pUteanUs Ipſo aLeXIs DIe.

HIERONYMUS VERLENIUS,

Sylvæducenſis Brabantus, admodum adoleſcens è celebri patriæ Gymnaſio Lovanium venit, ibidemque poſt percepta Philoſophiæ ſtudia, Theologiæ & litteris ſacris junxit melioris litteraturæ Linguæque græcæ peritiam.

Evocatus Lovanio, primùm ſcholæ patriæ Moderator fuit: mox S. Theologiæ Lector Ultrajecti apud Joanniſtas ſeu Rhodienſis Militiæ Religioſos: deinde in D. Jacobi Paſtor, ac demùm Canonicus graduatus Cathedralis Eccleſiæ Harlemienſis, ejuſdemque Scholaſticus ac Pœnitentiarius, nec non Godefridi à Mierlo primi Harlemienſium Epiſcopi Vicarius generalis. Edidit

Epicteti Enchiridion, è ſua interpretatione, cum *Scholiis*.

Hippocratis Epiſtolam de riſu Democriti.

Fragmentum Xenophontis de ſui cognitione, ex libro IV. de dictis & factis Socratis. Antverpiæ 1550. 8. apud Joan. Loëum.

B. Ignatii Antiochiæ Archiepiſcopi &

Martyris Epiſtolas: cum *Scholiis*, typis Plantini 1588. 8.

Commentarium in Pſalmos Davidicos. Lovanii 1558. fol. apud Bergaignium.

Deſiit eſſe inter vivos Harlemi, anno 1586. die XVII. Auguſti, in Ædeſumma ante altare ſummum depoſitus.

HIERONYMUS VERRUTIUS,

Groninganus Friſius, prima legitimæ ſcientiæ elementa didicit Lovanii: ſupremamque lauream apud Biturigas in Galliis adeptus, ac luſtratis celebrioribus Italiæ, Germaniæ, Galliæque Academiis, Lutetiæ Pariſiorum Jura explanavit; ediditque ibidem

Lexicon Juris, locupletatum; typis Mich. Sonnii, 1573. fol.

Alia molitum fuiſſe teſtatur Decade XVI. Script. Friſiæ Suffridus Petrus: ſed nihil hactenus eorum videre licuit.

HILARIUS BERTULPHUS,

Gandavenſis, Poëta, Epiſtolis Deſ. Eraſmi notus; extantque & *Bertulphi* ad Eraſmum aliquot eruditæ Epiſtolæ. Erat *Bertulphus* longitudine conſpicuus, & rubentibus ardentibuſque notis aſſiduâ potatione exaſperatus. Unde jocus Eraſmi, qui cùm, vocato ad prandium Berthulpho, ei dixiſſet, *Lude mihi carmen, cujus principium*, NASUS BERTULPHI; ille ex tempore Eraſmo ſatisfecit. Ita Sanderus de Gandavenſibus eruditione claris. Addit Bertulphum ſcripſiſſe multos *Ludicros Verſus*, Coloniæ impreſſos, anno 1530.

HILDUINUS,

Cognomento TASSONIUS, ex Abbate Lobienſi, Ord. S. Ben. quorumdam machinatione intruſus in Sedem Leodienſem, ideoque à Papa excommunicatus; Dein fuit Veronenſis Epiſcopus, pòſt Mediolanenſis Archiepiſcopus. Scripſit Abbate Trithemio & Arnoldo Wiono teſtibus,

De Geſtis Abbatum Lobienſium, librum I.

Sermones ad Fratres.

De peregrinatione S. Dionyſii Areopagitæ.

De Geſtis Apoſtolorum.

Claruit ſub Hugone Ludovici III. filio Burgundiæ Duce, quem anno 933. Italiæ Regem in Baſilica Ambroſiana coronavit, unà cum Lotario filio: imperaverunt enim ſimul, & Privilegia ſimul conceſſerunt.

Deceſſit è vita Hilduinus anno 936. die IX. Kal. Auguſti, cum ſediſſet annos V. dies XXV. Ita Ughellus in Italia ſacra Tomo IV. novç edit.

HILDEBRANDUS GOFFREDUS,

Friſius, Huſemenſis (qui ditionis Leovardienſis pagus eſt) Paſtor, Theologus & Mathematicus, obiit anno 1500. Collegit

Statuta Epiſcoporum Ultrajectinorum: edita Goudæ 1484. 4. apud Gerardum de Leeuw.

Scripſit præterea *Commentaria in Epiſtolas Pauli.*

In Euangelia Dominicalia.

Poſtillam Euangelicam.

Vitas aliquot Sanctorum Friſiæ.

Principia Artis Geometricæ.

Quæ omnia manuſcripta ſe vidiſſe teſtatur Suffridus Petrus, de Scriptoribus Friſiæ Decade X.

HILGERUS A BURGIS,

Ex Ord. FF. B. Mariæ de Monte Carmelo S. Th. Doctor & Profeſſor, nec non Epiſcopus Buduanenſis ac Suffraganeus in Diœceſibus Leodienſi atque Colonienſi. Obiit circa annum 1452, relinquens

Digitized by Google

Commentaria in omnes Epiſtolas S. Pauli. MS. in Bibliotheca Carmelitarum Coloniæ Agrip.

HIRNANDUS,

Canonicus & Archidiaconus Leodicenſis, dedit

Deſcriptionem Victoriæ ac Triumphi Steppenſis anno 1213. contra Henricum I. Comitem Lovanienſem, teſte Alberico trium-Fontium Monacho in Chronico ſuo manuſc. ad annum 1213. Legitur apud Chapeavillium Tomo II. Rerum Leodic. auctore anonymo.

HUBERTUS AB ASSONLEVILLE,

Racemenſis, Hanno, Monaſterii Altimontenſis Ordinis S. Benedicti in Hannonia, Prior, vir à vitæ integritate, à morum ſinceritate, à rigore diſciplinæ Monaſticæ meritò commendatus, concinnavit

Promptuarium Curioſitatis alphabeticum, feſtivo, ut ipſe indigetat, *Exemplorum ac Sententiarum apparatu exornatum*. Duaci, 1625, 4. typis Laur. Kellami.

Paræneſin ſive *Commonitorium ad errantes in Fide omnes, ut ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem ſe recipiant*. Ibid. 1632. 4. & Montibus. 1633. 8.

Moritur plenus dierum, anno ſalutis 1633. ætatis ſuæ 80. VI. Kal. Maii.

HUBERTUS AUDEJANS,

Brugenſis, Litteris humanioribus ſub *Juſti Lipſii* diſciplina, dum illi à Manibus atque Epiſtolis eſſet, egregiè excultus, quintus fuit Lovanii in Scholis Artium anno 1598. S. Theol. titulo auctus, atque ad D. Donatianum in patria Canonicus ac Pœnitentiarius, laudabiliter hoc ſuo munere perfunctus, ob candorem atque eruditionem gratus omnibus. Leguntur *Carmina* illius, amicorum operibus præfixa, planè elegantia. Mortem quoque *Abrahami Ortelii & Juſti Lipſii* dignis laude Elegiis proſecutus eſt.

Obiit autem die 14. Septemb. 1615. æt. XLI. ſepultus in D. Donatiani, hoc Epitaphio.

Deo Sacrum & Memoriæ
Ven. Viri D. HUBERTI AUDEJANTI,
Matthæi filii, Andreæ nepotis,
Qui litteris humanioribus
Sub LIPSIO egregiè excultus,
Etiam Theol. titulo auctus,
In Cathed. hac Æde D. Donatiani
Canonicus & Pœnitentiarius,
Munere ſuo annos X. menſes X.
Laudabiliter perfunctus, abiit ad Beatos
XVIII. Kal. Octob. anno Ætatis XLI.
Chriſtiano M. D. C. XV.
Inſtituitque Anniverſarium ſolemne,
Pietatis & gratitudinis ergo,
Prudenti Viro..... AUDEJANTIO
Patruo optimè de ſe merito,
Qui Frãcorum Senator PP. & bis Cõſul
Remp. fide geſſit inculpatâ,
Ejuſque Uxori, Dominæ
MARTINÆ LEM.
Obiit Maritus XII. Kal. Aug. an. 1582.
Uxor 1583. exceſſit XIV. Kal. Novem.
Accenſeri iſtis & venire in partem voluit
MATHÆUM Patrem, probis probatum
Viris, Matremque
D. AGNETEM DAMHOUDERAM,
JOANNIS F. Matronam bene moratam.
Ille egreſſus 72. annum,
Anno à partu Virginis 1616. hinc
Migravit XII. Kal. Julii.
Hæc fato functa eſt
Anno ſalutis inſtauratæ...
H. M. H. P. C.
Pax ſit tranquilla ſepultis.

HUBERTUS BARLANDUS,

Zelandus, Medicus Namurcenſis,

familiaris vixit Basileæ Desiderio Erasmo, *Medicus ut eruditus, ita mirè comicis moribus.* Ita Erasmus lib. xx. Epist. 101. Vertit è græco

S. Basilii Orat. de agendis Deo gratiis; & de Julitta Martyre.

Galenum de medicamentis paratu facilibus, 1533. Veriæ; & cum Galeni Operibus.

Scripsit *Epistolam* Medicam *de Aquarum destillatarum facultatibus*, & *de Adriani Ælii Barlandi mortis genere.* Antver. 1536. 8. apud Joan. Stelsium.

Velitationem item Medicam *cum Arnoldo Nootsio*, Medicinæ apud Lovanienses Doctore, quâ docetur, vulgus Medicorum non paucis abuti medicaminibus simplicibus, uti capillo Veneris, spodio, &c. deque Avicennæ in plerisque horum hallucinatione. Ibid. 1532. 8.

Præfatus etiam est in *Dioscoridem*, Lugduni editum; promittebatque versionem omnium Arabum Medicorum; sed promisit tantùm.

HUBERTUS LE CLERCQ,

Insulensis, Presbyter, & in D. Petri Sacellanus, edidit

Poësin sacram: in qua sunt *Psalmi Davidis Pœnitentiales* carmine redditi, *Elegiæ*, *Epitaphia*, &c. Tornaci, 1610. typis Nicolai Laurentii.

Obiit Insulis plenus dierum, anno 1615. ætatis LXXXIV. depositus ad D. Petrum, addito Epitaphio, quod ipse sibi vivens scripsit:

Hac quondam in celebri domo Sacerdos
Piscatori hominum dicatâ Petro,
Putris CLERICUS *hîc cinis quiescit:*
Quem mors è medio tulit, peractis
Annis cum quatuor bis octo lustris.
Cui clara astra super novam, Viator,
Hæc qui scripta legis precare vitam.
Et dum fata sinunt, valentque sensus,
Cœlum suspice, provide saluti.

HUBERTUS GOLTZIUS,

Natus Venlonæ, apud Geldros, anno 1526. III. Kalendas Novembris, patre *Rutgero* Herbipolitâ: sculptor, & Antiquitatum omnis generis altissimus gurges, Adr. Junii elogio; familiaris admodum vixit nobilitate & doctrinâ claris *Marco* & *Guidoni Laurinis*, fratribus: quorum operâ ac hortatu anno 1558. Italiam, Galliam, Germaniamque lustravit, Antiquitatis vestigandæ atque eruendæ gratiâ. Quo in itinere patuerunt illi omnia omnium Musea, & antiquorum monumentorum armaria. Senatus verò Romanus hominem, advenam licet ac peregrinum, non solùm in Capitolium admisit, sed & reliquos Urbis thesauros aperiendos curavit, civitateque Romanâ donavit.

Extant Litteræ per almæ Urbis Consules datæ VII. Idus Martii 1567. in hæc verba; *Hubertum Goltzium Herbipolitam Venlonianum, bene de Romana Rep. meritum, cujusque virtus, singularisque erga Romanum nomen observantia, cùm præclarissimorum Civium testimonio, tùm editis nuper Scriptis Senatui planè claruit, Civem Romanum ex S. C. creavimus, creatum, in Senatum venire, Magistratus gerere, jus ferendi suffragii habere, Sacerdotia obtinere, bona ejus libera atque immunia esse, cæterisque Romanorum Civium honoribus atque Privilegiis honestari quibus illi perfruuntur, qui Cives Romani nati, aut jure optimo facti sunt, decrevimus & censuimus; eâ tamen lege, ut Urbem Romam sicut optimum quemque Civem decet, suâ virtute attollat, fideliter à quocumque vexante tueatur, Jura Pontificia Romanis concessa, atque Senatûs-Consulta observet, Romanosque omni dilectione prosequatur*, &c. *Datum in Palatio Capitolino*, ut supra.

Goltzius interea, præfatorum *Laurinorum* Dominorum de Waetervliet ære, favore ac studio adjutus, Brugis

Digitized by Google

MARTIN LUTHER

intra proprios lares insignem typographiam instruxit, in qua editiones omnes manibus ejus tractabantur: quoniam verebatur, ne illaberentur menda in operum suorum impressionem. Excellebat praeterea in caelandi arte: quare Numismata sua, in quibus colligendis sedulus erat (non tamen accuratus semper, ut notant eruditiores) nitidissimè ipse æri inscripsit.

Non desunt tamen, qui plagii *Goltzium* accusent, & quasi *Martini Smetii*, (de quo vide infra) Inscriptiones tamquam à se collectas, ediderit. Hinc orti versiculi *Adriani Damantii.*

Sed neque te Goltzi decuit, quæ Smetius olim
Priva reliquisset viduæ, tua dicere, cunctis
Vendereque: os hominis postliminione putasses,
Vindicias peterent manes & posthuma proles.

Matrimonio bis junctus fuit; ac primò quidem *Elisabethæ Hulst* (alii sororem *Petri Coeckii*, celebris apud Alostum pictoris nominant) è qua septem liberos sustulit, quibus nomina veterum Romanorum, *Julii*, *Marcelli* &c. ad sacrum baptismatis fontem imponi voluit: tantâ erga Romanam Antiquitatem veneratione ferebatur. Alia uxor, post longum viduitatis intervallum, fuit vidua *Martini Smetii*, Antiquarii celeberrimi.

Decessit è vivis Goltzius, anno 1583. annos natus 56. menses quatuor, Brugis Flandrorum. Ediderat illic

Imperatorum ferè omnium Vitas, ac vivas *Imagines*, à C. Julio Cæsare ad Carolum V. ex veteribus Numismatibus. Antverp. 1557. fol. Intra annos paucos prodiit iisdem typis translatio ejusdem Operis in gallicum, italicum & hispanicum.

Fastos Magistratuum & Triumphorum Romanorum, ab Urbe condita usque ad Augusti obitum; ex antiquis Numismatum ac Marmorum monumentis restitutos. Fol. Brugis 1566. & 1571.

Catalogum Consulum, ab Augusti obitu ad Justinianum.

Animadversiones in aliquot Fastorum locos.

De Origine & statu Populi Romani: deque Magistratuum apud Romanos initiis, & mutationibus. Simul edita Brugis, 1566. fol. & Antverpiæ 1618. typis Henrici Aertsii, cum *Notis Andreæ Schotti & Ludovici Nonii.*

Thesaurum Rei Antiquariæ, è veterum Numismatum ac Marmorum Inscriptionibus. Antver. 1579. apud Plantin. in 4. tum rursus in eadem Urbe in folio minori, 1618. operâ ac studio Joannis de Bie, Antverpiani Chalcographi.

Vitam & Res gestas C. Julii Cæsaris: cum Numismatibus ejusdem, ac Bruti, Cassii, M. Æmilii Lepidi, M. Antonii, &c.

Compendiosam eorum, quæ post cædem C. Julii Cæsaris usque ad Triumviratum gesta sunt, Narrationem.

Vitam & Res gestas Augusti Cæsaris, ex Nummis & Inscriptionibus antiquis &c. Brugis, 1580 fol. & Antverpiæ, 1617. cum Commentario Numismatum *Lud. Nonii*, Medici Antverpiani.

Siciliam & Magnam Græciam, sive *Historiam Urbium & populorum Græciæ*, ex antiquis Numismatibus, libris IV. Brugis, 1580. & Antver. 1617. cum *Scholiis Andreæ Schotti.*

Itinerarium per Italiam, Germaniam, ac Galliam, cum Topicis locorum descriptionibus ac Tabulis. Ibid. in 4.

Porrò *omnia Hub. Goltzii Numismatica Opera*, ad Romanæ ac Græcæ Antiquitatis illustrationem spectantia denuo evulgavit Tomis V. fol. Antverpiæ Balthasar Moretus annis 1644. & 1645. Non quidem quod ea impresserit, sed quod Antecessores Plantini totam Goltzii typographiam & tabulas æneas coëmerint. Addita tamen fuit Continuatio Imperatorum Romano-

rum ab Alberto II. Aug. ad uſque Ferdinandum III. Auguſtum per 200. annos, ſtylo & operâ *Caſperii Gevartii*, J. C. Archi-grammatæi Antverpiani & Hiſtoriographi Cæſarei, dicto anno 1645.

Poſtmodum pleraque Goltzii Opera inſerta fuerunt *Theſauris Antiquitatum Romanarum & Græcarum*, per Jac. Gronovium & Joannem Georgium Grævium, apud Batavos, magnis curis & ſumptibus per plura Voll. editis. Vide & P. Niceronum de Scriptoribus illuſtribus, Tomo XXXIV.

HUBERTUS LEONARDI,

Natus in agro Leodicenſi, Ord. Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, Doctor Theologus Academiæ Pariſienſis, dein Epiſcopus Darienſis ac Ludovici Borbonii Leodienſis Principis Suffraganeus, claruit anno 1460. Scripſit inter alia,

De Regimine Principum libros III.

De immunitate Eccleſiaſtica, libros III.

De Genealogia Nobilium Francorum, & Geſtis eorum, ad Ludovicum Borbonium Epiſcopum.

Contra Hæreticos Nivellenſes, vulgò dictos *Homines Intelligentiæ*, è Picardia per Brabantiam diſperſos. Vol. I.

Et alia, teſte Abbate Trithemio, qui ſcribit in Hæreticos Nivellenſes Inquiſitorem fuiſſe datum, & ex Germania inferiore oriundum.

Obiit anno 1478, ſepultus Leodii in Eccleſia PP. ſui Ordinis.

HUBERTUS LOYENS,

Moſetrajectinus, J. U. L. Regiæ Majeſtatis in ſupremo Brabantiæ Conſilio per annos plures Secretarius, Vir integerrimus, Juris æque ac Hiſtoriarum Belgicarum peritus. Obiit anno 1684. XIV. Junii, uxore præmortuâ Catharinâ Verheyen Arnoldi Senatoris Mechlinienſis ſorore. Sepultura utriuſque extat Bruxellis apud FF. Prædicatores in choro.

D. O. M. S.
CATHARINÆ VERHEYEN, Trajecto
Ad Moſam oriundæ,
Spectatiſſimi Viri Theodori filiæ,
Matronæ, morum comitate ſingulari
Prudentiſſimæ & pietatis cultrici eximiæ
HUBERTUS LOYENS,
Regi in Supremo Brabantiæ
Senatu à Secretis
Conjux Conjugi Chariſſimæ,
Nec non & ſibi poſteriſque
Hoc Monumentum memoriæ ergo
Et ſacræ hujus Ædis exornandæ cauſa,
Vivens poni curavit anno 1672.
Vixit illa annos 58. in conjugio 32.
Menſes VIII. dies VIII. Devixit quarto
Kal. Febr. Anno à pariente Virgine
M. D. C. L. XIV.
Hic verò mundo denaſcitur, ut cælo
Naſceretur, ætatis anno LXXXVI.
A nato Chriſto M. D. C. LXXXIV.
XIV. Junii.
Certa dies nulli, mors certa, incerta ſuorum
Cura; locet tumulum, qui ſapit ipſe ſuum.

Evulgavit Tractatus ſequentes, vigentibus Controverſiis, pro jure prætenſo Ludovici Regis XIV. ejuſque conjugis Mariæ Thereſiæ Auſtriacæ Reginæ Galliæ in Ducatum Brabantiæ.

Veridicus Belgicus, pupilli Advocatus, reſpondens Gallico Cauſſarum patrono, (Is autem erat Guido Joly Conſiliarius Pariſinus) *in vicem fictitii ſuppoſiti, in Dialogo, alioque Libello nuper per illum edito, ſuper prætenſis juribus Reginæ Chriſtianiſſimæ in Provincias Belgicas.* 1669, in 8. Contra quem Hub. Loyens etiam edidit

Reſponſionem præcurſoriam Tractatui pleniori de vera origine Ducatûs & Ducum Braban-

Digitized by Google

Brabantiæ mox ſecuturo : præmiſſam ad Vindicias Papinianas à quodam fabularum conſarcinatore, ſub nomine Veridici editas. 8. Brux. 1670.

Synopſis rerum maximè memorabilium bello & pace geſtarum à Ducibus Lotharingiæ, Brabantiæ & Limburgi, uſque ad annum 1633. Bruxellis apud Eugen. Frix. 1672. in 4.

Tractatus de Conſilio Brabantiæ, ejuſque origine, progreſſu, authoritate & prærogativa; cum elogiis Cancellariorum. 4. Bruxellis apud Franc. Foppens. 1667.

Buſtum Urbis Aquiſgranenſis, publico datum anno 1656.

HUBERTUS PHALESIUS,

Antverpienſis, Monachus Benedictinus in Abbatia Affligemienſi, quondam Prior & Paſtor Bornhemienſis, ac poſtea Supprior Affligemienſis, in ſacris Litteris apprimè verſatus. Edidit

Concordantias SS. Bibliorum, variis in locis expurgatas & locupletatas, cum Præambulis ad eaſdem. fol. typis Plantinianis 1642.

Item concinnavit *Chronicon Affligemienſe*, MS. quod ſi ederetur in lucem, eruditis omnibus foret acceptum. Ejus etiam ſunt Manuſcripta ſequentia, apud Affligemienſes aſſervata: *Septimana Virginea*; *Zona parthenia exornata*, *Hebdomas annorum à Magdalena myſtica decurſa*; *&c.*

Obiit anno 1638, ipſâ Aſſumptæ Virginis, quam enixè coluerat, feſtivitate.

HUBERTUS RIETMAEKERS,

Bredanus, Thenenſis Reipublicæ Medicus ac Conſularis, præceptorem & Doctorem Lovanii habuit præſtantiſſimi ingenii & doctrinæ virum *Thomam Fienum*. Vir erat ingenii liberalis & candidi; doctrinæ elegantis & variæ, judicii exacti. Edidit

Tractatum *De Nephritico dolore* : De cauſis, differentiis, ſignis prognoſticis & remediis Calculi & Arenularum. Lovanii, 4. 1622. typis Henr. Haſtenii. Item ibid. 1639. & Venetiis 1655. in 12.

Meditabatur *de Cura Sanitatis* libros III. verum mors præpropera hoc ſilum abrupit.

HUBERTUS RAOUL,

Audomarenſis, Ordinis Ciſtertienſis, ex Priore Abbas in Claro-Mariſco ſeu claræ-paludis Cœnobio, apud Audomaropolim Arteſiæ oppidum, Alexandri Farneſii Parmæ Ducis, Belgarum Pro-regis, beneficio. Vivere deſiit 21. Decembris 1594. ætatis anno 40. regiminis quinto. Scripſit, eidem Principi dicatum

Panegyricum de Rebus ab Alexandro Farneſio in Belgio geſtis. Duaci, apud Joan. Bogardum, & Coloniæ, 1598. 8. apud Mylium, cum aliis ſimilis argumenti libellis.

HUBERTUS SCUTEPUT,

Lovanienſis, Canonicus Regularis S. Auguſtini in Bethleemitico juxta Lovanium Cœnobio, concinnavit

Inſtitutionem Vitæ beatæ, è SS. Litteris, & Patribus. Antver. apud Joan. Bellerum, 1558. 12.

Flores è S. Gregorii Magni Operibus. Pariſ. 1572. 16.

Flores B. Bernardi, cum Operibus ejus Antverpiæ recuſos anno 1616.

Flores ſeu *Sententias locorum communium Lucii Annæi Senecæ*, Philoſophi & Poëtæ. Antverpię 1576. 16.

Iſidori item junioris, Hiſpalenſis Epiſcopi, *Sententiarum de Bono* libros III. caſtigatos dedit. Ibid. 1566. 12.

Digitized by Google

HUBERTUS THOMAS,

Leodius, primùm Tetaniæ Friſio, Judicii Imperialis (quod tum Wormatiæ erat) Aſſeſſori, per ſeptem annos à manibus, ductâque inde uxore Ludovico Principi Electori Palatino à litteris, ac demùm Frederico II. à conſiliis atque epiſtolis gallicis, varias nomine ejuſdem Electoris Frederici Legationes per orbem Chriſtianum pænè univerſum in viceſimum ætatis annum ſuſtinuit, ad Carolum V. Cæſarem, Regeſque Franciſcum I. Galliæ, & Henricum VIII. Angliæ, alioſque: ac continuas ſuas peregrinationes, nunc in Galliam, nunc in Hiſpaniam, nunc in Italiam, Angliam, & ad alia loca obequitationes, ipſe alibi non uno loco enarrat. Scripſit enim

Commentarium de Tungris & Eburonibus. Argentorati, 1541. 8. & Antver. typis Plant. 1584. 8. item 1630. Extat apud Schardium de Scriptoribus Germanicis.

Annalium de Vita & rebus geſtis Frederici II. Principis Electoris Palatini libros XIV. Francof. apud Joan. Ammonium, 1624. 4.

De Ædificiis ejuſdem Principis Frederici &c.

De Heydelbergæ Antiquitatibus. Ibidem.

Bellum Sickingenſe, quod *Franciſcus à Sickingen* Electori Trevirenſi anno 1522. intulit. Meminit hujus libri ipſe auctor Annalium ſuorum pag. 87. Item pag. 92. ſcribit, ſe peculiari libro deſcripſiſſe *Hiſtoriam Tumultuum ruſticanorum in Germania anno* 1525.

Stemma Leoſtenianum, ſive Genealogia illuſtrium & generoſorum heroum Comitum in Leeweſteyn. 4. Francofurti 1644.

HUCBALDUS,

Sive HUGBALDUS, aut HUBALDUS, Elnonenſis, Ord. S. Benedicti, ad S. Amandum in Hannonia monachus, nepos Milonis ibidem monachi: litteris inſignis, ſcriptis celebris, muſicus quoque excellens fuit: & cantum multorum Sanctorum compoſuit, ut ait Chronicon Elnonenſe MS. & Sigebertus de Scriptoribus Eccleſ. cap. CVIII. itemque in Chronico ad an. 879.

Accerſitus à Fulcone, Archiepiſcopo Remenſi, qui duas Remis ſcholas, Canonicorum ac ruralium Clericorum, pœnè collapſas, reſtituerat, Eccleſiam Remenſem præclaris illuſtravit diſciplinis, teſte Flodoardo Hiſtoriæ Remenſis libro IV. cap. x. Scripſit

Vitam S. Lebuini, Confeſſoris Daventriæ, ad Albricum Epiſcopum Trajectenſem: apud Surium, Tomo VI. 12. Novembris.

Vitam S. Rictrudis, Abbatiſſæ Marchianenſis: apud Surium Tomo III. 12. Maii: dein Actis SS. Menſis Maii inſertam per PP. Societ. Jeſu.

Vitam S. Aldegundis, Virginis, Abbatiſſę & Fundatricis Malbodienſis in Hannonia Monaſterii: apud Surium Tomo VI. 13. Nov. Item *Vitam S. Adabaldi Ducis.* Extat utraque in Actis SS. Menſis Januarii; & apud Mabillonium Sœculo II. Bened.

Vitam S. Madelbertæ, Virginis & Abbatiſſæ Malbodienſis. Manuſc. ad S. Giſlenum, in Hannonia.

Hiſtoriam S. Ciliniæ, matris B. Remigii, Francorum Apoſtoli. Item *Officium & Cantum de eadem.* Molanus ad Uſuardum 21. Octobris.

Vitam S. Brigidæ. MS. ad S. Amandum.

Eclogam ſive *Carmen de laude Calvorum*, 136. verſuum, (in Sigeberto malè excuſum eſt 300. verſuum) in quo verſus omnes à C. littera incipiunt,

Carmina clariſonæ Calvis cantate Camœnæ &c.

Digitized by Google

ad Carolum Calvum Imper. Baſileę, 1516. apud Nicolaum Lamperter; item 1546 Lovanii apud Hier. Wellæum.

Obiit *Hucbaldus* anno 930. VII. Kal. Julii, ſepultus ad S. Amandum, in Milonis avunculi monumento, hoc Epitaphio:

Dormit in hac tumba ſimplex ſine felle columba,
Doctor, flos, & honos tam Cleri, quàm Monachorum,
Hucbaldus, *famam cujus per climata mundi*
Edita Sanctorum modulamina, geſtaque clamant.
Hic Cirici *membra pretioſa reperta Nivernis*
Noſtris invexit oris, ſcripſitque triumphum.

HUGO BLOTIUS,

Delfius, J. C. Bibliothecę Cæſareæ Præfectus Viennæ Auſtrię: edidit diſertam

Orationem in duorum juvenum Adriani Friſii Tigurini, & Laurentii Eiſleri, Patricii Viennenſis, homicidas. Item

Orationem paræneticam ad juventutem in Quodlibeticis Lovanii Quæſtionibus habitam, *An rectè parentes liberos ſuos Lovanium moribus ſtudiiſque informandos mittant?* adjectis Oratiunculis De *Elephante nuper in has regiones invecto*, & de *Horologiis Lovanienſibus.* Antverviæ typis Guil. Silvii, 1564. 4.

HUGO BOXELIUS,

Gorinchemienſis Batavus, J. U. D. & magni nominis cauſidicus,

Notis & Additionibus illuſtravit librum Hectoris Felicii J. C. Itali, De Communione & Societate, deque lucro & quæſtu. 4. Gorichemii apud Paulum Vinck 1666.

Tractatum Cornelii Neoſtadii de Feudi juris ſcripti & Hollandici Weſtfriſicique ſucceſſione, Notis & Commentariis auxit. 12. 1670. typis iiſdem; aliaque forſan edidit, quæ necdum innotuere.

HUGO FAVOLIUS,

Middelburgi in Zelandia patre *Franciſco* Piſano, matre Zelandâ natus, Poëta heroïco felix carmine, ac Medicus Reip. Antverpianæ, primi Epiſcopi Sonnii amicus intimus; ſcripſit

Hodœporicon Byzantinum, libris III. verſu heroïco. Lovanii, typis Saſſeni, 1563. 8.

De claſſica ad Naupactum contra Turcas victoria per Joannem Auſtriacum, carmine item heroïco, typis Plantinianis 1572.

Enchiridion Theatri Orbis terrarum, carmine illuſtratum. Ibid. 1585. 4.

Achroſticha duo, I. *In adventum Annæ Auſtriacæ*, Maximiliani II. Imp. filiæ, Philippo II. Hiſpaniarum Regi deſponſæ. Alterum in *Luſtrationem urbis Antverp. à Franciſco Sonnio*, primo ejus Epiſcopo factam. Excuſa in folio patenti, 1570. ab Antonio Tilenio.

Libellum, quo tractat, *Quo modo Deus locutus ſit cum Prophetis.*

In ſummo dolore, quando cum morte luctaretur, Epitaphium hoc ſibi ſcripſit, & poni voluit, in cœmeterio Eccleſiæ B. M.

Artis Apollineæ culturâ inſignis & uſu,
Phœbei cultor carminis, atque lyræ:
Piſano *genitore ſatus, genitrice* Zelandâ,
Hugo Favoliacæ *ſollicitudo domus:*
Ætatis bis ſex anno poſt luſtra ſecundo,
Conditur hoc tumulo, ſpiritus aſtra tenet.

Obiit anno M. D. LXXXV. x. Aug. Vixit ann. LXI. Menſ. XI. dies XXIX.

HUGO FLOREFFIENSIS,

Canonicus Regul. Ordinis Præmonſtratenſis, (non Benedictinus, ut opinatur Arnoldus Wion, eumque ſecutus

Ant. Poſſevinus) in Ditione & Diœceſi Namurcenſi, ſcripſit, juſſu Joannis Huenſis IX. Abbatis Floreffienſis,

Vitam & Geſta B. Ivettæ, Viduæ & Recluſæ apud Huium, in territorio Leodienſi, quam dictus Abbas anno 1227. ſepelivit. Extat in Actis SS. Januarii, Tomo I. pag. 863.

Item *Vitas B. Idæ Nivellenſis, & B. Idæ Leeuwenſis*, Virginum ac Monialium, Ord. Ciſterc. in Rameya Gallo-Brabantiæ Monaſterio. Leguntur Manuſc. in Villarienſi ejuſdem Ord. Cœnobio.

Ceterùm falſò *Hugo* hic *Floreffienſis* creditur à quibuſdam auctor *Vitæ S Norberti*, quæ ἀνώνυμος hactenus circumfertur, quem conſtat toto ſæculo poſteriùs vixiſſe. At Vita à S. Norberti coætaneo ſcripta eſt, *quia aut vidit ea, quæ de ipſo ſcripſit, aut audivit à viris relatoribus, qui viderunt.* Alii itaque *Hugoni Cameracenſi*, qui B. Norberto in Præmonſtratenſis Eccleſiæ præfectura ſucceſſit, eam attribuunt. Et veriùs fortaſſis: niſi quòd contrà facere videatur, eum cap. XIII. piæ & ſanctæ converſationis hominem nuncupari; cujuſmodi elogium ſibi utique vir modeſtiſſimus non videtur attribuiſſe. Certè phraſis ſeu dictio, itemque vocabula gallica, quibus is auctor paſſim utitur, ipſum natione Gallum fuiſſe commonſtrant. Ita Aubertus Miræus in Chronico Præmonſtratenſi, ad annum 1134.

HUGO DE FROIDEVAL,

Sive à FRIGIDA-VALLE, San-paulinas (quod opidum eſt in Arteſia ſitum) Medicus, ſcripſit

De tuenda Sanitate libros VI. Antver. apud Plant. 1568. 8.

De Balneis & eorum uſu μεθοδικὸν σύνταγμα. Duaci, apud Lud. de Winde, 1565. 8.

HUGO GROTIUS,

Delphis apud Batavos naſcitur anno 1583. IX. Idus Apr., patre *Joanne Grotio* patricii ordinis viro Delphenſi Conſule & Academiæ Lugduno-Batavæ Curatore, matre *Alidâ d'Overſchie*, avo *Hugone*, latinè, græcè, & hebraicè docto. Vix novennis verſus fundere cœpit; quindecennis de Philoſophicis argumentis publicè diſputavit, ac Martiani Capellæ opus Notis ſuis ornatum evulgavit.

Anno 1599. Hagæ-Comitis admodum juvenis ordini Advocatorum adſcriptus fuit; renuntiatus poſtea anno 1607. Fiſci Hollandici Advocatus; & Roterodamenſis urbis Syndicus anno 1613. vir in munere illo, ut hoc unum dicam, ceteris ad ingenii ac judicii commendationem, admirandus. Ab eo profecta ſunt:

Ἀιμιντηρετικὴ, ſive *de Portuum inveſtigandorum ratione*: Metaphraſis latina eſt libri belgicè conſcripti à *Simone Stevino*. Lugd. Bat. 1599.

Notæ in Martiani Capellæ Satyricon. Ibid. 1599. 8.

Syntagma Arateorum: id eſt *Arati Phænomena ex Methaphraſi H. Grotii, intertextis Ciceronis reliquiis: Notæ in ejuſdem Arati Phænomena & Dioſemeia; in Germanici Cæſ. & Feſti Avieni Interpretationem; in Fragmenta Ciceronis* &c. Ibid. 1600. 4.

Notæ in Lucani Pharſaliam. Ibid. 1614. 8.

Mare Liberum, ſive de Jure, quod Batavis competit ad Indica commercia. Ibid. 1609. 4. & alibi ſæpiùs. Romæ per S. Congregationem Indicis prohibit. anno 1610. Oppoſuit mox *Joannes Seldenus*, Anglus, *Tractatum de Mari clauſo.* Londini 1639. in fol. Quod autem nunquam ſatis mirabitur poſteritas; dum Auguſtiſſ. Cæſar *Carolus VI.* pro commercio ſuo Oſten-

Digitized by Google

dano (quod anno 1722. inſtaurârat) Maris libertatem allegavit; Batavi, contra ipſa Grotii & anteceſſorum principia, Maris libertatem Cæſari occluſêre.

De Antiquitate Republicæ Batavicæ. Ibid. 1610. 4.

De Jure Belli ac Pacis libri III. Pariſ. 1613. 4. Amſtel. 1632. & 1642. 8. *Annotatis* Auctoris locupletiores facti. Hic liber Romæ damnatus fuit; varias utique continens ſententias Juri naturali contrarias, V. G. de mendacio, uſuris, concubinatu &c. Attamen in omnes ferme alias linguas tranſlatus, variis quoque aliorum Annotationibus ac Commentariis adauctus fuit, ut *Wolfangi Jageri*, Germani, *Antonii Courtin* Galli, *Jacobi Gronovii* Batavi, *Gaſparis Ziegleri*, *Samuelis Puffendorpfii* & *Ulrici Abrecht* Germanorum, *N. Vander Meulen* Ultrajectini, *Joannis Barbeyrac* Prof. Groning. & aliorum.

Opera omnia Theologica Grotii, edita ſunt Amſtelodami, IV. Tomis apud Blauw in fol. 1670. item Londini & alibi.

Epiſtolæ ejus Theologicæ, Juridicæ, Hiſtoricæ & politicæ, quotquot reperiri potuerunt. fol. Amſt. 1687.

Annales & Hiſtoriæ de Rebus ac tumultibus Belgicis, &c. fol. per Blauw Amſt. 1657. item gallicè ibid. 1662.

Pietas Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ ... dein ſub hoc titulo: *De Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra.* Sive de Jure in res ac perſonas Eccleſiaſticas Magiſtratibus aſſerto. Hagæ-Comit. 1652. Prohib. Romæ.

Grollæ obſidio. fol. Amſtelod. per Blauw. 1629.

Hiſtoria Gothorum, Vandalorum & Longobardorum 8. Amſt. per Elzevir 1655.

Diſſertationes de ſtudiis inſtituendis. 12. Ibid. 1645. Prohib. Romæ.

De veritate Religionis Chriſtianæ Oxonii è Theatro Sheldoniano 1675. in 12. Item alibi ſæpiùs, etiam germanicè, gallicè, anglicè, &c. Prodiit denique cum recenſione & Notis *Joannis Clerici*; cui acceſſit, *de eligenda inter Chriſtianos diſſentientes ſententia, liber unicus.* Amſtelod. 1709. Prohibentur Decreto Congreg. Indicis 15. Januarii 1714.

Epiſtolæ ad Gallos. 12. Lugd. Bat. per Elzevir. 1650.

Epiſtolæ ad Iſraëlem Jaski. 12. Dantiſci 1670.

Annotata in Vetus Teſtamentum. 3. vol. fol. Pariſiis 1644.

Annotata in IV. Euangelia. fol. Amſt. 1641.

Annotata in Euangelium ſecundum Matthæum, Belgicè, interprete Davide van Hooghſtraet, 4. Gaudæ 1685.

Annotata in Acta & Epiſtolas Apoſtolorum (ad Jacobi Epiſtolam incluſive) fol. Paris. 1646.

Annotata in binas Epiſtolas Pauli, Belgicè, interprete Davide van Hooghſtraet 4. Amſt. 1693.

Annotata in Epiſtolas Canonicas & in Apocalypſin 4. Ibidem 1650.

Porro hi omnes in Scripturam Commentarii ſuis dein locis inſerti fuerunt inter *Criticos Sacros* à Pearſonio.

Sententia de ultimo Chriſti Paſſchate & Sabbatho deuteroproto. 12. Amſtel. 1644.

Variantes Lectiones in univerſa Biblia, collectæ à Thoma Pierio. Exſtant in Bibliis Waltoni Tom. VI.

Florilegium Stobæi, ſive dicta vett. Poëtarum, quæ apud Stobæum extant, latino carmine reddita, cum brevibus *Notis.* Pariſ. 1623. 4.

Florum Sparſio, ſive *Notæ* breves *ad Jus Juſtinianeum.* Amſtel. 1623. 12.

Notæ breves *& Emendationes in Corn. Tacitum.* Lugd. Bat. 1640. 12.

Diſſertatio de origine Gentium Americanarum. 8. Pariſiis & Amſtelod. 1642. Cum autem *Joannes de Laet*, Notis ſuis

eam refutaſſet anno ſequenti, oppoſuit mox Grotius

De origine Gentium Americ. Diſſertationem alteram, adverſus obtrectatorem, opaca bonum quem facit barba. 8. Pariſ. apud Cramoiſy 1643.

Adamus Exul, & *Chriſtus Patiens*, Tragœdiæ ſacræ. Ibid. 1601. & 1608. 8. Cetera Grotii *Poemata* collegit & edidit *Guilielmus Grotius* frater 1617. 8. Acceſſit his *Silva*, ad Franc. Aug. Thuanum, Jacobi Aug. filium, Pariſ. typis Rob. Stephani, 1611. Prohib. Romæ.

Ordinum Hollandiæ Pietas, à multorum calumniis & præſertim Sibrandi Luberti Epiſtolâ vindicata, auctore *Grotio*, edita eſt anno 1613. 4. Item *De Satisfactione Chriſti*, adverſus Socinum, 1617.

Diſquiſitio, an Pelagiana ſint ea Dogmata, quæ nunc ſub eo nomine traducuntur. Pariſ. 1622. 8.

Videntur hæc ſcripta fuiſſe in favorem Arminianorum ſive Remonſtrantium, qui eo tempore apud Batavos in materia Prædeſtinationis divinę, docentes eam ſub certa lege & conditione ſubnixam, ſecuti ea in re doctrinam *Jacobi Arminii*, diſceſſionem fecerant à *Franciſci Gomari* aſſeclis. (Eos *Contra-Remonſtrantes* appellari placuit.) Quęlibet factio anteſignanos ſuos habuit, Grotius autem cum nonnullis aliis Remonſtrantium factionem ſecutis apprehendi jubetur, poſtque octo menſium detentionem, carceri perpetuo in arce Loveſteinia propè Gorcomium mancipatur.

Ex illo tamen anno 1621. miro commento, *Mariæ Reigersbergiæ* uxoris fidiſſimæ auxilio, feliciter evaſit, arcæ ligneæ incluſus & per medias cuſtodias ab ipſis cuſtodibus, ſed ignaris & perſuaſis libros eſſe, ex arce delatus: vectuſque hinc Worcomium, atque inde veſte fictâ Antverpiam profectus eſt, finitiſque Induciis Belgicis Galliam petiit, & vixit annos aliquot Pariſiis, Galliarum Regis beneficio.

An verò jure aut injuriâ captus damnatuſque fuerit, oſtendit ipſe Grotius in *Apologetico eorum, qui Hollandiæ Weſt-Friſiæque & vicinis nationibus ex legibus præfuerunt, ante mutationem, quæ evenit anno* 1616. Quo libro ea refutantur, quæ adverſus *Grotium* atque alios acta & judicata fuerunt. Edidit eum Pariſ. 1622. 8.

Poſtea Reginæ ac Coronæ Suecicæ Legatus ordinarius apud Galliarum Regem Ludovicum XIII. ſedem quodammodò ſtabilem in illo Univerſi velut compendio, gratamque Muſis quietem nactus eſt. Hìc igitur dum per omne ſcriptorum genus, ſacrum juxta ac profanum, exſpatiatur, & in examinandis conciliandiſque articulis Fidei inter Catholicos atque hæreticos controverſis quemdam agit Ariſtarchum, eò tandem vi Veritatis preſſus dilabitur, ut in pleriſque capitalibus Fidei articulis, avorum ac majorum ſuorum exemplo, primitivam Eccleſiam, quæ Romanæ connectitur, adeoque Romanam, fateri cogatur ſolam orthodoxam eſſe. Qua in re Miniſtros ac Prædicantes, qui in Batavis rerum potiuntur, non parum offendit, qui variis libellis *Grotium Papiſſantem* (ita enim eos indigitant) ac criminationibus aggreſſi ſunt.

Eò ſpectant *Annotata in Conſultationibus Georgii Caſſandri*, & pro his *Animadverſiones* adverſus And. Rivetum.

Item *Votum pro pace Eccleſiaſtica*, contra Examen Andreæ Riveti, & alios irreconciliabiles; aliaque.

Poſtremo maximus ille Vir, eruditionis omnigenæ prodigium, dum obtenta à Fœderatis Ordinibus in patriam redeundi licentiâ, itineri ſeſe accingit, Roſtochii in Mechleburgenſi Ducatu in morbum lethalem incidit,

Digitized by Google

ibique diem extremum obiit 28. Auguſti, ſeu veriùs 8. Septembris 1645. ætatis anno 62. Filios habuit tres, (præter filiam unicam) è quibus claruit *Petrus Grotius*, paternæ eruditionis ac famæ hæres, qui itidem pro Statibus Fœderatis Legatione ad Galliarum Regem perfunctus eſt.

Corpus *Hugonis Grotii*, dein Roſtochio in Hollandiam tranſportatum fuit, ac Delphis in Æde primaria tumulatum. De vera Grotii Religione ita fuit diſceptatum, ut dixerit aliquando *Ægidius Menagius* Poëta gallus, inter ſua Menagiana; quod uti *Smyrna*, *Rhodus*, *Colophon*, *Salamina*, *Jon*, *Argos Athenæ*, contenderunt inter ſe de Patriâ *Homeri*, ſic etiam Ariani, Sociniani, Arminiani, Lutherani, Calviniſtæ & Romano-Catholici inter ſe diſputârint, utra pars eum ſuæ ſententiæ addiceret.

Notari merentur, quę de *Grotio* referunt *Guido Patinus* amicus ejus ſingularis, Tomo II. epiſt. 545. & *Henricus Valeſius*, Oratione in obitum Dion. Petavii, Pariſiis habitâ anno 1653.

Quid non præſtitit Petavius, ut clariſſimum Virum Hugonem Grotium ad Catholicam communionem adduceret? Erat ille quidem minimè à nobis alienus, ac pœne noſter; quippe qui doctrinam Trid. Concilii in omnibus ſeſe amplecti, palam profiteretur. Id unum ſupererat, ut Eccleſiæ ſacrarium ingreſſus communioni noſtræ ſociaretur; quod ille, neſcio quas ob cauſas, dum ad Catholicæ Fidei unitatem plurimos ſecum ſperat adducere, conſultò differebat.

De Operibus variæ eruditionis à Grotio quondam editis conſule etiam *P. Niceron* in Notitia gallica Virorum illuſtrium Tomo XIX. pag. 315. item *Adrianum à Cattenbroeck* in Bibliotheca Scriptorum Remonſtrantium pag. 78. ac potiſſimum *Vindicias Grotianas*, quod opus anonymum haud pridem apud Batavos editum in 8. per pag. prope 900. (abſque loco & anno impreſſionis) quæcumque ad Grotium ejuſque libros pertinent, accuratiùs proſequitur.

HUGO HELTELIUS,

Groningenſis, Friſius, græcè & latinè peritiſſimus, vixit juvenis Lovanii: Salmanticæ in Hiſpania conſenuit, & è vita deceſſit. Vertit è græco *Gregorii Nyſſeni Homiliam in Chriſti Natalem:* & alteram *in B. Stephanum.* Salmanticæ, 1553. 8.

Edidit etiam *Planiſphærium.* Ibid. 4. Hiſpanicè.

Fertur præterea vertiſſe *Catenam Græcorum Patrum in Eſaiam Prophetam*, è Codice Manuſcripto Collegii S. Bartolomei Salmanticæ.

Fuit hic, dum Martinus Roſſemius, Geldro-Gallici exercitus ductor, factâ in Brabantiam irruptione, Lovanium tentaret, ſtudioſis & civibus auctor, ut hoſtem repellerent, & muris imminentem propulſarent. Cui mox acceſſit *Severinus à Feyta*, Harlingenſis, itidem Friſius, qui unâ cum *Damiano à Goes*, Luſitano, ſtudioſos in aciem eduxit, & laboris præmium Nobilitatem à Carolo V. Cæſare accepit.

HUGO DE ROY,

Batavus, J. U. Doctor edidit *Tractatum de eo quod juſtum eſt.* 12. Ultrajecti 1645. recuſum Jenæ in Germania 1670; in quo Philoſophiam, Juriſprudentiam atque Theologiam conjungi debêre docet.

HUGO A SANCTO VICTORE,

Seu VICTORINUS, ita dictus à Monaſterio Sancti Victoris Pariſiis, in quo vitam regularem profeſſus, ſub I. ab-

bate Gilduino, magnum dein fuit ornamentum. Doctrinæ & phraſeos S. Auguſtini tam ſedulus fuit imitator, ut lingua *Auguſtini* communi eruditorum ſui temporis adagio nuncuparetur. Æqualis fuit S. Bernardi, ut ex ejus Epiſtolis ad ipſum Hugonem conſtat. Edidit quam-plura Volumina, quæ apud pleroſque veteres Bibliographos recenſentur atque laudantur. Opera ejus Pariſiis 1526. Venetiis 1588. Moguntiæ 1617. ac poſtremò Rothomagi III. Vol. in fol. anno 1648. fuerunt excuſa unà cum ejus Vita, à Canonicis Regularibus S. Victoris Pariſiis.

Agunt de eo *Henricus Gandavenſis & Aub. Miræus* in Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum pag. 166. & 174. Plura etiam vide apud Oudinum de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Hæc addit Domnus Mabillonius inter Vetera Analecta Pariſiis edita anno 1723. pag. 133.

„ De Hugonis Victorini patria qui „ hactenus ſcripſêre, cum origine „ Saxonem fuiſſe tradunt. Verum po„ tiùs accèdo authoritati veteris Co„ dicis Aquicinctinenſis, in quo hæc „ de eo leguntur: *Anno ab Incarnatio„ ne Domini M. C. XLII. obiit Dominus „ Hugo Canonicus S. Victoris, III Idus „ Febr. qui ex Iprenſi Territorio ortus, à „ puero exulavit, & hæc & plura alia „ ſui ingenii monumenta reliquit.* Tum „ ſubditur vulgatum Epitaphium Ma„ giſtri Hugonis Theologi.

Dormit in hoc tumulo Doctor celeberrimus
HUGO.
Quam brevis eximium continet urna Virum!
Doctor præclarus, nullique ſecundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

ALIUD.

Fons divinarum magnus defecit aquarum.
O fons plangendus, quia jam non inveniendus!
Semper ineſt animo fons lucidus & ſine limo,
Qui dum manabat multorum corda rigabat.
Fons eſt ſiccatus, ſapiens HUGO *tumulatus.*
Pro quo nunc orent ejus qui dogmate florent.

„ Hunc locum ſi legiſſet eruditus „ Vir Aubertus Miræus, ſane corre„ xiſſet id, quod ad Henricum Gan„ davenſem adnotavit, Hugonem na„ tione Saxonem fuiſſe: quin potiùs „ eum Belgicis Scriptoribus accenſuiſ„ ſet, *pro magno ſuæ patriæ ornamento.*

Ita Mabillonius loco citato. Idem affirmat P. Natalis Alexander Tomo VI. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag. 523.

HUGO VARDÆUS,

Hibernus Ultonienſis, patriâ Tirconallius, Salamanticæ Ordinem FF. Minorum Recollectorum in popularium Conventu amplexus eſt. Studiorum curriculum in ea Academia emenſus, miſſuſque inde Lovanium, in Collegio S. Antonii à Padua primùm S. Theol. Lector, dein Guardianus, ſuæque Provinciæ Hiſtoricus conſtituitur. Elucidandis Actis SS. Hiberniæ aliiſque antiquitatibus patriis præſertim incubuit; piiſque laboribus immoritur Lovanii die 8. Novembris 1635. Opera ejus hæc ſunt.

Tractatus de Nomenclatura Hiberniæ.

De Statu & proceſſu veteris in Hibernia Reipublicæ.

Martyrologium ex multis vetuſtis *Latino-Hibernicum.*

Anagraphe magnalium S. Patricii.

Inveſtigatio Urſulanæ expeditionis.

S. Rumoldi Martyris, Archiepiſcopi Dublinienſis, Mechlinienſium Apoſtoli, Acta, Martyrium, Liturgia antiqua & patria; cum Diſquitione Hiſtorica, de genuina Scotia S. Rumoldi & contribulium Sanctorum. Opus hoc, incitante D. *Jacobo Boonen* Archiepiſcopo Mechlinienſi, inchoarat *Vardæus* anno 1631. ſed P. *Thomas Sirinus* ejuſdem Ordinis & Collegii Lector jubilatus, id poſtmodum recognovit, in nonnullis ſupplevit, ac edidit in 4. Lovanii apud Saſſenum

Digitized by Google

Saſſenum anno 1662. Hunc tamen ſcopum *Vardæi* de titulo Archiepiſcopali S. Rumoldi, de Infulis Dublinienſibus, patriâ, ſtemmate regio &c. poſtmodum in Actis ejuſdem Sancti ad diem 1. Julii revocavit in dubium P. *Joannes Sollerius*, Societ. Jeſu Hagiographus.

HYACINTHUS CHOQUET,

Inſulenſis, Ord. Prædicat. Conventûs Antverpienſis, ſtudii ſui Theologici fundamenta poſuit in Academia Salmanticenſi, apud Hiſpanos. Hinc S. Theol. Doctor, Duaci anno 1615. die XXVIII. Julii renunciatus, & ibidem Studii Theologici Regens primarius; Collegii S. Thomæ Aquinatis Duaci pro Ordine ſuo erigendi primus author fuit ac promotor. Philoſophiam ac Theologiam Scholaſticam etiam Lovanii item Antverpiæ annos aliquot profeſſus fuit; Vir ingenio ſubtilis, judicio profundus. Scripſit

De Sanctis Belgii, ex Ordine Prædicatorum, librum ſingularem, Duaci, typis Belleri, 1618. 8. dein in gallicum & flandricum tranſlatum.

Diſſertationem Theologicam *de Confeſſione per litteras ſeu internuntium*. Ibid. 1623. & 1628. 8.

Tabellam Virtutum ac Miraculorum BB. Ambroſii Sancedonii, Senenſis, & Jacobi Salomonii Veneti Ord. Prædic. à Gregorio XV. anno 1622. *Beatificatorum*, evulgavit Duaci apud Bellerum 1623. in 8.

De Origine Gratiæ ſanctificantis. 4. Duaci 1628.

De mixtione aquæ in calice Euchariſtico, ejuſque in ſanguinem Chriſti converſione. Ibid. 1628. 4.

Vitam & Beatificationem B. Ingridis Sueciæ, Monialis Ordinis Prædicatorum. Ibid. apud Joan. Fampoux. 1632. 18.

MARIÆ *Dei-paræ in Ord. Prædicatorum Viſcera materna* &c. Antver. 1634. 8. apud Joan. Cnobbarum. Suſpenſus à S. Congregatione Romæ liber, donec corrigatur, die 22. Februarii 1642.

Orationem in funere Michaëlis Ophovii, ex Ord. Prædic. VI. Silvæducenſium Epiſcopi, habitam Antverpiæ anno 1638. Nonis Januarii. Ibid. 4.

Triumphum Roſarii à Sede Apoſtolica decretum Sodalitati B. M. V. ob victoriam precibus ipſius partam de potentiſſima Turcarum claſſe, ſub Pio V. Pont. Antverp. apud Jo. Leeſtenium 1641. 8.

Orationem de S. Thoma Aquinate.

Obiit ſenio confectus Antver. die 6. Feb. 1645. Vide plura de illo in Belgio Dominicano Bruxellis edito pag. 230.

HYACINTHUS SCHELLENS,

Inſulenſis Flander, Ordinem Prædicatorum profeſſus in patria, vir pius, Novitiiſque inſtruendis aptiſſimus, devixit ibidem anno 1672. die 11. Maii, profeſſionis 37. Edidit, tacito nomine, libellum hunc,

Origine & progrez de la Confrairie des Ardens, & de la Chapelle miraculeuſe du joyau. Inſulis apud Rache. 1660. in 12.

I.

JACOBUS ADAMUS,

FRisius, Rector Scholæ Snecanæ, edidit *Colloquia Græca*, in gratiam puerorum, anno 1593.

Poëma, cui titulus, *Belgica Demologia*, quâ tumultus Belgici causa & res in Belgio gestæ ab anno 1557. ad annum 1595. recensentur. Franek. in 8.

JACOBUS ALTINGUS,

Natus Heidelbergæ in Palatinatu die 27. Septembris 1618; ast longo inter Batavos incolatu iisdem accensendus. Patrem habuit *Henricum Altingum*, celebrem apud Calviniſtas Germanos Theologum & scriptis clarum, Principum Palatinorum quondam Præceptorem, ac demum ab anno 1627. in Academia Groningana Theologiæ Profeſſorem; quod munus ibidem anno 1644. cum vita depoſuit.

Jacobus parenti non degener, cum primùm inter Anglos claruiſſet, anno 1643 inſtitutus fuit in Academia Groningana, poſt mortem *Franciſci Gomari* Hebraicæ linguæ Profeſſor. Biennio ſequente Artium Doctor, Concionator Academicus 1647. & Doctor Theologiæ anno 1667. renunciatus eſt. Fuerunt ei altercationes continuæ cum *Samuele Mareſio*, altero Academiæ Groninganæ Profeſſore Theologo, ſcriptis utrimque libris Theſibuſque indeſinenter animatæ: quæ vix cum morte Mareſii deſierunt.

Ipſe Altingus anno 1679. die 20 Auguſti Groningæ vivere deſiit, recuſatâ pridem cathedrâ Theologicâ, quam Curatores Academiæ Lugduno-Batavæ cum ampliore honorario obtulerant. Orientales linguas, præſertim Rabbinicam apprimè callebat, magnâque cum facundia, ſeu latinè, ſeu germanicè, ſeu anglicè, ſive belgicè (id enim ei erat indifferens) perorabat.

Opera ejus omnia Theologica, Analitica, Exegetica, Problematica, Practica & Philologica, V. Volum. in fol. edita fuêre Amſtelod. apud Ger. Borſtium 1687. cum prævia Vita Authoris.

Item *Theſaurus Groninganus, ſive Academicæ Diſſertationes & Orationes*, iteratis typis in 4. Amſtelod. 1698. E quibus aliquæ per S. Congregationem Indicis Romæ prohibitę fuerant à die 3. Aprilis 1685.

Compendium Hiſtoriæ ſacræ 8. prodiit Tiguri 1691.

Plura de Henrico & Jacobo Altingis lege in Supplemento Dictionarii Hiſtorici.

JACOBUS ANGIANUS,

Eques, Caſtergatenſis in agro Bruxellenſi Toparcha, ſermone gallico, *Hiſtoriam, Reſque geſtas Ducum Brabantiæ*, ad Philippum Bonum Burgundiæ ac Brabantiæ Ducem (cui pergratus & Oeconomus, dum viveret, fuit) deduxit. Vidit, & uſus eſt Joannes Bapt. Gramajus.

Vixit auctor anno 1460, Bruxellis ſepultus apud FF. Carmelitas in Sacello & monumento familiæ Angianæ, ab hæreticis everſo, & à *Jacobo Angiano*, reſtituto, hac Epigraphe appoſitâ, autore *Juſto Lipſio*.

Piæ Memoriæ Sacr.

Vides Sacellum hoc lector? id turbaverat
Fœdaveratque nuper impius furor
Turbantium fœdantiumque hîc omnia.
Erant ſepulti Nobiles aliquot Viri
Ex ANGIANA *Stirpe, quos beaverat*
Et dignitate & opibus inſimul Deus;
Atque hi viciſſim, quidquid hoc erat, Deo
Conſtruxerant, ornaverantque. At barbari

Digitized by Google

Nec hos reveriti jam quietos, nec Deum,
Evellerant disjecerantque hæc omnia.
Sed non tulit, qui Stirpis ejusdem cluet
Eques JACOBUS ANGIANUS. *Is Deo*
Cultum reposuit, & decus Majoribus,
Impendio suopte. Macte Vir ingenti
Deprædicande nunc, beande posteà,
Cum cœles inter cœlites eris tuos.
His omnibus, Lector, faventiam exhibe,
Et vota pro quiete eorum suscipe.

JACOBUS DE ANGIA,

A loco natali, Hannoniæ Oppido, ita dictus, subindeetiam *Jacobus de Bruxellis*, quod Ordinem FF. Prædicatorum in Conventu urbis hujus professus fuisset. Studia sua Theologica partim Coloniæ Agrippinæ, partim Parisiis in Conventu San-Jacobæo sub P. Mag. *Petro de Bruxellis*, aliàs *Crokaert*, anno 1514. peregisse perhibetur. Vixit postmodum in Conventu Groningano; ac tandem in fata concessit Mechliniæ anno 1553, ætatis suæ 83. Scripsit

Annotationes in Summam D. Thomæ Aquinatis. Parisiis.

Ejus etiam operâ prodiit secundâ vice Parisiis *Secunda Secundæ D. Thomæ*, typis Claudii Chevallon, anno 1515. In cujus titulo additur: *liber nusquam citra montes hactenus impressus, gemino Indice illustratus, altero antiquo illo articulatim materias distinguente, altero alphabetico sibi nunc primùm adjecto, à Doctore optimè merito F. Petro Bruxellensi &c.*

JACOBUS ANTONII,

Middelburgus, Zelandus, Juris Pontificii Professor, Cantor ad D. Gudilam Bruxellis, & Cameracensis Episcopi Henrici de Borgis Vicarius Generalis, claruit anno 1500: scripsitque

De Præcellentia Potestatis Imperatoriæ. Antver. 1502. & Romæ, 1503. 4. De cujus libri argumento ac stilo luculentum habes testimonium Erasmi libro XI. Epist. 26. ad hunc *Jacobum* nostrum scriptâ. Laudat in grandi ætate ingenium ardens & vividum; in fortuna lauta industriam indefatigabilem; in tantis negotiis animum vigilantem; in opusculo cùm brevi tum penè tumultuario tam variam omnigenæ doctrinæ vim, tantam utriusque Juris, tantam Theologiæ, tantam Historiarum, tantam scriptorum omnium, & veterum & recentium, in omni genere notitiam.

JACOBUS ARMINIUS,

Alias HERMANNI, ab Aqua-veteri Hollandiæ Oppido, novæ inter Calvinianos Sectæ autor, quæ Arminianorum aut Remonstrantium hodiedum appellatur: fuit in Academia Lugduno-Batava Doctor Theologus, ac magni nominis inter suos Professor, ab anno 1603, usque ad 1609, quo obiit ibidem die XVII. Octobris, anno ætatis suæ XLIX. Plura de Arminio, deque damnatis ejus dogmatibus à Conciliabulo Dordraceno, lege apud authores Batavos.

Opera omnia Theologica illius prodierunt in 4. Lugduni Bat. 1629. apud Basson. Præfixa est *Petri Bertii*, de Vita & obitu *J. Arminii* Oratio, dicta post ejus exequias, 22. Octobris 1609.

Item Vita Arminii, à Casparo Brantio exarata prodiit in 8. Amstelod. 1724.

JACOBUS ATREBAS,

Doctor Theologus, Abbas Montis S. Martini, Cœnobii Præmonstratensis in Diœcesi Cameracensi: vir pius & doctrinâ celebris, floruit anno 1220, ac scripsit

De Laudibus B. MARIÆ *Virginis*, libros VIII.

De Conceptione B. Virginis, Epiſtolam : ad Præpoſitum, Decanum & Capitulum Atrebatenſe.

Reſponſionum ad Quæſtiones ſibi propoſitas, librum I.

In ultimam Viſionem Ezechielis, librum I.

De triplici fructu Euangelico librum I.

Epiſtolarum & Sermonum ad populum volumen.

JACOBUS AURATA,

Antverpienſis, Juventutis apud Batavos Moderator, ſcripſit

De Studio Linguæ Latinæ, Hagæ-Comitis, typis Hildebrandi Jacobi, 1615. 8.

JACOBUS BACK,

Roterodamenſis Batavus, Medicinæ Doctor, evulgavit, teſte Lindenio de Scriptor. Medicis,

Renes calculoſorum cur debito majores? Color calculorum & arenarum unde? Veſicæ corpus calloſum totum à lapide occupatum, Epiſtola. Extat cum *Johannis Beverovicii* libro de Calculo. Lugduni Batav. apud Elzevirium 1638. in 12.

Diſſertatio de Corde, in qua agitur *de nullitate Spirituum, de Hæmatoſi : de viventium calore*, Roterodami apud Arnoldum Leers, 1648. in 12. Lugduni Batavorum, 1664. in 12. Extat etiam cum *Guilielmi Harvæi* Exercitationibus Anatomicis de motu cordis & ſanguinis circulatione; &c.

JACOBUS BAYUS,

Vulgò DU BAY, *Michaëlis*, famoſi Doctoris Theologi, è fratre nepos, ex Melinenſi vico agri & territorii Athenſis, in Hannonia, oriundus, patrui exemplo, conſilio & auxilio, ſtudiorum ſuorum encyclopediam cùm Athi tum Lovanii feliciter abſolvit. Lovanium verò tantum-non puer deſtinatus, in Porcenſi Pœdagogio anno 1563. inter Artium Magiſtros tertius nominatus fuit.

His præſidiis ad Theologiam acceſſit, Doctorque renunciatus anno 1586. XIII. Kalen. Junias, ſe ſuaque Urbi & Academiæ Lovanienſi mancipavit. Probavit utraque in illis rerum difficultatibus & anguſtiis temporum *Baii* prudentiam, operam & induſtriam. Deceſſit Regius Catecheſeos Profeſſor & Collegiatæ Eccleſiæ S. Jacobi primùm, inde S. Petri Decanus, anno 1614. III. Nonas Octobris, bonis univerſis in uſum Collegii Bayorum relictis, de quo vide Faſtos Academicos. Edidit

Orationem Panegyricam in adventum Sereniſſ. Principum Alberti & Iſabellæ, quam nomine Academiæ, in prima eorum inauguratione, dixerat. Antver. typis Plant.

Orationem funebrem patrui ſui Michaëlis Baii, ipſe-met in Eccleſia D. Petri habuit, & edidit anno 1589. Lovanii typis Joannis Maſii in 12.

Catechiſmum, ſive *Inſtitutionum Chriſtianæ Religionis* libros IV. totius ſcientiæ Theologicæ Compendium. fol. Lovanii 1612.

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento & Sacrificio Miſſæ, libros III. Lovanii, 1612. typis Flavii, & Coloniæ, apud Conr. Butgenium, in 4.

Extat in D. Petri hoc ejus Epitaphium.

D. JACOBO DU BAY, Athenſi,
S. Theologiæ Doctori & Profeſſori,
Hujus Eccleſiæ Canonico & Decano,
D. MICHAELIS DU BAY,
Ejuſdem patriæ, ſtudii, Ædis,
Doctoris, Profeſſoris,
Canonici & Decani,
Ex fratre Nepoti,
Pio Fundatori ſuo
COLLEGIUM BAYANUM P. C.

Digitized by Google

JACOBUS BASELIUS,

Batavus, miniſter Calvinianus in vico de Kerckwerve apud Zelandos, Sulpitium Severum, nobiliſſimum olim Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptorem imitari conatus, evulgavit

Sulpitium Belgicum, ſive Hiſtoriam Religionis inſtauratæ, corruptæ & Reformatæ in Belgio & à Belgis, à Nato Chriſto ad annum M. D. Lugduni Bat. 1657, in 12. E ſolo titulo libri autoris genius abundè percipitur.

JACOBUS BASILICUS MARCHETUS,

Scripſit *Dialogum, de Morini quod Teruanam vocant, atque Hedini expugnatione, deque prælio apud Rentiacum*, tempore Caroli V. Cæſaris. 8. Antver. apud Bellerum 1555.

JACOBUS DE BIE,

Antverpiæ anno 1581 natus; fuit Chalcographus celebris, rei antiquariæ, præſertim quæ in Numiſmatibus eſt, admodum ſtudioſus, ſummuſque admirator. Elaboravit

Imperatorum Roman. Numiſmata, à Julio Cæſare ad Heraclium, ſerie continuâ ex archetypis expreſſa. Antver. 1615. 4.

Numiſmata Græciæ, ſeu *Tabulas Inſularum Græciæ*, quæ ex Goltzianis hactenus delituerant, eruit ediditque cum Notis, itemque Commentario Lud. Nonii, Medici. Ibid fol. typis Henr. Aertſii.

Numiſmata Imperatorum Romanorum, aurea, argentea, ærea, à Cajo Julio Cæſare uſque ad Valentianum Auguſtum. fol. Antv. 1617. apud Verduſſium & Bellerum.

Ejuſdem ſtudio atque operâ recuſa ſunt ſculpta olim ab Huberto Goltzio pleraque Numiſmata, Theſaurus quoque rei antiquariæ, & alia plura.

La France metallique, contenant les actions celebres des Roys & Reynes, remarquées en leurs Medailles d'or, d'argent & de bronze, tirées des plus curieux Cabinets. fol. Pariſiis apud Camuſat 1636. Monendus eſt tamen lector, pleraque hæc Numiſmata conficta ad libitum, vix ullam apud Eruditos fidem mereri.

Les vrais Portraits des Rois de France, tirez de ce qui nous reſte de leurs Monumens, Sceaux & Medailles & autres effigies, conſervez dans les rares & curieux Cabinets. fol. Pariſiis 1639. Prodiit ibidem paulò poſt ſecunda ejuſdem libri editio, Iconibus & Vitis Regum adaucta, autore P. *Hilarione de Coſte*, Gallo, Ordinis Minimorum.

Les Familles illuſtres de la France, par les Monumens des Medailles anciennes & modernes. fol. Pariſ. 1634. 1636.

Genealogie & deſcente de la Maiſon de Croy, avec le portrait en pied des principaux de cette Maiſon fol. Antv.

JACOBUS BLASÆUS,

Brugenſis, celeberrimæ ibidem Scholæ, quæ *Bogardica* dicitur, quondam alumnus; poſtmodum ex Ordine Minorum S. Franciſci ac Cœnobio Duacenſi anno 1597. ad Namurcenſem, inde anno 1601. ad Audomarenſem Cathedram evectus eſt. Anno verò 1598. pridie Kal. Januar. Bruxellis in D. Gudilæ *Orationem* dixit *in funere Philippi II. Hiſpaniarum Regis Catholici*, ſermone gallico, quo in primis excellebat; typis Velpii editam.

Deceſſit Audomaropoli in ſenectute bona, anno 1618. die Martii 21. Sepultus in Æde Cathedrali, hoc ſimplice Epitaphio.

Hic jacet
Frater JACOBUS BLASÆUS,
Quartus Epiſcopus hujus Ecc. Audom.
Obiit anno Domini M. D.C. XVIII.
Die XXI. Martii. R. I. P.

Digitized by Google

JACOBUS BOGARDUS,

Primùm Reip. Antverpienſis Medicus; pòſt annos ipſos XXXVI. Medicinam Lovanii docuit: defunctâ etiam uxore Sacerdos; conditus ibidem in D. Petri ad Altare S. Lucæ. Leguntur in ſepulchrali inſcriptione è pluribus hi verſus:

Sancta maritalis ſervavit fœdera lecti,
Clarus ſeptenæ prolis honore patr.
Conjuge defunctâ thalamum tædaſque peroſus
Sacra ſacerdotis munia caſtus obit.
Annis triginta nec non ſex dogmate certo
Hic docuit Medicas Gymnaſiarcha ſcholas.

Obiit anno 1520. die XVII. menſis Julii. Reliquit *Commentaria in Avicennæ Practicam.* Opus diſtinctum eſt quinque voluminibus, inſcribiturque *Collectorium M. Jacobi Bogaert.* MS. Antver. in Bibliotheca publica.

JACOBUS BONFRERIUS,

Dionantenſis, Eburo, natus anno 1573, dein Societatis Jeſu Sacerdos, S. Theol. Doctor in Academia Duacena anno 1617. renunciatus, docuit ibidem in Collegio Aquicinctino annis aliquot Philoſophiam, duobus Theologiam Scholaſticam, hinc Linguam ac Scripturam Sanctam interpretatus eſt: multiplicis vir eruditionis, ingenii ſagacitate, judicii maturitate, ſtyli facilitate ac nitore, memoriæ denique tenacitate in primis excellens. Edidit

Commentarium luculentum *in Pentateuchum Moyſis*, cum *Præloquiis in totam Sacram Scripturam*: typis Plantin. 1625. fol.

Item *in Joſue*, *Judices*, & *Ruth*. Cui acceſſit

Onomaſticum Urbium & Locorum Scripturæ ſacræ, id eſt: *Liber de Locis Hebraïcis*, ab *Euſebio* primùm græcè, ab *Hieronymo* latinè ſcriptus, in ordinem commodiorem redactus; cum variis additamentis. Pariſ. typis Steph. Cramoiſy, 1631. fol. Prodiit rurſus Amſtelodami apud fratres Weſteinios anno 1707. Tomo II. Geographiæ ſacræ, cum Notis Joannis Clerici.

In libros Regum & Paralipomenon. Tornaci, 1643. fol. Tomis II.

Paratum reliquit Tomum alterum, qui explicabat cæteros libros Hiſtoricos, *Eſdram*, *Nehemiam*, *Tobiam*, *Judith*, *Eſterem*, *Machabæos*, item Commentarios in Euangelia, Actus Apoſtolorum & Epiſtolas S. Pauli.

Adornabat etiam *Commentarium in Pſalmos*, jamque confecerat uſque ad Pſalmum XXXIV. quando maturum cœlo mors occupavit Tornaci die 9. Maii 1643. ætat. 70.

Cæterùm hi omnes *Commentarii P. Bonfrerii*, quorum apud eruditos ſumma eſt æſtimatio, novis typis prodiêre Luguni in Gallia anno 1736.

JACOBUS BONTIUS,

Leidenſis, Batavus, Gerardi Bontii, Medicinæ in Academia Lugduno-Batava Profeſſoris Filius, & ipſe Medicus, artem illam in India Orientali ſive Bataviâ novâ exercuit, ibique obiit. Reliquit opuſcula poſtuma, Leidæ edita,

Annotationes in Garciam ab Orto.

De Herbis Indiæ Orientalis.

De Medicina Indorum libros IV. Extant quoque cum P. Albino de Medicina Ægyptiorum. 4. Pariſ. 1646. Hæc & alia ejuſdem *Bontii* opera, denuò evulgavit *Guil. Piſo*, de quo ſupra pag. 419.

JACOBUS BORDINGUS,

Antverpianus, Medicinæ Doctor & Profeſſor in Roſtochienſi Ducum Megapolitanorum Academia per ſeptennium, indeque anno 1556. à Chriſtiano III. Daniæ Rege ad Academiam Hafnienſem evocatus, valetudini ejuſdem Regis & Friderici II. præfuit. Reliquit

Digitized by Google

Enarrationes in libros VI. Galeni, de Sanitate tuenda.

Enarrat. in libros III. priores ejuſdem, *de Cauſſis & Differentiis morborum.*

Conſilia Medica. Roſtochii ſimul edita 1615. 8.

Moritur Lutheranis infectus erroribus, Hafniæ anno 1560. Nonis Novemb.

De Vita & morte *Bordingi* Oratio legitur à *Joanne Spitevio* habita.

Habet hanc Inſcriptionem ſepulchralem in templo primario Hafnienſi, Daniæ Metropoli.

D. O. M. S.

„ Dno Jacobo Bordingo Antwer-
„ piano, Viro in omni Philologia & Phi-
„ loſophia bene & eleganter verſato: &
„ & propterea *Sadoleti* quoque alio-
„ rumque exterorum doctiſſ. monu-
„ mentis publicè celebrato, primùm
„ Patriæ, dein Ducum Megapp. &
„ Sereniſſ. Daniæ Regum Chriſtiani
„ III. & Friderici II. Archiatro:
„ Academiarum Roſtochianæ & Haf-
„ nienſis ornamento: ob veræ pieta-
„ tis, eruditionis, ſapientiæ, & om-
„ nium virtutum laudem, memoriam
„ perennem jam pridem adepto; grati
„ hoc animi memoraculum, Patri op-
„ timo, ſibique & omnibus bonis de-
„ ſideratiſſ. in beatæ reparationis ſpem,
„ Jacobus Bordingus F. J. U. Doctor,
„ Profeſſor & Cancellarius Megalop.
„ P. C.

„ Piè obiit Hafniæ anno Chriſti
„ M. D. LX. Septembr. V. hora 4.
„ veſp. anno ætatis 50.

Alia pro eodem Inſcriptio extitit Roſtochii, in primario templo Mariano, hiſce verbis.

„ *D. Jacobo Bordingo*, Artis Medi-
„ cæ Doctori, & Sereniſſ. Regis Da-
„ niæ Archiatro, verâ ſapientiâ, &
„ cognitione totius Philoſophiæ &
„ trium linguarum, & veræ de Chri-
„ ſto doctrinæ, & omnium virtutum
„ laude præſtanti: Viro clariſſimo &
„ optimo: qui in hac quoque Urbe
„ & Academia, annis ſeptem vivens &
„ docens, omnium bonorum & do-
„ ctorum eximia ſtudia, & honeſtiſ-
„ ſimam ac perpetuam memoriam ſibi
„ comparavit: & tandem Hafniæ de-
„ ceſſit, anno M. D. LX. die V. Sep-
„ tembris, hora 4. veſpertina: cum
„ attigiſſet annum ætatis L. Conjunx
„ *Franciſca Nigrona*, & liberi poſue-
„ runt.

JACOBUS LE BOUCQ.

Valencenas, pictor celebris, ſed in enucleandis Principum nobiliumque ſtemmatibus multò celebrior; quippe qui ſcientiam Genealogicam in Belgium invexiſſe perhibetur; creatus Heraldus (ut vocant) Velleris Aurei, ſub Carolo V. Cæſ. Multa de his rebus ſcripſit Volumina, quæ manuſcripta Bruxellis in Bibliotheca Regia aſſervabantur, ſed anno 1731. per fatale Aulæ incendium abſorpta fuêre.

Obiit anno 1573. ſepultus Valencenis in Eccleſia B. M. Majoris, in Sacello S. Lucæ, hac inſcriptione.

Pictor Jacobus le Boucq, *imitator Apellis*
Egregius, jacet hoc marmore ſub gelido.
Occidit in Maio floriente, dieque ſecundo.
Corpore projecto gaudet in æthereis.

Annaliſtes Lecteurs; ſi entre les mortels
Aucuns ont merité de ſe rendre immortels,
Ce preux Jacques le Boucq, *dont le nom bruict encore,*
Ne ſe peut eloigner des Filles de memoire.
Car de prendre entre l'art; que mille & mille traicts
Fait les hommes revivre en ſes divins pourtraits.
Et fut tant bien appris au faict des Armoiries,
Qu'il ſcavoit les Quartiers de touttes Seigneuries.

Les deſcentes des Roys & Princes compoſoit,
Et leurs Progeniteurs tant dextrement comptoit,
Qu'au tems de Charlequint Empereur magnanime,
Herault d'armes fuſt fait, & tenu en extime.
Depuis au veuil du Roi, tant ordre en la ſaiſon
Que fut renouvellé dedans Gand ſon Toiſon.
Mais les fatales Sœurs aiant ſur luy envie,
Luy ont tranché le faict de ſi honeſte vie,
Deux jours en May l'an mil cinq cens ſeptante trois.
A la terre eſt le corps, l'eſprit au Roy des Roys.

JACOBUS BOURGESIUS,

Vulgò Bourgeois, Atrebatenſis, Duaci Provincialis Ord. SS. Trinitatis & Redemptionis Captivorum: vir pius, & vitæ ſanctimoniâ, morumque ſuavitate ſubditis ceteriſque carus. Edidit latinè

Regulam & Statuta Ordinis ſui.

Formam Reformationis ad præſcriptum S. Concilii Tridentini, &c. Duaci, typis Joannis Bogardi, 1586. Gallico verò idiomate evulgavit ſequentia.

Inſtitutionem ac Fundationem Ordinis: cum *Privilegiis atque Indulgentiis eidem conceſſis.* Atrebati, 1600. typis Guil. Riverii.

Miracula illuſtriora SS. Euchariſtiæ, Ibid. 1600.

Harmoniam Cytharæ Davidicæ: ſive *Meditationes in Pſalmos Horarum Canonicarum.* Ibid.

Mortificationem Perturbationum omnium: Meditationes in VII. Pſalmos Pœnitentiales; aliaſque *Orationes.* Duaci, apud Bogardum, 1579.

Promptuarium Orationum ad Sanctos, quorum in Eccleſia memoria eſt: ex Surio & Martyrologiis Eccleſiaſticis. Ibid. 1596.

Vitas Veterum Patrum, ab eodem editas, citat Swertius.

Fontem Compunctionis. Montibus Hannoniæ, 1595. typis Car. Michaelis.

Deceſſit Duaci, anno ſæculari 1600. ipſis Kalendis Auguſti: conditus ibidem in ſui Ordinis Æde ſacra.

JACOBUS BOURICIUS,

Friſius Leovardienſis, in ſuprema ibidem Curia Advocatus, uti experientiâ ita & legum eruditione clarus extitit, anno 1610. Dein foro valedicens, SS. Scripturarum meditationi, libriſque moralibus tum latinè tum belgicè ſcribendis totum ſe dedit. Nam de precatione, jejunio & eleëmoſyna, de VII. peccatis capitalibus Tractatus duos ſe compoſuiſſe teſtatus eſt: item Dialogos de ægroto & paſtore, de patris & filii officiis, de divite & paupere, ſene & juvene, marito & uxore, virgine & conjugata &c. ſed neſcio, utrum hæc unquam lucem viderint. Evulgavit tamen Juridica hæc:

De Officio Advocati, librum ſingularem 4. Arnhemii 1606. Leovardiæ 1643, & alibi.

Captivum, ſive Enchiridion Defenſionum. 12. Amſtelod. 1610. & 1644. Leovardiæ, & alibi.

Ad Pandectas, librum ſingularem Leovard. 1613. in 4.

Ejus dein, ac *Joannis Bouricii Opera Juridica*, denuo prodiêre Franekeræ 1700. in 4.

JACOBUS BRASSICA,

Vulgò Cool, Roterodamus, Reineri Snoii, Gaudani, è ſorore nepos, vir optimus, totuſque candidus, pius ac Catholicus. Mortuus eſt 4. Novembris 1637. Scripſit

De certo Vitæ genere deligendo: ad filium; 1598. 8.

Conſolationem de Peſtilentiæ morbo. 1584. 8.

Iſagogen,

Digitized by Google

Iſagogen, ſive *Introductionem ad Mortem*, 1587.

Apologos, ſeu *Facetè dicta*, 1586.

Saturnalia, ſive Sententias, ad imitationem Paradoxorum Ciceronis diſputatas, anno 1601. Pluraque Lugd. Batavor. excuſa ſunt.

De Etymo Hollandiæ libellum Harlemi edidit, 1599. 8. Et Apologias pro eodem adverſus Janum Douſam; videlicet *Reſponſionem ad Objectiones Douſæ*. Lugd. 1601. 8. *Saliare ad I. Philoduſum*. Ibid. 1602. *Pemmata* ad eumdem. Delphis, 1603. 8.

Denique in lucem protulit *Reineri Snoii*, *De Rebus Batavicis* libros XIII. Francofurti, typis Aubrianis, 1620. in fol.

JACOBUS DE BROUWER,

Hooghſtratanus Brabantus, Ordinem FF. Prædicatorum Antverpiæ profeſſus, in Academia Duacena S. Theol. Doctor creatus eſt 14. Julii 1620. Fuit & Regens ſtudiorum Ordinis ſui Duaci ac Lovanii; anno 1623. juſſu S. Congregationis de propaganda Fide Daniam peragravit, Apoſtolicarum illic Miſſionum Commiſſarius inſtitutus; uti & anno 1631. Miſſionum Præfectus, quas Ordo Dominicanus in Hollandia retinuit. Tandem anno 1637. die 4. Novembris, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, Conventûs Antverpienſis Prior, Provinciæque Diffinitor. Scripſit

Clavim Apoſtolicam, ſeu *Demonſtrationem Theologicam*, quâ concludit ſolidè, Fide divinâ credendum, Paulum V. eſſe verum ac legitimum Pontificem. Duaci apud Balth. Bellerum. 1621 in 8.

Ejus quoque operâ à multis mendis caſtigatæ prodierunt eruditæ *P. Mag. Dominici Soto ejuſdem Ord. Quæſtiones in VIII. Libros Phyſicorum Ariſtotelis.* Duaci apud Petrum Borremans 1613. in 8.

JACOBUS A BRUGIS,

Flander, Carmelita, claruit anno 1310. ſcripſitque

De impaſſibilitate Animæ, librum I.

De motu Intellectus, librum I. & alia.

Meminit ejus Joannes Bacontorpius, Anglus, Carmelita, in II. Sentent. Diſt. 29. Qu. 1. ac *Godefridi Cornubienſis* Pariſiis auditorem facit; ut habet Bibliotheca Tigurina, ex Juliano Haſarto, Angienſi, itidem Carmelita.

JACOBUS BUYENS,

Mollanus è Campinia Brabantina, Ord. S. Dominici, Conventûs Antverpienſis, vir pius, doctus, & humilis, aſſiduus in propagando cultu Virginis Dei-paræ per Roſarium ejuſdem, & fervidus adverſum Novatores Eccleſiaſtes. Varia Opuſcula vernaculo ſermone ſcripſit & vulgavit, ad vitam ſpiritualem manuducentia, merè grata ejuſce vitæ ſectatoribus: cujuſmodi eſt

Exercitatio ſpiritualis ad aſſequendam cum Deo unionem, excuſa Antverpiæ, Silvæducis, & alibi.

Item *Theſaurus Confraternitatis SS. Roſarii*. Antver. 1600. & 1614. apud Verduſſium.

Vita B. Zegeri Inſulenſis, *Ord. Præd.* MS.

Vitæ Illuſtrium Virorum Anglorum, *Scotorum & Belgarum*, *Ordinis Præd.* MS. Antverpiæ in 4.

Vivere deſiit Antverpiæ die 12. Junii 1604. ſepultus in ambitu Conventûs.

JACOBUS CANISIUS,

Calcariâ Ducatûs Clivenſis opido oriundus, Societatis Jeſu Sacerdos, in

ea Litteras humaniores & Philoſophiam Moralem annos aliquot docuit. Obiit die 27. Maii 1647. Ingolſtadii apud Bavaros, in qua Academia patruus ejus *Henricus Caniſius*, ſummum ſibi famam antea pepererat. Scripſit

Fontem Salutis, ſeu *primum Sacramentorum omnium Baptiſmum*. Coloniæ.

Meditationes Sacras de Chriſto & B. Virgine. Monachii, 1628.

Hyperduliam Marianam, à Joanne Berchmanno exercitam. Ibid. 1636. 16.

Artem Artium, ſeu *De bono mortis*, ſub nomine *Chriſtiani Thanaſophtaſti*.

Ex Italico reddidit latinè, *Concionnes P. Maſtrilli*, ex eadem Societ. Coloniæ.

Ex Hiſpanico *Vitas & Res geſtas Sanctorum*, auctore *Petro Ribadineira*, ejuſdem Societ. & Notis noviſque Vitis auxit. Ibid. apud Joan. Kinckium, 1630. fol. cum Appendice de Sanctis Societatis Jeſu, de S. Carolo Borromæo Philippo Nerio, &c.

JACOBUS CASTRIUS,

Hazebroeckanus, Flander, Medicus Antverpienſis, ſcripſit ad Gandenſes Medicos,

Epiſtolam de ſudore Epidemiali; quem Anglicum vocant. Excudit Joan. Grapheus Antver. 1529. 8.

JACOBUS A CASTRO,

Amſtelodami, *Gerardo Peterſſen Vanden Borgh*, & *Annâ Janſſen de Boys*, honeſtæ proſapiæ conjugibus, natus anno 1560. poſt piam educationem in patria, miſſus ad Academiam Lovanienſem, ut erat ingenio perſpicaci, decurſo Philoſophiæ ſtadio, primum in Artibus locum anno 1579. Pœdagogii Porcenſis alumnus obtinuit. Ipſam quoque Philoſophiam annos aliquot ibidem profeſſus eſt, diſcipulosque præ cæteris inclitos habuit *Jacobum Boonen* dein Archiepiſc. Mechlin. & *Petrum Peckium*, poſtea Brabantiæ Cancellarium: quibuſcum deinceps illi familiaris amicitia interceſſit.

Poſt adeptum Licentiæ in Theologia gradum, ſacrumque Presbiteratûs Ordinem, Parochiæ in Linden non procul Lovanio, uti & Begginagio intra eandem Urbem præficitur, addito & Archipresbyteratu Diſtrictûs Lovanienſis. Inter hæc, S. Th. Magiſterio inſignitur die 22. Auguſti 1594. collegas nactus Petrum Lombardum Archiepiſcopum dein Armachanum & Joannem Malderum Epiſcopum Antverpienſem; anno vero 1605. primarium Theologorum Collegium, quod Majus vocant, regendum ſuſcepit.

Per iſtos meritorum gradus ad Epiſcopatum Ruremundenſem ab Alberto & Iſabella Principibus noſtris inſciens & invitus promotus eſt anno 1610. Dumque eos acceſſit, omni contentione deprecaturus, ut hoc ſe onere liberarent; quantò demiſſius ipſe orabat exſolvi, tantò digniùs de eo Principes ſentiebant, urgebantque. Conſecrationis ſolemniis Mechliniæ perceptis ab Archiepiſcopo Hovio die 11. Aprilis 1611. nunquam dein à paſcendis ovibus avelli ſe paſſus eſt, etiam tunc cùm hæretici primariam civitatem Ruremundam occuparent.

Cum autem Epiſcopalibus exercitiis inſeneſcens, anno 1639. in vigilia S. Matthiæ ſacrum de more legerat, catharro obruitur, atque re in deteriùs vergente extremæ Unctionis Sacramento munitus in Domino obdormivit, annum ætatis dum ageret 79, Epiſcopatûs 29. Doctoratûs 45.

Virtutes ejus recenſet ſequens Elogium ſepulchrale, in vetere Cathedrali, Eccleſia S. Spiritui dicatâ poſitum.

Digitized by Google

JACOBUS CAVE
Anglicanæ Ecclesiæ Presbyter
Ecclesiæ Historiæ Literarius Scriptor
Natus Pridie Kal. Decembris Anno Christi MDCXX
Denatus Octavo Idus Julii Anno Christi MDCXCIV

D. O. M.
JACOBO A CASTRO,
Quem Amſtelodamum terris dedit,
Lovanium S. Theol. Doctorem coluit,
Ruræmũda Epiſcopum tertium habuit,
Quod mortale fuit,
Hîc ſitum eſt.
Virtutem Viri immortalem,
Innocentiam, prudentiam, ſubmiſſionẽ,
Auctoritatem, charitatem, bonorum,
Sed & vitæ
Subinde pro ovibus prodigam,
Quæ maximis cum priſci ævi
Præſulibus æquavit,
A qua plus lucis accepit Inſula,
Quam contulit,
Breve marmor hoc capit.
Illum annis emeritum, non animis,
Mors ex inſidiis aggreſſa,
Non improviſum ſed vigilantem,
Ac eadem die ſacris operatum,
Subito catarrho
Pœnè ſtantem oppreſſit
Anno M. D. C. XXXIX. Febr. XXIV.
Ætatis LXXIX. Sacerdotii LIV.
Epiſcopatûs XXIX.

Prodierunt ceu fœtus poſthumus *Conciones* ejus doctiſſimæ, univerſim 110, in quibus potiſſimum materia de Sacramentis pertractatur, hoc titulo vernaculo: *Het Rycke Chriſti oſte Sermoonen*, &c. fol. Ruremundæ apud Gaſp. du Prèe. 1649. Præfixa iiſdem Vita Præſulis à Caſtro.

JACOBUS CATS,

Eques Auratus, Brauwershavii Zelandorum oppido natus eſt die 10. Novembris 1577 progenitoribus quondam Catholicæ Religionis tenaciſſimis, propatruo R. P. *Matthia Cats* à Brouwerſhaven, Ord. FF. Minorum Provinciali ac S. Th. Lectore meritiſſimo, qui Lovanii obiit die 6 Martii 1576.

Ipſe *Catſius* Ziriczeæ litteris humanioribus probè excultus, jam tum ex innato ſibi genio verſus cœpit tum latios tum vernaculos pangere: & (uti olim de Ovidio) *quidquid tentabat dicere verſus erat.*

Pòſt in Academia Lugduno-batava Philoſophicis artibus, græcarum litterarum peritiam ac Jurium elementa adjunxit. Accedente dein peregrinandi animo in Galliam magnamque Britanniam abiit, ſupremamque Jurium lauream in Andegavenſi Academia ſuſcepit; Oxonienſem vero & Cantabrigenſem, quæ Anglorum primariæ ſunt, itidem perluſtravit.

In patriam reverſus, cauſſarum patronum egit primùm Middelburgi, ſibique mox tantum nomen peperit, ut urbis illius Syndicus eligi promeruerit, ad idem poſtea munus evocatus à Senatu Dordracenſi.

Anno 1634. die 3. Junii, ætatis ſuæ 56. electus eſt, voto communi, Ordinum Hollandiæ Zelandiæ Weſtfriſiæque Advocatus (quem magnum Penſionarium dicunt.) Acceſſit anno 1648. demandata ei cuſtodia Sigilli, rerumque Feudalium præfectura. Dein etiam à Fœderati Belgii Ordinibus anno 1652. ad conturbatam Anglorum Rempublicam (gubernante Olivario Cromwello) Legatus.

Penſionarii munus ſummâ integritate geſſit annis octodecim: neque eo tempore quidquam de Scriptis ſuis edidit, graviorum utique Patriæ negotiorum mole occupatus. Interim tamen relaxandi animi cauſſâ, inter Hagam-Comitum ac Schevelingam, in loco arenoſo elegantem domum cum horto peramœno ædificavit, cui nomen indidit vernaculum *Zorgh-vliet*, quaſi à curis receptaculum dixeris.

Huc frequenter conceſſit ac tandem omnino receſſit anno 1652, dum ampliſſima quibus potiebatur munia, ſponte abdicavit. Placidum illic vivendi finem habuit die 12. Septembris 1660. laboribus ſenioque confectus; quip-

pe annum tunc 83. prope attigerat. ſepultus fuit Hagæ-Comitum, in Eccleſia vulgo dictâ *Clooſter-Kercke*.

Vir erat corpore & animo ad omnem elegantiam, judicii ac conſtantiæ magnitudine ad Reipublicæ regimen factus, Poëta Belgicus laureatus, carminum gravitate alter Virgilius, amœnitate alter Ovidius. In quibus omnibus ejus verſibus hoc Viro ſæculari, Acatholico, & idiomate patrio ſcribenti, ſummæ laudi eſt, quod de virginali ac conjugali ſtatu ſcribens ita attemperaverit calamum, ut caſtas aures nequaquam offenderit. Unde quæ poſtmodum in varias Editiones irrepſerunt minus decentia, alieno calamo adulterata atque intruſa fuiſſe dicuntur.

Uxorem duxerat *Catzius*, *Eliſabetham Van Valckenburg* Amſtelodamenſem, quæ tres ei genuit filios patri præmortuos, filiaſque binas, *Annam* quæ *Cornelio Van Aerſſem* Baronatûs Bredani Prætori nupſit, alteram *Eliſabetham* uxorem *Cornelii Muſch*, Ordinum generalium Belgii Fœderati apud Hagam-Comitis Graphæi.

Opera ejus omnia vernaculè (intermixtis ſubinde Verſibus latinis) primùm ſparſim apud diverſos, dein ſimul edita fuerunt Amſtelodami in fol. cum figuris circiter 400, anno 1655. apud Joann. Schippers; dein anno 1658. & 1665. in 4. & rurſum 1700. Amſtelodami fol. Horum Operum hic eſt Elenchus.

1. *Emblemata.*
2. *Emblemata moralia.*
3. *Monita Amoris virginei.*
4. *Authomachia*, vulgo *Zelfs-ſtrydt.*
5. *Theatrum virilis præſtantiæ.*
6. *Conjugium, ſive Examen ſtatûs conjugalis.*
7. *Querelæ Paſtorales.*
8. *Querelæ Virginales.*
9. *Carmina honoraria.*
10. *Speculum priſci ac recentioris ævi.*
11. *Lapis lydius annuli conjugalis, adauctus Hiſtoriâ Facii & Alettæ.*
12. *Conjugium Spirituale Filii Dei.*
13. *Senectus & vita ruſticana.*
14. *Conceptus hortenſes.*
15. *Aſpaſia, Tragi-Comœdia.*
16. *Imago Connubii, ſub imagine Naſſæ.*
17. *Cogitationes incidentes ſuper rebus occurrentibus.*
18. *Feretrum viventium.*
19. *Colloquium inter mortem & ſenem.*
20. *Colloquium inter animam & corpus.*
21. *Octuagenaria vita & domicilium in Zorg-vliet.*
22. *Cogitationes octuogenariæ.*

Poſuit ei hoc Epitaphium JACOBUS WESTERBAEN, Toparcha de Brandwyck, magni nominis poeta.

Conditur hac urnâ toto cantatus in orbe,
Palladis & Phœbi CATSIUS *unus amor.*
Cui faciles venâ manarunt divite verſus,
Multaque Caſtaliis pagina fluxit aquis.
Nullo doctrinâ quæſitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio ſtat ſine morte decus.

JACOBUS CERATINUS,

Sive Hornanus (ab urbe ac loco natali ita dictus) cognomento TEYNG, Batavus, *Exactiſſimi vir judicii, moribus ſinceriſſimis, & ad amicitiam appoſitis, adeò ut non minùs videretur natus Gratiis, quàm Muſis.* Sic de eo Eraſmus libro XX. Epiſtolarum ad Henricum Stromerum.

Et paulò pòſt, ad Georgium Saxoniæ Ducem ita ſcribit: *Venit huc meis litteris evocatus* Jacobus Ceratinus, *Græcanicæ litteraturæ tam exactè callens, ut unum aut alterum habeat Italia, quicum vix dubitem hunc committere: nec in latinis ſui diſſimilis eſt.* Iterum ad Bilibaldum Pirckheimerum an. 1525. *Vir eſt* (Ceratinus) *ita callens Græcè, nec minùs Latinè, ut poſſet cum dignitate vel in quavis Italiæ parte profiteri; tum moribus*

Digitized by Google

planè niveis, ſed adeò modeſtus, ut pænè putudilus.

Celebrat eumdem inſigni elogio Adrianus Junius, *συμπολίτης*, Adagio, *Iſtic vellus non carpitur*, Cent. V. num. 4. & in Batavia ſua, à ſingulari modeſtiâ ac virginali quodam pudore commendat.

Græcas Tornaci litteras docuit: unde peſtis & bellum eum pepulere, uti Bernardo Buchoni libro XVII. Epiſt. 12. ſcribit Eraſmus. Eaſdem poſtea Lovanii privatim profeſſus eſt: ubi in ipſo juventæ flore raptus vivere deſiit anno 1530. die XX. Aprilis, ſepultus apud FF. Minores ſub Epitaphio ſequente. Scripſit verò libellum eruditum

De ſono Græcarum litterarum, ad Deſ. Eraſmum. Colon. 1529. 8. cum Dialogo Eraſmi de recta Pronunciatione. Prodierunt iterum Lugduni Batav. 1736. in Sylloge Scriptorum, qui de Linguæ Græcæ vera & recta pronunciatione Commentarios reliquêre, curante *Sigeberto Havercamp*, Hiſtoriarum & Linguę illius in Lugdunenſi Academia Profeſſore.

Primum & ſecundum Dialogum B. Joannis Chryſoſtomi de Sacerdotis dignitate Latio donavit. Auguſtæ Vindelicorum prodiit ex D. Hoeſchelii editione.

Lexicon Græco-Latinum primus poſt Aldum Manutium, Aldi avum, auxit, & edidit, apud Frobenium 1524. prefante Eraſmo.

Egregius Vir,
D. JACOBUS CERATINUS,
Ortus ex inſigni oppido
Hornenſi,
Presbyter Deo devotus,
Et tam græcè quam latinè doctus,
Ut teſtantur opera ab eo edita,
Obiit & hîc ſepultus eſt
Anno M. D. XXX. April. XX.
Orate pro eo.

JACOBUS CHEYNEUS,

Ab ARNAGE, Scotus, J. C. Canonicus Cathedr. Eccleſiæ Tornacenſis, Philoſophiam Duaci in Collegio Regio profeſſus, edidit

Analyſin in libros XIV. Ariſtotelis de Prima ſeu Divina Philoſophia, cum *Scholiis*.

Item *Scholas* ſive *Orationes II. de perfecto Philoſopho, & de Prædictionibus Aſtrologorum*. Duaci, typis Joan. Bogardi, 1577. 8.

Analyſin in Phyſiologiam Ariſtotelicam.

JACOBUS CLERICUS,

Vulgò DU CLERCQ, Dominus de Beauvoir, vixit inter Nobiles palatinos ſub Philippo Bono Burgundiæ Duce, fratremque habuit *Joannem Clericum*, Cœnobii Vedaſtini Antiſtitem clariſſimum, qui anno 1462. ætatis ſuę LXXXVI. migravit ad Superos. Scripſit *Jacobus*

Hiſtoriam ſui temporis, ſeu *Diarium earum rerum, quæ Atrebati & locis finitimis contigerunt.* MS. in Biblioth. Vedaſtina.

JACOBUS CLERICUS,

Vulgò LE CLERCQ, Theologus, Paſtor in D. Nicolai & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis, edidit ſermone vernaculo,

Sermones in Orationem Dominicam,

De Pœnitentia, & Funebres aliquot de IV. Noviſſimis.

Ejaculationes ſive Ecſtaſes ſpirituales. Remis, 1609. 12.

JACOBUS DE CODT,

Iprenſis, Flander, Societ. Jeſu Theologus, variæ & elegantis doctrinæ: cujus rei fidem faciunt *Orationes*

ac *Poëmata* varii generis, Gandavi edita.

Item Carmen Leoninum, elegans & argutum, quod ſuppreſſo nomine vulgavit, hoc titulo:

Norma Miniſtrorum ſeu ſimplex regula Morum,

Juxta iter errorum ſine lege Reformatorum.

Leoninè item luſit *De Jubal & Tubalcaim: de Aureo Vellere: de Jubilæo Illuſtriſſ. D. Matthiæ Hovii, Archiepiſc. Machlinienſis.*

Moritur Brugis Flandrorum anno 1621. ætatis ſuæ XLIX. die IV. Decembris. Vide de hoc plura in Bibliotheca Scriptorum S. J.

JACOBUS COLIUS,

Antverpianus, Abrahami Ortelii è ſorore nepos, naſcitur anno 1563. pridie Kal. Januarii, poſtque, Londini in Anglia ſedem fortunarum ſuarum elegit, & Mercurialibus negotiis intendit, ſummus interim rei antiquariæ admirator. Scripſit

Syntagma Herbarum encomiaſticum. Lugd. Batavor. 1606. 4.

De ſtatu civitatis Londinenſis, peſte laborantis. Middelburgi, 1604. 4.

Paraphraſin Pſalmi CIV. & CXXVII. Ibid. 1626. Aliaque.

JACOBUS COEMANS,

Ab Horſt, quod Pelandiæ Municipium eſt, fuit primum Canonicus in Eccleſia Collegiata S. Gereonis Coloniæ; deinde Canonicus & Scholaſticus Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis Gandavi, à *Viglio Zuichemio*, ejuſdem ædis Præpoſito mitrato, eò evocatus. In Academia Lovanienſi S. Th. Doctor renunciatus fuit die 29. Auguſti 1564, unà cum *Buchone à Montzima*, Friſio, Viglii nepote, qui & ſumptus ad hunc actum neceſſarios utrique ſuppeditavit.

Scripſit Coloniæ *Defenſionem pri Communione ſub una ſpecie*, adverſus Hamelmannum. 1563.

In Eccleſia Cathedrali Gandavenſi, ante cathedram concionatoriam legitur ſequens ejus Epitaphium.

„ Sepultura eximii & venerabilis
„ Domini JACOBI COEMANS, ab
„ Horſt, Sacræ Theologiæ Docto-
„ ris, & Eccleſiæ Cathedralis S. Ba-
„ vonis Scholaſtici, qui obiit die 10.
„ Septembris M. D. XC. II. Orate
„ pro eo.

JACOBUS COMELINUS,

Gandavenſis, *Hieronymi* celeberrimi & doctiſſimi Typographi frater, ſede rerum Embdam tranſlatâ, plurima ibi *Poëmata*, latina & vernacula, meditatus fuit, edita ibidem anno 1568.

JACOBUS COREN,

Alcmarianus Batavus, J. U. D. in ſupremo Senatu Hollandiæ, Zelandiæ ac Weſtfriſiæ Cauſſarum patronus, dein ann. X. Conſiliarius integerrimus. Ad ſubitaneam uſque, quâ in ipſo Senatu die 24. Oct. 1631. extinctus eſt, mortem, eâ diligentiâ cauſas retulit, curâ tractavit, comitate audivit, modeſtiâ expedivit, integritate decidit, ut pares quidem Collegas, ſuperiores vix tamen non habuerit. Ita præfatum, in ſequenti ejus Opere poſthumo.

Obſervationes XLI. Rerum in eodem ſupremo Senatu judicatarum Quibus accedunt

Conſilia XXX. in quibus multa idiomate vernaculo: excuſa ſimul Hagæ-Comitis apud Theodorum Maire 1642. in 4. & iterum Amſtelodami 1661. &c. Antonius Matthæus, J. U. D. in Tractatu ſuo de Criminibus lib.

Digitized by Google

VI. Tit. 3. de adult. num. 25. Corenum redarguit, quòd in varias contradictiones prolapsus fuerit: quod non rarum Consultantibus.

JACOBUS CRUCIUS,

Delphensis Batavus, edidit Delphis anno 1635. 8. *Mercurium Batavum, seu Epistolarum libros*, rursus editos Amstelodami 1664. verum caute legendos, ut à Reformatæ Religionis Ministro scriptos. Prohibiti sunt Romæ Decreto S. Congregr. Indicis 25. Januar. 1684.

Item *Suadam Delphicam, sive Orationes LXIX. varii argumenti, ad usum studiosæ juventutis* 12. Amstelodami & alibi sæpius.

JACOBUS CRUQUIUS,

Messinius (vulgò MEESSENE) Flander, juvenis Lovanii *Conradum Goclenium* latinam linguam in Collegio Buslidiano profitentem audivit, ipseque postea latinæ græcæque publicus Professor Brugis Flandrorum, successor fuit *Georgii Cassandri*, eruditi quidem Theologi, (non tamen melioris notæ, de quo vide supra) in ea lectione, quam Rev. P. Joannes de Witte, ex Ord. Prædicat. Cubanus Episcopus, Brugis in patria sua, studiosorum gratiâ liberaliter ante annos aliquot instituerat. Nomen posteritati dedit Cruquius, editis

Q. Horatii Flacci Operibus, ex MSS. Codicibus castigatis, cum Commentariis veterum & suis. Antverp. typis Plantin. & Leidæ apud Raphel. 1620. in 12.

Item *Enarratione in Orat. Ciceronis pro Milone*, 1582. 4. apud. Plantinum.

JACOBUS CURTIUS,

Vulgò DE CORTE, Brugensis, Hermanni filius J. C. operam Juri dedit potissimùm Aureliis in Gallia, usus præceptore *Petro Stella*. Brugis deinde in patria ordini Senatorio adlectus, primarius ejusdem Magistratûs fuit Consiliarius. Scripsit

Εἰκαζῶν seu *Conjecturalium* libros III. ad Curtium fratrem. Antver. 1550. 8. item alios III. ad Vividium Collegam, Lovanii, 1554. Præterea

Institutionum Juris Civilis libros IV. ex Græca Theophili Antecessoris paraphrasi latinos fecit, Pictavii, 1539. Coloniæ, & Lovanii editos.

Janus Lernutius hoc illi Epitaphium dicavit.

Curtius hîc situs est, qui dum trahit aëris auras,
Laus Patriæ excellens justitiæque fuit.
Nunc illo fatis sublato, lumen ademptum
Et Patriæ periit justitiæque simul.
Illa tamen felix: nam sidera rursus adivit
Hoc Duce, & Icariæ Virginis astra tenet.
Infelix Patria est: quæ mox à funere CURTI
Ærumnis gravibus pœnè sepulta jacet.
Qui legis ista fave, sola hic sita corporis ossa;
CURTIUS *invitâ morte superstes agit,*
Perpetuumque decus famæ sibi fixit in arce,
Summani nequeat quod capere inde manus.

JACOBUS DAMIANUS,

Atrebas, Societ. Jesu, facili ad orationem cùm solutam tum ligatam oratione; edidit

Synopsin Historiæ Societ. Jesu primo sæculo. Tornaci, 1641. fol. quam dein Gallicè reddidit P. Franciscus Lahier ejusdem Societ. Tornaci 1642.

Bellum Mariale Germanicum pro Ferdinandis II & III. dmpp. Duaci 1642. dein recusum Francofurti in Parnasso Societatis 1654. 4.

Moritur Tornaci 16. Decembris 1650.

JACOBUS DAVENTRIENSIS,

Trans-Iſelanus, Geographus fuit non incelebris, cujus laboribus ex multis Ortelius uſum ſe fatetur. Et Munſterus *Friſiæ Deſcriptionem*, auctore Daventrienſi, operi ſuo Coſmographico inſeruit. Exſtant *& Brabantiæ*, *Geldriæ*, *Hollandiæ ac Zelandiæ Tabulæ*.

JACOBUS DRIESSCHIUS,

Flander, Religioſus ac Prior Guilielmitarum Brugenſium, ſcripſit

Chronicon Flandriæ. Vidit id Jacobus Meyerus, ad annum 1138. videturque vixiſſe familiaris Alberto Crantzio, qui illi inſcripſit Vitam S. Remberti Archiepiſcopi Bremenſis.

JACOBUS DYCK,

Ruræmundanus, Gelder, natus anno 1575. Societ. Jeſu Theologus, denatus eſt Gandavi ſexagenarius anno 1635. die XXVI. Maii. Ex hiſpanico latinè interpretatus fuerat

Praxin Vitæ ſpiritualis S. IGNATII, *Ludovico de Palma* auctore. Antver. typis Plant. 1635. 8. & Viennæ Auſtriæ eodem anno.

JACOBUS EYCKIUS,

Aliàs VANDER EYCK, Henrici filius, Dordracenus Batavus, J. C. nec non Secretarius Curiæ Hollandiæ Meridionalis, deſcripſit

Inſulam Dordracenam patrio ſermone, diſcurrens per pagos & villas, additis locorum & familiarum inſignibus, Dordraci 1628.

Obiit ibidem menſe Octobri 1634.

JACOBUS EYCKIUS,

Antverpienſis, urbi ab Eleëmoſynis & Senatorii Ordinis, vir priſci candoris, ſtudiique elegantioris, Poëta amœnus & ad veterum laudem aſſurgens, ut ex iis liquet, quæ, ut amicis gratificaretur, ſparſim edidit, tum vero ex *Epithalamio*, quod in nuptias Clar. Viri *Caſperii Gevartii* J. C. S. P. Q. Antverpienſis ab Actis, cecinit & vulgavit, typis Guil. à Tongris. 1625. in 4.

Item elegantibus verſibus edidit *Urbium Belgicarum Centuriam* 4. typis Plantinianis. 1651.

JACOBUS EYNDIUS,

Batavus, Vir Nobilis atque eruditus, arcique Woerdanæ præfectus, ſcripſit, cùm à publicis curis otium eſſet,

Ænigmatum lib. I. ſingula ænigmata diſtichis ſingulis complexus: quem Lugduni Batt. MS. olim adſervavit Marcus Zuerius Boxhornius.

Anno 1629. ſenio gravis fato conceſſit.

JACOBUS EYNDIUS,

Ab Haemſtede (quæ Zelandicæ Inſulæ, quàm Schaldiam vulgò *Schouwen*, vocant, pagus eſt, arce inſignis) Delphis Batavorum naſcitur patre cognomine, atque equeſtris familiæ: ipſeque ductor equitum cataphractorum apud Batavos ſtipendia meruit, & Marti Muſas junxit. Fuit enim & litteratiſſimus, & excellentis ingenii Poëta, cujus rei teſtes ſunt

Poëmata ab eo relicta, editaque Lugd. Batavor. 1611. 4. in quibus *Nugarum* lib. I. *Belli Flandrici* lib. II. *Senatus Convivalis*, *Mars exul*, *&c.*

Scripſit & *de Saltationibus Veterum* libel-

libellum, quem Joſ. Scaligero inſcripſit, ſed eum vidêre non contigit.

A morte auctoris, Ordinum Zelandiæ decreto, editi ſunt *Hiſtoriæ* ſive *Chronici Zelandiæ* libri II. uſque ad annum 1296. deducti. Middelburgi 4. 1634.

Extinguitur ante diem in arce ſua Haemſtedia anno 1614. III. Idus Septembris, lentâ tabe conſumptus.

JACOBUS FONTANUS,

Brugenſis, J. C. & Judex appellationum populi Rhodienſis, ſucceſſit *Guilielmo Caourſino*, itidem Belgæ (de quo ſupra pag. 395.) fuitque Hiſtoricus Ordinis Equitum Jeroſolymitanorum, qui modo Melitenſes dicuntur. Familiaris erat Philippo de Villiers de l'Iſle-Adam, Magno præfati Ordinis Magiſtro, ſub quo Rhodus anno 1522. in poteſtatem Turcarum pervênit. Eapropter ſcripſit latinè & italicè

De Expugnatione Rhodi Epiſtolam ad Adrianum VI. Pont. editam Baſileæ 1538. cum Jacobi Sadoleti Oratione de bello Turcis inferendo, aliorumque ſimilis argumenti opuſculis, apud Thomam Platterum.

Belli Rhodii Hiſtoriam, libris III. Romę 1525. item Pariſ. apud Wechelum, Haganoæ, 1527. 4. & Baſileæ Tomo II. rerum Germanicarum.

Scholia in Juſtiniani Codicem.

In Conſtitutiones Bonifacii & Clementis.

Vitam Joannis XXII. P. M. Lutetię ſimul edita.

JACOBUS FRANQUART,

Bruxellenſis, Pictor, Poëta, Geometra, & Architectus celeberrimus, Principibus noſtris Alberto & Iſabellæ imprimis charus: quorum juſſu & impenſis, duarum Eccleſiarum Bruxellis, nempe PP. Societatis Jeſu, & Sororum Carmelitidum, inſignem molem uſque ad apicem perduxit.

Direxit quoque & edidit anno 1621. per 69. Tabulas æneas in folio *Pompam funebrem optimi potentiſſimique Principis Alberti Pii, Ducis Brabantiæ* &c. cui acceſſit Diſſertatio hiſtorica ac moralis celeberrimi Viri Ericii Puteani Conſiliarii & Hiſtoriographi Regii. Iterum edita fuit Bruxellis 1729. apud Joan. Leonard.

JACOBUS FROIUS,

Ramuſius, agri Lætienſis, in Hannonia, Benedictinus Abbatiæ Lætienſis, græcè latineque doctus, facundus & eloquens, *Opera Ludovici Bloſii*, cujus fuerat diſcipulus, in volumen unum redegit, ediditque latinè & gallicè.

Obiit Abbas Haſnonienſis, anno 1586.: fundato Valencenis Collegio PP. Societatis Jeſu, dignus plane, cujus memoria conſervetur in Epitaphio ſequenti.

Reverendo in Chriſto Patri, Domino
D. JACOBO FROYE
Abbati defuncto anno M.D.LXXXVI.
Ætatis LVIII. Regiminis XVII.
Optimè de Religione
Et hujus Eccleſiæ ornatu merito,
Leod. Tiſon Abbas
Vitam æternam piè precabatur
M. D. C. XVI.

JACOBUS GAUDANUS,

Batavus (alii MAGDALIUM JACOBUM appellant) ex Ordine S. Dominici S. Th. Doctor in Academia Colonienſi, Vir multarum ſcientiarum, græcè hebraïcèque doctiſſimus, claruit ab anno 1470. uſque ad 1505. Edidit

Paſſionem Jeſu Chriſti magiſtralem, ut vocat, cum Gloſſa interlineari Alberti Magni, & ſententiis Doctorum

Eccleſiæ. Coloniæ, 1504.

Item *Correctoriam Bibliorum*, & *Compendium metricum eorumdem.*, 257. Verſibus. Ibid. 1508. in 4. typis Quentelii.

Flavii Joſephi librum de imperatrice ratione, e græco latine vertit, Colon. 1517. in 4.

Vitam Salomes, matris SS. Machabæorum, 63. diſtichis. Ibid. 1517.

Scripſit præterea *Poëmata Moralia*, ævo illo laudatiſſima. Legebantur ex his nonnulla MSS. Leidæ penes Marcum Zuerium Boxhornium; ampliorem autem Operum ejus elenchum lege in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Prædic. per P. Echard, Tom. II. pag. 44. & 336.

JACOBUS GAIUS,

Sive GAY, Hondiſchotanus, Flander, Scholæ Furnenſis præfectus, vulgavit libellum, cui titulus, *Dies Geniales*, vulgo *Bacchanalia*, quo luxum commeſſationeſque perſtringit. Duaci, 1611. 8. typis Auroii.

JACOBUS GHERINUS,

Reipublicæ Antverpienſis Medicus ordinarius, ſcripſit flandrico idiomate

Tractatum *de præſervatione ac curatione peſtis*, anno 1555. Gorcomii, Worcomii, & alibi graſſantis. Excudit Antverp. Guil. à Tongris, 1597. 8.

JACOBUS GOLIUS,

Hagæ-Comitanus, Hollandus, poſt feliciter & ſerio viſitatum ac luſtratum Orientem, ad Mathematum ac Linguæ Arabicæ Profeſſionem à Curatoribus Academiæ Leidenſis vocatus, anno 1625, ætatis 29.: ſiquidem in Oriente idioma, accentum & mores Arabum perdidicerat. Edidit charactere arabico

Achmedis Arabſiadæ Vitam, & rerum geſtarum Timuri, qui vulgo Tamerlanes dicitur, Hiſtoriam. 4 Lugd. Bat. 1636. typis Elzevir.

Lexicon Arabico-Latinum, ex probatioribus Orientis Lexico-graphis contextum. fol. apud Janſſonio-Waerbergios, Amſtelod. 1653.

Obiit Golius anno 1667. die 28. Septemb. Extant in Catalogo Bibliothecæ publicæ Lugduno-Batavæ per Pet. vander Aa anno 1716. Manuſcripti Libri Orientales, præſertim Arabici, Perſici, Turcici, Hebraïci, Samaritani, Æthiopici, Armeniaci, Coptici &c. à Numero 1. uſque ad 211, pag. 409, quos eidem Bibliothecæ aut donavit aut procuravit Golius.

Fratrem habuit Aleppone in Oriente agentem, profeſſione Monachum Carmelitam Excalceatum, dictum in Ordine *Cæleſtinum à S. Lyduina*, qui plurimos libros Arabicè conſcripſit, & inter alios *Thomæ à Kempis libellum de Imitatione Chriſti* in linguam Arabicam convertit. Vide ſupra.

JACOBUS VANDER GRAEF,

Toparcha de Hoogheveen, J. U. D. Conſul Delphenſis, Senatûs Delflandiæ Aſſeſſor, & anno 1654. Conſiliarius in Senatu Hollandiæ; obiit 1674. Reliquit

Syntagma Juris Publici ad L. Non dubito ff. de Captivis & poſtliminio reverſis. in 4. Lugduni Bat. anno 1645.

JACOBUS A GRUITROEDE,

(Qui Leodienſis Campiniæ vicus eſt) Prior Cartuſiæ Leodicenſis, vitâ & converſatione devotus, ut ait Trithemius, ſcripſit quintuplex *Speculum Prælatorum, Subditorum, Sacerdotum, Sæcularium hominum, & Senectutis*; falſò editum nomine *Dionyſii Cartuſiani*, Norimbergæ, 1495. & Coloniæ, 1540. (ita Oudinus Tom. III. pag. 2647.) ut etiam monuit Paulus Lan-

Digitized by Google

gius Trithemii æqualis, & ejuſdem cum eo Inſtituti, in Chronico Citizenſi, ad annum 1460. Extant ejuſdem

Lavacrum Conſcientiæ, Coloniæ editum, 1501. 4.

Colloquium Jeſu & Peccatoris.

Pharetra divini Amoris.

Alloquium Jeſu ad Animam fidelem. Ibid. 1576. 12.

Præter hæc recenſentur à Trithemio

De veris Virtutibus, libri III.

De VII. Peccatis Mortalibus, lib. I.

De quatuor Noviſſimis, liber I.

De Vita Domini Jeſu, lib. I.

De Præparatione ante Miſſam.

De definitione nominis Monachi.

Meditationes Paſſionis Chriſti.

Colloquium Jeſu & Monachi.

Colloquium Jeſu & Prælati.

Colloquium Jeſu & Senis.

Colloquium Jeſu & Heremitæ.

Colloquium Jeſu & Diſcipuli.

Contemplatio S. Mariæ.

Coronula S. Mariæ.

Dialogi duo Mariæ & peccatoris.

Meditationes Compaſſionis B. Mariæ.

De nomine Jeſu & Mariæ.

Sermones de Tempore & Sanctis.

Epiſtolæ. Et alia.

Addit his Bibliotheca Tigurina,

De ſeptem ſtatibus Eccleſiæ in Apocalypſi deſcriptis.

De Auctoritate Eccleſiæ ejuſque reformatione.

De abuſionibus Clericorum.

De erroribus modernorum.

De cauſis & remediis paſſionum animi.

Quod Prælati vitia curare debeant, &c.

Deceſſit è vita apud Eburones, anno 1472. pridie Idus Februarii; teſte Theod. Petreio.

JACOBUS GUISIUS,

Montenſis, Hanno, Doctor Theologus ex Ordine S. Franciſci, annos plus minùs quinque ac viginti apud ſuos Theologiam, Matheſin, ac Philoſophiam prælegit. Patriæ antiquitatis atque Hiſtoriarum ſtudioſum fuiſſe, oſtendunt

Chronica Hannoniæ: quæ Montibus Hannoniæ apud Franciſcanos Manuſcripta legebantur, III. Tomis comprehenſa: ſed igne conſumpta fuerunt in obſidione Montenſi anno 1691. Exſtant ea ἐν ἐπιτομῇ & compendio edita Pariſ. 1531. fol. apud Franc. Regnaudum, Gallicè, ut & titulus indicat: *Extraict des Chronicques de Jacques de Guiſe.* Exſtitit alia Epitome, Antverpiæ apud Gevartium, juſſu Philippi Boni concinnata. Notet tamen Lector ſynceræ fidei, ſcrupulum aliquem in iis relinqui, præſertim ubi patriæ ſuæ antiquitatem à Trojanorum reperit initiis.

Obiit Valencenis anno 1398. id eſt 1399. juxta ſtilum Romanum, die VI. Februarii, apud ſuos ſepultus ante odejum templi, hac Inſcriptione.

„ *Chy giſt Maiſtre Jacques de Guiſe*,
„ *Docteur & Frere Mineur, Autheur des*
„ *Cronicques de Haynau, qui tres-paſſa*
„ *l'an Mil IIIC. nonante-huict, le ſixie-*
„ *me de Fevrier. Priez Dieu pour s'ame.*

Nicolaus Guiſius, qui & Hannoniam ſcriptis illuſtravit, *Jacobo* ſanguine junctus erat, ejuſque libro non parum adjutum ſe fatetur.

JACOBUS HAMMIUS,

J. C. Gandavenſis, & in ſuprema Curia cauſſarum Patronus, Poëtices ſtudio animum addictum habuit, luſitque

Epigrammata varia atque *Epitaphia*, excuſa Gandavi in 8. pluraque apud hæredes latere teſtabatur Sanderus.

JACOBUS HAUTIN,

Inſulenſis, Societatis Jeſu, admiſſus anno 1617. Philoſophiam atque

Theologiam Duaci docuit. Edidit

Tractatum *De Angelo Custode*, seu *de mutuis Angeli Custodis & Angelicè Clientis officiis.* Antver. apud Joannem Cnobbaert. 1640. 12.

Rhetoricam, adolescentum ingeniis accommodatam. Duaci, in 8.

Vitam P. Vincentii Caraffæ, Societ. Jesu Præpositi generalis. 8. Leodii 1655.

Speculum Amoris Eucharistici, Opus Theologico-Concionatorium, duobus libris exhibitum. Fol. Insulis 1650.

Novum opus, de Nevissimis, improbo acerbissimis, probo suavibus, 4. Insulis. 1671.

Patrocinium fidelium Defunctorum; ad usum præsertim eorum, qui per Octavam concionantur. Fol. Leodii 1665.

Obiit Insulis, die 24. Decembris 1671.

JACOBUS DE HEMRICOURT,

Eques Ord. S. Joannis Jerosolymitani nunc Melitensis, scripsit Gallicè

Speculum Nobilium Familiarum Hasbaniæ & ditionum vicinarum, ab anno 1353. usque ad annum 1398. quod Leodii & alibi passim MS. viri nobiles transscriptum legere solebant.

Descripsit etiam famosa *Bella inter Domum de Awans & Waroux* jam inde ab anno 1298. usque ad annum 1337. Legiturque etiam liber ille apud antiquarios Ultrajecti.

Obiit anno 1403. die 18. Decembris, sepultus Leodii in sacello quod Clericorum dicitur, ubi tale extitit ejus Epitaphium antiquo idiomate gallico.

Chi gist Messires Jaques de Hemricourt Chevalier de l'Ordene Sains Joban de Jerusalem, ki en ses veusvies & anciens jours entra en la dure Religion sur son propre patrimoine, sans prendre les binfai de cels, & trespassat l'an de grace M. CCCC. & trois, le XVIII. jour el mois de Decembre.

Libri ejus antea Manuscripti, typis editi fuere Bruxellis fol. apud Eugen. Frix anno 1673. hoc titulo;

Miroir des Nobles de Hasbaye composé en forme de Chronique par Jaques de Hemricourt, &c. avec l'Histoire des Guerres civiles dudit Pais &c. mis du vieux en nouveau langage, par le Sr. Salbray.

JACOBUS VAN HEUMEN,

Ultrajectinus, S. T. L. ex Pastore Schoonhovensi, constitutus anno 1642. Pastor Roterodami primarius, nec non Vicariatûs Ultrajectensis à *Philippo Rovenio*, Archiepiscopo Philippensi ac Vicario Apostolico instituti, Assessor, ejusdemque Præses. (Nulla quippe tunc erat mentio Capituli, quod postea tantum somniatum est.) Fuit quoque Archipresbyter Oppidi Tractûsque Delphensis, actibus sacris ac variis scriptis clarus. Obiit Roterodami 26. Augusti 1673.

Immortalem Adamum docentem methodum rectè moriendi. Antv. 1651. in 4. flandricè dedit. Latinè vero hos: *Joseph Somnians complectens falsas variorum imaginationes, cum introductione Euangeliorum in Festa totius anni.* 8. Antver. 1666.

Alter *Joseph accrescens* inscribitur.

Tractatus *de Matrimonio Catholici cum Acatholica.* MS.

Job patiens, sive *Conciones sacræ.* 4. Antverpiæ.

JACOBUS HONORATUS DURANDUS,

Bruxellensis, Societatis Jesu, Lovanii Philosophicis, Mathematicis ac Theologicis disciplinis excultus, Græcii in Styria Philosophiam triennio explicuit, atque exinde ibidem Mathesin docuit. defunctus 28. Augusti 1644. Edidit

Elementa Euclydis à Christophoro Grienpergo S. J. contracta: quibus adjecit *Brevem Trigonometriam Planorum*, cum

Digitized by Google

tabulis ſinuum tangentium & ſecantium ad partes radii 100000. *per ſex prima ſcrupula.* Græcii 1636. 12.

Problema Mathematicum ex Architectonica Militari, de Mœnibus inferioribus, ſive falſabraga: an ea infra horizontem an ſupra collocanda ſit. Ibid. eodem anno, in 4. aliaque meditabatur.

JACOBUS HOOGSTRATANUS,

Brabantus, cognomentum tulit à natalis ſoli municipio, hodie Comitatûs titulo inſigni. Philoſophiæ curſum Lovanii abſolvit in Pœdagogio Falconenſi, & anno 1485. inter Artium Magiſtros ceteris palmam præripuit. Poſtea S. Dominici Regulam Religionemque profeſſus, Conventûs Studiique Colonienſis Prior, Doctor Theologus ac Profeſſor, Quæſitorque hæreticæ pravitatis per Diœceſes Colonienſem, Moguntinam, Trevirenſem.

Primos inter in Lutherum calamum ſtrinxit: ob id, tum ab hæreticis, quos in primis oderat, tum etiam ab aliis vitæ atque ingenii liberioris, ut tunc tempora ferebant, ſcriptis laceſſitus, & nominatim à Joanne Reuchlino, ſive Capnione, Epiſtolis, quas *Obſcurorum virorum* titulo vulgavit.

Hermannus quoque Comes Nuenarius, dum anno 1519. in Comitiis Francofurtenſibus Carolo Auſtriaco, electo Romanorum Regi, nomine Studioſorum Germaniæ adgratulatur, in hæc verba erumpit: *Fraterculos quoſdam*, inquit, *magnis titulis inſanientes, jube ſuorum Cœnobiorum curam gerere, jube domi Fratribus ſuis regendis operam impendere, Sacris faciendis invigilare* &c. & paucis interjectis, *Unica, crede mihi, peſtis eſt in Germania Jacobus Hochſtratus, quem ſi reſtrinxeris, ἐμοὶ πάντα κελὸς homo præter ingentem ſuam audaciam, inſigniter impudens atque temerarius. Omnes interroga, ſi libet, per Germaniam doctos viros. Omnes læſit, omnibus æque infeſtus eſt.* Quin & Eraſmus libro XIX. Epiſt. XIII. ad Joannem à Laſco Præpoſitum Gneſnenſem (dein Calviniſtam) dum aliquot ex hoſtium ſuorum numero periiſſe ſcribit, iis annumerat & *Jacobum Hogheſtratum*, coryphæum, ut ait, hujus tragœdiæ. Tam erat exoſum libertinis nomen Quæſitoris ſive Inquiſitoris hæreticæ pravitatis. Porrò ingenii ſui monumenta, ſtilo licet rudiori, reliquit hæc *Hoochſtratanus*, omnia Coloniæ evulgata:

Margaritam Philoſophiæ Moralis libris XII. 1521. 4.

Deſtructionem Cabalæ ſeu *Cabaliſticæ perfidiæ*, libris IV. adverſus Joannem Reuchlinum, ad Leonem X. Pont. M. 1518. 4. apud Quentelium.

Contra Dialogum de cauſſa Reuchlini falſo inſcriptum *Gregorio Benigno*, Archiepiſcopo Nazareno.

Apologias aliquot, contra Reuchlinum. Haganoæ, 1518.

Defenſionem Principum Alemaniæ, adverſus Petrum Ravennatem I. Quod ſceleratos inſepultos in ligno detineant.

Juſtificatorium Principum, contra eumdem.

Adverſus petentes auxilium à maleficis.

Contra Presbyteros Concubinarios.

De Purgatorio, Antver. 1526. 8.

De Chriſtiana libertate Tractatus V. contra Lutherum. Ibid. 1526. 8.

De Fide & Operibus.

Dialogum de veneratione & invocatione Sanctorum 1524.

Contra VIII. Lutheranorum blaſphemias.

Colloquiorum cum D. Auguſtino, libros VI. contra Lutherum, typis Quentelianis 1524. De quibus ſingulis elucubrationibus plura vide accuratiora in Bibliotheca Scriptorum Ord. Prædic. per P. Echard Tomo II. pag. 67.

Diem ſupremum obiit Coloniæ, anno 1527. die XXI. Januarii : cui nec mortuo parcentes hæretici, tumulo ejus hoc carmen affinxêre :

Hic jacet Hoochſtratus, *viventem ferre patique*
Quem potuere mali, non potuere boni.

Veriùs tamen maledicus Poëta dixiſſet, inquit Miræus in Elogiis ſuis Belgicis :

Hic jacet Hoochſtratus, *viventem ferre patique*
Quem potuere boni, non potuere mali.

JACOBUS HUGUES,

Aliàs Hugonis, Inſulenſis, S. T. Doctor, Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Inſulenſis Canonicus Theologus, cujus hæc ſunt :

Specimen optimi generis explanandi Scripturas, novem Pſalmorum expoſitione editum. 12. Inſulis apud Simon le Francq 1646.

Explanatio in Cantica Canticorum. 12. Duaci 1649.

Vera Hiſtoria Romana, ſeu Origo Latii vel Italiæ ac Romanæ Urbis, è tenebris longæ vetuſtatis in lucem producta, 4. Romæ 1655. liber à S. Congregatione Indicis prohibitus, 3. Auguſti 1656.

JACOBUS JANSONIUS,

Amſtelodamus, naſcitur anno 1547. parentibus, quod ad commendationem ſatis eſt, honeſtis, Deoque ac religioni avitæ addictiſſimis. Patre puer admodum orbatus, curæ matris viduæ relictus fuit, atque à primis ætatis ſuæ annis coævos inter modeſtiâ, verecundiâ, pietate eminuit, fugitque jam tum, ut & reliquo vitæ totius decurſu, incontinentiæ omnis vel minimas illecebras.

Ætate ſtudiiſque maturior, Lovanium à matre miſſus, curſum Philoſophiæ in Porcenſi Gymnaſio complevit anno 1562. promotus in prima linea loco duodecimo, Theologiamque in Collegio Adriani VI. P. M. didicit, Præſide & directore Eximio viro *Michaele du Bay*, S. Theol. Doctore & Profeſſore : quem ita ſibi devinxit, ut is *Janſonium*, non ita pridem S. Theol. Laureâ inſignitum, Collegio à ſe ad Leidam fluvium, in honorem S. Auguſtini noviter erigi cæpto an. 1575. primum Præſidem dederit ; annoque 1589. Baio vitâ functo, eidem in adminiſtratione Collegii Pontificii ſuffectus fuerit, cui & totis XXXV. annis præfuit.

Renuntiatus fuerat S. Theol. Profeſſor Ordinarius anno 1580. Doctor ac Magiſter anno 1584. die XXIX. Auguſti, & demùm anno 1595. in ſacrarum Litterarum interpretatione *Thomæ Stapletono*, Anglo, celeberrimi nominis Theologo, ſurrogatur. Quo in munere ita verſatus fuit, ut abditiſſimos quoſque ſacræ Scripturæ receſſus, SS. Patrum veſtigia ac verba ſecutus, penetraret, ipſamque medullam traderet.

Anno 1614. in Decanum Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri, conſentientibus Capituli ſuffragiis, electus, ingraveſcente tum ætate, atque acutiſſimis chiragræ doloribus pœnè confectus, ægrè Profeſſorium munus ſuſtinuit, viceſque docendi alteri demandavit uſque ad ſupremum vitæ exitum.

Obiit anno 1625. ætatis LXXVIII. menſis Julii die XXX. non ſine ſanctitatis opinione, depoſitus in Sacello Collegii, cui præfuerat, ad latus ſiniſtrum *Michaelis Baii*, ut, quos idem doctrinæ ſpiritus fecerat conjunctiſſimos, tumulus non divideret.

Quòd ad ſcripta attinet, de iis Antonii Poſſevini breve hoc elogium eſt : *Dictio*, inquit, *in hoc Scriptore commo-*

da eſt, quæ, quod ad ſcribendi rationem attinet, ferit medium: nimirum ne concisior, neu laxior ſit, in ſenſu nitens litterali, reliquos non omittens. Scripſit autem

Inſtructionem Catholici Eccleſiaſtæ. Lovanii, typis Joann. Maſii, 1585. 8.

In ſacrum Miſſæ Canonem, quo S.R. Eccleſia per orbem univerſum utitur. Ibid. 1586. 8. & 1605. 4.

Liturgica; ſive *De Sacrificiis materiati altaris* libros 1604. 8.

Commentarium in Cantica Canticorum. 1596. & 1605. 8.

Commentarium & Expoſitionem in Pſalmos Davidicos, 1597. 4.

Expoſitionem iteratam in Pſalmos, à priori diverſam, 1610. 4.

Enarrationem in Prophetam Job, 1623. fol. typis Henr. Haſtenii.

Vittam Coccineam, ſive *Enarrationem Paſſionis Dominicæ.* Ibid. apud Maſium, 1600. 8.

Expoſitionem in Euangelium S. Joannis. Edidit à morte *Joannes Maſius*, Abbas Parcenſis, unà cum *Janſonii* Vita, 1631. in 8.

Orationem duplicem: alteram *in Obitum & Laudem Henrici Gravii*, Doctoris Theologi Lovanienſis: alteram *in funere Matthiæ Hovii*, Archiepiſc. Machlinienſis habitam in Metropoli Mechlinienſi., Edita hæc 1620. 4. apud Rivium, Lovanii.

Denique belgico idiomate edidit *Proceſſum de Melchiſedecho*, ſive *De Sacerdotio*, typis ejuſdem Rivii, 1618. 8.

JACOBUS DU JARDIN,

Inſulis Flandrorum anno 1585. natus, Societatis Jeſu, in ea Litteras humaniores, in quibus excelluit, pluribus annis docuit, totoque ſeptennio Leodii ad Sodales Parthenios pro concione dixit & mirè placuit.

Obiit Leodii die IX. Novembris, anno 1633. Edidit

Elegiarum de Chriſto, B. M. Virgine, & aliis, libros III.

De Arte forenſi ad Juriſperitos libros II. Duaci & Monaſterii Weſtphaliæ, 1636. 12.

JACOBUS DE LAET,

Lovanienſis, edidit Trajecti ad Moſam, *Encomium Muſicæ*, proſâ oratione.

JACOBUS DE LALAING,

Ex illuſtri Lalainiorum familia apud Hannonios oriundus, vixit anno 1440. ſub Philippo Burgundo & Carolo Comite Caroleſii. Scripſit Gallicè

Hiſtoriam rerum ſuo tempore & à ſe geſtarum. Lectum jam pridem MS. in Bibliotheca Vindocinenſi, & alibi.

Extat in municipio de Lalaing haud procul Duaco, inque ejus parochiali Eccleſia, inſigne hujus Heroïs mauſolæum ad cornu Euangelii, hoc cœnotaphio.

„ *Chy giſt le bon Chevalier Meſſire*
„ *Jacques de Lalaing, ainé fils de hault*
„ *& Noble Monſeur Guitte, Seigneur de*
„ *Lalaing, qui treſpaſſa au ſiege de-*
„ *vant Poucque le III. jour du mois de*
„ *Juillet l'an M. CCCC. LIIII. Priez*
„ *pour ſon ame.*

Vitam ejus olim ſcripſerat *Georgius Caſtellanus*, Gandavenſis; quam luce dignam judicavit Vir Clariſſ. *Julius Chiffletius*, Canonicus Bizuntinus, 4. Bruxellis 1634. hoc titulo: *Hiſtoire du bon Chevalier Jacques de Lalain, Frere & Compagnon de l'Ordre de la Toiſon d'or.*

Fuit autem illuſtris iſtius Ordinis Equies creatus anno 1445. Gandavi, & inter primos ævi ſui Duces reputatus eſt.

JACOBUS LANSBERGIUS,

Philippi Filius, Zelandus Goeſanus, Medic. Doctor, Philoſophus & Ma-

thematicus, docti patris filius non indoctus, edidit

Disputationem Scholasticam de Mossebo, adversus Medicos Middelburgenses.

Apologiam, pro Commentationibus ejusdem sui patris, *in Motum terræ diurnum & annuum*, adversus *Libertum Fromondum* S. T. D. Lovan. & *Joannem Baptistam Morium*, Doct. Medicum & Mathem. Parisiis Professorem. Middelburgi, 1633. 4.

Anno 1640. inter Senatores Urbis Medioburgensis adlectus est, ejusdemque dein anno 1649. Consul; sed exautoratus in Hollandiam recessit, ubi & vivere desiit anno 1657. ætatis suæ 67. Dictum illius erat: *Ars longa, vita brevis.*

JACOBUS LATOMUS,

Vulgo Masson, Camberonensis, Hannonius, Artium Doctor in Academia Parisiensi, inde à *Joanne Standonck*, S. T. Doctore, Parisiis è Collegio Montis-acuti Lovanium adductus circa annum 1500, ut primus esset Domûs suæ Standonicæ Rector.

E Facultate Artium ad Consilium Universitatis admissus, S. Theologiæ Doctor, unà cum *Ruardo Tappero*, renunciatus est Lovanii anno 1519. die 14. Augusti, favore atque impensis *Caroli* & *Roberti de Croy*. Erat *Carolus* tunc Administrator Cœnobii Affligemiensis, dein Episcopus Tornacensis, *Robertus* vero dein Cameracensis; *Latomus* utrique à studiis. Vir sanè multæ eruditionis, pietatis ac modestiæ, trium linguarum peritissimus, Hæreticæ Pravitatis Inquisitor vigilantissimus; qui cum statuisset Scripta sua ad incudem revocare, atque ampliùs erudire, mortis importunitas pulcherrima destinata intercepit. Scripsit porrò

Contra Articulos quosdam Mart. Lutheri, à Theologis Lovanienſibus damnatos.

Responsionem ad libellum à Luthero emissum pro iisdem Articulis.

De Primatu Pontificis, ad Lutherum. Extat etiam Tomo XIII. Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ P. Rocaberti Romæ 1698.

De variis Quæstionum generibus, quibus certat Ecclesia intus & foris.

De Ecclesia.

De Ratione obligandi humanæ legis.

De Confessione secreta.

Ad Helleborum Joannis Oecolampadii, Responsionem.

De Fide & Operibus.

De Monachorum Institutis, Votis, & Obligationibus.

De trium Linguarum, & Studii Theologici ratione, Dialogos II. & *Apologiam pro iisdem.*

Adversus librum Erasmi, De sarcienda Ecclesiæ Concordia.

Confutationum adversus Guil. Tindalum, libros III.

De Matrimonio.

De quibusdam Articulis in Ecclesia controversis.

Disputationem Quodlibeticam, tribus Quæstionibus absolutam, quarum primâ quæritur *An vita activa melior sit, & statui Prælatorum magis conveniens quàm contemplativa?*

Hæc omnia à nepote *Jacobo Latomo* juniore in volumen unum redacta, Lovanii typis Barth. Gravii edita sunt, 1550 fol. Quibus addi debent *Epistolæ duæ* Antver. 1544. 8. excusæ: una in libellum de Ecclesia Philippo Melanchtoni inscriptum, altera contra Orationem factiosorum in Comitiis Ratisbonensibus habitam.

Moritur *Latomus*, piis defunctus laboribus, Lovanii anno 1544. die XXIX. Maii, ad D. Petrum sepultus: in chori ambitu, post aram summam posito hoc Epitaphio.

Venerabilis Vir D. & M.
Jacobus Latomus
Hujus Ecclesiæ S. Petri Canonicus,
Artium

IACOBVS LATOMVS CAMBERONENSIS, HANNO,
DOCTOR THEOLOGVS LOVANIENSIS.

Ædificat Latomus multa et præclara diſertus,
Disponensque manu conſtruit artifice.
Qui loca quæsierit Fidei bene commoda noſtræ,
Illa petat, doctus quæ poſuit Latomus.

B. Arias Montanus.

Digitized by Google

Artium & S. Th. Profeſſor clariſſimus,
Qui hæreſes, contra Catholicam Fidem
Suo tempore graſſantes,
Doctrinâ & libris editis profligavit:
Vir ſane multæ eruditionis,
Pietatis ac modeſtiæ,
Hìc ſepultus eſt.
Obiit anno Dom. M. D. XLIV.
Maii XXIX.
R. I. S. P.

JACOBUS LATOMUS,

Jacobi è fratre nepos, Camberonenſis, Canonicus Lovanienſis, in verſibus felix ac facilis, reddidit Carmine Elegiaco *Pſalmos Davidicos*, *Threnos Jeremiæ*, ac *Cantica*, cum *Silvula diverſorum Carminum*. Antver. typis Plant. 1571. & 1587. 8.

Vixit ad decrepitam uſque ætatem comis & hilaris, obiitque anno 1596. conditus in Æde D. Petro ſacra, ad patrui ſui tumulum, ubi verſus iſti in utriuſque effigiem poſiti fuêre.

Lector in hac geminos miraris imagine vultus,
Miraris LATOMUM, *cumque minore ſenem.*
Hic primus Fidei ſubjecit terga ruenti,
Convellens fraudes, dire Luthere, tuas.
Alter ab ingenio ſtudiorum læta ſecutus,
Contulit in faciles plurima ſacra modos.

B. JACOBUS LACOPIUS,

Aldenardæ in Flandria natus, B. Mariæ Middelburgi Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus, fuit prompto ſubtilique vir ingenio, quod & humanioribus diſciplinis, & linguarum ſtudiis excoluerat. Cæterum anno 1566. quo iconomachorum furor primaria aliquot Belgii oppida pervaſit, ab hæreticis miſerè ſeductus, Monaſterium deſeruit, & apud hæreticos concionandi munus obiens, libellum hæreticum procaci ſtylo conſcripſit, titulo *Defiorationis aureæ Legendæ*. Verum poſt paucos menſes facti pœnitentiâ ductus, ad Monaſterium ſuum rediit, veniam errati coram univerſo Fratrum conventu rogavit, hæreſique abjuratâ, ſcriptum à ſe libellum ſuis ipſe manibus in ignem conjecit. Poſt hæc religioſè & inculpatè vivens ſcripſit *nonnulla adverſus hæreticos*, ſtudens nimirum hac ratione reſarcire damnum, ſi quod ante ſeu ſcripto, ſeu verbo dediſſet. Non multo autem pòſt, unà cum Adriano Hilvaribecano, ejuſdem Monaſterii Religioſo, & Paſtore in pago, qui vulgo dicitur Munſter, ſub initium Julii anni 1572. à Geuſiis piratis Brilam avectus eſt, & cum Martyribus Gorcomianis ab hæreticis perduellibus poſt conſtantem fidei confeſſionem ſuſpendio necatus. A Clemente X. Pont. Beatorum Martyrum Catalogo adſcriptus 1675. *Ita Petr. Wagenarius de Scriptoribus Ord. Præmonſtrat.*

JACOBUS LAURENTII,

Amſtelodamenſis Batavus, Theologus Calvinianus, & Miniſter Naerdæ & in vico de Diemen &c. obiit anno 1644. Multa ab eo ſcripta ſunt, à Catholico lectore devitanda, nempe

Carcer Regius, ſive Expoſitio Hiſtoriæ Joſephi Patriarchæ Gen. 37. & ſequent. in 4. Harderovici 1630. Amſtelod. 1640. & 1670.

Explicatio in loca difficiliora Epiſtolarum Pauli, in fol. Amſtelod. 1624. & iterum 1642. in 4.

Epiſtola Jacobi, perpetuo Commentario explicata. Ibid. 1635. 1662.

Commentaria ſeu *Scholia in* I. & II. *Epiſtolam Petri.* 4. Amſtelod. 1641. item 1647. & Genevæ 1689.

Pathmos, hoc eſt, Expoſitio VII. Epiſtolarum quas B. Joannes in Inſula Pathmos ſcripſit. 4. Amſtelod. 1629. Harderovici 1649.

Vulpina Jeſuitica, ſive Cenſura admonitionis Sandæanæ, contra Maximil. Sandæum S. J. Miſſionarium; prohibita Romæ 19. Martii 1633.

Conſcientia Jeſuitica &c. prohibitus liber die 18. Junii 1651.

Reverentia Eccleſiæ Romanæ erga SS. PP. Veteres ſubdola, in XII. Articulos diſtributa; cui accedit Tractatus, de vera ac legitima, quæ S. Scripturæ & SS. PP. atque illorum Scriptis debetur, Authoritate. Liber Romæ prohibitus 22. Novembris 1663.

Fabula Papiſtica infernalis tripartita, hoc eſt, , *Doctrina Eccleſiæ Romanæ, de tribus fictitiis locis infernalibus, Purgatorio, Limbo puerorum, & Limbo Patrum, decreta, confutata* &c. Amſtelod. 1632. ſimul cum omnibus ejus Operibus Romæ damnata.

JACOBUS LERNUTIUS,

Jani Filius, Brugenſis, patris exemplo Muſas amœniores, eruditionemque variam ac miſcellam amplexus, incertum moribus candidior, an ingenio amœnior, edidit

Preces Metricas, à *Macrino*, *Aurato*, *Bacherio*, *Victore Gizelino*, & aliis Poëtis, exercitiis Chriſtianæ pietatis aptatas.

JACOBUS LESSABÆUS,

Marchianenſis Hanno, Presbyter, Hiſtoricus, ac Poëta, edidit

Chronicon Univerſale.

De Hannoniæ Urbibus, Locis nominatioribus ac Cœnobiis libellum. Item *de Pœnia, ſive Paupertate Declamatiunculam*, cum *Farragine Carminum.* Antverpiæ 1534. 8. apud Hillenium.

Deceſſit Tornaci Nerviorum anno 1557. Kalendis Julii.

JACOBUS LIBENS,

Antverpienſis, è Societ. Jeſu Poëta elegans, nec ipſi Senecæ impar; edidit

Tragœdias duas in ſacram Hiſtoriam Joſephi.

Panegyricum B. MARIÆ *Virg. in cœlos receptæ.*

Item *S. Catharinæ Virginis Martyris.* Antver. 1639. 12.

Joſeph patri redditum, Tragœdiam tertiam, Ipris 1656.

JACOBUS LOBETIUS,

Leodienſis, Societ. Jeſu Theologus, Hiſtoricus, & Orator mirè facundus, Philoſophiam Duaci pluribus annis docuit, rexitque Collegia Leodienſe ac Tornacenſe. Mortuus eſt Leodii 18. Junii 1672. ætatis anno 80. Opera ejus omnigenæ eruditionis, primò ſparſim ac diverſis temporibus edita, ſimul collecta prodiêre Leodii typis Joan. Matth. Hovii, anno 1668. VI. volum. in fol.

I. Continet *Quæſtiones Theologicas, hiſtoricas, morales in Euangelia Dominicarum ab Adventu ad Pentecoſten.*

II. *Quæſtiones ejuſmodi in Euangelia Dominicarum à Pentecoſte ad Adventum.*

III. *In Euangelia feſtorum totius anni.*

IV. *Gloriam Sanctorum, ſive Quæſtiones morales in feſta SS. totius anni, themate libero explicatas.*

Et gloriam Patriarcharum, ſive Quæſtiones morales in feſta SS. Patriarcharum Ordinum Religioſorum.

Itemque *Gloriam Leodienſis Eccleſiæ*, aliàs editam anno 1660. in 8.

V. *Opuſcula moralia auctiora*, videlicet

1. Opus morale *de Peccato*, & in eodem Opuſculo ſub quarta Propoſitione Libri IV. *Flagella Peccatoris*, olim ſeorſim edita.

2. *Speculum Eccleſiaſticorum ac Reli-*

Digitized by Google

gioſorum, & in eo monumenta venerandæ antiquitatis, opportunaque morum documenta.

3. *Viam vitæ & mortis*, *Lib. III.*

4. *Tract. de Sacra Chriſti Domini Paſſione & morte.*

5. *De Religioſo templorum cultu, adverſus petulantem hujus ſæculi licentiam.*

6. *De fortitudine & conſtantia Chriſtiana* lib. III.

Tom. VI. *Tractatuum ſive Concionum Aſceticarum de Virtutibus Partes III. quarum poſtrema nunc primum prodit, uti & Pars unica quæ ſubjungitur de Vitiis.*

JACOBUS A LOGENHAGEN,

Antverpianus, Ord. S. Salvatoris ſive S. Birgittæ, apud Teneræmundanos, Virginum Præfectus, edidit Antver. 1571. 12.

Annotationes in Epiſtolam Canonicam D. Jacobi.

Commentarium in Euangelium Lucæ, ex operibus D. Auguſtini. 1574. 8. apud Tilenium.

Obiit Teneræmondæ Sacerdos Jubilarius, ex acutiſſimis podagræ doloribus, anno 1611.

JACOBUS LOUCHIER,

Athenſis, Tornaci Nerviorum ad S. Martinum Ordinis D. Benedicti Religioſus, edidit ibidem

Diadema Monachorum Smaragdi, Abbatis Monaſterii S. Michaëlis in Saxonia, Ord. S. Benedicti, emendatum, Notiſque marginalibus auctum; typis Car. Martini, 1610. 16.

JACOBUS LYDIUS,

Calvinianæ Sectæ Miniſter apud Dordracenſes, evulgavit

Belgium glorioſum, in 12. primum vernaculè Amſtelod. 1667. dein latinè Dordraci 1668.

Item *Agoniſtica ſacra*, Roterod. 1657. in 12.

Syntagma Sacrum de re militari, nec non de jurejurando Diſſertatio Philologica; quam denuò edidit, notiſque ac figuris æneis illuſtravit *Salomon van Thil*, Profeſſor Ultraj. 4. Dordraci 1698.

JACOBUS MAESTERTIUS,

Vulgò Maisterton, natus Teneræmondæ apud Flandros anno 1610. menſe Auguſto, patre *Adamo*, ex gente apud Britannos nobili. Linguam Latinam didicit in patria: Græcam & Oratoriam Bruxellæ apud Auguſtinianos: Philoſophiam partim Lovanii, partim Sedani. Jura tractavit potiſſimùm Lovanii, ibidemque celebrem *Ericium Puteanum* in Politicis atque Hiſtoricis quâ publicè quà privatim diligentiſſimè audivit.

Inde repetitâ Bruxellâ, & ibidem jactis Linguæ hiſpanicæ fundamentis, mox iteratò Galliam, & in ea ſtudiorum cauſâ Aurelias ad Ligerim, inde linguæ & animi gratiâ Angliam, atque Italiam adiit; ſed hanc perluſtrare impeditus, per Galliam, inſciis & ignaris tunc parentibus, Lugdunum Batavorum petiit; mutatâque Religione, anno 1634. die XXIV. Maii Doctor J. U. renuntiatus, quadriennio pòſt, *Petro Cunæo* vivis exempto, in numerum Profeſſorum ordinariorum à Curatoribus illius Academiæ coöptatus eſt. Scripſit, ediditque

Diſſertationem de artificio Juridicè diſputandi. Lugduni Batavorum 1636. 8.

Tractatum *de S. C. Velleiano.* Lugd. 1630. in 8.

- - *De Emptione & Venditione.* Ibid.

Sedes Materiarum illuſtrium, ex Libris univerſi Juris ſelectarum. 8. Lugduni Bat. 1636. item cum augmento Ibid. 1664. in 4.

Diſſertationem de imminuendo labore ſtu-

dii Juridici. Ibid. 1639. 4.

Tractatus III. *De Lege commiſſoria in pignoribus: de Compenſationibus: & de ſecundis nuptiis.* Ibid. eod. anno in 8.

De Juſtitia Romanarum Legum Libros II. Ibid. 1634. & 1647. in 12. Repoſuit his, pro juſtitia & æquitate Canonica pugnans, libros totidem de Injuſtitia Legum Romanarum *Cyprianus Regneri* J. C. & Prof. Ultrajecti.

De vi ac poteſtate, quam Juris Gentium Conventiones ad obligandum habent, Jure populi Romani. 4. Lugd. Bat. 1640.

In laudem Patriæ ſuæ edidit vernaculè *Deſcriptionem Urbis ac Territorii Teneramundani*, unà cum Conſuetudinibus ac Statutis utriuſque. 4. Leydæ apud Nicolaum Roſa. 1646.

Promiſerat etiam editionem, *Analyſis Juris Feudalis: Petri Caſtalii Opera, legum ſummariis ac Notis illuſtrata: Commentaria in Pandectas*; aliaque. Sed ejus conatus mors interrupit Lugduni Bat. Kalendis Septembris 1657. ætatis anno 47. Alibi tamen lego 5. Aprilis 1658.

JACOBUS MALBRANCQ,

Audomarenſis, in Societatem Jeſu admiſſus anno 1599. undevicennis, in eadem bonam ætatis partem erudiendæ juventuti impendit, dein magni nominis Hiſtoricus. Obiit Tornaci die 5. Maii 1653. E gallico vertit latinè,

Conſolatoriam ægrorum Scholam, auctore *Stephano Bineto*, ejuſdem Societ. Coloniæ, typis Henningii, 1619. 12.

Congreſſus Pomeridianos, ſeu Sermones Sympoſiacos Ant. Balingemii, ex eadem Societ. Ibid. apud Joann. Kinckium, 1620. 8.

Scripſit *De Morinis eorumque rebus ab anno ante Chriſtum* 309. *ad annum ejuſdem* 751. Tornaci 1639. Primus hic Tomus eſt; ſecundus editus fuit Tornaci apud Adrian. Quinque 1647. continens Chronologiam ab anno 752. ad 1094. Tertius, cui titulus, *De Morinis, & Morinorum Inſulis Audomaræâ, Iprenſi, Bononicâ, de Bononicis Solymæ Regibus* &c. uſque ad annum 1313. perductus, Tornaci iiſdem typis excuſus fuit anno 1654.

Porrò Hiſtoriam ſuam continuavit idem Author per 129. Capita, uſque ad annum 1553, quo *DeLetI MorInI* & Teruana per Carolum V. Cæſarem exciſa fuit. Latet Manuſcriptum hoc Tornaci in Bibliotheca Novitiatûs PP. Societatis Jeſu, quod utinam luce publicâ donaretur!

JACOBUS MARCHANTIUS,

Furnâ, Flandriæ occiduæ opido, oriundus, ſed Neoporti natus, Juriſconſultus, Hiſtoricus & Poëta, virtute, eruditione, & antiquâ generis nobilitate conſpicuus, primos adoleſcentis vitæ annos ſtudiis humanioribus Lovanii impendit, datuſque ibidem Pædagogus quatuor illuſtribus Meluniæ ſtirpis fratribus, quorum major natu *Carolus* Principatu Eſpinoiæ inclaruit, cum iiſdem Italiam petiit, & biennium vixit in familia Ferdinandi Conſalvi Cordubæi, Ducis Sueſſani & Inſubrum Præfecti. Edidit adoleſcentibus adhuc annis,

De Rebus geſtis à Flandriæ Comitibus Elegiarum librum. Lovanii 1557. 8.

De Rebus Flandriæ memorabilibus librum ſingularem, oratione ſolutâ: & *de Flandriæ Principibus* verſu elegiaco, diverſo ab altero, Lovanii edito: Antverp. apud Plant. 1567. 8. item inter Scriptores Belgicos Tomo II. Francofurti 1580.

Auxit pòſt locis plurimis hanc ipſam Flandriæ ſuæ Hiſtoriam, & in libros *Commentariorum* IV. diſtribuit, quibus in Flandriæ origine, opidis, or-

Digitized by Google

dinibus, Principibus, civili armataque vita, aliiſque memorabilibus diſſerit. Ibid. 1596. 8.

Obiit Bruxellis, annis gravis, anno 1609. ætatis LXXII. ſepultus apud Dominicanos, relicto filio *Franciſco*, Brabantiæ Conſiliario & Finantiarum ſive Ærarii Regii in Belgio Advocato Fiſcali.

JACOBUS MARCHANTIUS,

Couvinienſis, *Petri* frater, qui fuit in Ordine Seraphico venerandæ memoriæ Theologus; ipſe S. Th. Licentiatus & Profeſſor in Cœnobiis Floreffienſi ac Lobienſi, iſto Ordinis Norbertini, hoc Benedictini ad Sabin fluvium, pòſt Paſtor ac Decanus Couvinienſis, patriæ ac Diœceſis Leodicenſis, multa utiliter ſcripſit, in uſum potiſſimùm Paſtorum ac Concionatorum; cujuſmodi ſunt ſequentia:

Rationale Euangelizantium, ſive *Doctrina & Veritas Euangelica, per anni circulum plebi è cathedris proponenda.* Montibus excudit Franc. Waudræus, 1637. 4. Tomis II.

Hortus Paſtorum & Concionatorum.

Candelabrum Myſticum, de Sacramentis Eccleſiæ.

Virga Aaronis, ſive *Directio Vitæ ſpiritualis.*

Tuba Sacerdotalis, ſive *Tract. ſeptemplex de VII. Vitiis capitalibus, & Virtutibus oppoſitis.*

Reſolutiones Paſtorales in X. *Præcepta Decalogi, & VII. Vitia capitalia.*

Praxis Catechiſtica &c. ſimul edita Coloniæ typis Joan. Huberti 1635. fol. pleraque etiam ſeorſim in 4. Coloniæ, Lovanii, & alibi.

Opuſcula Paſtoralia, Excuſa Montibus, 1641.

Triumphus S. Joannis Baptiſtæ. 8. Montibus 1644.

JACOBUS MARINUS,

Weertenſis, Scholæ Silvæ-ducenſis Gymnaſiarcha, latinè græceque doctus, edidit

Syntaxin Linguæ Latinæ, verſu ac proſâ. Antver. typis Hillenii 1526. & Silvæd. 1542. 4.

JACOBUS DE MARQUAIS,

Atrebati nobilibus parentibus progenitus, & ibidem apud inſignem D. Vedaſti Abbatiam Religioſus & magnus Prior, à Philippo II. Rege Catholico anno 1584. nominatur Abbas ad S. Martinum Tornaci. Vir totus ad antiquitatis exemplar compoſitus, adeptam ob vitę meritum dignitatem mirificè decoravit: humilitatem, frugalitatem, modeſtiam, ut nemo alius coluit, diſciplinam regularem promovit, interque rerum temporalium occupationes, ſpiritualium quoque ſollicitudinem non omittens, divini verbi pabula (quæ aſſiduâ vel lectione vel meditatione congeſſerat) ſubditis ſuis ſedulò miniſtravit. Scripſit

Commentarium ampliſſimum *in Regulam S. Benedicti.*

Speculum Paſtorum, quo omnia Abbatum, aliorumque Prælatorum officia explicantur.

Speculum Exercitiorum Monachi.

De Inſtitutione Novitiorum.

Explicationes in Pſalmos, & Conciones varias.

Geſta Abbatum Monaſterii ſui. Pluraque alia, quæ ibidem MSS. adſervantur.

Piè, uti vixerat, defunctus eſt, variis ac diutinis morborum moleſtiis confectus, anno 1604. regiminis XX. die IX. Maii, ſepultus ad aram Virginis-Matris, cum Elogio hocce ſepulcrali, quod ſibi vivens ſcripſerat:

Vivus moriturus
Sed annos æternos in mente habens,
Hoc sibi monumentum
F. JACOBUS DE MARQUAIS
Hujus Cœnobii Abbas XXXI. posuit,
Ut hîc caro quiescat,
Donec resurgat in die Domini.
Tu, lector,
Exspectanti quæ Deus promisit
Diligentibus se,
Bene apprecare,
Idemque tu sperantem adiuva.

JACOBUS A MEELLANDT,

Dammensis Flander, Poëta, Orator, ac Philosophus acer; laudatur à Warnewico libro 3. cap. 26. Historiæ Belgicæ, qui eum scribit præter alia ingeniosa Opuscula liquisse librum Teutonicum, hoc titulo: *Der Naturen-blomme*, id est, florem naturæ miracula prædicantem. Scripsit quoque rythmis Flandricis *Vaticinium de Cladibus Flandriæ*, quod ab paucis annis in Hollandia editum fuit, inter vetustas cujusdam Bibliothecæ chartas nunc primùm repertum. Hinc illi versus.

Mellandus dixit, illo quo tempore vixit,
Quod Rex unus erit, qui Flandros perdere quærit.
In Bulscamp ibit, & ibi moriendo peribit.
Bulscamp ecce dies, quo tinctus sanguine fies.

Fuit porro Jacobus à Meellandt Scriba, seu Graphæus Dammensis oppidi, ubi & diem clausit extremum anno 1300, sepultus illic in templo sub campanili. In sarcophago antiquo marmoreo repræsentabatur ut Doctor Philosophus, sedens ante pulpitum cum libro, quem cum perspicillis, intentè levato mento & capite inspicit.

Hinc orta in vulgo fabula de viro Dammensi, cui nomen *Thyl-Uyllen-Spiegel*; cujus Vita à nescio quo confecta, ludibriisque referta, in Scholis trivialibus passim manibus teritur. Ut verum à falso discernas, lege Inscriptionem sequentem, sæculo præcedente à *Nicolao Rommelio*, J. C. Brugensi elaboratam.

Viator, quod dico paullum est,
Adsta & perlege.
Hoc est sepulchrum
JACOBI A MELLANT
Poëtæ & Oratoris clarissimi.
Qui a CCC.LXV. annis obiit,
Et hoc sub lapide sepultus jacet.
Viden' assidentem librario pluteo,
In veste doctorali?
Fuit & olim apposita noctua,
Vigilantiæ & sapientiæ signum.
Sed dum ignorantia prioris ævi
Pluteum pro speculo videt,
Illum *Ulenspieghel* vocitavit.

In veteri sepulcrali elogio, prætereuntium attrito vestigiis, nescio quis antiquitatis nescius, ausus fuerat fingere & supponere hoc Epitaphium.

Sta Viator: THILIUM ULENSPIEGHEL *aspice sedentem.*
Et pro Ludii & Morologi salute Deum precare, supplicem

Vetus autem, verum, sed attritum Elogium hoc fuit.

Hic recubat JACOB A MELLANT, *ingeniosus,*
Trans homines gnarus, Rhetor, æstuque differtus,
Quem laus dictandi rythmos, proverbia fandi,
Transalpinavit, famaque perenne beavit.
Huic miserere Deus, cujus sextus Jubilæus
Post summum nomen numeri, proh! abstulit omen.

JACOBUS MERLO-HORSTIUS,

Fuit patriâ Gelder, natus in Horst, pago Diœcesis Ruræmundanæ, patre *Jacobo Merlero*, matre *Helend Mathen*, fortunæ mediocris, colonis. Annus ei natalis à salute partâ 1597. dies XXIV. Julii, pridie S. Jacobi; hinc & nomen *Jacobi* tulit. Parentem ei maturè

Digitized by Google

Digitized by Google

ſors acerbior ſuſtulit; quem ruri milites interemerunt: mater vero, pia religioſaque femina, ruſticanam ei præbuit octo fere primis annis educationem: ac tum deduxit Coloniam ad avunculum ſuum *Joannem Horſtium* Presbyterum ætate provectum, ac Metropolitani templi Vicarium.

Quo nutritio & parente, deinceps ad annum ætatis 30. uſus eſt: ac viciſſim *Jacobus* avunculo gratus omne præſtitit obſequium ætate jam decrepitâ, donec is annos natus 93. vitam cum immortalitate feliciter anno 1629. commutavit.

Interea humaniores Literas in Gymnaſio trium Coronarum apud Patres S. J. didicit, Philoſophiam vero ac Theologiam in Collegio Montano, Artium Magiſterio donatus anno 1616. Sacerdotio initiatus 1621. ac poſt biennium Paſtor paræciæ D. Virginis in Paſculo ex collatione Sereniſſ. Lotharingiæ Principis Franciſci Epiſcopi Virdunenſis ac Decani Metropolitici, cui *Jacobus* aliquamdiu à ſacris fuerat.

Mox ad alia quæcumque beneficia Eccleſiaſtica aditum ſibi præcluſit, voto ſpeciali edito: ac dicere ſolitus: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco Paſcuæ ibi me collocavit.*

Anno 1626. licentiæ gradum in S. Theologia ſuſcepit: ad Doctoratum quoque aptiſſimus, niſi tempus omne functionibus paſtoralibus, procurandę animarum ſaluti, omniumque virtutum exercitiis & exemplis dediſſet. Quod autem à negotiis liberum habuit, id totum piis & aſceticis libellis colligendis ac conſcribendis impendit. Decennio quoque Monaſterium S. Vincentii Virginum velatarum fructu maximo rexit & excoluit.

Tandem Vir, omnium opinione ſanctus, poſt quatuor hebdomadarum morbum ad extrema deductus eſt anno 1644. ætatis ſuæ 47. die 21. Aprilis, ſepultus in æde ſua parochiali. Epitaphium ſibi ab octennio ſcripſerat, quo brevem vitæ regulam complectebatur, quodque amicorum rogatu, nomine *Epitaphii hominis Chriſtiani*, publico donavit, adjectum dein ad calcem libri ejus, cui titulus, *Paradiſus animæ Chriſtianæ*. Hoc autem ei dein poſitum fuit.

Conditur hoc tumulo JACOBUS MERLO,
Sacerdos,
Curio dum Templo, maxima cura gregis.
Qui cæcis oculus, claudis pes, panis egenis,
Defeſſis requies, exulibuſque domus.
Manſuetus, ſuaviſque bonis, cenſorque malorum,
Caſtus & innocuus, juſtitiæque tenax.
Lux vitæ, morum ſpeculum, pietatis imago,
Sal populi, Cleri regula, forma gregis.
Laudibus his tantis tamen unica gloria major,
Poſt ſcriptis nituit congrua vita libris.

Hæc autem ſunt ejus Opera.

Enchiridion Officii Divini, tum Eccleſiaſticorum, tum aliorum divinis officiis piè intereſſe cupientium, uſui accommodatum. 12. Coloniæ 1623.

Viaticum quotidianum hominis Chriſtiani. 24. Col. 1633.

Monita ſapientiæ Chriſtianæ, ad mores & vitæ ſpiritualis officia omnemque pietatis cultum utilia. 1629. in 24.

Faſciculus myrrhæ & thuris. 1630.

Paradiſus Animæ Chriſtianæ, lectiſſimis omnigenæ pietatis deliciis amœnus: Coloniæ primum 1630. in 16. apud Joannem Kinckium, dein etiam alibi typis ac linguis omnium fere nationum excuſus.

Aphoriſmi Euchariſtici, id eſt, piæ celebrationis & Communionis monita. 1638. Col.

Chriſtianus Theodidactus, ſeu doctrina piè vivendi & beatè moriendi, formâ colloquii inter Chriſtum & hominem, verbis ferè ſacris expreſſa. 12. Coloniæ 1643.

Idea vitæ ſpiritualis, 8. Brux. 1663.

Viator Chriſtianus, rectâ ac regiâ viâ in cœlum tendens duce Chriſto &c. Ibid. 1643.

Septem Tubæ Orbis Chriſtiani, ad reformationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ toto orbe, & præſertim in Germania, inſtituendam excitantes, I. S. BERNARDI de Conſideratione ad Eugenium Papam & de Vita & moribus Prælatorum &c. II. S. GREGORII MAGNI de Cura Paſtorali. III. S. CHRYSOSTOMI de Sacerdotio. IV. S. PROSPERI de vita contemplativa & activa. V. S. PETRI DAMIANI Opuſcula de fuga dignitatum, dignitate Sacerdotii &c. VI. PETRI BLESENSIS Canon Epiſcop. & diſciplina Eccleſiaſt. VII. SALVIANI MASSILIENSIS Opera. Hæc omnia in 4. Coloniæ apud Kinckium 1635.

S. Bernardi Vita & Opera novis curis ad MSS. codices recenſita, & in VI. Tomos ſeu libros digeſta: quorum I. continet Epiſtolas. II. Sermones per annum & de diverſis. III. Sermones in Cantica. IV. Libros & Tractatus varios. V. Aliena, dubia & ſuppoſititia. VI. ceu Appendix, Guerrici Abbatis Igniacenſis, & Gilleberti de Hoilandia Abbatis Angli, diſcipulorum D. Bernardi Opuſcula. Præmiſſa eſt Vita, VII. Libris diſtincta, cum elogiis & Chronologia Vitæ & ſcriptorum ejuſdem. Omnia II. Tomis fol. Coloniæ 1641. apud Joannem Kinckium: iterumque adhibita in novis editionibus per Domnum *Joannem Mabillonum* Monachum Benedict. S. Mauri in Gallia.

Meditabatur inſuper *Jacobus Merlo-Horſtius*, niſi cœlo jam maturus fuiſſet, *Commentarium literalem & moralem in Pſalmos, editionem Operum S. Gregorii Magni, Vitam S. Caroli Borr. Medullam ſapientiæ, Theatrum agonis Chriſtiani &c.*

Prodiit anno 1645. & aliàs Coloniæ, *Veri & pii Sacerdotis Idea, ſeu Vita Jacobi Merlo-Horſtii Paſtoris B. M. V. in Paſculo &c.* Authore *Hermanno Crombach*, S. J. libellus verè aureus. Quin & memoria ejuſdem Viri hodieque apud Ubios in benedictione eſt.

JACOBUS MEYERUS,

Flander, natus eſt anno 1491 die XVII. Januarii, Vleternis, Balliolano in agro. A primis ætatis ſuæ annis litterarum, quibus ad humanitatem informamur, ſtudium avidiſſimè complexus, Lutetiæ Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit. Patriæ redditus, ſacriſque initiatus, Ipris ſedem poſuit, Joanni Deſpauterio, nobili Grammatico, Deſiderio Eraſmo, aliiſque carus ac familiaris.

Relictis deinde Ipris conceſſit Brugas, ac ludum ibidem aperuit litterarium, magno auditorum confluxu & fructu. Nihilque per omnem ætatem magis ſtudio habuit, quàm ut pro ſuo in patriam amore res Flandricas utcumque illuſtraret, facultates ferè omnes, quæ modicæ erant, eam ob cauſſam libris atque itineribus impendens. Vergente jam in ſenium ætate, relictâque docendi provinciâ, Blancobergenſem (municipium eſt Oceano adſitum, piſcatione nobile, altero Brugis milliari) Eccleſiam Paſtor adminiſtravit.

Sexagenario major, acutâ febre correptus, diem obiit extremum, anno 1552. Nonis Februarii, ſepultus Brugis ad S. Donatianum, quo in opido domicilium pridem habuerat, quaque in Æde Beneficium poſſederat Eccleſiaſticum; Vir meliore dignus fortunâ. Balliolum *genuit*, *docuit* Lutetia, *humavit*

Donatianus Meyerum
Hiſtoricum. Vixit cœlebs, *Chriſtique Sacerdos.*

Profeſſus idem litteras,
Brugenſem *inſtituit pubem. Dein C.rio ceſſit*
In fata Blancobergius.

Scripſit

Scripſit accuratè ac fideliter, omnium calculo, *Flandricarum Rerum* Tomos X. de Origine, Antiquitate, Nobilitate, ac Genealogia Comitum Flandriæ. Brugis apud Hub. Crocum, 1531. 4. Antver. apud Guil. Vorſtermannum, eodem anno in 8.

Chronicon Flandriæ. Norimbergæ, 1538. 4. Quod deinde alterâ parte auctum, ad Maxæmiliani Cæſaris, & Mariæ Burgundicæ tempora deduxit: totum de integro caſtigaturus, ſi vixiſſet: id quod hoc verſu ipſi archetypo adſcripto teſtatus eſt:

Optime poſtremam, Lector, deſidero limam.

Vindicavit verò ab interitu laborem patrui *Antonius Meyerus*, editis *Commentariorum* ſive *Annalium Flandricorum* libris XVII. Antver. typis Joan. Steelſii, 1561. & Francof. 1580. fol. Tomo I. Scriptorum Rerum Belgicarum.

Edidit præterea *Hymnos* aliquot *Eccleſiaſticos*, meliores redditos: & *Carmina pia*, à ſe conſcripta: unà cum *Annotationibus in Hymnos duos Trochaicos Aurelii Prudentii, de Miraculis, & Duorum Martyrum.* Lovanii typis Reſcii, 1537. 8.

Carmina item *miſcellanea.* Antverp. 1534. cum *Philippeide*, de Bello à *Philippo*, Francorum Rege, cum *Othone* Aug. Anglis, Flandriſque geſto: quam ante annos 300. conſcriptam ipſe abſterſâ barbarie emendavit.

Denique *Miracula* deſcripſit, *edita ad Reliquias SS. Marcellini & Petri*, Româ Gandavum ad Monaſterium D. Bavonis tranſlatas. Meminit ipſe ad ann. 828. ſuorum Annalium.

Item *Vitam S. Anſgarii*, Epiſcopi Hamburgenſis, ut ibidem ad an. 830. inſinuat.

Item *Epiſtolarum Librum de Viris Illuſtribus*; ut habet Franc. Sweertius.

Hoc ſuum his verſibus Teſtamentum Meyerus condidiſſe fertur.

Cœlo animam, do corpus humo, do cætera mundo:
Ut capiat partem quilibet inde ſuam.

Sepulchralis autem Inſcriptio, ad introitum portæ ſeptemtrionalis in D. Donatiani, ſic habet.

Corpus nobilis hic Viri recumbit.
Qui tranſis, obiter require nomen,
Et vitæ genus & profeſſionem.
Non inutile cogitare mortem eſt.
Nomen MEYERUS. *Ecquid obſtupeſcis?*
Auditum fuit hoc tibi ante nomen.
Natus Ballioli, ſepultus hic eſt.
Cœlebs vixit & integer Sacerdos.
Nugarum fugitans & otiorum,
Sic ſenſiſſe videtur, omne tempus
Quod non Hiſtoriis daret, perire.
His rebus juvenis ſtudere cœpit.
His mortuus ultimâ ſenectâ eſt.
Dum Flandros proceres & acta Regum
Nigris abdita vindicat latebris.
Si ſe verſibus admodum dediſſet,
Et verſus potuit ſonare doctos.
Cunctis auxilium tulit propinquis.
Si vel conſilio, vel ære, vel ſi
Diſciplinâ opus, artibuſque haberent.
M. CCCCC quinque, duobus II, L. uno
Sic anni numerantur à ſalute.
Menſis Februarii erat, dieſque quintus,
Cum mors egregium caput peremit.
Lector manibus imprecare pacem.
Hoc ſaltem pretium ferat laborum.

JACOBUS MIDDENDORPIUS,

Oldenſalienſis, Tranſiſalanus, adoleſcens *Boëtio Eponi*, Friſio, tum Swollæ Gymnaſiarchæ, in diſciplinam traditus, magnum operæ precium utraque in lingua fecit. Hinc Coloniæ decurſo Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ ſpatio, Doctorque J. U. ac S. Theologiæ Licentiatus, Philoſophiam Peripateticam ibidem Montano in Gymnaſio explanavit, atque alibi diverſis in Academiis Profeſſor publicus fuit.

Poſt multos magno ſemper animo exantlatos labores, varioſque ſcriptos libros, Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis Presbyter Canonicus, ad D. Andream Decanus, atque Univerſitatis Pro-Cancellarius, iterumque Rector, tandem obdormivit in Domino, anno 1611. ætatis ſuæ LXXIII. die XIII. Januarii, conditus in D. Andreæ, ubi illuſtre ac magnificum ei poſitum eſt Epitaphium. Scripſit

De Academiis Orbis univerſi, earumque origine ac progreſſu, libros II. Coloniæ, 1572. 8. Qui in octo dein excreverunt. Ibid. 1602. 8. Cholini typis.

De Officiis Scholaſticis, libros II. Prior de Magiſtrorum, alter de Auditorum officiis eſt. Ibid. 1570. 8.

Originum Anachoreticarum Silvam, ſive *de Vita Cœnobiali*, ejuſque origine, progreſſu ac natura. Ibid. 1602. & 1615. 8.

Præterea *Hiſtoriam Ariſteæ De Scripturæ ſacræ per LXX. Interpretes tranſlatione*, ex Manuſcr. Græcis Latiniſque Codd. reſtituit, & *Commentariis* illuſtravit. Ibid. 1578. 8.

Prodiere ab ejuſdem manu *Quæſtiones Juridicæ, Theologicæ & Politicæ Imperatorum Regum & Principum, cum eorum reſponſis.* Ibid. in 8. apud Burgenium, & Monaſterii Weſtphaliæ 1593. in 8.

D. O. M.
Jacobo Middendorpio,
Philoſophiæ & J. U. Doctori,
ac SS. Theol. Licentiato,
In diverſis Academiis Profeſſori Publico,
Metropolitanæ Eccleſiæ Colon.
Canonico Presbytero,
Atque Univerſitatis Pro-Cancellario,
Iterumque Rectori,
Magnorum Principum Conſiliario,
Pietate, Doctrinâ, & rerum uſu Clariſſ.
Mœſti Collegæ & agnati poſſ.
Ut cujus ingenii monumenta
Æterna ſunt,
Ejus corporis quoque memoria
Ne a poſteris deſideraretur.
Nam poſt multos
Magno ſemper animo exantlatos labores
Varioſque ſcriptos doctos libros,
Tandem hujus Eccleſiæ Decanus,
Obdormivit in Domino
Anno ſal. M. D. C. XI. XIII. Januarii,
Ætatis ſuæ LXXIII.

JACOBUS MOSANDER,

Vernaculè Maesman, Flander, è Paſtore & Decano rurali Cartuſianus Colonienſis, poſt obitum *Laurentii Surii, Tomum VI. de Vitis Sanctorum* perfecit.

Item *Martyrologium Adonis* edidit auctius & emendatius, Colon. 1581. fol.

Obiit in Domo Vallis Joſaphat, prope Olomucium in Moravia, anno 1589. teſte Theodoro Petreio.

JACOBUS MUEVIN,

Tornaci natus, *Ægidii Mucidi* ibidem ad S. Martinum Abbatis, primùm Capellanus, exinde Prior clauſtralis, demùm vacante per Ægidii obitum Prælaturâ, ab Innocentio IX. Pont. Avenionem in Gallias accerſitus, & in Conſiſtorio privato Pontificis coram Patribus purpuratis diligenter examinatus, ab eodem Pontifice XVIII. dicti Cœnobii Abbas pronuntiatur, & à Cardinale Oſtienſi munus benedictionis maximâ ſolemnitate indipiſcitur anno 1355. die XI. Maii.

Auctor eſt idem Ægidius in Chronico ſuo, aliqua etiam per hunc *Jacobum* memoriæ conſignata eſſe, ſive regiſtrata, ut loquitur. Exſtatque Tornaci eo, ut creditur auctore ac ſcriptore,

Chronicon de rebus, quæ Tornaci potiſſimùm atque in Flandria contigerunt ab an. 1297. uſque ad annum 1339.

Digitized by Google

Spartâ ſuâ egregiè exormatâ naturæ debitum exſolvit anno 1367. die v. Julii, ſepultus in templi odeio ad ſiniſtram principis arę, cum hac circum caput epigraphe.

Iſtius Eccleſiæ Paſtor dignè requiſitus,
Quartâ nempe die Julii ſit morte ſopitus,
Anno milleno ter centum ſex quoque deno
Junctо ſepteno, cælo locatur amœno.

Circa ſepulcrum vero:

Quem lapis iſte tegit JACOBUS MEUENQUE *vocatus,*
Moribus ornatus, bona plurima ſedulus egit.
Dum fuit hic juvenis, vir prudens atque benignus,
Simplex & lenis, ac divo munere dignus.
Semper devotus fuit, hic nulli maledixit,
Et caſtè vixit, nullâque libidine motus.
Extitit orator, librorum dogmata rodens,
Atque ſuis rodens multorum fuit reſerator.
Tornaci natus, pravorum crimina ſprevit.
Hic locus ornatus ſub eo per ſingula crevit.
Hunc Monachum plora, non ceſſes omnibus horis,
Ut cœli choris jungatur, jugiter ora.

JACOBUS NAVARCHUS,

Hondiſcotanus, Flander, Societatis Jeſu presbyter, obiit Antverpiæ, 1576. VI. Nonas Maii. Scripſit

Epiſtolam, inter Indicas decimam octavam, *de Archiepiſcopo Armachano.*

Item aliam benè longam, quam *Aſiaticam* nominat, *De Rebus Aſiaticis, ad Religionem ſpectantibus: de Neſtorianis, Jacobitis &c.* de China, de Provincia magnæ Tangutię, de Tartaris, aliiſque vicinis Regnis. Exſtatque edita cum Epiſtolis Indicis, Lovanii, apud Rutgerum Velpium, 1570. 8.

JACOBUS NICOLAIUS,

Loënſis, Flander, Morinis oriundus, græcè latinèque benè peritus, ſcripſit *Miſcellaneorum Epiphyllidum* libros IX. legunturque in Appendice Tomi V. Lampadis Criticæ, edente Jano Grutero. Fuit Loënſibus ſuis à Secretis: perfamiliaris *Paulo Leopardo*, cujus mortem luget libro VIII. Epiphyl. cap. XXIII.

JACOBUS NIGER,

Vulgò LE NOIR, Athenſis, Ord. Minorum de Obſervantia, Eccleſiaſtes & Theologus inſignis, Poëta latinus & gallicus, edidit gallico idiomate,

Viridarium ſpirituale Amoris. Leodii 1621.

Tractatum *De Reliquiis Sanctorum*, quem *Trophæum* inſcripſit, adverſus Hæreticos. Ibid. 1624. 8.

De Vita atque Invocatione S. Rochi, Confeſſoris, Patroni adverſus peſtem. Inſulis, 1638. 8.

Dialogos duos, Latinè conſcriptos. Primus inſcribitur *Thorus immaculatus*, quo traditur, cavendum eſſe ab hæreticis, ubi & quando Catholicis placuerit inire conjugium. Alter, *Noli me tangere*, de libris hæreticorum, cujuſcumque ſint ſectæ, non tractandis. MSS.

JACOBUS AB OUDENHOVEN,

Sylvæducenſis Brabantus, ſectæ Calvinianæ præco, primùm in vicis de Aelburgh & Heesbeen prope Heuſdenum, dein in Nieuw-leckerland; antiquitatum Batavicarum ſedulus indagator; vivere deſiit ætate provectus circa annum 1683. Edidit linguâ vernaculâ

Beſchryvinghe der Stadt en Lande van Heuſden, id eſt, Civitatis Agrique Heuſdani Deſcriptionem 4. Amſtelod. 1651.

Beſchryvinghe van de Stadt van s'Hertogenboſſche, ſive; Sylvamducis auctam & renatam. Prodiit primùm anno 1649.

dein auctior in 4. Sylvæducis 1670.

Beſchryvinghe van Out en nieuw Dordrecht; ſive antiqui recentiſque Dordraci deſcriptio. 12 Harlemi 1660. & 1670.

Beſchryvinghe van Zuyt-Hollandt; id eſt, Hollandię meridionalis deſcriptio.

Haerlemſche Wieg, id eſt, Civitatis Harlemenſis incunabula, antiquitates ac Privilegia. 12. Harlemi 1671.

Antiquitates Cimbricæ renovatæ, ubi ſimul de variis inundationibus terræ Batavæ. 12. Harlemi 1682.

Reliquit etiam ineditas vernaculè *Antiquitates Batavicas renovatas*, *& Antiquitates Hollandicas*, *& Deſcriptionem Oppidi Agrique Bommelienſis prope Sylvamducis.*

JACOBUS PAMELIUS,

Natus eſt Brugis, anno 1536. III. Idus Majas, *Adolpho* patre, Carolo V. Imperat. à ſanctioribus conſiliis, è nobili Baronum *de Pamele* ſtirpe. Puer Religioſis Boneffienſibus (quod eſt Ordinis Ciſtercienſis Cœnobium in Namurcenſi agro) à parente litteris moribuſque formandus traditus eſt.

Philoſophiæ operam dedit Lovanii: ac novem ipſos annos ſacris litteris diligentiſſimè incubuit, præceptoribus uſus *Ruardo Tappero*, ac *Judoco Raveſteinio*. Quibus pleniùs percipiendis Sorbonam Pariſienſem, aliaſque Europæ Academias cum fructu & ingenii cultu viſit. Lovanium reverſus, Licentiæ Theologicæ accepto titulo, Brugas revocatur, donaturque ann. 1561. Canonicatu ad S. Donatianum. Hîc prima illi cura fuit Bibliothecam inſtituere, Veterum Patrum ſcripta conquirere: editaque priùs è manuſcriptis codicibus emendare atque illuſtrare; non edita eruere & donare luce publicâ. Quam quidem operam ſuam mox omnibus probavit, editis *Cypriani ac Tertulliani* Operibus: diſſeritque de hoc ſuo inſtituto ad *Caſſiodorum de Divinis Obſervationibus*. Fuit & Canonicus in D. Gudilæ Bruxellis, & D. Joannis Sylvæducis.

Res Brugis & circa turbantibus hęreticis rebellibus, Audomaropolim Arteſiæ ſeceſſit: cujus loci Epiſcopus eum Eccleſiæ ſuæ Archidiaconum creavit; Rex verò Catholicus Philippus II. Præpoſitum ad S. Salvatorem Ultrajecti, ac demùm faventibus omnium votis, Audomaropolitanæ urbis Epiſcopum nominavit. Cujus rei gratiâ Bruxellam dum cogitat, Montibus Hannoniæ morbo ac morte corripitur, anno 1587. ætatis ſuæ LII. die 19. Septembris, conditus ibidem in Æde D. Waldetrudi ſacra, ſub hac funebri Inſcriptione.

D. O. M.
Nobili Viro, JACOBO,
Adolphi F. Franc. N. PAMELIO
Presbytero, ſummo Theologo,
D. Salvatoris Ultrajecti Præpoſito,
Eccleſiæ Audomaropolitanæ
Archidiacono, ejuſdemque Nominato
Epiſcopo, multis in Tertullianum,
Cyprianum alioſque Scriptores Monum.
Editis Clariſſimo,
Intempeſtivâ eheu! morte abrepto;
Fratres mœſtiſſ. poſſ.
Natus eſt M. D. XXXVI.
III. Idus Maias
Mortuus M. D. LXXXVII.
XIII. Kal. Octob.

Funebri eum laudatione proſecutus eſt *Guilielmus Taelbomius*, concivis & in Archidiaconi munere ac dignitate ſucceſſor. Edidit verò *Pamelius*,

Liturgica Latinorum, hoc eſt, de ritu Sacrificii Miſſæ, juxta veterem Eccleſiæ Catholicæ uſum, ab Apoſtolis & SS. Patribus obſervatum, Tomis II. digeſta. Coloniæ, 1571. 4 apud Quentelium. Item 1676. 2. Vol. ibid.

Relationem ad Belgii Ordines, de non admittendis una in Republica diverſarum

Digitized by Google

IACOBVS PAMELIVS, EPISCOPVS AVDOMAROPOLITANVS DESIGNATVS.

Os tibi te dignum Naturæ dextra finxit,
Pamele, tu formasti ingenium ipse tuum.
Qui volet os ſpectare, tabellam hanc conſulat, et qui
Nouiſſe ingenium, ſcripta tua ille legat.
Audomarum dici poterat te Præſule felix,
Maluit at ciuem te Superùm aula ſuum.

Ianus Lernutius.

Digitized by Google



Digitized by Google

Portrait of Ferdinand I
Ferdinand I, Emperor, 1503-1564

Religionum exercitiis. Antverp. apud Plant. 1589. 8.

Conciones Catechiſticas, diverſis temporibus editas.

Micrologum de Eccleſiaſticis Obſervationibus, & Miſſâ ritè celebrandâ. Ibid. Porrò *Micrologus iſte* (latinè parvus ſermo) nomen eſt non Authoris, ſed Operis: quod extat etiam in Bibliotheca SS. Patrum editionis Lugdunenſis, Tomo XVIII. pag. 469.

Caſſiodori Divinas Lectiones. Adjecit *Catalogum Commentariorum veterum ſelectiorum in univerſa Biblia*; typis ejuſdem Plantini.

B. Cypriani Opera omnia è Codd. manuſcriptis accuratiſſimè recognovit: *Annotationibus* luculentis toti Operi ſparſim inſertis; præmiſſâque auctoris *Vitâ*, è ſcriptis illius à *Pamelio* collectâ. Antver. 1568. & 1589. Pariſiis, 1574. fol. & 1616.

Porrò alii dein editores Operum S. Cypriani, ut Nicolaus Rigaltius Pariſiis anno 1643, Joannes Fellus, Oxonienſis, anno 1682. & Joannes Pearſonius, Ceſtrienſis, Pſeudo-Epiſcopi Angli, anno 1700. in editione Amſtelodamenſi, Pamelii Notas, ac Diſſertationes denuò evulgarunt.

Tertulliani quoque Opera à MSS. Codd. auxit ac recenſuit: *Argumentis* & *Annotationibus* doctiſſimis toti Operi interjectis; cum *Tertulliani Vita* & *Paradoxis* ejuſdem, quibus antidotum ſuum adjecit 1579. Antver. typis Plant. item Pariſ. 1598. fol. apud Sonnium; ac rurſus Coloniæ 1617. itemque Pariſiis 1635. & alibi. Quibus Pamelii Annotatis dein uſi fuere Joannes Ludovicus de la Cerda, Hiſpanus Jeſuita, Nicolaus Rigaltius Gallus, Georgius Capucinus Ambianenſis, Carolus Moreau Auguſtinianus, aliique in Tertullianum Commentatores.

Magentii Rhabani Mauri Opera, quę reperiri potuerunt omnia, *Pamelii* induſtriâ collecta, in lucem prodiêre curis *Antonii de Hennin*, Iprenſium Epiſcopi. fol. Colon. Agripp. 1627. VI. Tom. 3. vol. atque iis inſerti *Commentarii Pamelii in Librum Judith* Tomo III. & *in Epiſtolam Pauli ad Philemonem*, Tomo V.

Moliebatur & alia quædam, quæ prælo deſtinaverat, quæ in Oratione funebri recenſet *Guilielmus Taelbomius*; veluti *Liturgica Græcorum, & de Græcæ ac Latinæ Eccleſiarum in Miſſæ Sacrificio concordia. Conciliorum Paralipomena*; aliaque.

JACOBUS DE LA PORTE,

Inſulenſis Flander, Ord. Erem. S. Auguſt. quondam Prior Conventuum Inſulenſis, Tornacenſis ac Baſſeënſis, nec non Diffinitor ac Viſitator Provinciæ Colonienſis: edidit

Meditationes de VII. Doloribus B. M. V. gallicè. Duaci apud Balt. Bellerum 1645.

Tractatum de Pane benedicto S. Nicolai Tolentinatis, gallicè. Duaci, iiſdem typis 1647.

Chronicon Conventûs Tornacenſis, ibidem MSS.

JACOBUS RÆVARDUS,

(Quem *Belgii noſtri Papinianum* nuncupare *Juſtus Lipſius* ſolebat) Liſſiwegam, quod eſt agri Brugenſis municipium, natalem agnoſcit locum circa annum 1536. parentes nactus, ſi non in excelſo atque illuſtri loco poſitos, tamen domi celebres, opibuſque & virtute honeſtos. Prima linguæ latinæ rudimenta didicit in ſchola *Joannis Geldrii*, Ludimagiſtri tunc temporis & docti & diligentis: annumque ætatis ingreſſus decimum-ſextum Lovanium mittitur, Juriſprudentiæ ſtudiis imbuendus; ubi ferè triennium tranſegit, ſtudia incepta gnaviter urgendo.

Hinc in Gallias profectus, atque Aurelliis, biennio vix exacto, auctus ho-

nore ac titulo Juriſconſulti, in Belgium reverti cogitur, ob exortum tunc bellum inter Reges Gallum & Hiſpanum, Brugiſque, patria in urbe, fixâ ſede ſæpiùs in Ordinem Senatorium adlectus fuit, vimque ibidem ingenii ſui, notitiâ antiquitatis ac boni & æqui non tincti leviter, ſed penitùs imbuti, latè ſpargere cœpit, brevique ſpatio plurima ſcripſit, quæ nec dente ſuo livor arrodere, nec vetuſtas delere ulla poterit. Unde mox, accreſcente viri doctiſſimi famâ, ab nova Univerſitate Duacena ad Juris Profeſſionem evocatus, munus illud cum laude obiit.

Verùm quia vitium pulmonis (pthiſin appellant Medici) ibi ab immodico ſtudio contraxerat, & exſucco corpore tabeſcere paullatim incipiebat, Duaci non ultra ſeſqui-annum hæſit, ac Brugas reverſus vixit æger ad annum 1568.

Ingenii monumenta hæc reliquit, Brugis Goltzii, & Antverpiæ Plantini typis ferè edita.

Variorum, ſive *De Juris Ambiguitatibus* libros V. Brugis, 1565. & Antver. 1577. 8.

De Præjudiciis, libros II. Brugis, 1565. 8.

Protribunalium librum ſingularem. Ibid. 8. 1565. & Francof. 1601.

De auctoritate Prudentum librum I. Antverpiæ 1566. 8. item Helmſtadii 1660. 4.

De Jure liberorum, lib. I.

De veris Uſucapionum differentiis, adverſus Tribonianum.

Commentarium ad Legem Scriboniam. Ibid. 1561. 8.

Commentarium ad Leges XII. Tabularum. Ibid. 1563. 8.

Commentarium ad Tit. Pandect. De diverſis Regulis Juris antiqui. Ibid. 1568. 8.

Conjectaneorum libros III. opus poſtumum, eſtque pars ſecunda Tomi ſecundi Operum *Rævardi*, an. 1601. typis Wechelianis editorum.

Obiit, ut dixi, Brugis anno 1568. Kalendis Junii, ætatis XXXIV. quò valetudinis curandæ gratiâ conceſſerat. Sepultus in natali municipio, ubi marmorei aliquot majorum *Rævardi* tumuli viſuntur.

Janus Lernutius amico ſuo *Rævardo* hoc Epitaphium ſcripſit.

Si fas eſt immortali mortalia flore,
Atque homini lacrymas perſoluiſſe Deam,
Quum videt extinctas Leges Romanaque Jura,
Et tecum hinc raptam Flandria Juſtitiam.
Macte animis, RÆVARDE, *tuis: nam poſt tua cernis*
Fata, Deam lacrymis reddere juſta tibi.

JACOBUS DE RANTRE,

Valencenenſis J. U. L. publicavit *Deſcription des choſes les plus memorables arrivées pendant le ſiege de Valenciennes par l'Armée de France.* 4. Valencenis 1656. cum fig.

JACOBUS RANZONIER,

Burgundus, Societati Jeſu adſcriptus in Belgio anno 1619; navigavit in Paraquariam Occidentis Provinciam ſub annum reſtauratæ ſalutis 1625. ibique in prima meſſe ſacrę miſſionis, ac flore ætatis obiit circa annum 1630. Scripſit

Litteras Annuas Paraquariæ S. J. anni 1626. & 1627. Antver. typis Joan. Meurſii, 1636. 8.

JACOBUS REIMOLANUS,

Flander, Carmelita, Mathematicus, Rhetor, & Poëta, ſcripſit

Odas de S. Joachimo.
Vitam S. Joachimi.
Idillion de bono conjugali.
De puritate B. Mariæ Virginis.
Exhortationes Chriſtianorum.
Epiſtolas carmine, aliaque Poëmata.

Digitized by Google

Obiit in urbe Roma, anno 1508. laudatus à Roberto Gaguino, Trithemio Jodoco Badio, teſte Bibliothecâ Tigurinâ.

JACOBUS RÆVIUS,

Daventriæ anno 1586. menſe Novembri natus, patre Richardo tum Conſule, matre Corneliâ Heyingiâ, Joannis pariter Daventrienſis Conſulis filiâ: primis politioris litteraturæ, ac linguæ græcæ elementis tinctus Amſtelodami, eadem pleniùs hauſit in Academia Lugduno-Batava, ubi & Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudiis animum applicuit.

Subortis circa id tempus inter Arminium & Gomarum eorumque aſſeclas, Controverſiis de Gratia Prædeſtinatione & capitibus annexis, eâ occaſione uſus Rævius diſceſſit Franequeram Friſiorum, ubi & linguę Hebraïcę principia delibavit. Hinc ab anno 1610. pleraſque Galliæ luſtravit Academias, Aureliis ad Ligerim in Aſſeſſorem ſive Oratorem Nationis Germanicę adſumptus.

E Gallia redux anno 1612. Daventriæ ſedem fixit, ibidem Præco doctrinæ Calvinianæ. Anno 1615. deſponſavit ſibi Chriſtinam Auguſtiniam, Conrardi quondam Daventrienſis Conſulis filiam, è qua novem liberos ſuſtulit, at filiam unicam ſuperſtitem reliquit. Anno 1641. Daventriâ Lugdunum-Batavorum evocatus fuit ad regimen Collegii Theologici Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ; die 7. Februarii anni ſequentis, in Senatu Academico gradu Doctoratûs Theologici inauguratus.

Defunctâ anno 1643. priore conjuge, triennio pòſt ad ſecundas nuptias tranſiit, ductâ Annâ Bartens, viduâ Marci de Witte. Multa edidit, quorum pleraque Theologum redolent Calvinianum: in Philoſophicis verò Cartheſiana Principia vehementer inpugnavit.

Vivere deſiit Lugduni-Batavorum die 15. Nov. 1658, ætatis ſuæ 72. Opera quæ publici juris fecit, ſunt hæc.

Epiſtolæ Virorum illuſtrium ad Joſephum Juſtum Scaligerum, à Rævio gallicè editæ. 8. Harderovici 1624.

Belgicarum Eccleſiarum Doctrina & Ordo; hoc eſt, Confeſſio, Catechęſis, Liturgia, Canones Eccleſiaſtici. græcè & latinè, Interpretibus Frid. Sylburgio & Jac. Revio. Daventriæ 1627. 8. Librum hunc peſtiferum Conſtantinopolim inque alias Orientis partes deſtinari curarat *Rævius*, ad imbuendos (ſi fieri potuiſſet) Calvinianis erroribus Græcos Schiſmaticos.

Poëmata Hollandica. Daventriæ & Amſt. 1630. 8.

Laurentii Vallæ de Collatione Novi Teſtamenti libri duo, Notis Jacobi Rævii illuſtrati. Amſt. 1630. 8.

Hiſtoria Pontificum Romanorum contracta & ad annum 1632. perducta. Amſt. 1632. 8.

Oratio inauguralis de Origine & uſu Gymnaſiorum, ac nominatim Collegii Theologici Lugdunenſis apud Batavos Lugd. Batv. 1642. 4.

Hiſtoria vitæ, doctrinæ, ac rerum geſtarum Davidis Georgii, Hæreſiarchæ, conſcripta ab ipſius genero Nicolao Bleſdikio. Daventriæ 1642. 12.

Examen Diſſertationis Nicolai Vedelii de Epiſcopatu Conſtantini Magni, ſeu, de poteſtate Magiſtratuum Reformatorum circa res Eccleſiaſticas. Amſtelodami 1642. 12.

Suarez repurgatus, ſive, Syllabus Diſputationum Metaphyſicarum Franciſci Suarez Societatis Jeſu Theologi, cum notis Jacobi Rævii, quibus quæ ab Autore illo rectè tradita ſunt, ubi opus eſt, illuſtrantur aut defenduntur, quæ verò in Philoſophiam, ac præcipue Theologiam peccavit,

indicantur ac refelluntur. Lugd. Bat. 1644. 4.

Libertas Chriſtiana circa uſum capillitii defenſa, quâ ſex ejuſdem Diſputationes de Coma ab exceptionibus Viri cujuſdam docti vindicantur. Lugd. Bat. 1647. in 12.

Methodi Carteſianæ conſideratio Theologica. Lugd. Batv. 1648. 12.

Abſterſio macularum, quæ ab Anonymo quodam, calumnioſæ Præfationis in notas Carteſianas Autore, ipſi aſperſæ fuerunt. Lugd. Batav. 1648. 12.

Joannis Piſtorii Woerdenatis, ob Euangelicæ veritatis aſſertionem apud Hollandos primò omnium exuſti Martyrium, deſcriptum à Guilielmo Guaphæo, Hagienſi, tunc temporis in eundem cum beato Martyre (ſeu potiùs hæretico pertinaci) carcerem conjecto, nunc autem è MSS. editum. Lugd. Batav. 1659. 12.

Daventriæ illuſtratæ, ſive Hiſtoriæ Urbis Daventrienſis libri ſex, perducti uſque ad annum à nato Chriſto 1641. quibus etiam non pauca quæ ad univerſam Tranſiſalaniam & Regiones finitimas ſpectant, per occaſionem ediſſeruntur. Lugd. Bat. 1651. 4.

Extraits d'un livre de Charles Everwin, Miniſtre de l'Egliſe de Gauda, ſur la puiſſance du Magiſtrat par rapport à la depoſition des Paſteurs, avec la reponſe de Jaques de Reves. Leyde 1650. 12.

Statera Philoſophiæ Carteſianæ, quâ Principiorum ejus falſitas & Dogmatum impuritas expenditur ac caſtigatur; cum reſponſione ad Adriani Herebortii virulentam Epiſtolam. Lugd. Bat. 1650. 12.

Carteſiomania, hoc eſt, furioſum nugamentum, quod Tobias Andreæ ſub Tit. Aſſertionis Methodi Carteſianæ orbi litterato obtruſit. Lugd. Bat. 1654. 12.

Thekel, (id eſt) levitas defenſionis Carteſianæ, contra Tobiam Andreæ. 12. Brielæ 1653.

Allaboravit item verſioni vernaculæ Bibliorum & Pſalmorum, ritûs Calvin.

JACOBUS ROGERIUS,

Tornacenſis, Poëta, edidit Pariſiis, 1539. 8. apud Joan. Ludovicum, *Neopægnia*, ſeu *Luſus pueriles.*

JACOBUS ROTARIUS,

A Bochout, Canonicus Regularis S. Auguſtini, ad Religionem grandior acceſſit: nam multos annos apud Sichenas Brabantiæ opidum, ludum aperuerat litterarium, ubi & ſacerdotio fuerat initiatus. Multa de eo ſcribit Petrus Impens in Chronico ſuo Bethleemitico libro 3. art. 3. §. 8. fuiſſe ſcilicet *ſuo tempore unum ex principalioribus Patribus totius Capituli Windeſemenſis, ac ſæculum iſtud velut ſidus illuſtraſſe,* variiſque in locis Priorem Rectoremque Monialium egiſſe. Scripſit piiſſimum & aureum libellum

De Religioſa Vita benè inſtituenda, ad quandam Monialem Vallis S. Barbaræ in urbe Thenenſi.

Diem ſupremum obiit anno 1479. ætatis ſuæ LXXXI.

JACOBUS ROTARIUS,

Canonicus ad S. Dionyſium Leodici, ſcripſit

Dialogum *De Actibus noviſſimis terræ Brabantinæ &c.* anno 1493. quo videlicet pacto Reſpublica Brabantiæ, diu felix ac beata, ruere in pejus cœperit, poſt Caroli Burgundi miſerandam & damnoſam necem. Legitur Lovanii ad ad S. Martinum.

JACOBUS LE SAIGE,

Duacenus, Eques Jeroſolymitanus, deſcripſit ſermone vernaculo, rudi & impolito, *Peregrinationem* ſuam *Jeroſolymitanam* anno 1518. XV. Kalendas Aprilis ſuſceptam, & novem menſium ſpatio

Digitized by Google

ſpatio abſolutam. Excudit Cameraci Bonaventura Braſſart in 4.

Moritur Duaci anno 1549. die XI. Februarii, conditus in D. Petri Collegiata Eccleſia.

JACOBUS SEGHERS,

Antverpienſis, Religioſus Ordinis Ciſtercienſis ac Prior Abbatiæ S. Salvatoris (vulgo dictæ Petri Potz, à ſuo fundatore) quondam etiam Confeſſarius Monialium Abbatiæ Vallis Ducis ejuſdem Ordinis prope Lovanium; obiit Antver. anno 1658. XVI. Kal. Octobris.

Conceptus concionatorii morales ſuper Dominicas totius anni. 4. Tomi tres, quorum primus prodiit Lovanii 1645.

Militia ſæcularis & ſpiritualis, quam Perſeus per-egregiis conceptibus ſacris & prophanis inſtructam, cum palma victoriæ & oliva Pacis exhibet. 4. Antverpiæ 1647.

JACOBUS SIMONIS,

Tornacenſis, Societatis Jeſu, ſeptuagenario major mortalitatem exuit in patria ſua, die 8. Octobris 1649, relictis ſequentibus;

Vita SS. Waldetrudis & Vincentii Conjugum, Comitum Hannonienſium, cum Annotationibus.

De bono uſu Sacramenti Euchariſtiæ & SS. Miſſæ Sacrificii.

Vita S. Giſleni Epiſcopi Athenienſis, cum Annotationibus.

JACOBUS SLUPERIUS,

Flander Herzelenſis ex pago Caſtellaniæ Winocibergenſis, Poëta & Sacerdos, varia à Geuſiis pro fide paſſus, bonis exutus, ſede patriâ pulſus, in Picardia annos aliquot vixit. Inde Atrebatum venit; ubi apud Antonium Mejerum Gymnaſiarcham ſedem fixit, & devixit: quem vitæ ſuæ curſum ipſe his verſibus delineavit:

Poëta Flander Herzelenſis SLUPERUS
Conſumptus annis hîc jacet ſenilibus.
Artes puer qui liberales imbibit
Villa in minore, prope amnem Lyziam.
Profectus hinc Lovanium, veteres Sophos
Evolvit, atque conſecutus lauream
In Flandriam reverſus eſt, & ſæculo
Spreto, ſacris ſe dedidit, atque cœlibem
Amplexus eſt vitam: ſolutus ut omnibus
Curis Deo vacare poſſet, & ſuis
Muſis, quibus toto juventæ tempore,
Nec non ſenectæ, pertinaciter fuit
Addictus, ut teſtantur, heu! Poëmata,
Atque alia, quondam ſoſpes ipſe quæ edidit.
Hæc dum recudit, ecce bella civica
Paſſim per urbes ſunt oborta Belgicas,
Quibus involutus ipſe Myſtes SLUPERUS
Per Geuſios conjectus eſt in vincula,
Bonisque perditis, fugatus Flandriâ.
Quos execratus patrium vertit ſolum,
Profectus in Picardiæ fines, ubi
Aliquot per annos ſubſtitit, donec ſenem
Mars rurſus emigrare Vatem compulit.
Hinc Atrebatum venit, ultimam ſibi
Sedem futuram, quippe poſt viceſimum
Annum ſenili fractus ævo concidit.
Tu quiſquis es, precare fauſta Manibus
Functi Poëtæ, ſortis humanæ memor.

Deſiit autem vivere, anno 1602. ipſis Kalendis Auguſti, ſeptuagenario major, ſepultus in Æde S. Cruci ſacrâ. Scripſit

Elogia Virorum bellicâ laude illuſtrium. Atrebati excudit Guil. Riverius, 1603.

Poëmata item varia, *Hymnos, Eclogas VII. Luſus Paſtorales, Epiſtolas &c.* Antver. 1575. 16. typis Belleri.

Reliquit *de Bello Africano à Carolo V. geſto* libros X. metro heroïco conſcriptos, & Mæcenati ſuo V. N. *Ferdinando Cardevacquio* inſcriptos. Autographum legebatur olim apud *Joan. Fr. Cardevacquium*, Ferdinandi nepotem; ut &

De bello à Martino Roſſemio circa Lovanium geſto libros duos, verſu item heroïco.

Poëtas ad hæc omnes, & antiquos & recentiores, verſu Phaleucio conplexus eſt. MS. in Bibliotheca Vedaſtina.

JACOBUS DE SOMERE,

Gandavenſis, Reipublicæ ſuæ Syndicus, Vir fuit prudens, rerumque politicarum apprimè gnarus, teſte Sandero, qui varia metrico præſertim ſtilo ſcripſiſſe refert, & (quod mirandum) nocturnis ferè horis, cùm per diem animum haberet aliis occupationibus detentum, vidiſſeque ſe ſequentia apud Philippum filium,

De Legatione ſua, quam *ad Hanſeaticas Civitates*, Ordinibus Batavis confœderatas, juſſu Sereniſſ. Principis Alberti &c. ſuſcepit, *Poëma Heroïcum*.

De Legatione ſua Anglica, quam obiit juſſu Senatûs Hamburgenſis.

De exſiccatione paludis in Weſt-Flandria.

De aggere Albertino, undis excluſo, qua in re induſtriam quoque ſuam probavit.

De Podagra Carmen.

De Gradibus, quibus ad Deum itur, Elegiam.

Elegiam item *in Nuptias Philippi Julii Pomeraniæ Ducis*; ſed hanc typis editam.

Præterea *Thomæ à Kempis* aureum libellum *de Imitatione Chriſti* vertit carmine heroïco, & multimodis verſum hunc admirabilem,

Crimina quot mundo, tot ſunt tibi vulnera, Chriſte.

Vitam denique *ſuam ab anno ætatis* XIV. verſu heroïco deſcripſit, vitæque finem fecit Gandavi anno 1623. die XV. Junii.

JACOBUS SPEECQ,

Antverpienſis, S. Theol. Baccalaureus Pariſienſis, Licentiatus & demùm Doctor Lovanii anno 1640. die X. Januarii renuntiatus eſt. Philoſophiam in Schola Cardinalitia Pariſiis profeſſus, edidit ibidem

Diſſertationem Metaphyſicam de Ente atque ei annexis, 1634. 8.

Poſtmodum S. T. Profeſſor Ordinarius, in D. Petri Canonicus, ac tandem poſt *Libertum Fromondum* S. T. D. Decanus electus anno 1653, diuturnis morbis confectus interiit anno 1662. ſepultus in medio chori, hoc Epitaphio.

Monumentum
Adm. Rev. atque Eximii D. ac M. N.
Jacobi Speecq, Antverp.
S. Th. Doctoris ac Prof. Ordinarii,
Hujus inſignis Eccleſiæ D. Petri
Canonici & Decani,
Magni & præclari judicii,
Veri in pauperes eleëmoſynarii,
Et in adverſis ſummè pacifici,
Denati An. M.D.C.LXII. XI. Decemb.

JACOBUS STRATIUS,

Antverpianus, Societ. Jeſu Theologus rexit Collegium Lovanienſe ac Brugenſe, totamque Provinciam Flandro-Belgicam: ſolebatque pia Opuſcula, uti *Rob. Card. Bellarmini de Arte benè moriendi*, *Soliloquium Animæ*, *Thomæ à Kempis*, aliaque popularibus ſuis transcribere; ſcripſitque ipſe latinè,

Meditationes Liturgicas.

Stimulum Pietatis ad Sacrificium Miſſæ piè audiendum & faciendum. Antver. & Coloniæ, 1633. 24.

Apologiam Catholicam adverſus Cantilenam gallicè editam in R. P. Petrum Cottonum. Brugis 1609.

Declarationem præcipuorum articulorum Fidei Catholicæ, qui à novatoribus hujus ævi in controverſiam vocantur, Flandricè; Antver. typis Verduſſii, 1617,

Demonſtrationem Fidei Catholicæ. Ibid. apud Guil. Leſteens, 1629.

Lovanii die VII. Aprilis, anno

Digitized by Google

1634. ab ingreſſu Religionem LV. deſiit agere in vivis.

JACOBUS SUSIUS,

Nobilis Batavus, utriuſque peritus linguæ, antiquitatis ac poëtices etiam ſtudioſus, edidit *Carmina* aliquot ſacra ac profana, typis Franc. Raphelengii, 1590. 8. Sunt in iis Satyræ, Pſalmi verſibus expreſſi &c.

JACOBUS SUSIUS,

Alter, patriâ Brugenſis, è Societate Jeſu, varios libros ab aliis editos tranſtulit in linguam vernaculam; de quibus vide Bibliothecam Scriptorum Societ. Jeſu. Obiit Lovanii 9. Aprilis 1639.

JACOBUS THEODARDUS SARTORIUS,

Bolſwardienſis, Friſius, Paſtor Eccleſiæ Durſtenſis in Weſtphalia, edidit luculentam *Epitomen Concionum Joannis Oſorii*, Societatis Jeſu, *de Dominicis & Feſtis*. Coloniæ, 1598. & 1613. 8.

JACOBUS TIRINUS,

Antverpianus, natus anno 1580. olim Lovanii ſecundus in Scholis Artium, dein Societ. Jeſu Theologus, Domui Profeſſæ Antverpiæ toto novennio, & quadriennio Miſſioni Hollandicæ præfuit: candidi vir ingenii, multæque atque accuratæ eruditionis. Edidit omnibus numeris abſolutum,

Commentarium in Vetus & Novum Teſtamentum, Tomis III. Antver. typis Nutii, 1632. in fol. Tomo I. præmittitur

Chronicon ſacrum à condito mundo uſque ad exciſam per Titum urbem & templum Jeroſolymitanum.

Collatio antiquorum Ponderum & Menſurarum cum modernis Italorum, Hiſpanorum, Belgarum &c.

Explicatio Idiotiſmorum Linguæ Hebraicæ ac Græcæ, qui ſæpiùs in Scripturis occurrunt.

Tomo III. ſubjicitur, inter alios, *Index* accuratus *Controverſiarum ſeu Quæſtionum Fidei*, Capitibus XXX. diſtinctus & explicatus: item alter *Materiarum*, uſui Concionantium accommodatus.

Moritur Antverpiæ die XIV. Julii, anno 1636. ætatis LVI.

JACOBUS TRAJECTINUS,

Monachus Congregationis Olivetanæ in Italia, edidit

Tractatum *De modo viſitandi & corrigendi ſubditos: & de modo inquirendi in eorum defectus.* Brixiæ, ann. 1500. apud Angelum Britannicum.

JACOBUS A TRIEST,

Noviomagus, Geldrus, S. Theol. Licent. & Juridici Collegii Coronarum apud Agrippinates Rector, vir naturâ mitis, moribus candidus, ingenio feſtivus atque urbanus, edidit

Epigrammatum Moralium libros III. Coloniæ, typis Ant. Becquer, 1600.

JACOBUS TRIGLANDIUS,

Vianæ, ditionis Ultrajectinæ oppidulo Catholicis natus parentibus anno 1583. cum dein Lovanium ad Philoſophiæ ſtudia mitteretur, & Fœderatorum Ordinum decreta Batavis id prohiberent, mutato proprio nomine *Jacobi Verreyk*, *Triglandium* ſeſe ac Gaudanum dixit. Inter Magiſtros Artium promotus eſt loco XIV. deſertâque mox Religione Catholicâ ductâque anno 1604. uxore *Chriſtianâ Theodori-Stoof*, ad hæreſin Calvinianam tranſiit.

Unde ſuis exoſus & ab iis rejectus, Prædicantis (ut vocant) munus ſuſcepit anno 1606. primùm in Stolwyck prope Gaudam, tum ab anno 1610. Amſtelodami uſque ad 1634. cùm à Curatoribus Academiæ Lugduno-Batavæ ad primariam Theologiæ cathedram aſſumitur. Scribendo docendoque Remonſtrantium ſententias totis viribus impugnavit. Rectoratum Academicum geſſit anno 1643. quo uxor ejus ſexagenaria ſexagenarium reliquit, ſuperſtiteſque proles ſeptem, è quibus *Cornelius*, Hagæ-Comitum, *Jacobus* Harlemi Præcones, *Theodorus* J. C. Advocatus coram Hollandiæ Curia. *Jacobus Triglandius* autem, Jacobi jam dicti filius, avo ſuo Jacobo in eadem cathedra Lugduno-Batava poſtmodum (nempe 1686.) ſucceſſit.

Obiit ipſe *Jacobus Triglandius ſenior* die 11. Aprilis 1654. ætatis anno 71. pro funere laudatus à Collega *Johanne Coccejo* Profeſſore Theologo Lugdunenſi. Scripſit autem vernaculè

Kerckelycke gheſchiedeniſſen, ſive *De progreſſu Eccleſiæ in Belgio*, contra Joannem Uyt-ten-Bogaert Theologum Remonſtrantem. fol. Lugd. 1650.

De trina Dei Gratia. 8. Amſtelod. apud J. Janſonium 1636.

De Epiſcopatu, contra Nicol. Vedelium, 12. Amſtel. 1642. in favorem Miniſtrorum Sectæ ſuæ, contra ſupremam in rebus ſacris authoritatem Magiſtratibus aſſertam à Grotio, aliiſque.

Scripſit & *in Iſaiam Prophetam*, item *Opuſcula Theolog* aliaque.

JACOBUS TYMÆUS,

Amersfortius, Diœceſis Ultrajectinæ, Artium & S. Theologiæ Doctor, floruit Coloniæ circa ann. 1497. Regens Burſæ, ut vocant, Laurentianæ, & Paſtor Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ. Scripſit

Commentaria in Ariſtotelem de Generatione & Corruptione. Et

In *Meteora* ejuſdem. Coloniæ, apud Henr. Quentelium, 1497.

Epitaphium illi ſcripſit Rodolphus Langius, Canonicus Monaſterienſis, in quo inter alia legitur hoc dyſtichon.

Hunc terris Amſforda dedit, virtutis alumnum,
Doctrinæ columen: nunc tenet aſtrapius.

Interim dubitare licet, num hic *Jacobus Tymæus*, & *Everardus de Amersfordia*, de quo ſupra, unus idemque author ſit: de quo alii judicent.

JACOBUS TYPOTIUS,

J. C. Dieſtemii in Brabantia natus, familiâ ibidem vetere & honoratâ, primùm in Academia Lovanienſi ſtudio Juriſprudentiæ cognitionem artium liberalium ac politioris litteraturæ non vulgarem conjunxit, *Cornelii Valerii* familiaritate uſus. Hinc alias Europæ celebriores, præſertim Italiæ, viſit Academias; ubi etiam Juriſprudentiam profeſſus traditur.

Ex Italia in Franciam orientalem evocatus, Herbipoli, procul à patriæ ſuæ turbis, cum fratribus duobus *Joachimo* S. Theologiæ, ac *Matthia* Medicinæ, Doctoribus conſedit. Quorum ille (quod in ſuis de Fama libris *Jacobus* graviter dolet) immaturâ & ſubitâ morte præventus, nullum raræ eruditionis reliquit monumentum: hunc verò Chriſtiernus III. Daniæ Rex ad ſe evocatum valetudini ſuæ, Archiatri titulo, præfecit.

Evocato interim & *Jacobo* quoque noſtro à Joanne III. Suecorum Rege, ut ei eſſet à conſiliis, hominem peregrinum, in ferventi gratia Regis exiſtentem, ſibi præferri ægrè Aulicos ac Magnates quoſdam habuit. Hinc invidia primùm (cui & Religionis cauſâ, odium quoddam accedebat adverſus Romano-Catholicæ ſi dei

Digitized by Google

cultorem zeloſum, in Regno tum hæreſibus multùm infecto) dein conſpirationes occultæ, ac criminationes confictæ apud Regem incautè credulum tantæ, ut ſtrictis eum carceribus curaret includi.

Verùm Deus inultum diu malevolorum ſcelus paſſus non eſt: primo enim anno, quo in carcerem (quem *Tavaſtienſem* vocat) abreptus eſt, quattuor è vita, quam ei (ſic ipſe loquitur) invidebant, expulſi ſunt: quorum unus inter feſtas dapes morbo correptus interiit; alter inter lavandum totus repente intumuit, & horis paucis pòſt, non diebus, ut ille, extinctus eſt.

Mortuo deinde Succorum Rege Joanne, ejus filius atque in Regno ſucceſſor Sigiſmundus III. annitente etiam Daniæ Rege Chriſtierno IV, *Typotium* priſtinæ mox reſtituit libertati: eique tum impoſita eſt provincia in ipſis Regni Comitiis Stocholmiæ Orationem illam, quam Inauguralem vocat, habendi, quâ Suecorum erga Regem ſuum fidei atque benevolentiæ cauſas diſertè expoſuit.

Rege autem in Regnum Poloniæ, quod ei per electionem acceſſerat, profecto, *Typotius* à Romanorum Imp. Rodolpho II. inter Aulæ ſuæ familiares adlectus, ac Cæſarei Hiſtoriographi titulo ornatus, Pragæ diem clauſit extremum circa annum ſalutis milleſimum ſexcenteſimum. Scripſit, ediditque

De Fortuna libros III.

De Juſto, ſive *de Legibus* libros II.

De Salute Reipublicæ libros II.

De Fama libros duos. Francof. typis Palthenianis, 1595. 8. Scripſit autem hæc & pleraque talia tempore captivitatis ſuæ, quod de ſe ipſe confitetur, deſtitutus libris omnibus, & viris litteratis, quos conſuleret, quorum catalogum libro I. quem de Fortuna edidit, contexuit, veluti *Sacrarum occupationum* libros IV. *de Monarchia* libros VI. *de Virtute* libros III. *de Summo Bono* libros III. aliaque. Edidit præterea

Orationem Inauguralem, admodum prolixam, *Sigiſmundo* III. Regi Suecorum inſcriptam.

Orationes Genethliacas ad Annam Suecíæ & Poloniæ Reginam. Stocholmiæ, 1594.

Orationes tres. I. *Ad Chriſtianos.* II. *Ad Reges, Principes, Magiſtratus, pro Chriſtianis.* III. *Ad Rodolphum II. Imp. ut Chriſtiani à ſe mutuò in Turcarum Tyrannum arma moveant.* Francof. 1595. 4.

Orationes Turcicas tres poſteriores. I. *Pro Chriſtianis, contra Turcas.* II. *Pro ſalute omnium contra paucorum inſolentiam.* III. *Spes oſtentatur contra opinionem Chriſtianorum.*

Epiſtolas II. ad Ordines Imperii pro ſalute patriæ.

Jaurinum; quo opidi illius invictiſſimi in Pannonia, quod vulgò *Raab* dicitur, occupatio, auſpiciis Cæſareis, anno 1598. deſcribitur. Halæ Saxonum, 1598. 8.

Gamelion Philippi III Hiſpan. Regis & Margaretæ Auſtriacæ. Francof. 1600. 4.

Symbola Divina & Humana Pontificum, Impp. Regum, cum *Iconibus* artificioſiſſimis, Tomis III. Pragæ. 1600. fol. edente Raphaële Sadelerio. Verùm obſervet Lector, altero Tomo vix abſoluto vivere deſiiſſe *Typotium*; ac tertium adjectum eſſe ab *Anſelmo de Boodt*, Brugenſi, Aulæ Cæſareæ interioris Medico. Quo factum eſt, ut eamdem utrique patriam adſcripſerit Franc. Sweertius. Prodiit iterum Francof. furti 1652. fol.

JACOBUS DE VAUX,

Aureæ Vallis in Ducatu Luxemburgico, Monachus Ciſtercienſis & Monialibus Clari Fontis à ſacris confeſſionibus, vixit ibidem circa annum 1630, deſcripſitque

Vitam, & res præclarè gestas B. Joannæ Abbatissæ ejusdem loci, quæ fuit filia Henrici Marchionis Luxemburgensis, Comitis Arlunensis;

Historiam item *fundationis & progressûs dicti Monasterii Clarifontis*, M. S. ibidem & in Aurea Valle.

JACOBUS VELDIUS,

Brugensis Eremita Augustinianus, Doctor Theologus Lovaniensis anno 1571. renunciatus, & sui Ordinis Prior Provincialis, Ecclesiastes facundus, edidit

Tabulas in Euangelia & Epistolas Quadragesimales, Lovanii, 1565. & Venetiis, 1566. 8.

Enarrationem Paraphrasticam Euangeliorum Quadragesimalium. Antver. apud Plant. 1570. 8.

Enarrationem Paraphrasticam Epistolarum Quadragesimalium. Lovanii, 1573. in 8.

In Passionem Domini. Antver. 1570. in 8.

Commentaria in Danielem Prophetam, pro Concione explicatum. Ibid. apud Bellerum, 1576. 8.

Scripsit etiam sermone vernaculo, *de vera Corporis Christi in Eucharistia præsentia*. Antver. 1580. 8.

Commentaria ejusdem *in Threnos Jeremiæ* leguntur Lovanii apud sui Ordinis sodales.

Decessit Audomaropoli Artesiorum, anno 1583. in Abbatia S. Bertini, ubi exul sacras profitebatur Litteras. Eò enim confugerat, Conventûs tunc Brugensis Prior, jussus à Magistratu hæretico, unà cum Fratribus, anno 1578. exulare; sed cui non antè aut aliter obedire voluit, quàm idem Magistratus scripto testaretur, se non ob aliquam improbitatem aut sinistrum rumorem, sed quia præsentis temporis ratio non pateretur illos secum commorari, jubere eos loco & urbe cedere. *Doctrinæ, Fidei, Suadæ, pietatis, honoris,*

Nascitur in campis gloria quanta tuis!
Hinc quoque, dum Grudii constabit fama Licæi,
Flandriaci vives gloria magna soli.

JACOBUS VERHEYDEN,

Gravensis, Rector Scholarum Neomagensium, & anno 1618. Concilii buli Dordraceni contra Arminianos assessor, edidit: heterodoxorum aliquot *Theologorum*, qui summum Pontificem (quem ille scurriliter *Romanum Anti-Christum* vocat) *præcipuè oppugnarunt*, *effigies*, æri incisas: quibus addita brevia elogia librorumque eorum Catalogi. fol. HagæCom. 1602. cum fig.

Edidit quoque *Vitam Guilielmi Verheyden*, fratris sui; supra memorati.

JACOBUS DE VITRIACO,

Aliàs DE VITREIO, natus Argentolii (quod est Diœcesis Parisiensis opidum ad Sequanam fluvium) ad studium directus Parisiense, famâ & sanctitate Mariæ Ogniacensis allectus, relictâ Sorbonâ & Ecclesia Parochiali, quam Lutetiæ habebat, Ogniacum ad Sabim fluvium, Diœcesis tunc Leodicensis, venit, ibidemque vitam Canonicam instituti S. Augustini professus est. Hic postea primum Aconensis in Syria Episc.; dein Patriarcha Jerosolymitanus, ac postremo Tusculanus Episcopus, anno 1230. à Gregorio IX. creatus est S. R. E. Cardinalis, Sedisque Apostolicæ in Terra Sancta, in Germania & Francia Legatus: Scripsit

Historiæ Orientalis & Occidentalis libros III. quorum duo priores editi sunt Duaci, 1597. 8. typis Belleri, cum Vita auctoris, ab *Andrea Hoio* composita: tertium *Jacobus Gretserus* Hor-

Digitized by Google

to Crucis inſeruit. Eoſdem libros *Jacobus Bongarſius* Hanoviæ anno 1611. Tomo I. Hiſtoriæ Orientalis publicavit.

Vitam B. Mariæ Ogniacenſis libris II. quibus tertium adjecit *Thomas Cantipratanus*. Exſtant apud Surium 23. Junii; item apud Hagiographos S. J.

Sermones in Euangelia & Epiſtolas totius anni. Antver. 1575.

Sermones de Sanctis. MSS. Tornaci ad S. Martinum.

Sermones de Operibus ſex dierum. MS. Ibid.

Summam de Converſione peccatoris. MS. olim ibidem. Aliaque alibi lecta fuiſſe refert in Indice Joannes Bunderius.

Narratio Patriarchæ Jeroſolymitani coram ſummo Pontifice de ſtatu Terræ Sanctæ: ſive Jacobi de Vitriaco Epiſcopi Acconenſis & poſtea S. R. E. Cardinalis Epiſcopi Tuſculani Hiſtoriæ Orientalis liber III. ab editis diverſus ex MS. Codice Bibliothecæ Bigotianæ, nunc Bibliothecæ Regiæ. Hunc librum è tenebris eruerunt PP. Benedictini è Congregatione Gallicana S. Mauri, eumque ediderunt Tomo III. Theſauri Novi Anecdotorum Pariſiis anno 1717. pag. 266. Accedunt ibidem pag. 287. & ſequentibus *quatuor Epiſtolæ ejuſdem.*

Obiit Cardinalis de Vitriaco Romæ anno 1244. in pervigilio SS. Petri & Pauli, corpuſque ſuum transferri ex Urbe Ogniacum voluit; ubi & conditum eſt non longè à B. Mariæ Ogniacenæ tumulo. Oſſa ejus ibidem anno 1636. ſolemniter exaltata fuere per Engelbertum Des-bois Namurc. Epiſcopum, curante Priore Simone de Heinsberghe. Agit quoque de ſcriptis ejus Cardinalis Bellarminus.

JACOBUS VIVARIUS,

Loemelanus, ex Campania Brabantica, primùm Herentalenſi pòſt Anderlacenſi, juxta Bruxellas, Scholæ præfectus, ſcripſit Comœdias duas: prior *Redemptio noſtra* inſcribitur, edita Antverpiæ, 1580. 8. altera *Petrus Pœnitens.* Ibid. 8.

Dedit & *de Vellere Aureo* Carmen Heroïcum: cui ſubjecit *Querelam Belgicam*, verſu Elegiaco, 1585. 4.

JACOBUS VLUGGIUS,

Amersfortius, Poëta, edidit juvenis paraphraſi poëticâ

Hymnorum Veteris & Novi Teſtamenti libros III. Franckeræ, apud Ægidium Radæum, 1600. 16.

JACOBUS VOLCARDUS,

Bergenſis, (in Indice Val. Andreæ Winocibergenſis dicitur) græcè latinèque apprimè doctus, ſcripſit

Orationem Quodlibeticam de uſu Eloquentiæ in obeundis muneribus publicis. Excudit Antver. 1526. 4. Mich. Hillenius. Dixit Lovanii, dum inibi, cum *Viglio Zuichemo*, quem Hagæ-Comitis latinis græciſque litteris inſtituerat, verſaretur; ac nobilium liberos in ſtudiis formaret. Teſtatur de hoc ſuo doctiſſimo Profeſſore *Viglius*, ſe nil quidquam eo inconſulto agere conſueviſſe.

Vixit & familiaris *Joanni Secundo*, Poëtæ celeberrimi nominis; qui amico & præceptori circa ann. 1536. erepto Næniam & hoc Epitaphium luſit.

Hoſpes qui calcas loca triſtia defunctorum,
Siſte gradum, cineres heic JACOBUS *habet;*
Aſpera quem fata, & noſtro nimis invida ſæclo,
Non ſunt maturos paſſa videre dies.
VOLCARDO *cognomen erat primordia vitæ*
Berga dedit; quo ſtas, nunc habet oſſa, locus.
Quidquid Roma docet, quidquid docuiſtis Athenæ,
Noverat; obſcurum non minus ivititer,

Illius ad tumulum Nimphæ Parnaſſides udas
Effundant lacrimas, Pallas & ipſa gemat.
Illius ad Tumulum ſuccreſcat Apollinis arbor,
Mixtaque cum violis lilia, cumque roſis.

JACOBUS WEMMERS,

Antverpiâ oriundus & Monaſterii Carmelitani ibidem Religioſus profeſſus, S. T. Doctor, Linguarum Orientalium peritiſſimus fuit; ea-propter Romam accitus, moxque inter S. Congregationis de Propaganda fide Conſultores adſcriptus. Tum annis pluribus Linguas Orientales docendo, ſacras Scripturas interpretando, arabicè vertendo, Æthiopes alioſque in fide & uſu Romano inſtruendo, conceptæ de ſua eruditione zeloque apoſtolico famæ plenè ſatisfecit.

Quoque prodeſſet magis, primus *Lexicon Æthiopicum* ex illa Lingua collegit & edidit. Primus illi *Grammaticam* dedit: quæ ad propagandam fidem, ſumptibus S. Congregationis Romæ edita fuerunt, 1638. 4.

In hebraïca, non ſecus ac in latinâ verſatus erat, feceratque & illam ſuam, quod & in Arabica præſtitit. Jam Oriens ſuas in eo linguas ſuſpiciebat; ut poſſet & virtutes ſuſpicere, Innocentius X. Pont. effecit. Ideo magnæ avidus meſſis, illum mittit in Orientem, & Cayri ſeu Mempheos creat Epiſcopum, & Apoſtolicum per Æthiopiam Legatum. Iſtis oriturum terris, mors nullas reverens linguas, aggreſſa abripuit, & febri confectum Neapoli in magno Carmelitarum Conventu terræ dedit. Obiit anno 1645.

JACOBUS WESTERBAAN,

Eques, Toparcha Brandwici & Gybland, tempore Synodi Dordracenæ, Remonſtrantibus quorum partes ſectabatur, inſignem operam præſtitit. Poſtea Doctor Medicinæ creatus, & Equeſtri titulo inſignitus à Rege Galliæ; duxit uxorem viduam Reineriab Olden-Barnevelt, Domini Groeneveldiæ. Fuit Poëta Belgicus ſuo tempore celeberrimus; ſolitusetiam Scriptorum illuſtrium apud Batavos encomia carminibus illuſtrare. Illius ſunt hæc.

Pſalmi Davidici, Belgico rithmo expreſſi. Hagæ-Com. 1655. in 8.

Cætera ejus *Poëmata*, poſt varias editiones collecta fuêre tribus voluminibus, Hagæ 1672. in 8.

JACOBUS A WYNSHEM,

Trans-Iſalanus, edidit habitam à ſe Lugduni Batavorum anno 1600. Senatûs Academici auctoritate,

Orationem paræneticam de Militia.

JACOBUS YETZWEIRTS,

Winoci-Bergenſis, Flander, Vir Nobilis togâ ac ſago clarus (miles enim ac ſignifer contra perduelles fuit Geuſios) & metrico præſertim ſtilo excellens, cujus rei præclarum ſpecimen dedit, edito inſigni Poëmate, cui titulum hunc præfixit,

Aldenardias, ſive de ſubdola ac furtiva Geuſiorum in civitatem Aldenardenſem irreptione, inauditiſque ibidem flagitiis deſignatis, &c. an. 1572. ductore *Jacobo Blommartio*. Gandavi, 1573. 4. apud Joann. Lapidanum.

Compoſuit & *Elegias* elegantes, nondum evulgatas, teſte Jacobo Marchantio, in Flandria.

JACOBUS YMMELOOT,

Iprenſis, Vir Nobilis, Toparcha de Steen-brugge, edidit Gallico idiomate

Metho-

Digitized by Google

Methodum verſificandi Gallicè & Flandricè.

Poëmata parallela, Latina, Gallica & Flandrica. Item Flandricum *de lite inter Bellonam & Aſtræam*, ſive inter bellum & pacem. Ipris, 1626. 4. formâ oblongâ.

JACOBUS ZEVECOTIUS,

Gandenſis, J. C. & Poëta Laureatus, juvenis in patria ſtudiorum ſuorum initia fecit, & ingenii ac judicii præcocitate pares inter excelluit. Lovanii, datâ Philoſophiæ ac Juriſprudentiæ operâ, ſtatumque vitæ religioſum, in Ordine S. Auguſtini amplexus, compoſuit tunc varii argumenti Poëmata, ſemel iterumque cum multorum applauſu, & citra noxam Religionis orthodoxæ, in lucem edita; nimirum

Tragœdias II. *Mariam Græcam & Roſimundam.*

Tragi-Comœdiam *Eſther.*

Elegiarum libros III. & *Silvarum* librum ſingularem.

Romam anno 1624. profectus, cùm non ex animi ſui ſententia iter ſucceſſiſſet, in reditu deflexit ad Batavos, factus excucullatus apoſtata: hæſitque primùm Lugduni, ubi Poëmata ſua anno 1625. edidit auctiora & interpolata; nam puduit Elegiam primam, ad patrem, pro ingreſſu Religionis, aliaque ad Sodales ſuos Neomyſtas, Batavis parum religioſis offerre.

Item anno 1626 *Obſidionem Leydenſem* Tragœdiam verſibus Belgicis expreſſam.

Poſtea Hiſtoriarum atque Eloquentiæ Profeſſionem in Gymnaſio Geldro-Velavico conſecutus, edidit hîc

Obſervata Politica ad C. Suetonii Julium Cæſarem, ſeu veriùs Calumnias in Hiſpaniarum Regem Catholicum & Domum Auſtriacam. Amſtelodami, 1630. 24.

Obſervationes maximè Politicas in L. Florum, ejuſdem ferè notæ. Hardervici. 1633. 12.

Emblemata vernacula.

Moritur anno 1642. ætatis 46. die Martii 17. Marcus Zuerius Boxhornius, amico ſuo Zevecotio hoc ſcripſit Epitaphium

Flandria quem genuit, coluit quem Roma, Sycamber
Ambuit, & Phœbus prædicat eſſe ſuum,
Non iſtâ Vates tegitur ZEVECOTIUS *urnâ,*
Nec Vatem obſcuri regia ditis habet.
Haud moritur, ſibi qui totum monumenta per orbem
Ipſe ſuâ poſuit non peritura manu.

JACOBUS ZOVITIUS DRIESCHARUS,

A pago cognomine prope Ziriczæam, Zelandiæ opidum, ſic denominatus (unde etiam ſe TRITURBIUM nominare placuit, voce deductâ à *tribus turbis*, quaſi *Drie-Scharren*; quamvis eam ipſi Zelandi derivent à tribus alluvionibus: ita ut *Drye-Schor*, quaſi à *drye-ſchorren* locus iſte dictus ſit, quod etiamnum hodie pagi eſt inſigne) Poëta fuit Tragi-Comicus, Scholæque Hoochſtratanæ ac Bredanæ apud Brabantos Moderator.

Edidit Comœdias aliquot, ſtylo familiari atque eleganti ſcriptas; *Ruth*, ex Veteri Teſtamento. Antver. 1533. 8. apud Hillenium: *Ovem perditam*, ex Novo Teſtam. Ibid. 1541. & Coloniæ apud Gymnicum, 1539. 8. Denique *Didaſcalum*, Antver. apud Steelſium 1534. & 1540. 8. typis Ægidii Copenii. Quas quidem Comœdias juvenis admodum, & Ruth annos vix natus XXI. ſcripſit atque exhibuit publicè.

Circumferuntur etiam *Adagia Latino-Belgica Jac. Zovitii*, quæ aliquando ediſci in ſcholis à tironibus ſolebant.

JACQUEMANTIUS GRELÆUS,

Insulensis, Poëta gallicus antiquus circa annum 1290. Scripsit *Carmen fabulosum de nova Vulpe.* Satyra est in Reges, Principes, aliosque inferioris notæ homines. Librum MS. in variis Galliæ Bibliothecis adservari asserit ex Harduino Sanderus de Scriptor. Flandriæ.

JANUS BODECHERUS BANNINGIUS,

Natus Loosdrechti, qui pagus est Goylandiæ in Hollandia, Professor fuit Philosophiæ in Academia Lugduno-Batava, ab anno ætatis vicesimotertio, cumque Philosophia Poësin & amœniores Musas conjunxit; denatus ibidem anno 1642. Edidit

Orationem Inauguralem, anno 1629. habitam.

Satyricon in corruptos Juventutis mores. Sermones III. Lugd. Batavor. 1631. in 12.

Disputationes Physicas & Ethicas.

Epigrammata Brasiliana: & Poëmatum libros, unà cum *Dissertatione Epistolica de Philosophiæ & Poëtices studiis conjungendis.* Ibid. 1637. 12.

JANUS DOUSA,

Vernaculè VANDER DOES, Vir nobilis, Toparcha de Noortwyck & Cattendyck, Nortwici juxta Lugdunum Batavorum nascitur 6. Decembris 1549. patre *Jano Dousa*, matre *Anna de Nienrode*, quibus in prima adolescentia orbatus est. Liræ in Brabantia & Delphis Batavorum prima litterarum tyrocinia fecit. Hinc Lovanium, Duacum, Lutetiam visit, & doctorum virorum amicitiâ floruit. *Lucam Fruterium*, Brugensem, amœnissimi ingenii poëtam, sed tenui fortunâ dotatum, studiorum socium, itinerumque comitem sibi inter hæc adscivit.

In patriam redux, curandorum aggerum Collegio adscriptus est; Principique Auriaco adhæsit fideliter; à quo constitutus Leydensis civitatis gubernator, una cum cognato *Jacobo Dousa*, totis viribus eam contra Hispanos Albani Ducis milites anno 1574. defendit. Solutâ memorabili hac obsidione, ut nova illic Academia erigeretur, autor principalis fuit, primusque illius Curator ab Auriaco designatus, fuit & benefactor munificus, & Bibliothecæ publicæ instaurator. Postremò die 3. Decembris 1591. in supremum Curiæ Hollandiæ Senatum adoptatus. Multiplex fuit huic viro lectio, incredibilis pene memoria. Græcarum ac latinarum litterarum, Historiæ veteris ac novæ nihil erat quod ipsum fugeret.

De illo *Justi Lipsii*, quocum familiarissimè vixit, hoc elogium est, libro 1. Elect. cap. v. VERA PROLES MUSARUM, ET ALUMNUS GRATIARUM. Scripta ejus hęc circumferuntur:

Commentariolus in Q. Horatium Flaccum, cum *Appendice succidanea ad eumdem.* Antver. apud Plant. 1582. 16. item Leidæ 1597.

Præcidanea pro Catullo & Tibullo. Quibus additur Epistola ad Gerardum Falkenburgium, continens *Tibulli* ac *Propertii*, partim *Enarrationes*, partim *Correctiunculas.* Ibid. 1582. 16.

Præcidanea pro Satyrico Petronii Arbitri. Ibid. 1583. 8. Edidit denuo Petrus Burmannus J. U. D. in nova Editione Petronii, anno 1709. Ultrajecti.

Notæ ad libros Historiarum Sallustii. Ibid. in 8.

Centurionatus, sive *Plautinarum Explanationum* libri IV. Francof. 1600. in 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Epodôn libri II. ex puris Jambis. Antver. 8. 1584.

Epigrammata, *Satyræ*, *Elegiæ*, & *Silvarum* libri II. Ibid. apud Silvium, 1570. 8.

Echo, ſive *Halcedonia: Salinarum* ſive *Epigrammatum* libri V. *Elegiarum* libri II. & *Silvarum* liber. Hagæ Comitis, 1603. 4.

Annales Hollandiæ, carmine Elegiaco; iidemque proſâ oratione, uſque ad Diedericum II. quos inde filius ejus pertexuit uſque ad Diedericum IV. Lugd. Batavor. 1601. item 1617. 4. cum Commentario Hugonis Grotii.

Epiſtolæ Apologeticæ II una *de Annalibus Bataviæ*: altera *pro Prætore Nortwiceno*, peregrinitatis reo.

Sublatus è vivis eſt, dum è Friſia Nortwicam æger rediiſſet, anno 1604. die 8. Octobris, annos natus LIX. ſepultus in Haga-Comitis, relictis ex *Elizabetha Van Zuylen*, Theodorici Domini de Haer & Sevender filiâ, filiis *Jano*, *Georgio*, *Franciſco* & *Theodoro*; laudatus pro funere à Daniele Heinſio, Academiæ Leidenſis nomine, item à Petro Bertio, & Juſto Lipſio. Hic poſuit breve Epitaphium.

DOUSA *meus jacet hic; tecum mi* DOUSA *jacêre*
Candorem & Muſas ingenuè fateor.

JANUS DOUSA,

Jani Filius, Philologus ac Poëta, & quod in tenera adhuc ætate mireris, Philoſophus ac Mathematicus inſignis, primuſque Bibliothecæ Lugduno-Batavæ ſub patris curâ Præfectus. Paternis inſiſtens veſtigiis, ſcripſit

Notas in Catulli, Tibulli, & Propertii Poëmata. Lugd. 1592. 12.

Spicilegium in Petronii Arbitri Satyricon. Ibid. 1594. 12.

Animadverſiones breves *in Plauti Comœdias*. Ibid. 1596. 12.

Declamationem in laudem Umbræ; addito *Rerum Cœleſtium* libro. Ibid. 1591. 8. Illa rurſus edita eſt Lugduni 1638. inter Diſſertationes ludicras variorum.

Præterea *Annales Bataviæ* ſive *Hollandiæ* patris ſui proſâ oratione, pertexuit. Ibid. 1601. & 1617. 4.

Sed & *Poëmata* varia edidit, ibidem excuſa.

Obiit ante patrem, ex itinere Hungarico rediens, anno 1597. nondum expleto viceſimo ſexto ætatis anno, Hagæ-Comitis conditus.

J. DOUSA, JANI F. hîc cubat,
Qui vixit ann. XXV. men. XI.
Dies IV.
JANI DOUZÆ Patris & Filii.
Uterque DOUZA, *uterque* JANUS *hic cubat,*
Paterque filiuſque: morte quâ rogas?
Pater dolore, Natus aſthmate, è viâ
Sibi labore quod crearat, occidit.
Precari at ipſe ne gravere mortuis,
Negata vivo utrique quæ fuit quies.

Janus Gruterus amico ſingulari hanc inſcriptionem gratus dicavit.

JANO DOUSÆ,
Nordovici Domino,
Antiquis moribus,
Literis, imaginibus omnium
Quos ſol aſpicit ornatiſſ.
Quod me
immortali mactaverit honore,
Dignatusque inſuper per terras
Et maria
indefeſſo purioris famæ
Remigio, vehere ſecum
Arrhabonem,
Grati ac memoris animi
Lib. nimium meritoque
JANUS GRUTERUS Antverpius
Devotus nom. auctoritateque ejus
Ponebam
Lugduni Batavorum
A. M. D. XXCIII.
III. Non. Decemb.
Qui Dies mihi natalis.

JANUS GRUTERUS,

Antverpiæ naſcitur, anno 1560. tertio Nonas Decembris, patre *Waltharo* hujus Urbis Conſule. Præfando ad Tomum Florilegii magni, quem ipſe collegit, ſcribit ſe à matre *Catharina Tisbem*, ab avia & eſſe & audire Anglum, eaque in Inſula vixiſſe, adoleviſſe, ſtuduiſſe aut Norwichi aut Cantabrigiæ ab anno ætatis quarto uſque ad decimum nonum. Reliquos adoleſcentiæ ſuæ annos egit Lugduni Batavorum, Juſti Lipſii toto ſeptennio auditor.

Doctor Legum illic promotus, dum Antverpiam cogitat, ibidem domicilium fixurus, vix ingreſſus urbem, ab Alexandro Principe Parmenſi mox obſidendam, parentis juſſu in Galliam ſeceſſit. Atque exinde pleraſque Europæ provincias obiit, ad publicam Hiſtoriarum Profeſſionem interim à variis invitatus.

Verùm Heidelberga illi placuit, ubi & *Henrici Smetii*, à Leda, filiam matrimonio ſibi copulavit. In hujus urbis direptione anno 1622. à milite Bavaro facta, & Bibliothecæ, quam XL. annorum ſpatio ſibi privatim vix duodecim aureorum millibus comparârat, & reliquæ ſupellectilis, jacturam omnimodam fecit, ſolumque vertere coactus, Argentorati paulliſper ſubſtitit, vitęque ultimam ſtationem elegit Brittæ apud Oſwaldum Smendium generum.

Vir fuit Græcè ac Latinè, omniſque adeò Antiquitatis, admodum peritus, qui dum à Curatoribus Academiæ Groninganæ delectus eſſet Hiſtoriarum ac Græcæ Linguæ Profeſſor, prius quam itineri ſeſe accingeret, anno 1627. die 10. Septembris ſupremum diem obiit, annos natus 66. menſes 9. dies 17. Heidelbergæ in D. Petri depoſitus. Edidit

Poëmata varia; quibus ingenii ſui facere periculum voluit, unde & *Pericula* inſcripſit. Sunt in his *Elegiarum* libri IV. *Manium Guilielmiorum*, in funere Jani Guilielmi, liber I. *Epigrammata: Mnemoſynes* ſive *Ocellorum* lib. I. Heidelbergæ, 1587. 8.

Suſpicionum libros IX. in quibus varia Scriptorum loca emendata & explicata. Witebergæ, 1591. 8.

Confirmationem Suſpicionum Extraordinariarum, contra *Dion. Gothofredi* in Senecam Philoſophum Conjecturas. Francof. 1591. 8.

Notas CRITICAS, ſive *Emendationes* & *Animadverſiones in Senecæ Philoſophi Opera* omnia. Heidelbergæ, typis Comelini, 1594. fol.

Animadv. *In Senecæ Tragœdias*. Ibid. 1600. 8. item Leidæ 1621.

In Statii Papinii Poëmata. Ibidem eodem anno. 8.

In Martialis Epigrammata. Ibid. 8. 1600. Francof. 1602. Leidæ 1619.

In Salluſtium. Francof. 8. 1607.

In Titi Livii omnes ſuperſtites libros, caſtigatos ad fidem MS. Codicis. Francof. 1609. in 8. &c. item 1628. fol.

In Corn. Tacitum, *& Diſcurſus in eumdem*. Heidelbergæ, 1604. 4.

In Florum. Ibid. 1597. 8. & alibi.

In Velleium Paterculum. Francof. typis Jonę Rhodii, 1607. 12.

In Plinii Secundi Epiſtolas. Ibid. 1611.

In Panegyriſtas veteres. Ibid. 12. eodem anno.

In Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores VI. quos vocant minores, cum Notis politicis. Ibid. typis Marnii, 1611. fol. & Lugd. Batavorum, 1619. 12.

In Plautum. Wittemb. apud Scurerum, in 4. 1621.

In Querolum, incerti auctoris Comœdiam. typis Commelini, 1595. 8.

In Mimos Publii Syri: quibus ſimiles è variis auctoribus adjecit *Sententias*,

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

variis linguis. Item *Adagia* Gallica, Germanica, Belgica, Italica, & Hiſpanica. Francof. typis Rhodii 1610. 8. recuſa Lugduni Batt. 1708. 8.

Inſcriptionum Veterum Romanarum ingens vaſtumque volumen, typis Commelianis, 1601. fol. auſpiciis *Marci Velſeri & Joſephi Scaligeri*, pòſt *Martini Smetii* editionem.

Prodiit ejuſdem libri nova eaque magnifica editio, hoc titulo, *Inſcriptiones antiquæ totius Orbis Romani, in abſolutiſſimum Corpus redactæ olim auſpiciis Joſ. Scaligeri, & Marci Velſeri, induſtriâ autem & diligentiâ Jani Gruteri, nunc curis ſecundis ejuſdem Gruteri & Notis Marquardi Gudii emendatæ, & tabulis æneis à Boiſſardo confectis illuſtratæ, denuo curâ J. G. Grævii recenſitæ. Accedunt Adnotationum Appendix & Indices XXV. emendati & locupletati, ut & Tironis liber & Senecæ Notæ.* Amſtelod. 1707. in fol. IV. vol.

Joannes Felix Paleſius, Patavinus, *Corpus Inſcriptionum Grutenianum, à Raphaele Fabretto* plus-quam 4000. novis adauctum, atque ordine meliori digeſtum, edi curavit Panormi anno 1733. & ſeqt.

M. Tullii Ciceronis Opera omnia, ex ſola ferè manuſc. Codicum fide Hamburgi, typis Frobenianis, 1618. fol. II. vol. & iterum Londini 1681. fol.

Chronicon Chronicorum, Eccleſiaſticum & Politicum, collectore *Joanne Gualtero*. Verum is ipſe *Janus Gruterus eſt*, qui nomen ſuum diſſimulavit, quod multa in eo Chronico poneret, non uſque adeo ſecurè ponenda. Prodiit Francof. 1614. 8. Tomis VIII.

Lampadem, ſive Facem Artium Liberalium, hoc eſt, *Theſaurum Criticum, in quo infinitis locis, Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum, Oratorum, Hiſtoricorum Poëtarum, Grammaticorum &c. Scripta ſupplentur, corriguntur, & illuſtrantur.* Francof. 1602. & ſequent. VI. vol. 8. *David Pareus* anno 1623. adjunxit volumen VII.

Florilegium Ethico-Politicum, cum Gnomis Paræmiiſque Græcorum, Proverbiis Germanicis, Belgicis, Britannicis, Italicis, Belgicis, Hiſpanicis. Francof. 1610. III. vol. 8.

Florilegii magni, ſive Polianthææ Tomum II. fol. Argentorati 1624.

Delicias Poëtarum Italorum, hujus ſuperioriſque ævi illuſtrium, ſub fictitio nomine *Ranutii Gheri*. Francof. 1608. II. vol. in 16.

Delicias Poëtarum Gallorum. Ibid. 1609. III. vol. in 16.

Delicias Poëtarum Belgicorum. Ibid. 1614. III. vol. in 16.

Bibliothecam Exulum, ſive Enchiridion divinæ humanæque prudentiæ. Argentor. 1624. 12. & Francof. 1628. in 8.

Denique inter *Epiſtolas celebrium eruditorumque Virorum*, Amſtelod. 1705. in 12. plures extant Jani Gruteri.

Orationem de Vita, Morte & Libris *Gruteri* edidit Frid. Hermannus Flayderus, Tubingæ, 1628. 12.

Vide & plura alia de eodem *Grutero* memorabilia, apud P. *Niceron* de præclaris Scriptoribus Tomo IX. pag. 388. & ſeqt.

JANUS HAUTENUS,

Batavus, S. P. Q. Leidenſi à Secretis,

Plautinas Comœdias Rythmis Belgicis expreſſit: quam verſionem Juſtus Lipſius probaſſe ſe teſtatur his verbis.

Belgarum decus & Batava Siren,
Noſtrarum pater elegantiarum,
HAUTENE, *unice & une mi ſodalis,*
O quam nos lepidâ tuâ camœnâ
Oblectas reficiſque, dum latinas
Transfers ad Patrium ſolum Camœnas,
Et Plauti numeros ſolutiores,
Verbis & numeris ligas Batavis,
Quod hæc atque alia invidebit ætas.

O joci Venereſque, & Atticorum
Conditæ ſale collocutiones!
Vis verum tibi dici amice? dicam.
Te vivo pariter ſales Batavi
Vivent, & pereunte te peribunt.

JANUS LERNUTIUS,

Brugis Flandrorum naſcitur anno ſalutis 1545. Idibus Novembris. Poſt abſoluta ſtudiorum prima rudimenta Gandavi atque Antverpiæ, toto ſeptennio Lovanii Muſas coluit, totiſque viginti & uno annis Lutetiæ, Patavii, Romæ, & alibi rerum admirandarum inſpectioni ſe totum ſacravit, *Juſti Lipſii*, Galliæ, Italiæ, Germaniæque Academias atque antiquitates luſtrantis individuus comes; Vir eruditione & famâ magnus, candore incomparabilis, nulli gravis, omnibus acceptus, ab omni ambitione alienus.

Quo factum, ut opibus à parentibus relictis honeſtiſſimè ac modeſtiſſimè ad exemplum uſus, in beatiſſimis ſtudiis ætatem egerit, publica non affectaverit, uno Scabinatu Urbis patriæ contentus; quamque non ambiit Nobilitatem Rudolphus II. Imperator anno 1581. ipſi poſteriſque contulerit. Dedit vinctâ numeris oratione,

Ocellos, *Baſia*, *Elegias* &c. Antver. typis Plantini, 1579. 8.

Epinicium Ambroſio Spinulæ dicatum. Ibid. excudit Verduſſius, 1607. 4.

Epicedium, ſive *Funus Lipſianum.* Ibid. 1607. 4.

Idyllia Filio Dei & Magnæ Matri Virgini ſacra. Lovanii apud Maſium, 1602.

Præloquia Encomiaſtica Ordinibus Flandriæ. Brugis, 1604. 4.

Initia, ſive *De Creatione Mundi*, *Epitaphia*, aliaque Lugd. apud Batavos, 1614. 8.

Denique *Caroli Flandriæ Comitis Martyris Vitam*, proſâ oratione, editam Lutetiæ.

Denaſcitur Brugis, in patria, anno 1619. III. Kal. Octob. ſepultus ad S. Salvatorem, in ambitu templi, hoc Epitaphio.

D. O. M. Sacr.
Et Memoriæ
JANI LERNUTII, Viri Clariſſ.
Qui eruditione & famâ magnus,
Candore incomparabilis,
Nulli unquam gravis, omnibus acceptus,
In doctorum animis, dum vixit,
Quandiu vixerunt, ſedem habuit:
In demortuorum libris, ut & ſuis,
Etiam poſt obitum cũ ipſis victurus eſt.
Tam ab omni ambitione alienus,
Quam virtute verâ præditus;
Quo factum, ut opibus à Parentibus
Relictis honeſtiſſimè ac modeſtiſſ.
Ad exemplum uſus,
In beatiſſimis ſtudiis ætatem egerit;
Publica non affectaverit,
Etiam oblata reſpuerit;
Uno Scabinatu Urbis Patriæ contentus,
Quo & ſæpe & diligenter eſt functus.
Liberos utriuſque ſexûs
Ex MARIA
JACOBI TORTELBOOMI Filia
Suſtulit XII.
Quam non ambiit Nobilitatem,
Rudolphus Imperator
Anno M. D. LXXXI.
Ipſi poſteriſque contulit.
Vidua & liberi, Viro & Patri ſuaviſſ.
M. H. P. C.
Natus anno M. D. XLV.
Idibus Novembris.
Anno M. D. C. XIX.
III. Kal. Oct. denatus.

Aliud.

Hunc tumulum aſpiciens, ne multa quæra-
re, ſed illud
Ingeme, lux Morinis ultima rapta fuit.
JUSTUS RYCKIUS Gandenſis & C. R.
Amico magno pos.

Digitized by Google

JANUS seu JOANNES RUTGERSIUS,

J. C. Dordraci naſcitur patriciâ ſtirpe, anno 1588. atque in patria Gerardo Joanni Voſſio bonis litteris formandus traditur. Mox Lugdunum Batavorum miſſus, vixit ibi gratiſſimus Joſepho Scaligero, & jam tum ingenii ſui profectûſque in politiori litteratura dare ſpecimen cœpit, Legumque Doctor promotus fuit.

Hinc Lutetiam profectus, & Frederici Morelli, viri doctiſſimi Græcæque Linguę Profeſſoris, contubernio per aliquod tempus uſus, ad ſuos deinde rediit. Unde iter in Sueciam ſuſcepit, ibique Regius ejus Regni Conſiliarius, & ad Fœderati Belgii Ordines Legatus deſignatus eſt: torque etiam aureo per Regem donatus anno 1619. Dum autem patriæ Regiſque negotiis intendit, Hagæ-Comitis in ipſo ætatis flore è vivis abripitur die 26. Octobris 1625. (non autem 1623, uti citat Val. Andreas) annum tunc agens 36. Bibliothecam, quam habebat inſtructiſſimam, *Danieli Heinſio*, ſororio ſuo, legavit. Edidit

Variarum Lectionum libros VI. quibus utriuſque linguæ Scriptores quà emendantur, quà illuſtrantur. Lugd. Batavorum, 1618. 4.

Notas in Martialem. Ibidem 1619. in 12.

Spicilegium in Apulæium. Francof. 1621. 8.

Emendationes in Q. Curtium Leidæ 1625. 12. cum Notis T. Popmę & Joann. Loccenii.

Poëmata. Leidæ 1653. ad calcem Poëmatum Nicolai Heinſii, nepotis Rutgerſii.

Lectiones Venuſinas, ſive *Notas in Horatium* patriâ Venuſinum; quas olim manu Nic. Heinſii ſcriptas, evulgavit Ultrajecti 1699. in 12. Clariſſ. *Petrus Burmannus*, Prof. Lugduno-Batavus.

Confutatio fabulæ Burdonum, quæ ſub nomine *J. Rutgerſii* 1608. Leidæ prodiit, non eſt illius, ſed *Joſephi Scaligeri.*

Vita Jani Rutgerſii, Guſtavi Magni, Suecorum Regis Conſiliarii, & ad aliquot Principes Legati, ab ipſo olim conſcripta, & inter Schedas ejus reperta. Prodiit Lugd. Bat. 1646. in 4. edente *Guilielmo Goeſio*, illius nepote, dein Senatûs Hollandiæ Aſſeſſore.

Vide etiam Notitias Litterarias P. Niceron Tomo XXXII. pag. 139.

JANUS VLITIUS,

Batavus, deſcripſit ſolutâ oratione & metro

Inaugurationem illuſtris Scholæ Collegiique Auriaci à Principe Frederico ejuſque conjuge Amelia de Solms in Urbe Breda erecti 17. Septembris 1646. Accedunt Orationes auſpicales Ludovici à Reneſſe, Andreæ Riveti, Joannis Henrici Dauberi, Alberti Kyperi, Joannis Broſterhuſii &c. 4. Bredæ 1647.

Accedit *Quinquatruum Bredanarum deſcriptio*, ſive in Inaugurationem dicti Athenæi Poëma. Iiſdem typis.

JASON PRATENSIS,

Vel à Pratis, Ziriczæus, Zelandus, Medicinæ Doctor, parentem habuit *Thomam*, Artis item medentis claſſicum Doctorem, ut ipſe in Epitaphio libro tertio Carminum ſcribit: Vir inſigniter eruditus, & heroïco ſtylo illuſtris, in verſibus autem terſus & facilis. Medicinam primò in urbe patria exercuit, deinde ab Adolpho Burgundo, Marchione Veriæ, & Domino Beverenſi (quem Principem ſuum appellat) requiſitus, & in ar-

Digitized by Google

cem Sanderburgum evocatus, aulæ ejuſdem, urbiſque Verianæ Archiater fuit. Scripſit

De Uteris, & victu gravidis obſervando, libros II. Antver. typis Mich. Hillenii, 1524. 4.

De Pariente & Partu. 1527. 8.

De Sterilitate arcenda & progignendis liberis. 1531. 4.

De tuenda Sanitate libros IV. Ibid. 1538. 4. & apud Joan. Withagium an. 1558. in 4.

De Cerebri morbis curandis. Baſileæ, typis Henr. Petri, 1549. 8.

Poëmata varia hoc titulo: *Sylva Carminum adoleſcentiæ D. Jaſonis Pratenſis.* Antver. typis Hillenii, 1530. 8.

Deceſſit in patria anno 1558. XI. Kal. Junii, conditus in Templi primarii choro.

Epithaphium
Eruditiſſimi ac celeberrimi Viri
JASONIS PRATENSIS,
Medici Zirizæi.
Obiit XI. Kal. Junii M. D. LVIII.

Scaldia, quæ pratis latiſque extenderis agris,
Aſpice Pratenſis poſthuma buſta tui:
Hic ſitus eſt, non quem Colchis male ſentit Jaſon,
Aut qui Medææ ſtruxerat arte dolum:
Sed Urbs quem peperit Medicum, Zirizæa, ſuâque
Arte dedit firmâ poſſe ſalute frui.
Ecce per immenſum diffuſa volumina mundum
Optima victuri dant monumenta Viri,
Quæque per Aonios cecinit doctiſſimus hortos,
Et tot conſpicuo carmina ſulta pede.
Sufficiat genuiſſe duos: LÆVINUS, JASON,
Nomina ſunt opibus ſplendidiora tuis.
Pangebat Adrianus Hofferus.

IDA, SEU IDELETTA DE GRE',

Leodienſis, ſcripſit idiomate Teutonico *Hortulum animæ*, variis & amœniſſimis Orationum floſculis conſitum: quem Gallicum fecit & edidit F. C. V. Auguſtinianus, eique Tractatum *de pace animæ* ſubjunxit. Antver. apud Verduſ. 1618. 12.

IDSARDUS GRAVIUS,

Friſius, Sacerdos & Hiſtoricus, ferente Saxonum contra Friſios bello, relictâ patriâ Romam conceſſit; ſcripſitque

Chronicon Friſiæ, ab anno M. CC. LXIII. Definit in annum 1514. exemplo Joannis Becani Ultrajectini, quem videtur voluiſſe explere. Uſus eo eſt Suffridus Petrus; qui & Decade IX. Scriptorum Friſiæ de *Idſardo* plura memorat.

JENCO A DOUMA,

Friſius, Hiſtoricus vixit circa annum 1505, ejuſque elucubrationibus uſum fuiſſe ſe fatetur Suffridus Petrus. Scripſit utique

Epitomen rerum in Friſia geſtarum; quam vocat *Teſtamentum* ſuum.

JEREMIAS PIERSENÆUS,

Jacobi & Annæ Goethemiæ, matronæ nobili loco natæ filius, natale ſolum halum habet Beveram, non incelebre in Waſia Flandriæ municipium. Juvenis Lovanii *Juſtum Lipſium* docentem audivit, datâque ſtudio J. U. operâ, ac luſtratis exin præcipuis Europæ Academiis, lauream Doctoralem Aurelliis è media Gallia reportavit.

In Belgium reverſus in ſuprema Flandrorum Curia aliquantiſper cauſarum patronum egit: mox Urbi & Territorio Iprenſi ab Actis, Fiſci demùm Curator ac Senator in eadem Flandriæ Curia Regius; Vir & Legum cognitione

tione, & politiore litteraturâ clarus, & in poëtica facultate Catullianam præcipuè phraſin ſingulari conatu imitatus, luſit Elegias plures ſparſim editas, & pleraſque in commendationem Auctorum Scriptorumque.

Carmen Gratulatorium Sereniſſ. Alberto & Iſabellæ, Belgii Principibus. Gandavi, 1600. 4.

Epinicia in laudem Marchionis Ambroſii Spinulæ, receptâ poſt triennalem obſidionem Oſtendâ.

Gratulatorium Carmen in adventum Sereniſſ. Principis Ferdinandi.

Elegiam in obitum Clariſſ. Juſti Lipſii, ad *Petrum Pantinum*, *Nic. Oudartum & Janum Lernutium.* Legitur in Fama poſtuma ejuſdem Lipſii. Aliaque.

IGNATIUS DERKENNIS,

Antverpienſis, in Societatem Jeſu admiſſus anno 1614. poſtea apud ſuos Lovanii S. Theologiæ Profeſſor, quorundam Collegiorum Rector &c. deceſſit Lovanii die 29. Julii 1656, ætatis anno 58. Edidit

Tractatum de Deo uno, trino, Creatore. 8. Bruxellis per Franc. Foppens. 1655.

Theſes etiam *varias*, ac ſignanter anno 1641. Lovanii apud ſuos defenſas, *De Gratia & libero arbitrio:* quibus doctrinam Libri Auguſtini-Janſeniani primus ipſe aggreſſus fuit. Prodiere hæ Theſes fol. Antver. apud Meurſium, eodemque anno 1641. Kal. Auguſti per Urbanum VIII. Pont. prohibitæ fuêre, unà cum ipſo Janſenii libro.

IGNATIUS DYCKERIUS,

Gandavenſis Flander, Ord. FF. Eremitarum S. Auguſtini profeſſus in patria anno 1608, dein S. Th. Doctor, Gandavi, Trajecti ad Moſam, Aquiſgrani, Viennæ in Auſtria, & Moguntiæ quondam Prior, per Auſtriam, Bavariam, Rhenum & Sueviam Commiſſarius generalis, & anno 1652. Belgii Provincialis; Vir exactæ eruditionis, obiit Gandavi die 24. Septembris 1661. Opera ejus hæc ſunt.

Tragœdia de Theodoro Alexandrino.

Vita B. Joannis à S. Guilielmo, cum Notis.

Poëmatum, ſive *Epigrammatum Sacrorum* libri III. Coloniæ 1639. Quibus acceſſit unus Sylvarum & duo Lyricorum. Colon. 1652.

Martyrologium Ordinis.

IGNATIUS HUART,

Abbatiæ de Alna, in Diœceſi Leodienſi, Religioſus Ciſtercienſis, Philoſophus ſubtilis & S. Th. in ſuo Monaſterio Profeſſor; ſuſpectus tamen non leviter, quod damnatæ doctrinæ Janſenianæ adhæreret: uti & è quibuſdam Libris ejus pateſcit. Hæc evulgavit;

Bernardus Abbas, ſeu ſanctus Prælatus: hoc eſt, Flores Paſtorales ex ſelectiſſimis quibuſque D. Bernardi Operibus collecti, in gratiam Prælatorum omnium tam ſæcularium quam regularium. 4. Lovanii 1651 apud Hieron. Nempæum.

D. Bernardi Abbatis Clarævallenſis, Doctoris melliſlui Tractatus de Gratia & libero arbitrio, periodicè diſpunctus, Commentario illuſtratus, S. Auguſtino primario Gratiæ propugnatori conſonus demonſtratus, atque à filiorum alienorum depravationibus vindicatus: ſub nomine anagrammatico *Ranutii Higati*, Lintrivallenſis.

Librum hunc, qui S. Bernardum in Janſenii ſententiam pertrahere moliebatur, acriter mox impugnavit *Bernardus Texerius*, Ord. Ciſterc. S. T. D. Prior Boniſontis, editâ *Diſputatione Theologica in Janſeniana dogmata*, Carolopoli 1651. contra quem reſcrip-

sit Huartius *Bernardum abbreviatum.*

Nec minus nervosè Huartium aggressus est *Matthias Hausæur*, ex Ordine FF. Minorum Theologus, edito libello hujus tituli: *Correctio fraterna Ranutii Higati, anagrammatici Ignatii Huarti.*

Hic vero reposuit: *Exceptiones & Vindicias pro Ranutio Higato, adversus criminationes & errores quibus ejus doctrina & mores impetuntur ab authore Libelli, cui titulus: Correctio fraterna, &c. ad Reverendiss. P. Petrum Marchantium Ord. FF. Minorum Regularis & strictioris Observantiæ Commissarium generalem* &c. Ac paulo post addidit: *Appendicem Vindiciarum pro Ranutio Higato.* Sed omnes hi libri Romę proscripti fuerunt anno 1654. per Innocentium X.

Reliquit item MSS. *Commentarium in Logicam Aristotelis, sive Aristotelem rationalem. &c.*

S. Bernardi faciem immaculatam.

Bernardum Monachum: ubi vita spiritualis, ipsius S. Doctoris verbis exprimitur.

ILDEPHONSUS GOETGEBUER,

Flander, Monachus Benedictinus ac Bibliothecarius Abbatiæ Elnonensis seu S. Amandi in Pabula, in Gallo-Flandriâ, ex pervetustis Manuscriptis Codicibus Bibliothecæ ejusdem eruit, evulgavit ac Notis illustravit Opus Jonæ Episcopi Aurelianensis (qui sæculo IX. vixit) antehac incognitum; cui titulus:

Via recta & antiqua, sive qualiter omnes homines vitam Deo placitam ducere oporteat: Opus tribus distinctum libellis &c. 12. Duaci per Joan. de Spira 1645.

ILICO UMMIUS,

Butiades, Frisius, J. U. Doctor & Consiliarius Oldenburgicus, edidit *Disputationes XXIII. de Processu Judiciario.* Jenæ, 1616. & 1619. 4.

JOACHIMUS AXONIUS,

Gravianus, J. U. Doctor, Poëta & Philologus græcè etiam doctus, Philippo Comiti Lalainio à studiis fuit, & pleraſque Europæ provincias, ipsamque Græciam & Terram sanctam perlustravit. Vixit dein consenuitque Antverpiæ, Belgarum Principibus à Consiliis maritimis. E græco vertit

Maximi Planudis Orationem in Sepulchrum Christi. Dilingæ, 1559. 4.

Gregorii Palami, Philosophi Græci, *Dialogum*, cui titulus: *Lis inter Corpus & Animam, & Dei Judicium illud dirimentis.* Græcè Parisiis, latinè Lugduni.

Excerpta *Hesiodi de Justitia.* Item

Agapeti Præcepta Morum ad Justinianum Imp. Cui *Ferrandum* adjecit, Carthaginensem Diaconum, *de Officio Ducis Militaris.* Antver. typis Ant. Tilenii, in 16. 1578.

Scripsit & *Anemolegium*, seu *de Ventorum natura*, ex Aristotele ceterisque Philosophis, formâ tabulæ, quæ columnæ secundùm ventorum stationes queat affigi. Ibid. 1564.

De Libero Hominis arbitrio, adversus Lutherum & Calvinum.

Versibus verò lusit,

Carmen paramythicum in laudem Cosmographiæ.

Gamelion, seu *Nuptiale in nuptias Philippi, Lalani Comitis.*

Epicedion in mortem Antonii Burgundi, in Belgio maris Præfecti. Edita pariter. Ibid. 1578. 8.

Obiit Antverpiæ, anno 1605. VIII. Kalen. Septembres, conditus in D. Jacobi parochiali, hoc Epitaphio.

HUMILES ALTA JUVANT.
JOACHIMUS AXONIUS,

Digitized by Google

Gravianus, J. U. D.
Principib. noſtris à Conſiliis maritimis,
BARBARA DE MANGELAER
Ejus Uxor;
MAGNUS WAUTHERUS,
Gaſparis ex Barbara prædicta F.
Mortalitatem exuti
Hic quieſcunt,
Dum immortalitatem induant.
Obierunt Antverpiæ
Ille VIII. Kal. Sept. Iſta pòſt paulò
VI. Kal. Octob. Anno Chriſti MDCV.
Hic V. Idus Octob. an. MDCIV.
Defunctis bene apprecare.
ADRIANUS MARSELAER genero
Cum MARGARETA DE WYSE, MAGNI
Præclarâ Viduâ,
Piam memoriam procurante.

JOACHIMUS BAECXIUS,

Ultrajectinus, Presbyter, naſcitur anno 1562. die x. Auguſti, patre *Joanne*, Curiæ ſupremæ à Secretis. In hoc viro certavit cum ſapientia ſimplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas; quas dotes ac virtutes ſcripta ejus paſſim ſpirant, pleraque vernaculo ſermone evulgata.

Interpres ſive *Advocatus omnium ſyncerorum Catholicorum*. Bruxellæ 1610.

Catholicorum pravorum τὸ QUARE. Sylvæ-ducis 1614.

Bannum omnium Hæreticorum, Politicorum & Perverſorum Catholicorum. Antver. 1616.

Scopæ Conſcientiæ, gallicè. Bruxell. 1610. 12.

Moritur vir piiſſimus Ultrajecti, anno 1619. die XXIV. Septemb. ubi totum novennium hæreticorum converſioni impenderat, jejuniis & vigiliis ſeipſum macerando, excubandoque diu noctuque ſuper gregem Dominicum, juxta ſymbolum, quod uſurpare ſolebat: HIC AMO EXCUBIAS.

JOACHIMUS BRULIUS,

Vorſtenſis, è Campinia Leodienſi, Ordinis Eremit. S. Auguſtini profeſſione Dieſtemienſis, S. Theol. Doctor Academiæ Bituricenſis, Conventûs Colonienſis Prior, totiuſque Provinciæ Belgicæ an. 1640. & 1649. præfectus, edidit

Reſolutiones Caſuum reſervatorum apud Regulares. Coloniæ, 1640. apud Joan. Munich.

Confeſſiones B. Alphonſi de Oroſco, ex lingua hiſpanica vertit in gallicam.

Vitam edidit *P. Joannis Chiſii*. Antverp.

Hiſtoriam Peruanam Ord. Erem. S. Auguſt. libris XVIII. fol. Antv. 1652.

Hiſtoriæ Chinenſis, Tomos II.

De ſequeſtratione Religioſorum lib. I.

Regiſtrum Conventûs Brugenſis. MSS. Brugis in Conventu aſſervatur.

JOACHIMUS FORTIUS,

(Vulgò STERCK) RINGELBERGIUS, Antverpianus, prima Linguæ Latinæ rudimenta, ceteraſque diſciplinas Lovanii hauſit. Fuit ingenio facili, atque artium pænè omnium capaci: nam & juvenis, dum in aula Maxæmiliani Imperat. verſaretur, pingendi cælandique artem didicit; & ætate creſcente Lovanii, Lutetiæ, Aurelliis ac Burdigalæ varias ſcientias, Oratoriam, Mathematicam, Coſmographicam, & his ſimiles, Græcaſque inſuper Litteras (quarum eam cognitionem fuerat aſſecutus, ut Homerum ad unguem memoriter tantum non recitare valeret) profeſſus, encyclopædiam totam ſcripto complexus eſt. Scripſit enim

De ratione Studii, ubi multa de ſuis refert ſtudiis. Antv. 1529.

De uſu & differentiis Vocum quarundam, apud Latinos.

De uſu Vocum, quæ non flectuntur.

Grammaticæ Græcæ Elementa.
De conſcribendis Epiſtolis.
Rhetoricam & quæ ad eam ſpectant, *Dialecticam* : *& Tabulas* in eamdem. Lugd. 1547.
Sphæram ſive *Inſtitutionum Aſtronomicarum* libros III. Baſileæ 1528. in 8.
Coſmographiam.
Chaos Mathematicum.
De Horoſcopo.
Optica.
Arithmeticam.
De Urina non viſa.
De Homine, ex Plinio.
De interpretatione Somniorum &c. Hæc omnia ſimul excuſa Lugduni, apud Gryphium, 1531. 8. Baſileæ, Antverpiæ, & alibi.

Obiit circa annum 1536. Vitam ipſe ſuam ferè propoſuit, ubi de Homine diſſerit : & ex eo deſcripſit eamdem Melchior Adamus, Sileſius, libro de Vitis Scriptorum Germaniæ.

JOACHIMUS HOPPERUS,

Friſius, Snecæ, antiquâ *Hopperorum* familiâ, anno 1523. III. Idus Novembris natus eſt. Puer linguæ utriuſque fundamenta jecit Snecæ in patria, & Harlemii apud Batavos. Philoſophiæ, maximè Platonicæ, & Juriſprudentiæ operam dedit Lovanii, præceptorem nactus *Gabrielem Mudæum*, purioris Juriſprudentiæ lumen, Academię columen.

Quo factum, ut (ſcribente Sebaſtiano Foxio, libro de ſtudii Philoſophici ratione) ob perfectam Philoſophiæ notitiam, quam habebat, non modò reliquos omnes Juriſconſultos, quicumque multis annis illam artem docuerant, in eaque magna cum laude verſati erant, ſuperaret; ſed illa etiam, quæ nemo ante illum tentarat, aut fieri poſſe putarat, inveniret, perficeret, & ſumma cum admiratione doceret.

Luſtratis ergò Pariſienſi & Aurelianenſi Galliarum Academiis, Lovanium reverſus, anno 1549. XIII. Kalendas Septembres titulum Juriſconſulti, & quadriennio pòſt Doctoratûs inſignia accepit : nempe die 27. Auguſti 1553, cum *Vendevillio*, *Wameſio*, & *Peckio*, (quâ Doctorum quadrigâ nulla unquam clarior viſa eſt.) Docuit magno audientium concurſu & fructu Digeſtorum, ut vocant, Paratitla, novâ methodo novam utilemque Juris artem proponens : quò plerique ejuſdem ſpectant ſcripta.

De Juris Arte libri III. unà cum Tabulis in eoſdem libros, nomine diſcipulorum editis. Lovanii, 1553. fol.
Ad Juſtinianum de obligationibus κατ' ἐξοχὴν libri V. Ibid. 1553. fol. & Col. in 8.
Diſpoſitio in Libros IV. Inſtitutionum. Coloniæ, 1557. 8.
Diſpoſitio in Libros Pandectarum. Ibid. 1558. 8.
Iſagoge in veram Juriſprudentiam, libris VIII. Priores quattuor continent *Paratitla Juris Civilis* : poſteriores *Elementa Juris*, ſive *Principia Juſti & injuſti.* Ibid. 1580. 8.
Seduardus : ſive *de vera Juriſprudentia*, libri XII. videlicet,
Νομοθεσίας ſive *de Juris ac Legum condendarum ſcientia*, libri IV.
Rerum divinarum & humanarum, ſive *de Jure publico*, libri IV.
Ad Pandectas, ſive *de Jure Civili privato*, libri IV.
Themis Hyperborea, ſive *de Tabulis Regum Friſiæ*, libri I.
Ferdinandus, ſive *de Inſtitutione Principis*, liber I. Simul excuſa Antverpiæ typis Plant. 1590. fol. atque iterum Bronſvici 1656. 4. curis *Hermanni Conringii*, *J. U. D.*
Paraphraſis in Pſalmos Davidicos. Antver. 1591. 8.

Conceperat & *Epitomen de Origine Gentis Friſonicæ*, quam imperfectam hæredes adſervarunt : laudatque auctori-

Digitized by Google

tatem illius non ſemel *Martinus Hamconius*, in Friſia ſua.

Item *de Initiis Tumultuum Belgicorum*, gallicè; extat MS. in Bibliotheca elegantiſſima Eminentiſſ. Card. de Alſatia, Archiepiſcopi Mechlin.

Fuit verò HOPPERUS, poſtquam ex umbra in lucem, ex ſchola in forum aulamque prodiit, Regi Catholico in ſacro Conſiſtorio Machlinienſi, ac ſecretiori, quod Bruxellæ reſidet, à conſiliis, ab eodemque poſtea anno 1566. in Hiſpaniam eſt evocatus, ut eſſet rerum ſtatus Germaniæ Inferioris apud Regem Conſiliarius & magni ejus ſigilli Præfectus; Equeſtri ibidem honore & titulo auctus, nominatuſque Dalemii Toparcha.

Litteræ Politicæ & Hiſtoricæ Viglii ad Hopperum, anno 1661 editæ à *Simone Abbes Gabbema*, ſcatent mendis erratiſque multiplicibus ac craſſiſſimis, & nullo ſunt ordine diſpoſitæ; quarum prima deſcriptio, dictante *Viglio* facta, ejuſque manu propriâ ſæpiſſimè emendata, extat MS. Lovanii in Bibliotheca Collegii à Proto-Præſide *Viglio* inſtituti.

Obiit Mantuæ Carpetanorum, anno ſalutis partæ, 1576. ætatis LIII. XVIII. Kal. Januarias, depoſitus in Æde SS. Trinitati ſacra. Plura de Vita ejus Suffridus Petrus, Decade XII. Script. Friſiæ cap. IX.

Filios reliquit ſuperſtites, *Gregorium*, Dalemii Toparcham, & ſanctioris Senatûs Aſſeſſorem, qui in patris Seduardum præfatus eſt, & *Caium Antonium*, ad D. Petrum Lovanii Præpoſitum & Academiæ Cancellarium.

CYPRIANUS VOMELIUS Friſius hoc illi breve Epitaphium poſuit.

Prob dolor! eripuit terris cita mors
JOACHIMUM
HOPPERUM, *Friſiæ non mediocre decus.*
Sneca dole; tuus ecce jacet Patronus, at ingens
Gloria non ullo eſt interitura die.

Uxori vero ſpectatiſſimæ Bruxellis fato functæ, & in templo PP. Prædicatorum ſepultæ, liberorum pietas hoc Epitaphium ſtatuit.

„ *D. O. M. Hier leet begraven Vrou-*
„ *we* CHRISTINA BERTHOLFF, *huyſ-*
„ *vrouwe van wylen Heer* JOACHIM
„ HOPPERS, *in ſyn leven Riddere,*
„ *Heere van Dalem, Raet van Staeten,*
„ *ende bewaerder der Seghels van den Lan-*
„ *de van herrewaerts-over by den perſoon*
„ *van ſyne Majeſteyt Philippus den twee-*
„ *den, Coninck van Spanien &c. Sy*
„ *ſterft op den derden dagh van Novem-*
„ *ber, in den jaere ons Heere M. D. XC.*
„ *ſynde in haer LXV. jaer.*

JOACHIMUS JUNIUS,

Batavus, Presbyter, Lovanii vixit & obiit anno 1630. conditus in D. Petri. Ediderat

Aquarum Spadanarum Gryphos, ſive Ænigmata, eorumque explicationem proficiſcentibus ad Aquas Spadanas non minus utilem quam jucundam. 8. Lovanii 1614.

Luſit item in Symbolum Reverendiſſ. D. Joan Malderi, Epiſc. Antverpienſis, MALO DE RE; & ejus generis alia.

JOACHIMUS LITHOCOMUS,

Vulgò *Steen-houwer*, Duſſeldorpii in florente tum ſchola docuit, circa annum 1585. Circumfertur *Grammatica* illius *Latina*, *Syntaxis*, ac *Poëſis*, methodo ad captum puerilem accommodatiore diſpoſita. Lugd. Batavor. 1604. 8. & aliàs alibi.

JOACHIM MARTINUS, GREGORIUS,

Gandavus, Medicus græcè doctus,

vixit admodum familiaris *Deſ. Eraſmo*, cui in deliciis erat, partim ob eruditionem haud vulgarem, partim ob ingenii candorem; ejuſque operâ in colligendis Proverbiis è Galeni Operibus illum uſum fuiſſe, legere eſt ex Epiſt. 67. lib. xx. ad *Joachimum* ſcripta Fecit latinos

Galeni libros De alimentorum facultatibus; 4. Pariſ. apud Sim. Colinæum 1530.

De attenuante victûs ratione.

Introductionem in pulſus ſectione ſecunda.

Leguntur Baſileæ excuſa, cum reliquis Galeni Operibus.

JOACHIMUS AB OPRODE,

Antverpienſis, in Academia Lovanienſi S. T. Doctor & Profeſſor, dein Epiſcopus Hebronenſis & Frederici Schenckii, Ultrajectenſium primi Archiepiſcopi in Pontificalibus Vicarius generalis & Suffraganeus, claruit ut Doctor ann. 1537. & uti Epiſcopus ab anno 1562.

Catechiſmum, juſſu Ferdinandi I. Imper. anno 1567. latinè primùm editum, dein jubente Philippo II. Rege flandrico idiomate donavit, multis Inſtructionibus auctiorem. Ultraj. 1576.

Item varia pietatis *Opuſcula*, hactenus MSS. apud Catholicos in Hollandia.

Epitaphium ejus, quod eſt in Metropoli Ultrajectina, recenſet Valerius Andreas in Faſtis Academicis pag. 122. in hæc verba; ſtudioſè Epiſcopalem ejus titulum, ob metum nempe hæreticorum, omiſſum aſſerens.

„ *Anno M. D. LXXVI. die ſecundo* „ *Julii deceſſit Rev. D.* JOACHIMUS ab „ OPRODE, *S. Th. Doctor, hujus Ec-* „ *cleſiæ Canonicus, cujus memoria in be-* „ *nedictione ſit. Symb.* VIRTUTEM „ NUMMIS PRÆPONITO.

JOACHIMUS POLITES,

Goeſanus, Zelandus, S. P. Q. Antverpienſi ab Actis, ſive Graphirius, ut loquuntur, inclaruit verſibus pangendis non illepidè, uti teſtantur *Poëmata* ejus edita Antverpiæ, 1548. 8. Muſiceſque amator & admirator fuit eximius. Fertur & *de Republica* libros IV. ſcripſiſſe; verùm illi hactenus lucem non viderunt.

Meminit illius Nicolaus Clenardus lib. I. Epiſt. XVII. ubi ad *Politem*, tunc Lovanii agentem, ſcribens, eum Profeſſoribus accenſet: *Viviſti*, inquit, *feliciſſimè, dum propter fortunam illam Zelandicam tibi res ad [illegible]os Profeſſorios rediit* &c. Et libro II. Epiſt. ad Joannem Vaſæum, ſcribit *Joannem Tarteſium*, illum, quem tantopere laudavit in Meditationibus ſuis Græcanicis, Pariſiis evocatum, veniſſe Burdigalam, comitatum viginti Profeſſoribus, græcis, latinis, hebraïcis, è quorum numero fuerit & hic *Joachimus*, ut Academiam iſtic inſtauraret jam olim collapſam.

JOACHIMUS A PUTEO,

Antverpienſis, Ordinis S. Franciſci tertii Inſtituti, quos Bogardos vocant, ſuis Antverpiæ ac Middelburgi præfuit, & Montibus S. Gertrudis Virginibus ſacris fuit à Confeſſionibus. Scripſit vernaculo ſermone

Contemplationes in VII. Effuſiones Sanguinis Dominici,

De VII. Doloribus B. Mariæ Virginis.

Præparationem ad SS. Euchariſtiam.

Speculum Virginum.

JOACHIMUS ROLANDUS,

Machlinienſis, Medicus, vixit familiaris *Andreæ Veſalio*, qui de Radice Chinæ Epiſtolam benè longam ad *Joachimum* ſcripſit; *Joanni Secundo*, aliiſque. Scripſit libellum

De novo morbo Sudoris, quem Anglicum vocabant, anno 1529. graſſantis.

Digitized by Google

JOANNA DE CAMBRY,

Eximiæ pietatis ac puritatis Virgo, Duaci in lucem edita fuit die 15. Novembris 1581. patre *Michaële*, primario urbis Tornacenæ Senatore, matre *Ludovicâ de Guyon*, *Ferrici* generoſiſſimi militis filiâ, quo duce rebelles & iconomachi apud Marchianam anno 1566. proſtrati ſunt, quique ob ſua in Regem Catholicum fidemque orthodoxam merita, caſtro Bucciniano præfectus fuit.

Poſteaquam *Joanna* vix-dum decennis ſeſe Deo per votum caſtitatis perpetuæ obſtrinxiſſet, de virtute in virtutem progrediens, multiſque revelationibus jam tum illuſtrata, religioſæ vitæ tyrocinium poſuit in Abbatia B. M. V. de Pratis Porcinis, Ordinis S. Auguſt. Tornaci anno 1604, elapſoque novitiatu profeſſa, omnibus exemplo præluxit. Inde tranſlata in Monaſterium de Syon, ejuſdem Ordinis Monialium Tornaci anno 1619, ac poſt biennium fit Prioriſſa Hoſpitalis Menenenſis.

Verùm ordinariis Monialium exercitiis necdum contenta, ad arctiorem vitam progreſſa eſt; obtentumque apud Eccleſiam S. Andreæ in ſuburbio Inſulenſi recluſorium ingreſſa anno 1623. ipſo Epiſcopo Tornacenſi Maximiliano Ganda-Villano novum perpetuæ clauſuræ votum ab ea emiſſum excipiente: qui & nomen indidit *Sororis Joannæ Mariæ à Præſentatione*. Vixit hîc annos XVI. in ſummâ vitæ auſteritate, atque interim ſingularibus inſpirationibus gaviſa, quas etiam ſcripto redegit.

Theologiâ myſticâ ſic imbuta erat, ut multorum etiam Doctorum ſcientiam ſuperarit; ipſis obſtupeſcentibus, & ad quæſita ejus difficulter reſpondentibus. Probavit ſpiritum ejus *Maximilianus Gandavillanus*, Tornacenſium Antiſtes piiſſimus, qui ut myſticos ſuos Tractatus in lucem ederet, permiſit: quos etiam Doctores Eximii, *Georgius Colvenerius*, *Mathias Navæus*, *Carolus Veron*, *Joannes Boucher Archidiaconus Tornacenſis* aliique, cum elogio approbarunt, ac tuto legi poſſe judicarunt.

Piè, uti vixerat, defuncta eſt, in prædicto ſuo Recluſorio, die 19. Julii 1639, annos nata 58. menſes 8. ſepulta in Eccleſia S. Andreæ prope ſacellum S. Joannis. Vitam ejus, miraſque extaſes deſcripſit gallicè *Petrus de Cambry* Presbyter, Collegiatæ Eccleſiæ Rothnacenſis Canonicus, ejuſque patruelis; libro edito Antverpiæ in 4. 1659. quem Mechlin. Archiepiſcopo Crueſenio inſcripſit.

Opera ejus *Spiritualia*, primùm ſparſim edita, dein ſimul Tornaci prodierunt 1665. in 4. apud Viduam *Adriani Quinque*: in quibus hæc tractantur.

Petit exercice, pour pouvoir acquerir l'amour de Dieu, prodierat primùm Tornaci 1620.

Traité de la ruine de l'amour propre, & baſtiment de l'amour divin, en IV. livres. Tornaci. 1627. Pariſ. 1645.

Le Flambeau myſtique, ou adreſſe des Ames pieuſes ès ſecrets & cachez ſentiers de la vie interieure. Tornaci. 1631.

Traité de la Reforme du Mariage. Ibid. 1655.

Traité de l'excellence de la ſolitude. 1656.

Lamentation de l'ame captive dans ſon corps mortel. Ibid. 1656.

Traité du triomphe de la Croix, ouvrage imparfait. &c.

JOANNES ACRONIUS,

Friſius, Medicus & Mathematicus, Baſileæ utramque ſcientiam cum fructu & celebritate docuit, ſcripſitque

De Terræ motu: De Sphæra.

De Aſtrolabii & Annuli Aſtronomici Confectione.

Diem ibidem vixit ſupremum anno 1563. ætate adhuc florente.

JOANNES ADAM,

Dictus, *le Songeur*; fecialis armorum, ſeu (ut vulgo vocant) *Roy-d'Armes*, ſub Imperatore Carolo V. ad titulum Regni Granatenſis, concinnavit verſibus gallicis, qui vulgo *Quadrains* nuncupantur, *Chronicon* ab anno 1488, uſque ad 1543. de rebus geſtis in Belgio, aliiſque ad Caroli V. Imperium ſpectantibus.

JOANNES ADAMUS SCHALL,

Colonienſis, magnum Religionis Catholicæ in regno Sinenſi columen, Deo ſe in Societate Jeſu dicavit Romæ anno 1611. ætatis ſuæ 20. Emenſus ſacræ Theologiæ curriculum, mathematiciſque excultus diſciplinis, unà cum P. *Nicolao Trigaltio*, S. J. Duacenate, revertente ex Europa, navigavit ad Sinas anno 1620. Cumque Aſtronomiæ imprimis peritus eſſet, juſſu Imperatoris ad Aulam Pekinenſem evocatus eſt, ut Calendarium Sinenſe emendaret, præcipue circa Eclipſes ſolares, lunares, motus planetarum & ſimilia; editis Sinenſi linguâ 150. libellis, adeo feliciter, ut non modo magnam propterea ab Imperatore retulerit laudem, ſed & ſupremus demum Mathematici Tribunalis Præfectus, ſive (ut ibi loquuntur) *Mandarinus* propterea fuerit creatus.

Præfecturam illam 23. annorum ſpatio geſſit: & tribus Imperatoribus, uni Sinico, duobus Tartaris in pretio fuit: præcipue poſtremo *Xum Chì* appellato, apud quem tantâ valuit gratiâ, ut eum magnifico titulo *Magiſtri Arcanorum cœleſtium* per Diploma ſuum exornarit, & ſi quid circa adminiſtrationem Regni ſuggerendum occurreret, cenſorem conſtituerit. Hinc aperti illi erant aditus in intima palatii penetralia, & quamvis Sinarum Reges rariſſimè ſe ſoleant populo exhibere ſpectandos, tamen quater in anno, quamdiu vixit, ad ædes *Joannis Adami* ſe conferre, familiares cum ipſo miſcere ſermones, quin & de fructibus horti domeſtici aliquid deguſtare, Eccleſiam quoque conjunctam domui inſpicere non eſt dedignatus.

Hinc ingens per totum Sinarum Imperium Legi Chriſtianorum accrevit æſtimatio: maximè poſtquam Imperator ſuo illam Diplomate confirmaſſet, & licentiam liberè eam prædicandi templaque vero Deo erigendi, conceſſiſſet. Hinc etiam tanta Neophitorum acceſſio facta eſt in ovile Chriſti, ut ab anno 1650. uſque ad 1664. ad centum & amplius millia ſacris baptiſmatis undis fuerint abluti.

Verum quia placuit Deo ſervos ſuos tanquam aurum probare in fornace afflictionis, defuncto Imperatore benevolo, conſtituti quatuor Gubernatores Regni, (donec filius ejus *Cam-hi* tunc tantùm octennis adoleſceret) cum contra Religionem Chriſtianam inveterato ferrentur odio, faciles aures calumniis & criminationibus adverſus ipſam & P. Adamum præbuerunt.

Quocirca anno 1664. inſimulatus fuit P. Adamus & tres ejus ſocii rebellionis, & pravæ legis diſſeminatæ per Sinas, & nominatim, quod Chriſti patientis tanquam Dei myſteria, typis expreſſa, ipſe defuncto Regi auſus offerre fuiſſet. Itaque non obſtante gravi ætate, & paralyſi quâ laborabat, conjectus cum ſociis in ſqualidum carcerem, catenis ferreis oneratus, ac tandem condemnatus, ut conciſo membratim corpore lentâ morte interficeretur.

Quæ dum agitantur, adfuit eis adjutor

Digitized by Google

jutor in opportunitatibus Deus, & variis de cælo prodigiis P. *Joannis Adami* & ſociorum innocentiam tutatus eſt. Ac primò quidem Cometâ minace, mox terræ motibus adeo horrendis & crebris, ut multæ per urbem Pekinenſem domus corruerent; denique repentino incendio quo ipſum Regis palatium conflagravit, tanto terrore, ut 400. circiter conclavia flammis fuerint abſorpta. His aliiſque prodigiis perterritus populus, ſuccłamare cœpit, ſanguinem innocentem P. *Joannis Adami* & ſociorum cœlitùs vindicari. His etiam commoti Adminiſtratores Regni, ipſos vinculis abſolutos, poſt ſextum captivitatis menſem juſſerunt domum remitti, reſciſſâ mortis ſententiâ, & ab omni aliâ pœna liberos.

Interim P. *Schall* tot afflictationibus atque ærumnis fractus, ſuſceptis ritè Sacramentis Eccleſiæ, in pace migravit ad Chriſtum Pekini die 15. Auguſti 1666. ætatis anno 75. Societatis initæ 55. & Sinenſis Miſſionis 44. Ediderat linguâ Sinenſi, (cujus erat peritiſſimus) collato in pleriſque ſtudio cum P. *Jacobo Rhò* ejuſdem Societatis, 150. libellos de Aſtronomia, Geometria, Arithmetica, aliiſque Mathematicis diſciplinis. Ex quibus delata dein fuerunt in Europam à P. *Proſpero Intorceta* Procuratore Societatis apud Sinas, Volumina XIV. in 4. & ab eodem oblata Sanctiſſ. D. N. *Clementi* X. die 22. Decembris 1671; quæ Sanctitas ſuſ̃areponi juſſit in Bibliotheca Vaticanâ. Horum primus continet

Libellos octo de Aſtronomia; ad Imperatorem Sinicum, ante incurſionem Tartarorum.

II. Complectitur *Libellos alios quatuor de Aſtronomia*, ad Imperatorem Tartarum.

III. *Principia dimenſionum, & Diſceptationem Aſtronomicam*, libellis VII. ad eundem, ſicut & ſequentia.

IV. *Uſum Sphæræ, Circini proportionalis, Teleſcopii*, &c. libellis V.

V. *Theoricam Solis, cum Tabulis ſolaribus* &c. libellis V.

VI. *Uranomicam cum omnibus ſuis Aſteriſmis & Tabulis*, libellis VIII.

VII. *Theoricam Lunæ, cum Tabulis lunaribus* &c. libellis VIII.

VIII. *Theoricam Eclypſium, cum examine calculi*, libellis VIII.

IX. *Tabulas Eclypſium, & uſum earum.* libellis IX.

X. *Theoricam quinque Planetarum*, libellis IX.

XI. *Tabulas quinque Planetarum.* libellis XI.

XII. *Tabulas ſinuum, tangentium & ſecantium*; libellis quinque.

XIII. *Geometriam practicam & ſpeculativam*: libellis decem.

XIV. *Comparationem Aſtronomiæ Europeæ cum Sinenſi*; libellis quatuor.

Præter hos Mathematicos edidit linguâ Sinicâ librum P. Leonardi Leſſii *De Providentia Dei.* Item *De octo Beatitudinibus*, & *Explicationem Imaginum Vitæ Chriſti Domini*; quam obtulit Imperatori Sinico. Imagines autem elegantiſſimè elaboratas, auro minioque illuſtratas (dignum Principe tanto donum) dederat Sereniſſ. Maximilianus Dux Bavariæ P. *Nicolao Trigautio*, dum in Europa verſaretur, ad Imperatorem Sinarum deferendas.

Denique ex latinis Litteris P. *Schall* collecta eſt *Hiſtorica narratio, de initio & progreſſu Miſſionis Societatis Jeſu apud Sinenſes*, excuſa Viennæ Auſtriæ, typis Matthæi Coſmerovii 1665. in 8. Hæc ex Bibliotheca Scriptorum Societ. per PP. Allegambe & Sotwellum.

JOANNES AENDEVOET, Winoci-Bergenſis, Flander, ſacræ

Theol. & J. U. Licentiatus Duacenus, vir græcè atque hebraicè peritus, edidit Orationem de ſuſcitatione Samuelis, hoc titulo:

Scutum Samuelis, ſive de ementita Vatis inferi larva Scrutinium. Duaci, 1635. 4. typis Wion.

Vitam B. Franciſci de Sales, Epiſcopi Gebennenſis, à ſe Latinè ſcriptam, & alia quædam.

B. JOANNES AGNUS,

Dominicanus Gandavenſis, Vir vitæ ſanctimoniâ, ac miraculis etiam in vita clarus; ut habet Catalogus Beatorum illius Ordinis. Dolendum, nihil exſtare de Vita viri ſanctiſſimi, aut ſi quid exſtiterit, periiſſe rebellione ac vaſtatione hæreticorum Belgarum. Obiit anno 1296. ſepultus apud ſuos Gandavi. Joannes Bunderius in Indice, laudat, eo auctore,

Formulam vitæ cujuſlibet Chriſtiani.

Vide Hyacinthum Choquetium de Sanctis ſui Ordinis cap. VIII. item P. de Jonghe in Belgio Dominicano, pag. 60.

JOANNES ALBERTUS BANNIUS,

Harlemenſis, Presbyter & Muſicus inſignis, ſcripſit, ediditque

Epiſtolam, ad Petrum Scriverium, *De Muſico ſtudio rectè inſtituendo, & inſtaurando.*

Item Belgicè *Totam Muſices conſtitutionem.*

JOANNES ALDEBURGUS,

Flander, Carmelita, inter cetera ingenii monumenta reliquit

De Formalitatibus, librum I.

De ſufficientia Syllogiſmorum, lib. I.

De Senſu & Senſato, libros II.

Et alia. Ex Arnoldo Boſtio.

JOANNES A S. AMANDO,

Hanno, Medicus, & Tornaci in in Æde Cathedrali D. Virginis Canonicus; ſcripſit

De Balneis quædam, Venetiis à Juntis excuſa cum diverſorum de Balneis ſcriptis.

De uſu idoneo Auxiliorum. Moguntiæ, 1534. 4.

Ejuſdem *Expoſitio* ſive *Additio ſuper Antidotarium Nicolai*, excuſa eſt cum Operibus Joannis Meſuæ. Venetiis, apud Juntam, 1527. fol. item 1589.

Exſtabant MSS. *Areolæ* ejuſdem *de virtutibus Simplicium*, apud Schenckium, ut ipſe in Bibliotheca ſua Medica teſtatur.

JOANNES AMOS COMENIUS,

Moravus, ob Lutherana, quibus infectus erat dogmata, è patria dimiſſus & exulans, Amſtelodami ſedem fixit, quorumdam liberalitate adjutus, uti & linguæ latinæ profeſſione publicâ, in qua imprimis excelluit. Obiit ibidem octogenarius, circa ann. 1650. Illius hæc ſunt.

Janua Linguarum reſerata aurea, ſive Seminarium linguarum & ſcientiarum omnium; hoc eſt, Compendioſa Latinam, (& quamlibet aliam) unà cum Scientiarum artiumque omnium fundamentis, perdiſcendi Methodus, ſub titulis centum, & periodis mille comprehenſa. Prodiit primùm Amſtelod. apud Janſonios 1631. in 8. item 1662. & aliàs ſæpius, adjectis etiam belgico, gallico, anglico &c. idiomatibus.

Lexicon atriale latino-latinum, ſimplices & nativas rerum nomenclationes è Janua linguæ latinæ jam notas, in elegantes variè commutare docens. Prodiit iterato Amſtelod. 1686. in 6.

Phyſicæ ad lumen divinum reformatæ, Synopſis. Lipſiæ 1633. in 8.

Item *Didactyca*, *Veſtibulum &c.*

JOANNES ANTONIDES VAN-DER-LINDEN,

Natus Enchuſæ apud Batavos anno 1609. patre Antonio, primùm Enchuſani Gymnaſii Rectore, & deinde ibidem, tandemque Amſtelodami Doctore Medico felici (de quo ſupra pag. 67.) avo vero Henrico, Enchuſæ Miniſtro Calviniano, & pòſt in Academia Franekerana Theologiæ Profeſſore : & proavo Antonio, Nardæ Ludimagiſtro & in choro cantore.

Porro *Joh. Antonius*, elegantis vir ingenii, ac multifariæ eruditionis, Franekeræ anno 1630. Medicinæ Doctor creatus, & 1639. ibidem Profeſſor ejuſdem declaratus eſt, ut & Academiæ illius Bibliothecarius. Quam ſpartam cum XII. fere annos exornaſſet, anno 1651. Lugdunum Batav. conceſſit, factus ibi Medicinæ Profeſſor, ubi & diem clauſit extremum anno 1664. die 5. Martii ætatis ſuæ 56.

Edidit *Univerſæ Medicinæ Compendium*, per V. Centurias ac X. Diſputationes propoſitum. 4. Franek. 1630. Addita eſt *Centuria inauguralis Poſitionum Medico-Practicarum de Virulentia Venerea*, ibidem propoſita & defenſa, ad diem 18. Octobr. 1630.

De Scriptis Medicis Libros II. quorum prior, omnium tam Veterum quam Recentiorum, latino idiomate typis expreſſorum Scriptorum Medicorum, conſummatiſſimum Catalogum continet : quo indicatur, quid ſinguli Autores ſcripſerint, nec non ubi, quâ formâ & quo tempore omnes eorum Scriptorum editiones procuſæ proſtent.

Poſterior vero Cynoſuram Medicam, ſive rerum & materiarum Indicem, omnium Titulorum & Thematum Medicorum potiorum Loca Communia alphabetico adornato ordine ſuis locis continet, unà cum Vitæ plurimorum Authorum Deſcriptione. Editio prima Amſtelod. apud Jo. Blauw 1637. in 8. II. Ibid. 1651. III. Ibid. 1662. IV. Norimbergæ apud Endterum 1684. in 4. ſub titulo : *Lindenii* renovati ; quam *Georgius Abraham Mercklinus*, Doctor Reipublicæ Norimbergenſis, Domûſque Teutonicæ ibidem Medicus Ordinarius adornavit.

Manuductio ad Medicinam. Amſtel. 1637. Quam etiam *Vopiſcus Fortunatus Plempius* Medic. Anteceſſor in Academia Lovanienſi, cum prævia ad ſtudioſos ſuos Epiſtola, publici uſûs fecit, Lov. apud Cœneſteinium, 1639. in 12.

Medulla Medicinæ, conſtans Part. IV. præmiſſâ *Oratione auſpicali, de Medico futuro neceſſariis*, quam anno 1639. Author habuerat. Franek. 1642. in 8.

Medicina Phiſiologica, novâ accuratâque methodo ex optimis Autoribus contracta, & propriis Obſervationibus locupletata. Amſtelod. apud Joh. à Raveſteyn, 1653. in 4.

Selecta Medica, & ad ea Exercitationes XVI. Lugd. Bat. apud Joh. Elzevier, 1656 in 4.

Diſſertatio de lacte : extat cum Antonii Deuſingii Diſſertat. duabus. Groningæ, 1655. in 12.

De Hemicrania menſtrua, Hiſtoria & Conſilium. Lugd. Bat. apud Joh. Elzevier 1660. & iterum 1668.

Meletemata Medicinæ Hippocraticæ. Lugd. 1660. in 4. item Francof. 1672. 4. editionem hanc adornante *Joh. Jac. Döbelio.*

Hippocrates de Circuitu Sanguinis. Lugd. apud Elzevir, 1661. 4.

Oratio funebris in exceſſum Adolphi Vorſtii Med. Doct. & Prof. Lugd. Bat. Ibidem 1664. in 4.

Variorum item aliorum Medicorum libros recenſuit, Notiſque illuſtravit, uti *Hippocratis Coi Opera omnia*, græcè & latinè II. Vol. Leidæ 1665. in 8.

A. Corn. Celſi de Medicina libr. VIII. Ibid. 1657. & 1665.

Adriani Spiegelii Opera Medica. fol. Amſt. 1645.

Et *Hier. Cardani de utilitate ex adverſis capienda, libros IV.* Franek. 1648. De quibus plura leges in *Lindenio renovato*, & in Notitia Litteraria Scriptorum illuſtrium P. Niceron Tomo III. pag. 333.

JOANNES ANTONIUS A GURNEZ,

Mechlinienſis, Presbyter Congregationis Oratorii, Scholarum Mechliniæ erectarum primus Præfectus, edidit præter complures Tragœdias, ſuis curis in ludo litterario ibidem repræſentatas,

Vitam & Martyrium S. Liberti, Malinatis, Mechlinienſium Principum Adonis & Eliſæ filii; cum eruditis Diſſertationibus. 4. Mechliniæ 1639. Laudant opus iſtud Hagiographi S. J. in Actis D. Rumoldi, ipſumque Authorem de Mechlinienſi hiſtoria aliiſque Belgii noſtri antiquitatibus optimè meritum.

Lacam, Bruxellenſe ſuburbanum, cultu ac prodigiis Deiparæ, à Normannorum temporibus celebrem &c. 4. Bruxellæ 1647; quem librum dein ſuæ Brabantiæ illuſtratæ integrè inſeruit Ant. Sanderus.

JOANNES ANTONIUS PELTANUS,

Cognomen hoc à Pelta, loco natali, ditionis Leodicenſis pago, mutuatus, Canonicus Norbertinus ad S. Michaëlem Antverpiæ, ac S. Theol. Baccalaureus, Philoſophiam Theologiamque ſuis cum fructu prælegit, tituloque Prioris cum laude præfuit. Deſiit in humanis eſſe anno 1606. ingenii ſtudiique ſui hæc relinquens monumenta,

Commentarium in varias Quæſtiones Partis 2. & 3. Summæ D. Thomæ.

Vitam S. NORBERTI, verſu Elegiaco. Celebravit etiam carmine pleraque Dei-Hominis myſteria.

JOANNES ARCERIUS THEODORETUS,

Friſius, edidit typis (opinor Commelinianis) græcè & latinè *Jamblichum* Chalcidenſem *de Vita Pythagoræ.* De qua editione ac verſione Conradi Rittershuſii cenſura eſt (Notis ad Malchum ſeu Porphyrium De Vita ejuſdem Philoſophi, anno 1610. Altorfii editis:) Majorem, inquit, laudem promeriturus *Arcerius* erat, ſi & ab emendationibus plerumque temerariis, & à latina interpretatione abſtinuiſſet manum: ac potiùs omninò talem exhibuiſſet *Jamblichum*, quantumvis corruptum, qualem in Manuſcripto invenerat, cuilibet liberam relinquens correctionem &c.

Obiit Ultrajecti, ſubitâ morte, die XXVII. Julii, anno 1604. in Inſulano ſuburbio, publico ſumptu, terræ mandatus. Filium, ni fallor, reliquit *Scatum Arcerium*, Linguæ Græcæ in Franekerana Friſiorum Academia Profeſſorem.

JOANNES ARNOLDUS CORVINUS,

A Belderen, Lugduno-Batavus, fuit primùm in Urbe patria concionator, unus ex citatis Remonſtrantium Miniſtris ad famoſum Calviniſtarum inter ſe diſſidentium cætum, quem ipſi Synodum Dordracenam appellarunt. Poſtea ſeſe totum Juriſprudentiæ dedit, & J.U.Doctor in Academia Lugduno-Batava creatus, ſuam apud Amſtelodamen-

ſes ſcientiam patefecit, Cauſarum Patronus celeberrimi nominis. Fuit dein Conſiliarius intimus Archiepiſcopi Electoris Moguntini, amploque ſtipendio honoratus, nec non in Academia Moguntina Juris Canonici Profeſſor.

Evulgavit primò quà Theologus, *Chriſtianam & ſeriam admonitionem ad R. Donteclock, de colloquio illius, de tranſlatis Theſibus Gomari & Arminii. Flandricè*, anno 1609.

Inſtructionem contrariam adverſus Gomari præmonitionem.

Defenſionem Sententiæ J. Arminii de Prædeſtinatione, Gratiâ Dei, libero hominis arbitrio, &c. adverſus Danielis Tileni Theologi Sedanenſis Conſiderationem. 8. Lugd. Bat. 1613.

Reſponſionem ad Bogermanni Annotationes, pro Grotio. 1614.

Cenſura Anatomes Arminianiſmi, quâ omnia quæ Petrus Molinæus Calviniſta Pariſienſis, adverſus Jacobi Arminii, & eorum quos in Belgio Remonſtrantes vocant, doctrinam veritati (ut ait) Scripturarum conſentaneam, de Prædeſtinatione &c. diſputavit, ſingulatim examinantur. Francof. ad Mœnum 1622.

Item flandricè *Collationem ſcripturariam* habitam Hagæ-Comitis anno 1611. inter nonnullos Miniſtros, de Prædeſtinatione & Articulis affinibus, juſſu Ordinum Hollandiæ impreſſam. 4. Hagæ-Com. 1612.

Quà Juris-Conſultus vero edidit ſequentia.

Elementa Juris Civilis, additis Germani Couſinii receptarum Juris utriuſque Regularum partitionibus. 12. Amſtelod. 1645.

Enchiridion Juris Civilis, ſeu *Inſtitutiones Imperiales*, inſertis latioribus materiis, theoricè ac practicè per Erothemata digeſtas & explicatas. 12. Amſtelodami typis Elzevirii 1640. 1657. & aliàs ſæpius.

Digeſta per Aphoriſmos ſtrictim explicata. Ibid. 1642. 12.

Jus feudale Aphoriſmis explicatum. 12. Lugd. Bat. 1655. Amſtelod. apud Elzevir 1680. & alibi.

Jus Canonicum Aphoriſmis explicatum. 12. Amſtelod. 1648. dein cum Synopſi *Joannis Doujatii.* in 8. Pariſ. 1671. & alibi: demum cum Notis *Juſti Henrici Boember. Halæ* 1717.

Tractatus geminus de perſonis ac beneficiis Eccleſiaſticis, ſeu Introductio ad Juris Canonici explicationem; opus poſthumum 4. Francof. 1708. Tomi II.

Summarium Juriſprudentiæ Romanæ, ſeu Codicis Juſtinianæi methodica enarratio. 4. Amſtel. per Elzevir 1644. & aliàs frequenter.

Poſthumus Pacianus, ſeu Definitiones Juris utriuſque Julii Pacii à Beriga poſthumæ. 12. Amſtelod. 1643. 1652. &c.

Ad Titulum ff. de Verborum ſignificatione, Commentarius. 12. Amſt. 1667.

Oratio in obitum Viri clariſſ. Caſparis Barlæi, in ipſo ejus funere recitata anno 1648. fol. Amſtelod. apud Corn. Janſonium.

Arnoldi Clapmarii de Arcanis Rerumpublicarum libri VI. illuſtrati à Joanne Corvino J. C. præmiſſâ ejus Præfatione. 12. Amſtelod. apud Elzevir. 1641. & 1644.

JOANNES AB ARUNDINE,

Vernaculè VAN RIEDT, Brugenſis, Ord. Carmelitani Doctor Theologus, & Conventûs Ultrajectini primus Prior, poſt Epiſcopus Usbitenſis, ac Suffraganeus Vicariuſque in Pontificalibus Davidis à Burgundia & Frederici Marchionis Badenſis, ſucceſſivè Epiſcoporum Trajectenſium ad Rhenum: Vir in Scripturis divinis eruditus, ſæculique ſui Eccleſiaſtes

ſummus, ſcripſit Trithemio ac Petro Lucio recenſentibus,

Lecturam notabilem in librum Sapientiæ.

Commentarium in Epiſtolam Pauli ad Romanos.

In Pſalmum Beati immaculati.

Sermones de Tempore & Sanctis &c.

Obiit Ultrajecti anno 1497. menſis Julii die XIII. ſepultus in choro templi quondam Carmelitarum, dein Equitum Rhodienſium, cum duplici Epitaphio, altero ad parietem, altero in ſarcophago, quod etiam-num ibi legitur.

JOANNES ASCANIUS, BOCHIUS,

Joannis filius, Antverpienſis, Philoſophiæ Juriſprudentiæque dedit operam Lovanii, & inter pares excelluit, præfuitque Collegio Baccalaureorum J. U. Fiſci ac Decani titulo. Licentiæ laureâ donatus, dum Galliam Italiamque viſit, ante diem flos ille ingeniorum in Calabria extinguitur.

Poëmata illius amicis ſcripta & inſcripta, ſparſimque edita, collegit *Franc. Swertius*, & cum patris *Joan. Bochii*, Poëmatibus vulgavit, Coloniæ, typis Joan. Kinckii, 1615.

JOANNES AB ASSELDONCQ,

Silvæ-Ducenſis, Philoſophiæ ac Theologię dedit operam Lovanii, Laureamque Theologicam anno 1621. Duaci accepit. Pòſt ad D. Gudilam Bruxellis Canonicus, conſilio, quo plurimùm valuit, prodeſſe pluribus voluit & ſtuduit. Edidit vernaculâ linguâ

Conſtitutiones Fraternitatis Sacramenti Miraculoſi, in Eccleſia D. Gudilæ erectæ &c. Bruxel. 1629. 12.

Compoſuit præterea utilem Tractatum *de Scrupulis, & eorum remediis*, ſed quem ob adfectam valetudinem vulgare non licuit.

JOANNES ASSELIERS,

Antverpianus, eidem urbi à Secretis ac J. U. D. adoleſcens Italiam, Galliam, Germaniamque, florentiſſimas Europæ provincias, luſtravit. E vivis abiit anno 1587. Delphis Batavorum. Scripſit

Hiſtoriam Tumultuum Belgicorum à diſceſſu Philippi II. uſque ad obitum Franciſci Valeſii, Ducis Alenzonii, olim MS. apud *Henricum* ejus filium, J. C. & Advocatum Bruxellis, qui dum ad magna gradum facit, miro quodam fato cœcitate percutitur, & tamen, ſtupentibus omnibus, in præfata urbe Advocati officium exercere perrexit, non minus celebris iis, qui quotidie libris incumbebant. Ita oculorum defectum ingenii vegeti acies ſupplevit.

JOANNES D'ASSIGNIES,

Nobili apud Hannones familiâ exortus, Cambronenſis Abbatiæ Monachus Ciſtercienſis & Supprior, indeque adſumptus anno 1618. Abbas Nizellenſis, vir pietate & doctrinâ præſtantiſſimus. Obiit anno 1642. die 22. Maii, prope octuagenarius. Edidit

De Viris Virginibuſque, Ordinis Ciſtercienſis, ſanctitate illuſtribus, Tomos II. gallicè; prodiit prior Duaci 1598. apud Balth. Bellerum; poſterior Montibus 1606. apud Car. Michel.

Antidotum ſalutare contra morbos peſtiferos malæ linguæ. Antver. typis Plantin. 1633. 8. dein etiam gallicè redditum, Duaci.

Alphabetum ſalutis; gallicè, Duaci.

Faſciculum myrrhæ, librum ſingulalarem, Religioſis perutilem. Duaci 1630. apud Joann. Fampoux.

De vita & Miraculis S. Martini,

Digitized by Google

gallicè, Duaci 1625. apud Laurent. Kellami.

De Vita S. Dorothei. Ibid. 1625. 12.

Allumettes vives, pour embrazer l'ame à la hayne du peché & à l'amour de Dieu &c. XXI. Exercices. Duaci 1629. 8.

Le Paradis des Prieres, &c. extraites des Oeuvres ſpirituelles du Venerable Louis de Bloys. Audomari apud Car. Boſcart. 1617. 12.

Directoire ou Inſtruction, pour devotement & attentivement s'acquitter de l'office divin &c. Montibus apud Car. Michel. 1609.

Doctrine ſpirituelle enſeignant le moien de ſe perfectionner en la vertu. Duaci 1640. Et alios quoſdam Tractatus aſceticos è latino gallicos fecit, de quibus vide Bibliothecam Ciſterc. Caroli de Viſch, pag. 175.

JOANNES AUGUSTINUS BACCHERIUS,

Lovanienſis, Ord. Eremit. S. Auguſtini, litteras humaniores apud ſuos in patria plures annos profeſſus eſt, voce ſtiloque elegáns ac diſertus. Fuit Prior, Definitor Provinciæ ſuæ &c.

Edidit perutilem junioribus poëtis libellum, cui titulus: *Flaviſſæ Poëticæ*, ſive *Electorum Poëticorum Theſaurus, ſacro-profanus, Notis & Obſervationibus amœnis illuſtratus.* Antver. apud Henr. Aertſſens, 1635. & tertiâ parte auctior ornatiorque, ibid. 1643. 8. & aliàs ſæpius.

Ejuſdem circumferuntur *Carmina* elegantiſſima, ſparſim edita.

JOANNES BAERLENUS,

Ex Baerle, territorii ſive Baronatûs Bredani pago, Ord. Prædicatorum Conventûs Silvæducenſis, S. Theol. Doctor in Univerſitate Heidelbergenſi (tunc Catholicâ) & per Diœceſin Leodienſem Hæreticæ pravitatis Inquiſitor: vivere deſiit 4. Julii 1539. Scripſit

Lecturam in Librum I. Sententiarum, in Heidelbergenſi Academia anno 1514. pronuntiatam ac compilatam: extat MS. apud Dominicanos Mechlinienſes.

Item vernaculè *de Vita ſpirituali ſeu myſtica* librum I. Silvæ-Ducis, typis Gerardi ab Hatart; aliaque.

JOANNES BALINUS,

Veſulii apud Sequanos natus, Presbiter, vixit in Belgio Legionis Burgundicæ ſub Claudio de Rya, Barone Balançonio Curio ſeu Capellanus, & Veſaliæ Cliviorum vivere deſiit. Scripſit

De Bello Belgico, auſpiciis Ducis Ambroſii Spinulæ. Bruxellæ, apud Rutg. Velpium, 1609. 8. Aliaque ejus magno numero Opuſcula præſertim Poëmata, quæ olim apud agnatos adſervari dicebantur.

JOANNES BANELT,

Leodienſis, Ord. Fratrum S. Crucis, Conventûs Huenſis, ſcripſit libellum

De tranſlatione Reliquiarum corporis S. Odiliæ Coloniâ Agrippinâ ad Locum Clarum, ſive Cœnobium Huenſe totius Ordinis primarium. Leodii, 1616. 8. gallicè, & Coloniæ latinè, 1621. 8. apud Ger. Grevenburchium.

JOANNES BAPTISTA CASTELET,

Bruxellenſis, S. Theol. Licentiatus Lovanienſis, ubi & anno 1593. ſextus in Scholis Artium fuit, & Litteras humaniores ibidem in Schola Gandenſi ſive Vaulxiana, Philoſophiamque in Caſtrenſi Pœdagogio annos plures profeſſus eſt. Dein Antverpiam migravit

Ecclesiæ Cathedralis Canonicus. Edidit hîc patrio idiomate librum, hoc titulo :

Stella Maris, pro omnibus Christianis aberrantibus, sive *Declaratio brevis præcipuorum articulorum Fidei &c.* typis Guil. à Tungris, 1620. 8.

JOANNES BAPTISTA ENGELGRAVE,

Antverpiensis, Societatis Jesu, rexit Collegium Brugense, & Provincialis bis suam Provinciam Flandro-belgicam, demum Superior Domûs Professę Antverpiensis, è vitâ migravit 3. Maii 1658. Edidit latinè

Meditationes per totum annum in omnes Dominicas & Festa 4. Antverpiæ. 1658.

JOANNES BAPTISTA A GLANO,

Leodicensis, Doctor Theologus Parisiensis, Ord. Eremit. S. Augustini per Belgium seu Provinciam Colonienſem secundùm Provincialis : Vir magni & animi & meriti, quem Leodicum multis annis, Tornacum, Dionantum, Antverpia & Bruxella ex sacro pulpito dicentem obstupuêre, & in quo dubites, humilitatemne an doctrinam admirere. Unde de eo quidam ita rectè cecinit :

Continet invitam tua, Glane, *modestia linguam :*
Plus tamen interdum, qui tacet, insinuat.

Decessit in patria, anno Dom. 1613. III. Nonas Februarii.

Ejus hæc sunt, pleraque idiomate patrio edita :

Historia Pontificum Romanorum, seu demonstratio verę Ecclesiæ à Christo fundatæ. Rursum edita & aucta, 4. Leodii 1648.

Oeconomia Christiana, libris VIII.

De officio Puellarum libri II. Prior informat eas, quæ nuptiis destinantur, posterior eas, quæ Virginitati perpetuæ.

Europa, sive de primariarum Europæ Provinciarum ritibus, cæremoniis & vestibus.

Commentarii in Pentateuchum, & libros *Regum*, legebantur olim Leodici, apud sui Ordinis Sodales.

JOANNES BAPTISTA GRAMMAIUS,

Antverpianus, Juris-Consultus, Protonotarius Apostolicus, Ecclesiæ Collegiatæ S. Walburgis Arnhemiensis Præpositus titularis, è Sugambris sive Geldris originem majoresque suos habuit. Lovanii anno 1596. primos inter promotus in Artibus, Laureâque J. U. quam Licentiam vocant, anno 1600. die XXVI. Octobris ornatus, omne ferè deinceps disciplinarum genus tractavit, atque Eloquentiam Juraque Professor Academicus publicè docuit.

Pòst Belgii Principum ac Provinciarum Historicus, loca pleraque toto triennio lustravit, archiva inspexit, Antiquitates eruit & descripsit. Hinc Hollandicam Germanicamque peregrinationem instituit, ac demùm suscepto Italico atque Hispanico itinere, in Africam delatus fuit, captus à Barbaris, & pleraſque Africæ Barbariæque oras lustravit. Atque hanc suam peregrinationem in *Diario Argolensi*, atque *Africâ illustratâ* breviter ipse proposuit.

Fuit insuper ab Archiducibus Alberto & Isabella nominatus Decanus Ecclesiæ Collegiatæ Luthosanæ in Hannonia, nec non honorariis & favoribus eorumdem Principum cumulatus ; item aliquamdiu Præses Collegii Montensis Lovanii. Verum peregrinationis imprimis amans, plenâ jam ætate in Moraviam Silesiamque se contulit,

Digitized by Google

tulit, & Cardinali Franciſco à Dietrichſteyn Olomucenſi Epiſcopo adhæſit, Gymnaſio celebri gubernando ab eodem admotus.

Negotiorum cauſſâ in Belgium inde dum rediiſſet, reditumque in Germaniam dum cogitaret, Lubecæ in Holſatia in morbum lethalem incidit, ibidemque anno 1635. vivere deſiit, in Cathedrali illius urbis Baſilica depoſitus. Ita de eo *Aubertus Miræus in Bibliotheca Eccleſiaſtica.*

In Oratione quam anno 1649. habuit & edidit Lovanii Antonius Dave S. T. Doctor, pro funere Nicolai Vernulæi Profeſſoris Hiſtorici, dicitur *Joannes Baptiſta Grammaius* primò fuiſſe Profeſſor Rhetorices in Gymnaſio Porci; ac poſtremò ab Urbano VIII. Pontifice promotus ad titulum Archiepiſcopalem Upſalienſem, ſimulque deſignatus Vicarius Apoſtolicus ad partes ſeptemtrionales.

Illius Scripta, edita variis locis, brevi hoc indice exhibentur:

Conſtantinus, Comœdia. Coloniæ, apud Mylium.

Andromeda Belgica, in adventu Belgii Principum Lovanii exhibita. Ibidem, apud Kellamum.

Elias, Tragi-Comœdia. Lugd. typis Facheti.

Centuria Poëmatum: Genethliacorum, Epithalamiorum, Epiniciorum, Epicediorum, Odarum, Elegiarum &c. Coloniæ, apud Mylium.

Centuria Poëmatum Extemporaneorum: Epigrammatum, &c. Lovanii excudit Kellamus.

Poëſis Bucolica, libri II. Urſellis Bircimannus.

Declamationes Heroïcæ. Francof. Wecheli hæredes.

Decas Orationum Academicarum. Coloniæ Mylius.

Libellus Phraſium, & Epiſtolica. Ibid. Hieratus.

Declamationes III. Partheniæ. Lovanii Kellamus.

Declamationes Quodlibeticæ IV. Urſellis Sorbenius.

Aſia & XLII. ejus Gentium Hiſtoria. Antverp. 1604. 4. Joan. Keerbergius.

De primis precibus. Ibid. Bellerus.

Reliqua Hiſtoriam ſpectant, quâ Belgicarum Provinciarum, quâ Africanam:

Encomium Brabantiæ. Excudit Amſtelodami Hondius.

Hiſtoria Brabantica, de Brabantiæ Ducibus. Lovanii Maſius, 1606. 4.

Antiquitates Ducatus Brabantiæ, in quibus *Lovanii*, *Bruxellæ*, *Antverpiæ*, *Silvæducis*, aliorumque Opidorum, Municipiorum, Cœnobiorum &c. initia, incrementa, opera, aliaque tractantur; pleraque Bruxellæ ann. 1606. & 1610. ſeparatim edita.

Antiquitates Bredanæ, latebant olim manuſcriptę in Bibliotheca D. Copes, J. U. L. & Scabini Sylvæducenſis; inde primùm editæ Lovanii anno 1708.

Antiquitates Comitatus Flandriæ, in quibus *Gandavi* & *Corturiaci Antiqq. primitias* excudit Antver. Verduſſ. 1611. 4. *Brugas Flandrorum*, Lovanii Dormalius 4. *Ipretum*, ibid. Rivius: *Trazeniacum*, Bruxellæ Velpius: *Flandriam Francam*, *Imperialem*, & *Ambachta*, *Pentapolim maritimam*, *Flandriam Gallicanam*, *Betuniam* & *Ariacum*, *Duacena* & *Orchiacum*, Inſulis Beyſius, *Flandriam Lyzanam*, Gandavi Faber.

Namurcum, Tomis II. de Comitibus Namurcenſibus, deque Urbis ac Comitatus Antiquitatibus. Antverp. Nutius, 1607. 4. Tomum III. *Antiquitatum Namurceſii*, Lovanii Maſius edidit.

Antiquitates Urbis & Provinciæ Machlinienſis. Bruxellæ Velpius, 1607. 4.

Hiſtoriæ & Antiquitatum urbis Cameracenſis ſumma Capita, idem Velpius 1608. 4.

Digitized by Google

Hasbaniæ illustratæ libros X. Excudit Tornaci Adr. Quinque, 1622. 4.

Diarium Argelense, sive Speculum miseriæ servorum Turcicorum. Athi Joan. Masius, 1622. 8.

Martyres Argelenses, ex Hispanico Haëdonis, Tornaci.

Anno 1708. Lovanii apud Ægid. Denique & Bruxellis apud fratres t'Serstevens, prodiit editio nova in fol. *Antiquitatum Belgicarum J. B. Grammaye, emendatiorum, atque auctiorum Antiquitatibus Bredanis tunc primum editis.* Accesserunt eidem editioni *Nicolai de Guyse Mons Hannoniæ*, & *Davidis Lindani Teneramunda.*

JOANNES BAPTISTA HANSENIUS,

Harlemius, Batavus, Juri ac litteris melioribus operam dedit Lovanii. Inde in Italiam profectus, Mediolani, Romæ ac Genuæ vixit: atque hîc quoque Historiam Romanam publicè interpretatus fuit, exorsus à Cornelio Tacito, editaque ibidem *Oratione auspicali de Funeris Romani antiquitate*, anno 1606. 4. Postea Tolosæ & Cadurci apud Gallos Jura professus, nomen famamque meruit, edito

De Jurejurando Veterum Commentario. Tolosæ, 1614. 4. qui dein insertus fuit Thesauro Antiquitatum Romanarum Grævii, Tomo V. pag. 797.

JOANNES BAPTISTA VAN HELMONT,

Toparcha in Merode, Oirschot, Royenborch, Pellines &c. Bruxellensis, Hippocraticus, Hermeticus, Pyro-technicus, Chymiæ potissimum addictus fuit; hinc solitus vocare semetipsum *Medicum per ignem.* Mortuus est die 30. Decembris 1644. ætat. 67. relicto filio Francisco Mercurio, qui dein obiit in Helvetia Acatholicus. Edidit

Disputationem de Magnetica vulnerum curatione. Paris. 1621. 8.

Paradoxa de Aquis Spadanis. Leodii, 1628. 8.

Febrium Doctrinam inauditam. Antver. 1642. 12.

Arcana Paracelsi; sive de famoso *Alkaëst*, seu dissolvente universali. Cujus principia secutus est Joannes le Pelletier Rothomagensis Medicus libro ibidem edito 1704. in 12.

Opuscula Medica inaudita, 4. Amstelod. apud Elzevir 1648.

Ortus Medicinæ, id est, initia Physicæ inaudita; progressus Medicinæ novus, in morborum ultionem ad vitam longam.

Edidit Authoris filius *Franciscus Mercurius van Helmont*, fol. editione IV. Lugduni. 1667. dein rursus Opera omnia 4. Francof. 1707. Elenchum singulorum Tractatuum vide in Lindenio de Scriptis Medicis. Opera omnia in germanicam quoque linguam posthæc transtulit *Christianus Knorrius à Rosenroth*, suisque Notis illustravit.

Contra doctrinam Joannis Helmontii acriter insurrexit *Joannes Andreas Schmidius*, Lutheranus, in *Dissertatione de Helmontii in doctrina de statu integritatis erroribus.* Helmstadii 1696.

Quale judicium de persona, doctrina, & scriptis Helmontii ferendum sit, patet ex hoc Decreto, ex Archivis Archiepiscopatus Mechlinienſis excerpta.

„ Jacobus, Dei & Apostolicæ Se-
„ dis gratiâ Archiepiscopus Mechli-
„ nienſis, omnibus has visuris salutem
„ in Domino.

„ Pro parte Domicellæ Margaritæ
„ van Ranst viduæ quondam D. Joan-
„ nis Helmontii Medici ejusque libe-
„ rorum enixe fuimus rogati, ut no-
„ strum de vita, moribus & fide di-

Digitized by Google

„ cti Helmontii proferre & ſcripto
„ mandare velemus judicium; cui re-
„ quiſitioni ſatisfacientes dicimus quod
„ quamvis liber dicti Helmontii, in-
„ ſcriptus: Diſputatio de Magnetica
„ vulnerum curatione, Pariſiis impreſ-
„ ſus, & pleraque ſcripta manu ejus
„ propria conſcripta inter ſchedas ip-
„ ſius reperta, poſtquam mandato
„ noſtro apprehenſus, & cuſtodiæ
„ mandatus fuit ob graves errores &
„ pleraſque aſſertiones judicio gravi-
„ ſimorum Facultatis Lovanienſis
„ Theologorum partim apertè hære-
„ ticas, partim hæreſim non parum
„ redolentes, quæ dicto libro & ſche-
„ dis continentur eum nobis de hæreſi
„ & prava religione vehementer red-
„ diderint ſuſpectum.

„ Quia tamen multa in dicto libro
„ contenta ſpecialiter revocaverit &
„ deteſtatus fuerit, ac generaliter quæ-
„ cumque tum in eo, tum in cæteris
„ ſcriptis antedictis comprehenduntur,
„ judicio Sanctæ Romanæ Eccle-
„ ſiæ ſubmiſerit, & quidquid ab ea
„ reprobatum eſt, vel reprobandum,
„ reprobare ſe declaraverit, quamvis
„ non eâ formâ quæ de jure ad hoc re-
„ quiritur ſaltem in foro exteriori;
„ cumque præterea intellexerimus eum
„ omnibus Eccleſiæ Sacramentis mu-
„ nitum piè & catholicè obiiſſe,
„ ac multos viros doctos, graves, & re-
„ ligioſos de ipſo & vita ejus bene ſen-
„ tire, nec quicpiam in moribus ejus
„ reprehenſione dignum nobis com-
„ pertum fuerit, quin potius ex rela-
„ tione fide dignorum nobis conſtet
„ multa eum bona opera præſtitiſſe;
„ declaramus Nos eum non habere pro
„ hæretico, ſed pie exiſtimare quod
„ vixerit & obierit Catholicus & San-
„ ctæ Romanæ Eccleſiæ obediens fi-
„ lius. Datum Bruxellæ die vigeſi-
„ mo tertio Octobris an. milleſimo
„ ſexcenteſimo quadrageſimo ſexto.
„ Signat. JACOBUS Archiepiſcopus
„ Mechlinien.

JOANNES BAPTISTA HOUWAERT,

Bruxellenſis, Vir Nobilis & Magiſter Cameræ Rationalis Ducatus Brabantiæ, cui non unam Laurum Muſæ vernaculæ debent, luſit numeris Belgicis

Hortum Pegaſidos, ſive *Viridarium Virginum*, libris XVI. typis Plantini, 1583. 4

De quatuor Extremis. Ibid.

De Conſtantia Querelam & Solamen Belgii.

Tragœdias IV. quarum hi tituli ſunt, *Mars & Venus*, *Æneas & Dido*, *Narciſſus & Echo*, *Leander & Hero.*

Obiit Bruxellis anno 1599. ætatis LXVIII. die XI. Martii, illatus in Sacellum ſuburbanum, D. Judoco ſacrum, hoc Epitaphio, quod concivi ſuo poſuit *Joannes Bochius*, S. P. Q. Antver. à ſecretis.

Non tibi pacificas excuſſit Martius artes
Horror, ad extremum funeris uſque diem.
Vidimus ad geminas animum te vertere lauros,
Una decus patriæ quæ foret, una tuum.
Serta ſed infelix necdum Peneia ſumpſit
Belgica, digna tua præmia fronte virent.
Hanc tibi Belgiades Muſæ, BAPTISTA, corollam
Munera poſt cineres haud peritura ferunt.
Donec & Auſoniis Arioſte legeris in oris,
Donec & in Lauram ſcripta Petrarcha, tuam:
Jactabit Bruxella ſuum cultiſſima Vatem,
Et petet hinc numeros Belgica Muſa ſuos.

JOANNES BAPTISTA LAMBERTINUS,

Antverpienſis, ex nobiliſſima Sena-

toriaque Lambertinorum Bononienſium familia oriundus, litteris humanioribus Cortraci imbutus, Philoſophiam Juriſprudentiamque didicit Lovanii. Romam deinde & Italiam ferè totam luſtravit, Bononiæque paullisper ſubſtitit, donec in Doctorem J. U. promoveretur. In Belgium ubi rediit, vix biennio expleto, alteram in Hiſpaniam inſtituit profectionem, quam & ad Herculis uſque columnas obivit univerſam, iterumque ad ſuos rediit, Prætorque civitatis ac territorii Hallenſis in Hannonia conſtitutus eſt. Edidit

Theatrum Regium, ſive Tabulas Regum Hiſpaniæ, Liſpaniæ, Luſitaniæ &c. Bruxellis, typis Meerbecii, 1628. in 4.

Vitam B. Imeldæ Lambertinæ (quæ die XII. Maii colitur) ex italico latinè redditam. Antver. typis Cnobbartii, 1625.

Pareneſin ad Virtutem capeſſendam, & adulterinam voluptatem contemnendam. Ibid. apud Jac. Meſium, 1640. 8.

JOANNES BAPTISTA MAURISSENS,

Bruxellenſis, Martini filius, qui artis Heraldicæ peritus, Armorum ſecialem egit in Comitatu Flandriæ (ſive ut vulgo dicimus *Roi & Heraut d'armes.*) Ipſe vero idem officium pro Ducatu Gelriæ ab anno 1651. exercuit, artemque ſuam illuſtravit, elucidando ſtemmata & inſignia Equitum Aurei Velleris, quotquot ab anno 1429. ſive à primæva Ordinis per Philippum Bonum Burgundiæ Ducem Inſtitutione, uſque ad annum 1665. creati fuêre. Obiit autem anno 1673. relicto filio *Jacobo Franciſco*, in eadem arte & officio ſucceſſore.

Le Blaſon des Armoiries de tous les Chevaliers de l'Ordre de la Toiſon d'or, depuis la premiere Inſtitution juſques à preſent, avec leurs noms, ſurnoms, titres & quartiers, enſemble leurs Eloges decrites en bref. Prodiit fol. cum ſcutis & inſigniis gentiliciis, Hagæ-Comitum apud Joan. Rammazeyn, anno 1665.

JOANNES BAPTISTA DE TASSIS,

Bruxellenſis, S. Rom. Imperii Liber Baro, Militaris Ordinis S. Jacobi Eques, ac Commendator *de los Sanctos* in Hiſpania; inclytis parentibus ortus, *Joanne Baptiſtâ de Taſſis*, Maxæmiliani & Caroli V. Cæſſ. quondam Cubiculario, & primo curſorum, ſive (ut vocant) Poſtarum per Germaniam ac Belgicam Præfecto, literis Cæſareis anno 1547. deſignato; & *Catharina à Wachtendonck*, è nobili apud Mechlinienſes familiâ.

Joanni Auſtriaco, dum in Belgio Pro-Regem ageret, à ſecretioribus fuit conſiliis, & Regum Catholicorum ad Reges Galliæ Legatus; nempe à Philippo II. ad Henricum III. & à Philippo III. ad Henricum IV. Poſtremus autem tantâ cum veneratione proſequebatur, ut patrem ſuum vocitaret. Vir ubique magnus, tum vero conſilio & judicio ſummus. E legatione Gallca in Hiſpaniam redux, Belgicique quod penes Regem reſidebat Conſilii Senator, extremum diem obiit circa annum 1610, ac Valliſoleti apud Auguſtinianos tumulo Comitum Villæmedianæ ac Taſſiorum illatus.

Hiſtoriam tumultuum Belgicorum libris VIII. deſcripſit, uſque ad ann. 1598. quo pax inter prædictos Reges firmata fuit. Extitit MS. in Bibliotheca Regia Schorialenſi ad S. Laurentium. Erat quoque apud Clariſſ. *Lucam Torrium*, Cameræ Rationalis Inſulis Flandrorum Aſſeſſorem, uſque ad annum 1609. deducta, teſte Valerio Andrea.

Digitized by Google

Nunc extat quoque in Bibliotheca Eminentiſſ. D. Cardin. de Alſatia Archiepiſc. Mechl. Addit Swertius in Athenis Belgicis, cognatum ſuum *Godefridum Haſtenium*, utriuſque linguæ peritiſſimum, *Joanni Taſſio* Pariſiis œconomum, ſtylum ejus utcumque rudem poliviſſe, dolaviſſeque. Et ſubjungit Inſcriptionem magnificam huic illuſtri Familiæ jam pridem poſitam in Eccleſia B. M. de Sabulone Bruxellis, quæ Principum Turrianorum beneficiis cumulata exurrexit.

TASSIORUM
Originem, virtutem, gloriam lege,
Quiſquis magna aut capis aut miraris.
Origo apud Bergomates
Ab antiquo illuſtris fuit.
Virtus unâ urbe claudi neſcia
Gloriam totâ Europâ peperit.
Sic nati, evecti, inclyti,
Auſtriæ Familiæ annos jam CC.
Incorruptâ fide & obſequio
Vixerunt.
Apud Cæſares Curſorum Magiſtri,
Quod munus & inveniendo
Sibi vindicarunt,
Et adminiſtrando magis meruerunt.
Honores item alios belli & ſagi:
Nunc Legati ad Principes exteros:
Nunc à conſiliis Statûs ac Belli:
Nunc copiis, nunc Provinciis præfecti:
Alibi Comites,
Hîc liberi Barones S. Imperii.
Sed iſtâ origine, virtute, glorîâ
Viros mori,
Hoc Monumentum indicat.
M. D. C. XIV.

Extat & in eadem Eccleſia Sabulonis Monumentum & Epitaphium Uxoris ſupra-dicti Joannis Baptiſtæ de Taſſis.

D. O. M.
D. HELENÆ DE L'ESPINE'E,
Matronæ tam genere quam moribus
Lectiſſimæ conjugi,
Illuſtris D. JOAN. BAPT. DE TASSIS,
Eques, ac Ordinis D. Jacobi de l'Eſpada,
Commendator de los Sanctos,
Philippi II. Hiſpaniarum Regis
Statûs per Belgium Conſiliarius,
Philippi III. Regis Catholici
apud Henricum IV. Galliæ Regem
Legatus, P. C.
Inter vivos eſſe deſiit M. D. XCVIII.

JOANNES BAPTISTA DE VADDERE,

Bruxellenſis, Presbyter, Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri Anderlechti juxta Bruxellas annos decem Canonicus, Vir priſci candoris, cui Symbolum familiare: *Ama neſciri*: in antiquitatibus ac Diplomatibus eruendis, nec non in hiſtoriis apprimè eruditus. Vivere ibidem deſiit 3. Februarii 1681. Edidit

Tractatum de Origine Ducum & Ducatûs Brabantiæ, nec non Officiorum Palatinorum hæreditariorum; Bruxellis 1672. in 4. apud Lamb. Marchant. Scripſit ac collegit præterea

Hiſtoriam Originis & excidii Carthuſiæ Partheniæ ante tumultus Belgicos in Suburbano Bruxellenſi, vulgo Scheut-velt: adjunctis Adnotationibus, in quibus primævæ aliquot Belgicæ Familiæ illuſtrantur, Antiquitates variæ, &c. MS.

Hiſtoriam Capituli Anderlechtenſis. MS.

Diplomata & Epiſtolas diverſorum MS.

Hiſtoriam Genealogicam Familiæ de Traiſignies. MS.

Hiſtoriam & Vitam Stæ. Wivinæ primæ Abatiſſæ Majoris Bigardiæ MS.

Extant partim in Archivis præfati Capituli, partim in Bibliotheca *Dominici Xaverii Foppens* J. U. L. Presbyteri dictæque Eccleſiæ Canonici ac Theſaurarii: & inſuper novem Vol. manuſcripta in folio nunc apud præclarum Dominum Malo, Bruxellis. Extat & hoc Epitaphium in Sacello S. Guidonis in Eccleſia Anderlechtenſi.

Digitized by Google

AMA NESCIRI.
D. O. M.
Duorum in hoc conditorio
Ossa computrescunt,
Domicellæ Annæ Heuze, &
R. D. JOANNIS BAPTISTÆ
DE VADDERE,
Hujus insignis Eccl. Canonici ac Sacerd.
Donec horrifico clangore tubæ,
Quæ orbi insonabit,
Mortui venire ad judicium expergefacti,
Pelle suâ rursum circumdabuntur.
Matri dies fatalis illuxit
III. Julii M. D. C. LXXX.
Proinde filio III. Febr. MDCLXXXI.
Requiem animabus pie lector apprecare.

JOANNES BAPTISTA VERJUYS,

Antverpiensis, Ordinem FF. Prædicatorum professus in patria; in Academia Lovaniensi creatus S. Th. Doctor die 6. Februarii 1646, dein Bruxellis & Lovanii Prior, hîc quoque S. Theologiæ Professor ac studiorum Regens, Provinciæ Belgicæ Magister Provincialis, Missionumque quas habet Prædicatorius Ordo in Hollandia Præfectus Apostolicus ab anno 1657. Muneri huic immortuus est Antverpiæ die 21. Septembris 1667. ætatis 57.

Scripsit *Pastorale Missionariorum*, seu Resolutiones Casuum, in Missionibus apud Acatholicos occurrentium. 12. Bruxellis 1664. & rursum 1682.

JOANNES BAPTISTA UWENS,

Antverpiensis, *Henrici* Geldriæ Cancellarii filius, Societatis Jesu, natus anno 1587. in ea plures anno concionatoris partes, aliasque functiones sustinuit; denatus Bruxellis 14. Decembris 1657. Edidit

Commentarium Litteralem ac Moralem in Jonam Prophetam, per Lectiones sive Sermones exegeticos LX. distributum. Antver. apud Joan. Meursium, 1640. fol.

JOANNES BARATH,

Hannonius, Cœnobii Valencenensis Carmelita, & Doctor Theologus Parisiensis, claruit anno 1426. scripsitque

De revelatione Divinorum.
Determinationes S. Theologiæ.
De temporis sui malis.
In Sententias, libros IV.
Quæstiones Ordinarias.
Collationes Synodales.

Et alia, in Bibliotheca Tigurina recensita.

JOANNES A BARNEVELT,

Dictus etiam *Olden-Barnevelt*, Amersfortius, Eques, Toparcha de Stoutenburg, Tempel, Rodenrys, Berckel &c. patrem habuit, è nobili apud Gelros familiâ oriundum, matrem Delianam de Weede, è vetusta Amersfortentium Dominorum prosapiâ. In primis tumultibus Belgicis sumptibus propriis eques militavit Guilielmo Auriaco, & adhuc tempore obsidionis Harlemensis anno 1573. Post hæc Syndicus fuit Reipublicæ Roterdamensis.

Denique anno 1586. mense Martio, in summo Patronatu Ordinum Hollandiæ Westfrisiæque (*Pensionarii* munus vulgo ajunt) *Paulo Busio* itidem Amersfortio successit, singularique prudentiâ turbas in Republica ortas compescuit. Quinque legationibus ad Reges Statui Belgico confœderatos functus est, præterquam quod ad alios Principes & Resp. missus. Anno 1608. & 1609. à parte Ordinum cum Deputatis Regis Hispaniæ de Induciis egit. Fuit & Sigilli & Archivorum Custos &c. verbo dicam, vir maximæ apud omnes authoritatis.

Digitized by Google

JEAN DE HAINHOFER

Digitized by Google

Notiſſimus eſt ex hiſtoriis belgicis funeſtus Viri hujus exitus. Quum enim Arminianorum partibus, unà cum Grotio aliiſque viris primariis adhæret *Barneveldius*, Mauritii Principis Auriaci mandato, die 28. Auguſti 1618. capitur & ſtrictiſſimæ cuſtodiæ mandatur: accuſatus etiam, quòd conſpirare cum Pontificiis & Hiſpanis, Catholicæque Religionis ſacra in fœderati Belgii Rembublicam introducere velle videretur. Tandem die 13. Maii 1619. publicè in area palatii Hagienſis, infami carnificis manu decollatur Vir ille, quem ſuum velut *Lycurgum* hactenus Batavi coluerant.

Apologiam ſuam ipſe in carcere detentus fecerat & evulgarat, hoc titulo: *Remonſtratie des Heern Advocaet van Olden-Barneveld aen de Staeten van Hollandt.* in 4. in Hagæ-Com. 1618; quæ & prodiit latinè hoc tit. *Myſteria Hollandica, ſive Jo. ab Olden-Barneveldt ad Status Holl. & Weſtfriſ. ex interpretatione & cum Notis Petri Holderi.* 4. Durocotori, id eſt, Remis, 1618. item Francofurti.

Vita vero & mors illius per varios deſcripta prodiit, ac ſignanter per *Grotium in Apologetico*; item Roterod. 1670. in 8. unà cum ſcriptis adjectis *Joannis Francken*, & cum fig.

Patris necem ulciſci tentantes filii *Reinerus* ac *Guilielmus*, conſpirarunt in vitam Auriaci Principis: machinatione detectâ, Guilielmus evaſit, ſed Reinerus capitis pœnas luit. Cumque uxor & mater pro reo apud Principem intercederent: hic converſus ad matrem, *cur non pro marito priùs interceſſiſſet*, interrogat. Illa autem generoſè reſpondit: *innocens erat maritus, hic autem pro quo deprecor, verè reus eſt.* In obitum *Barneveldii* hos fecit verſiculos *Nicolaus Burgundus*, J. C. Bruxellæ Senator Regius

Catte, quid hoc dicam? quantum mutatus ab illo?
Nunc hoſtis tortor factus es ipſe tui.
Syndicus ad mortem damnatur! quot voluiſſet
Millibus hoc emptum Bœticus ante caput?

JOANNES BASIUS,

Leovardienſis, Friſius, J. C. & cauſarum patronus in patria, Juriſprudentiæ ſtudia Lovanii abſolvit, Laureamque è Galliis reportavit. Fuit poſteà Senatui Delphenſi in Hollandia à ſecretis. Scripſit

Paradoxarum Diſputationum Juris Civilis libros IV. quibus dubiæ J. C. traditiones & reſponſa examinantur ac reconciliantur. Baſil. 1575. fol. In hos libros pro *Franciſco Hotomano* Doctore ſuo, edidit *Joannes Willielmus Neonobellus*, Jenenſis, Vacantias Vindemiales, ſive de Fatuitate Baſiana Epiſtolam, Baſileæ, 1579. 8. & non-nemo maledicus iiſdem ſequentes verſus aſſcripſit,

Non liber, at variis repleta cloaca lituris,
(Ne titulo lector, decipiare) fui.
Latratus, ruſtus, ſtolidos ſine mente boatus
Evomui in doctos, dum potui, uſque viros.
Lucem, dum vixi, timui, fugique repertam,
Ad ſordes natus ſcilicet & tenebras,
Præſidio ſolo noctis defenſus opacæ,
Exegi vitæ tempora parva meæ.
Tandem Cumanum mea me vox prodit aſellum,
Spernor, & in riſum mox timor omnis abit.
Nunc jaceo tineis blattiſque & vermibus eſca,
Et veſtire jubet pharmacopola piper.
Quin & tergendis damnata cloaca cloacis,
Auctoris culpam ſtultitiamque luo.
At te pro meritis auctor ſtolidiſſime tantis,
Pro fama maneat non peritura fames.

JOANNES BASTONIER,

A Brania Comitis, Hannonius, ad S. Martinum Tornaci Monachus Benedictinus profeſſus, deinde Prior Cœnobii Gemblacenſis in Brabantia, ac demùm cùm perfectioris ſtrictioriſque vitæ deſiderio teneretur, Ordinem Carthuſianum in Monte S. Andreæ, prope Tornacum, amplexus, ſe totum rerum divinarum contemplationi ac meditationi, exercitiiſque ſpiritualibus, mancipavit, ſymboli loco uſurpare ſolitus hæc verba, NISI IN DEO GAUDIUM; quæ & paſſim libris ſcriptiſque ſuis inſcribebat, cùm hujuſmodi proteſtatione: *Non credò me eſſe Carthuſianum, neque etiam Religioſum, quamdiu optavero alibi occupare cor meum, quàm circa Deum creatorem meum & ſummum bonum.*

Scripſit, dùm adhuc in Ordine Benedictino degeret, libellum

De Cæremoniis ac conſuetudinibus Reformationis Burſfeldenſis: quem Gemblaci, dum ad Carthuſianos tranſiret, reliquit. Carthuſianus verò varios *Rythmos Gallicos*, de rebus præſertim ſpiritualibus; & alia nonnulla ad pietatem ſpectantia.

JOANNES DE BEKA,

Ex nobili familia de Stoutenburgh, quæ ex Amorsfortii Equeſtris familiæ viris deſcendit, oriundus, Canonicus Ultrajectinus, conſcripſit

Chronicon Epiſcoporum Ultrajectenſium & Comitum Hollandiæ, ad Joannem ab Arckel, Epiſcopum, & Guilielmum, Hollandiæ Comitem: in quo apud Egmondam per ſeptennium cum aſſidua quadam ſollicitudine pleroſque labores explevit, ut ad dictum Comitem ipſe præfatur. Edidit illud cum Appendice *Suffridus Petri*, & cum Notis *Bernardus Furmerius*, Franekeræ Friſiorum, 1612. 4. emendatius verò cum Notis, Obſervationibus atque Animadverſionibus, *Arnoldus Buchellius in Corpore Hiſtoriæ Ultrajectinæ*, ibidem, 1643. in fol. apud Joannem à Doorn. Cui operi cum immoreretur *Buchelius*, vicem defuncti ſupplevit *Gisbertus Lappius à Waveren* J. C.

Idem *Chronicon*, jam olim verſum belgicè ab Anonymo, & paſſim pluribus in locis auctum continuatumque, evulgavit anno 1701 *Antonius Matthæus*, J. U. D. Tomo V. Analectorum Veteris Ævi.

Ceterùm de Becano elogium hoc ſcripſit Philippus de Leydis libro De ſorte principantis Caſu LX. *Quid laudis, quæ memoria, quis honor Comitibus Hollandiæ ſupereſſet, niſi felix Cœnobium S. Adalberti in Egmonda & monaſtica vita pro tempore illorum facta, & deinde brevi compendio* Joannes de Beka *Presbyter vigiliis æternaſſet?*

At vero *Gerardus Geldenhaur Noviomagus*, Præfatione ad Germanicarum Rerum illuſtrationem, Marpurgi editam, judicium *Gerardi Volpardi* Batavi ſecutus, ſcribit illum videri ſibi ſimilem imperito fabro lignario, qui cùm ædificandæ domus materiam, abſque temporis delectu cæſam, convexerit, ignoraret, quæ ligna cui domus parti aptiora, quæ teredinibus & coſſis maximè obnoxia, quæ ad firmitatem, quæ ad commoditatem, quæ ad ornatum ſint utiliora. Hæc ille. Et certè vanus eſt & falſus, dum bella ſub Epiſcopo Adelboldo & aliis nonnullis commemorat.

JOANNES BECARDUS,

Flander S. T. B. in Abbatia S. Nicolai apud Furnenſes Præmonſtratenſis Canonicus, dein Paſtor S. Nicolai Furnis, ejuſque Diſtrictûs uti & Neoportuenſis Decanus, obiit 9. Februarii 1635. Scripſerat

Appara-

Apparatum ad Annales Præmonſtratenſes, de ſtatu rerum ante ejuſdem Ordinis inſtitutionem, maximè in Flandria, & ab Inſtituto Ordine uſque ad annum 1133.

Indicem Scriptorum Eccleſiaſticorum, & de iis cenſuras.

Quæſtionem Theologicam, de pane & vino in exequiis defunctorum offerri ſolitis.

Argumenta Epiſtolarum Philippi ab Eleemoſyna, & Notationes varias in ejus Opera.

Item *Notas in Opticam Servatii Lairveltii. & in Chronicon Præmonſtr. Miræi.*

Manuale Iprenſis Diœceſis, juſſu Epiſcopi Georgii Chamberlain correxit & auxit: ſed non edidit.

Vincentium Lyrinenſem in linguam flandricam tranſtulit.

S. Thomæ Cantuarienſis, & Henrici II. Anglorum Regis Monomachiam, de libertate Eccleſiaſtica, cum adjuncto ejuſdem argumenti Dialogo. Coloniæ 1624, apud Corn. ab Egmont. Latêre voluit author ſub nomine *Richardi Brunæi*: qui dum S. Martyris agones laudibus proſequitur, diſplicuit Miniſtris Regiis; ideoque mandatum Fiſco Conſilii Gandavenſis, ut in Authorem libri, *veluti injurioſi, famoſi, ac pernicioſi, juribuſque ſuæ Majeſtatis contrarii*, inquireretur. Ita decretum in Conſilio Sanctiore, die 21 Julii 1627.

JOANNES BEER,

Aliàs DE PALUDE, Dieſtenſis, Presbyter, Scholarum ad S. Servatium Trajecti, & ad S. Sulpitium in patria Rector, primuſque dein Canonicus profeſſus in Cœnobio Corſendoncano, apud Turnhautum, profeſſionem ejus recipiente Abbate Averbodienſi, ex commiſſione Joannis de Bavaria, Epiſcopi Leodienſis, anno 1398. Vivere deſiit 1418. Reliquit

Summam brevem, De arte Rhetorices. MS. ibidem. Virum ſuæ divinis pariter & humanis litteris apprimè eruditum ac ſummè humilem, monumenta dicti Cœnobii produnt.

JOANNES DE BEETZ,

Brabantus, è vico hujus nominis apud Thenas, Carmelita & Prior Conventûs Thenenſis, Doctor Theologus & Profeſſor Lovanienſis, nomen Univerſitati dedit anno 1458. ſcripſitque

Præceptorium divinæ Legis, ſive in Decalogum, libros X. Lovanii, 1486. fol. apud Ægidium van Heerſtraeten.

Item *Quodlibeta*, Lovanii habita.

In Epiſtolam Pauli ad Romanos.

De Sacramento Altaris. &c. aliaque nunquam edita.

Mortuus eſt Thenis, apud ſuos conditus: cujus monumento hæc inſcripta leguntur:

Hic jacet inhumatus
Venerandus Pater Magiſter
JOANNES DE BEETZ,
Sacræ Paginæ Profeſſor eximius,
Regens ac ordinarius Legens
In Theologica Facultate Lovanii.
Qui obiit anno M. CCCC. LXX.
VI. die menſis Junii.

JOANNES BELIUS,

(Vulgò LE BEL) Canonicus ad D. Lambertum Leodici, & Joanni Hannoniæ Comiti à conſiliis; ſcripſit

Chronicorum Opus rerum ſuo tempore à Francis & Anglis geſtarum.

Claruit circa annum 1326. teſte *Joanne Froiſſardo*, itidem Hannonio, qui in ſuis ſe Chronicis *Belii* potiſſimùm veſtigia ſecutum profitetur.

JOANNES BELLERUS,

Antverpienſis, Typographus, vir doctus,

Onomaſticum, ex *Roberto Stephano* &

Conrardo Gesnero collectum, auxit, cum recentibus locorum appellationibus. Antver. typis Steelsii, 1553.

Multaque adjecit ad *Dictionarium Latino-Hispanicum Antonii Nebrissensis.*

Excessit è vivis anno 1595. XIII. Junii, ad D. Virginis in sacello D. Georgio sacro depositus.

JOANNES BENNINGIUS,

Amersfortius, J. U. Doctor Lovanii renuntiatus anno 1594. VI. Idus Februarii; quarto pòst anno Consilii Machlinienſis Assessor, & demùm anno 1611. Luxemburgici Præses. Vir rerum gerendarum sollertiâ, gestarumque ab omni ævo memoriâ excellens; conscripsit

Historiam Luxemburgensem, è Diplomatibus ac documentis antiquis; ineditam tamen hactenus.

Vivere desiit anno 1632. die XXX. Januarii, conditus apud Minores. Frater ejus *Jacobus Benninck*, apud Duacenos claruit, J. U. Doctor creatus anno 1582. dein SS. Canonum Professor: qui obiit ibidem anno 1609. existens Academiæ Rector.

JOANNES BENZIUS,

Bruxellensis, vixit & docuit Argentorati, familiaris *Joanni Sturmio*, quem præceptorem laudat, ediditque in usum juventutis studiosæ,

Thesaurum Elocutionis oratoriæ Græco-Latinum Basil. 1581. fol.

Loços Communes comparandæ Rerum & Exemplorum copiæ accommodatos: Argent. 1588. 8.

Erotemata in libros Cicer. de Officiis, Amicitia & Senectute. Ibid. 1589. & 1601. 12.

JOANNES DE BERCHT,

Diestensis, ad S. Sulpitium in pa-

tria Ca
S. Aug
Bruxell
rus, cu
mi dulc
jugiter
Comm
MSS. ib
Et *in*
vestigia
ronymi,
Elucidato
lud, su
114. usqu
rant, *M*
stituti R

JOAN

Silvæd
Instruct
ctæ Reform
collectam
Evulga
Latinum,
mulis. An

JOAN

Machlin
Curia ac C
tronus, ma
junctus, c
nuncupabat
conantem,
esse diu, vere
mium succi
Kal. Januar
XXXIV. con
chori ambitu
De utilita
II. Antver.
in 8.
Commentar
Hollandis occ
præsertim
Lovanii, ap

Scholia in Statii Papinii Opera, ad veteres Codices recenſita. Antverpiæ typis Plantini 1594. 8. Nutii, 1607. 8.

Commentarium in Silvas ejuſdem Poëtæ; typis iiſdem, 1599. 8.

Commentarium & Notas in Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ; à morte editum. Ibid. 1607. 8.

Vitam & Martyrium Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ, Flandricè 8. Antver. 1588.

Orationem in funere Joannis Hauchini, II. Machlinienſis Archiepiſcopi, habitam. Lovanii, apud Maſium, 1589. 8.

Item alteram, quâ funus *Michaelis Baii*, Doctoris Theologi Lovanienſis, proſecutus eſt. Ibid. anno eodem.

Nicolaus Oudartius amici Manibus verſus hos luſit:

Hac tegitur parvâ magnus BERNARTIUS *urnâ,*
Clara niſi toto fama quod orbe volat.
Quam famam functi doctiſſima ſcripta merentur,
Sive ea ad Hiſtoriam, ſive ea ad Aonidas,
Seu magis ad Sophiæ ſint exornanda vireta.
Ah ſpes cum tanto quanta ſepulta Viro!

JOANNES BERNARD,

Bapalmenſis, Ord. S. Dominici, S. Theol. Licentiatus & Prior Conventûs Duacenſis ut & Audomarenſis, inſignis apud ſuos per annos 40. Eccleſiaſtes: qui nec ultimis duodecim vitæ annis, cœcus licet, vel à ſacro ſuggeſtu, vel à Pœnitentiæ tribunali ſibi temperavit. In his operibus à morte comprehenſus, lætus abiit ad ſuperos die 2. Februarii 1620. ætatis anno 67. ſepultus apud ſuos Duacenſes. Edidit libellos gallicè

De Confraternitate Roſarii, annexiſque Indulgentiis. Audomar. 1606. 12.

De Sodalitate Nominis JESU, *contra perjuros ac blaſphemos.* Duaci 1608. & 1615. 12.

Flagellum pejerantium & blaſphemantium in Sacratiſſimum nomen Dei J. C. & SS. Duaci apud Wion 1618. 8.

Item octo ſpiſſa Volumina MSS. de omni ſcibili reliquit.

JOANNES BEROTIUS,

(Vel ETROBIUS, ut auctor ſe per tranſpoſitionem litterarum in folio liminari, ſive frontiſpicio indigetat) Valencenas, è gallico latinum fecit

Commentarium ſeu potiùs *Diarium Expeditionis Tuniceæ*, à Carolo V. anno 1535. ſuſceptæ; excuſum Antver. 1547. & Tomo II. Rerum Germanicarum anno 1575.

JOANNES BERTELIUS,

Lovanienſis, Petro & Mariâ Bollaertiâ natus; completis anno ætatis XVII. in Lilienſi Gymnaſio Philoſophiæ ſtudiis, S. Benedicti inſtitutum in Monaſterienſi Cœnobio intra muros urbis Luxemburgenſis amplexus eſt; & anno 1576. VIII. Idus Auguſti Abbas conſecratus, annos XIX. præfuit.

Hinc ad Epternacenſis ejuſdem Ordinis Monaſterii, à S. Willibrordo conditi, regimen admotus, doctrinæ laude, & vitæ, morumque Sanctitate claruit. Ab Hollandis interceptus, magno litro libertatem redimere coactus fuit, diuturnos carceres ærumnaſque perpeſſus. Exceſſit è vivis, in Abbatia ſua Epternacenſi anno 1607. die 19. Junii. Commentatus fuerat

In Regulam D. Benedicti, Dialogis XXVI. Addidit

Catalogum & ſeriem Abbatum Epternacenſium. Coloniæ, apud Cholinum, 1581. 8.

Dedit & *Hiſtoriam Ducatûs Luxemburgenſis*, omnium eruditorum calculo

Vol. 1.

No. 10.

Vol. 1.

No. 10.

Sir Thomas Lucy, Knight, Lord Lieutenant of the County of Warwick, and Custos Rotulorum of the same, &c.

Digitized by Google

illius Artis Profeſſor publicus, mox Senator, & anno 1627. Præſes Conſilii civici, 1629. Conſul, 1631. Præſes Admiralitatis, & 1633. Orphanotrophii Adminiſtrator, ac nomine ejuſdem Urbis ſuæ ad Ordinum generalium Comitia delegatus eſt. Obiit die 19. Januarii 1647. ſepultus in Æde majori Dordracena, cum Epitaphio, ut infra ſequitur. Scripta ab eo leguntur.

Epiſtolica Quæſtio de Vitæ termino, fatali an mobili? cum Doctorum reſponſis. 8. Dordr. 1634. item auctior Leidæ 1636. 1639. & 1651. in 4. *Accedit de eadem Quæſtione pars tertia, item doctiſſ. Annæ Mariæ à Schurman de eodem argumento Epiſtola; uti & alia à Joh. Elichmanno ex mente & monimentis Arabum & Perſarum contexta.*

Epiſtolicæ Quæſtiones, cum Doctorum reſponſis. Accedit Beverovicii, nec non Eraſmi, Cardani, Melanchtonis Medicinæ Encomium. Roter. 1644. & 1665. in 8.

Idea Medicinæ Veterum. Ibid. typis Elzevir. 1637. 8.

De Calculo renum ac veſicæ. Ibid. iiſdem typis.

Exercitatio in Hippocratis Aphoriſmum de Calculo, ad Claudium Salmaſium. Ibid. 1641.

Montanus ἐλεγχόμενος, ſive Refutatio argumentorum, quibus *Michael de Montaigne* impugnat neceſſitatem Medicinæ. Dordr. 1634. 8.

Theſaurus Salubrium, ſive *de ſanitate tuenda.* Flandricè.

Theſaurus Inſalubrium, ſive *de ſanitate reſtituenda* Flandricè.

De Excellentia Fœminei ſexûs, qui cum iconibus & verſibus *Cornelii Boy* prodiit Dordraci 1636. & 1639. in 8. & belgicè, ſub titulo *Uytnementheydt der Vrouwen.* Adulatur imprimis eruditiſſimæ *Annæ Mariæ Schurmanniæ*, (de qua ſupra pag. 63.) quæ viciſſim plura ad *Beverovicium* ſcripſit.

Introductio ad Medicinam indigenam, ſive *De ἀυτοφυΐᾳ ſingularum regionum.* Lugduni Bat. 1644. 8.

Scripſit vernaculè *de Scorbuto*, *de Peſte*, *de laudibus Chirurgiæ*, *de vulneribus*, *de oſſibus & fracturis* Quæ unà cum aliis omnibus *Operibus Medicis Beverovicii*, rurſum prodierunt idiomate vernaculo, ac celebris Poëtæ *Jacobi Catſii* verſibus exornata, Amſtelod. apud Joann. Schipper 1656. in 4.

Item vernaculè *Originem Hollandiæ in Dordraco*, cum deſcriptione ejuſdem Urbis. 4. Dordraci 1640.

Hertogh van Alva, geeſſel van Nederlandt ende Portugael; id eſt, Diræ in Ducem Albanum. 12. Dordr. 1641.

Lex hic medendi, ſanitatis Regula,
Salus ſalutis Civium, vitæ artifex,
Mortis fugator ſedulus, victor ſuæ,
Scriptis ſuperſtes ipſe poſt mortem ſibi,
Dordrechti Apollo, & Æſculapius jacet.
Defuncto lubens mœrenſque poſuit

DANIEL HEINSIUS.

Vide etiam Lindenium renovatum de Scriptis Medicis, & P. Niceroni Notitiam Litterariam Tomo IX.

JOANNES DE BLAER,

Dieſthemius, Prior cœnobii S. Jacobi Ordinis S. Benedicti, intra muros urbis Leodienſis, ſcripſit

Hiſtoriam Revelationis B. Julianæ Cornelienſis, divinitus factæ, & Inſtitutionis Feſti Venerabilis Sacramenti; quæ exſtat in Speculo magno exemplorum, Duaci identidem edito.

De eodem Feſto, hortatu B. Julianæ Virg. Officium proprium compoſuit *Joannes*, Ord. Ciſtertienſis Monachus in Monte S. Cornelii, ſcriptor modicæ litteraturæ (ut in Natalibus SS. Belgii 5. Aprilis ſcribit Molanus) ſed obediens os ſuum aperiebat, & Dominus implebat illud. Quod Officium Leodii, Tungris, & aliibi in

Ma se la Fisica ci dà la ragione di questi fenomeni, non ci dà la ragione della loro esistenza. Questa ragione ci è data dalla Metafisica, la quale ci dice che la materia è stata creata da Dio, e che Dio l'ha creata per uno scopo. Questo scopo è la vita. La vita è il fine della materia. La materia è stata creata per la vita. La vita è il fine della materia. La materia è stata creata per la vita. La vita è il fine della materia. La materia è stata creata per

caeten, van de Koninckl. Majeſteyten, ende haer Doorl. Hoogheden Graeven van Vlaenderen, mitſgaeders van heurlieden Provincialen Raede aldaer gepubliceert in den voorgenoemden Lande van Vlaenderen, t' ſedert het jaer 1560. tot ende met den jaere 1629. Fol. Gandavi anno 1629.

Item *Tweeden Druck van den eerſten Boeck der Ordonnancien, Statuten, Edicten &c. van Vlaenderen, nieuwelinghs vermeerdert.* Fol. Gandavi anno 1639.

JOANNES BOCHIUS,

Bruxellenſis, natus eſt anno 1555. die Julii XXVII. Litterarum humaniorum tirocinia primùm Liræ in Brabantia, poſt Athi in Hannonia poſuit, & æquales inter excelluit: in Poëtica palmam ceteris facilè præripuit, adeò ut alterum *Belgii* noſtri *Maronem* nominare liceat. Olim Romæ domeſticus Card. Radzivilii aliquamdiu ſtudio Theologico dedit operam, Lectioneſque Roberti Bellarmini, è Societ. Jeſu, poſtea Cardinalis, diligenter audivit.

Inſigni deinde ac periculosâ ἀποδημία Italiam, Poloniam, Ruſſiam, Livoniam, Moſcoviam, aliaſque orbis partes peragravit; quam peregrinationem latè ipſe proſequitur Obſervationibus in Pſalmum 147. Lectu digna ſunt, quæ illic ad verſ. 17. refert, *de immanitate frigoris, & ferocitate ac barbarie Moſcovitarum, quas Moſcuæ anno 1578 perpeſſum ſe fuiſſe enarrat.* In patriam redux, ſimul ad amatas olim Muſas rediit, & luſit verſu heroïco

Panegyricum Alexandro Parmæ Principi, receptâ Antverpiâ; typis Plantini 8. Quæ Panegyris Farneſio ita placuit, ut *Bochium* S. P. Q. Antverpienſi juſſerit eſſe à Secretis. Dedit etiam

Deſcriptionem Gratulationis, Spectaculorum, Ludorum in adventu Sereniſſ. ERNESTI, Archiducis Auſtriæ &c. Antverpię editorum.

De Belgii Principatu, à Romano in ea Provincia Imperio ad hæc uſque tempora, *brevem Narrationem.*

Panegyricum Carmen in ejuſdem Principis adventum.

Orationem funebrem in Archiducis Erneſti *obitum.* Simul edita iiſdem typis, 1595. fol.

Hiſtoricam Narrationem Profectionis & Inaugurationis Sereniſſ. Principum ALBERTI & ISABELLÆ. Ibid 1602. fol.

Parodiam Heroïcam Pſalmorum Davidicorum.

Obſervationes Phyſicas, Ethicas, Politicas, & Hiſtoricas, in eoſdem Pſalmos, è græcis latiniſque Auctoribus.

Vitam Davidis, Prophetæ Regii. Ibid. 1608. 8.

Cetera ejus *Poëmata, Epigrammata, Elegias* &c. variè diſperſa collegit & vulgavit Franciſcus Swertius filius, unâ cum Reliquiis Poëmatum *Joannis Aſcanii Bochii*, Joannis filii J. C. Excudit Coloniæ Kinckius, 1615.

Obiit verò BOCHIUS Antverpiæ, anno 1609. Idibus Januariis, ſepultus in D. Virginis, quà cœmeterium ſpectat: ubi diſticon hoc, quod ſibi ipſe ſcripſerat, cum ejus Epitaphio legitur:

Quis ſitus hic? BOCHIUS; *ſatis hoc: nam cetera dicent*
Candor & Integritas, Ingeniumque Viri.

JOANNI BOCHIO, Bruxellenſi,
S. P. Q. Antverp. à Secretis,
Præproperâ morte ſublato,
Idib. Jan. M. D. C. IX.
Sabina Bochia F.
Ex aſſe hæres Parenti opt.
Cum lacrymis poſ.
Sola virtus expers ſepulcri.

JOANNES BODÆUS A STAPEL,

Amſtelodamus, Medicus, græcè latinèque in paucis peritus, & miſcellæ eruditionis; edidit

Theophraſti Ereſii de Hiſtoria Plantæ

tem patuit, dum apud pleroſque Ordines Religioſos, tanquam de ſingulis bene merito ſolemniter illi parentatum eſt. Patres Dominicani, Franciſcani, Carmelitæ Antverpiæ per triduum in ſuis ſinguli templis exequias illi celebrarunt. Abbas S. Michaëlis ibidem pontificalibus indutus ſolemne ſacrum pro illo fecit. Denique Romæ Reverendiſſ. P. Generalis Carmelitarum in Templo S. Mariæ Tranſpontinæ funebre ſacrum ſolemni ritu pro illo obtulit, & per omnia Ordinis ſui Monaſteria idem fieri mandavit. Edidit Bollandus

Acta Sanctorum omnium, qui in toto orbe coluntur, Menſis Januarii Fol. II. vol. Antverpiæ typis Jacobi Meurſii 1643.

Acta SS. Menſis Februarii: tribus tomis in fol. Ibidem apud eundem 1647.

Acta SS. Menſis Martii, in quibus ſuam ille habuit partem cum Sociis Godefrido Henſchenio & Daniele Papebrochio. Prodierunt poſt illius obitum Antverpiæ iiſdem typis anno 1668. tribus Tomis in fol.

Pridem antea varia ediderat Carmina & Orationes. Edidit etiam ſeparatim

Vitam S. Liborii Epiſcopi, calculo laborantium Patroni. 8. Antver. apud Meurſios 1648.

Brevem Notitiam Italiæ ex Actis SS. Januarii & Februarii. 8. Antver. apud Meurſios 1648.

Breves Notitias triplicis ſtatus, Eccleſiaſtici, Monaſtici & ſæcularis, excerptas ex Actis SS. vulgatis à Bollando & Sociis. 8. Antv. 1648.

De P. Bollando leguntur hi Verſus.

Scribendis Sanctorum obiit Bollandus in Actis;
Fallor: in his cæpit vivere, non obiit.

Addidit & *Renatus Rapinus* è Societ. Jeſu, Gallus, Poëta celeberrimus, ſequens Elogium funebre.

Bollandus ſacrum Faſtis dum ſcriberet annum;
Mors imperfectum barbara rupit opus.
Mandabat ſcriptis Divos, Divûmque labores,
Et quâ quiſque olim vênit ad aſtra vid.
Scriptori Menſis proceſſerat unus & alter:
Tertius inceptum cum male ſolvit iter.
Parce tuo Bollande queri de funere, Faſtis
His demum ipſe tuis annumerandus eras.

JOANNES DE BOMALIA,

Vulgo Boumal (Gallo-Brabantus, ex vico haud procul à Geldonia) Ord. FF. Prædicatorum, Conventûs Lovanienſis aliquando Prior, Studiorum Regens, receptus ad Concilium novellæ Univerſitatis Lovanienſis anno 1434. ſucceſſit poſtea in profeſſione S. Theologiæ P. Mag. *Joanni à Wyningen*, & anno 1450. ad Cathedram promotus fuit ab eadem Univerſitate, eâ lege (inquit Valerius Andreas in Faſtis) ut intra annum fieret Doctor.

A Paulo II. aut Sixto IV. inſtitutus fuit per Belgium adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitor generalis, eoque titulo ab Univerſitate Lovanienſi admiſſus VII. Idus Novembr. 1471. Primariis quoque in Ordine ſuo muniis perfunctus, deceſſit Lovanii ipſo Natali Domini 1477. Hęc ejus extant Opera.

Planctus Religionis, ſuper defectibus Religioſorum cujuſcumque Ordinis. In quo libro ſub perſona Jeremiæ (cujus Lamentationum duo priora Alphabeta & quartum ad hunc uſum explicando applicantur) Religio ſancta, miſerabilem Religioſorum lapſum lamentans & plangens, introducitur. Extitit aliquando MS. Lovanii, apud Regulares S. Martini.

Tractatum *Contra Monachos Proprietarios*: editum Pariſ. à Marneffiis characterę gothico minutiore circa annum

1500. cum aliis ejuſdem argumenti Scriptoribus.

In *Proverbia*, *Eccleſiaſten*, *Apocalypſin*, *Sententias*, *De Sacramento Euchariſtiæ*, *De Virtutibus Theologicis*. Quæ omnia Bruxellis apud Dominicanos MSS. lecta fuiſſe teſtatur in Indice Joannes Bunderius Ord. Præd.

Denique *Quæſtio*, *an Prælatus cum Religioſis diſpenſare poſſit in his, quæ concernunt Obſervantiam Regularem*. MS. extat in Abbatia Parcenſi, & in Viridi Valle.

JOANNES BON-ENFANT,

Vel à Monaſterii ſui nomine, vel, quod magis crediderim, à vitæ ſimplicitate ſic dictus, anno 1500 claruit Canonicus Regularis cœnobii Leodienſis, quod *Bonorum puerorum* dicitur; eſtque Virginum S. Sepulcri collegium, Monaſterio virorum tranſlato ad S. Leonardum, extra urbis muros, quà Trajectum pergitur. Scripta hujus piiſſima, exemplis ſeu hiſtoriis paſſim referta, leguntur ſequentia, MSS. apud Regulares Tungrenſes.

Speculum Mortalium, ſub collocutione Jesu & & Mariæ.

Speculum Solitariorum, ſub collocutione Patris & Diſcipuli.

JOANNES BONERUS,

Aliàs Boener, Geldrus, Ord. Minorum S. Franciſci pius Sacerdos, ſcripſit latinè & belgicè

Compendium Hiſtoriæ Martyrum Gorcomienſium, cum Iconibus, atque Appendice martyrii quorundam aliorum Belgarum. Silvæducis 1623. 8. apud Schefferum.

Delineationem Hiſtoricam FF. Minorum Provinciæ Germaniæ inferioris à Geuſiis occiſorum, 4. Antv. cum fig. 1635. typis Plantin. latinè & flandricè.

JOANNES A BONONIA,

Nobilis Siculus, Franciſci Cyphalæ & Capacii Baronis filius, Eccleſiæ Metrop. Panormitanæ Archidiaconus, Caroli V. Cæſaris Sacellanus, S. Theol. Baccalaureus in Academia Pariſienſi, ſupremum Magiſterii gradum in Lovanienſi adeptus eſt anno 1550. die 15. Julii, unà cum famoſo *Michaële Baio*.

Edidit *Compendium Dialectices*, Lovanii, typis Barthol. Gravii 1550. 8.

De æterna Dei Prædeſtinatione & Reprobatione. Ibidem apud Anton. Mariam Bergagne, 1555. 8.

JOANNES BOSCHIUS,

Lonæus, Medicinæ Licentiatus, græcè ac latinè doctus,

Ocellum Luciani, qui & *Achilles* nominatur, *de univerſi orbis natura*, latinum fecit, Scholiiſque illuſtravit. Lovanii, 1554. apud Pet. Colinæum.

Anno 1558. ad Ingolſtadienſem Bavarorum Academiam evocatus, Orationem ibidem habuit auſpicalem *De optimo Medico & Medicinæ Auctoribus*. Extat Tomo I. Orationum Ingolſtadienſium.

Ejuſdem *de Peſte* liber, Ingolſtadii, apud Alex. Weiſſenhorn, 1562. 4.

Item *Concordia Medicorum & Philoſophorum de humano conceptu, fœtus corporatura, animatione*: præterea *de Centauris*, *Satyris* &c. Theſibus CXXI. comprehenſa. Ibid. 1576. & apud Wolfangum Ederum, 1583. 4.

JOANNES A BOSCO,

Natus Antverpiæ anno 1613, Ordini FF. Minorum Recollectorum adſcriptus Lovanii anno 1637; cucurrit ibidem in ſtadio ſtudii Theologici, tam docendo quam ſcribendo, annos circiter 50. Lector bis Jubilatus, Provinciæ pluries Diffinitor & Cuſtos, & ad

Digitized by Google

generalia Ordinis Comitia Prominiſter. Apud Academicos omnes mirum in modum æſtimatus; *Theologus profundiſſimus* communi calculo comprobatus; in rebus ſummè arduis conſultus, unique incumbens ſtudio & pietati. His immortuus eſt Lovanii ſeptuagenario major anno 1684. XI. Junii: ſepultus in choro ſub tumulo Virorum clariſſimorum FF. Amandi à Ziericzea & Matthiæ à Brouwershaeven. Scripſerat

Theologiam Sacramentalem, ad mentem Doctoris ſubtilis Joannis Duns Scoti, D. Auguſtino conformem: fol. Lovanii & Antverpiæ anno 1665. & ſequent.

Theologiam Spiritualem, Scholaſticam & Moralem, ad mentem ejuſdem Scoti. Tomi bini, Antverpiæ 1686. apud Mich. Knobbaert.

JOANNES BOSQUILLON,

Ordinis Minorum Conventûs Atrebatenſis, edidit

Theatrum Mortis, gallico idiomate.

De Aqua luſtrali, Tractatum adverſus ſæculi ſui Hæreticos.

JOANNES BOUTEILLIER,

Seu BOTTELGIER, Mortaniâ, vulgò Mortaigne, amplo municipio inter Valencenas ac Tornacum oriundus, Regum Caroli V. & VI. in Curia Pariſienſi Conſiliarius, ſcripſit *Summam Ruralem*, gallicè (librum Pragmaticis in primis utilem) poſt varias editiones à *Ludovico Charonda* J. C. Pariſienſi caſtigatam & illuſtratam. Pariſ. 1603. 8. Eadem Summa flandricè reddita, editaque eſt Antverp. 1550. fol.

JOANNES BOUCHER,

Ortu (ut creditur) Pariſinus, S. Theol. Doctor Sorbonicus, Eccleſiæ S. Benedicti Pariſiis Paſtor, ſub finem ſæculi XVI. inter zeloſos in Gallia confœderatos contra Reges Henricum III. & IV. fuit facilè zeloſiſſimus, imo & audaciſſimus. Variis concionibus contra utrumque Regem graviter invectus fuit: ac tandem Henrico IV. à Pariſienſibus recepto die 22. Martii 1594. ipſe Boucherius Pariſiis juſſu Regis proſcriptus eſt.

In Belgium receptus (ubi & reliquum vitæ exegit) mox in Eccleſia Tornacenſi Canonicatum obtinuit, & Diœceſi huic utilem operam impendit; dein etiam ab anno 1620. Archidiaconus Major, ſeu Tornaceſii (non tamen Decanus, ut quidam notarunt.) Plura contra Boucherium ac ſingularia leguntur Tomo II. *Satyræ Menippeæ*, pag. 49, edit: 1726. Et tamen Sanderus inter Scriptores Flandriæ eum nominat *Virum eruditiſſimum & Orthodoxæ Religionis amantiſſimum, ob quam è Gallia profugus, in Belgium venit.*

Deceſſit Tornaci octuagenario major, & per annos plus quam XXVI. Archidiaconus, ſepultus illic in navi Cathedralis Eccleſiæ, ante ſuggeſtum, quem doctiſſimis concionibus ſuis frequentiſſimè exornarat. Legitur ibidem hoc Epitaphium.

„ Memoriæ Nobilis ac Venerabilis
„ Viri, Domini ac Mag. JOANNIS
„ BOUCHER, hujus Eccleſiæ Cano-
„ nici & Archidiaconi, qui obiit....
„ Aprilis M. D. C. XLVI.

Enunciavit & edidit gallicè Tornaci *Orationem in funere Philippi II. Hiſpaniarum Regis*, 1598.

Item Pariſiis, *Sermons de la ſimulée converſion & nullité de la pretendue abſolution de Henri de Bourbon, Prince de Bearn, à S. Denis en France le Dimenche 25. Juillet 1593. ſur le ſujet de l'Evangile du meſme jour*, Attendite à falſis Prophetis &c. Matt. 7. *prononcez en l'Egliſe de S. Merri à Paris depuis le 1. d'Aout prochainement ſuivant, juſques au 9. du même mois.* 8. Pariſiis 1593. apud G. Gaudiere, R. Nivelle &c. dein

1594. rursum editi (ut fertur) Duaci. Dicaverat Author has IX. Conciones Philippo Sega Cardinali Placentino, Apostolico in Gallia Legato; sed tamen veluti sedicioſæ manibus tortoris anno 1594 die 23. Martii Parisiis postridie adventûs Regii combustæ fuere, in loco nuncupato *la Croix du tiroir*. Vide etiam Thuani Historiam, ad ann. 1593.

Palam quoque ac nomine suo apposito edidit; *De justa Henrici III. abdicatione à Francorum Regno, libros IV.* Paris. apud Nicol. Nivelle 1589. item Lugduni 1591. 8. licet abjudicatus non fuerit *Henricus*, multas autem subditorum rebelliones expertus. Vide le Long Bibliothecam Historic. Num. 8141.

Author etiam habetur Anonymi hujus: *De justa Reipublicæ Christianæ in Reges impios & hæreticos authoritate, animadversione, justissimaque Catholicorum ad Henricum Navarræum & quemcumque hæreticum à Regno Galliæ repellendum, Confœderatione.* 8. Antverpiæ, 1592. Authorem libri hujus (seditioſi) quidam fecerunt *Guillelmum Gifford*, Anglum, dein Archiepiscopum Remensem, vel *Guilielmum Lessæum* Scotum, Episcopum Rossensem, tunc in Belgio exulantem: sed de utroque minùs rectè judicatum.

Sunt &, qui adscribant Boucherio, *Apologie pour Jean Chatel*, item *Apologie pour Jaques Clement*, (utroque scilicet Regicidâ) sed alii utrumque omnino negant.

Addit P. le Long in Biblioth. Scriptorum Galliæ, Num. 2457. *Avis contre l'Appel interjetté par Edmond Richer de la Censure de son livre: par Paul de Gimont Sr. d'Esclavolles.* 8. 1612. asserens Gimontii confictum nomen à Bucherio assumptum. Item Num. 8072. *Histoire tragique & memorable de Pierre Gaverston, Gentilhomme Gascon, jadis Mignon d'Edouard II. Roi d'Angleterre, tirée des Chroniques de Thomas Walsingham, & tournée de latin en françois, dediée au Duc d'Espergnon avec la Requete sur les Etats generaux de France.* 8. 1588. Vide eundem P. le Long, Num. 8166.

Couronne mystique, ou dessein de Chevalerie Chretiene, pour exciter les Princes Chretiens à rendre le debvoir à la pieté chretiene contre les ennemis d'icelle, & principalement contre les Turcs. 4. Torn. apud Quinque. 1623.

L'Usure ensevelie, ou Defense des Monts de Pieté, de nouveau erigez aux Paisbas, pour exterminer l'Usure; lib. III. Accedit hic; *Repartie au Discours latin du pretendu Docteur en Theologie J. D. L. M. contre les Monts de Pieté ès Paisbas* (Is erat *Joannes de Lillers*, de quo infra) 4. Tornaci apud Adrian. Quinquè. 1628.

Defense de Jean Boucher, Chanoine de Tournai, contre l'imputation calomnieuse à lui faite d'un libelle intitulé; Ad Ludovicum XIII. Admonitio &c. 4. Tornaci. 1626. & alia quædam præter hæc, ab ipso edita.

JOANNES BOUCQUET,

Liranus, Ord. Prædicatorum, S. Theol. Magister, Conventuum sui Ordinis Antverpiæ, Ipris, & Coloniç Prior, ac per Belgium anno 1623. electus Provincialis; Vir ingenio facili, comi ac benigno, & linguâ præsertim vernaculâ facundus. Fundationem Vicariatûs, nunc Conventûs, Lirani pro Ordine Prædicatorio anno 1612. inchoavit, ipseque principaliter promovit. Demum anno 1640. die 11. Julii Antverpiæ in fata concessit. In lucem protulit

Joannis Nider, ejusdem Ordinis, *De reformatione Religiosorum* libros III.

Disputationem De Imaginibus Catharinæ Senensis, auctore *Vincentio Justiniano*, cum ampla ad Religiosos Præfatione; typis Plantin. 1611. 8.

Digitized by Google

JOANNES BOUDINS,

Furnenſis, Flander, Senator primarius in patria, ſcripſit eruditum

Commentarium de Jesu *Chriſti in terra verſantis Vita, rerumque geſtarum gloria.* Item *Compendium de rebus exterius ad Vitam Chriſti pertinentibus.* Antverpiæ, 1591. 8. apud Plantinum.

JOANNES BOURGESIUS,

Hoplinienſis, ad Liſam fluvium, Dominus temporalis de la Caſerie, Medicus & Mathematicus Iprenſis, Latinitate donavit & Scholiis illuſtravit *Laurentii Jouberti*, Henrici III. Galliarum Regis Archiatri, librum *de Vulgi erroribus, Medicinæ, Medicorumque dignitatem deformantibus.* Antverpiæ apud Nutium, 1600. 8.

Præcepta, item *& Sententias inſigniores de Imperandi ratione*, ex operibus *Franc. Guicciardini*, 8. typis Plant. 1587.

Demetrii item *Papagomeni lib. De Arthritide ſeu Podagra*, è græco gallicè redditum, auctore *Fed. Jamotio*, latinè interpretatus eſt. Audomari, 1619. 8. typis Boſcardi.

JOANNES BOURGESIUS,

Malbodienſis, Societatis Jeſu, Philoſophiam ac Theologiam Scholaſticam in Collegio Duacenſi plures annos docuit, pluriumque Collegiorum Rector fuit: Vir in primis Religioſus, atque à vitæ ſanctimonia plurimùm commendatus, ut vel ea atteſtantur, quæ publici uſus eſſe voluit nempe.

Societas Jeſu, Deiparæ Virgini ſacra, ſive *de Patrocinio & cultu Deiparæ Virginis ad homines ejuſdem Societatis.* Duaci typis Balth. Belleri, 1620. 12.

De bono Sodalitatis Parthenie, & officiis Sodalis erga Deiparam patronam. Antver. typis Mart. Nutii, 1622. 12.

Vitæ, Paſſionis & Mortis Jesu *Chriſti Myſteria piis Meditationibus expoſita*, cum *Iconibus.* Ibid. typis Hen. Aertſii, 1622. 8.

Exercitationes in XV. *Myſteria ſacri Roſarii*, cum *Iconibus*, Ibid. 1622. 8.

Inſtitutiones Chriſtianæ pietatis. Duaci, 1634. 8.

De Humilitate Chriſtiana, adverſus Stoicorum decreta & Paradoxa. Ibid. apud Bellerum, 1633. 8.

Cato Major Chriſtianus, ſive *de Senectute Chriſtiana.* Ibid. in 8.

Commentaria in Pſalmos. 8. Duaci 1634. & 1637.

Hiſtoria & Harmonia Evangelica, Tabulis & Quæſtionibus explicata. fol. Montibus 1644.

Peregrinus chriſtianus mortalis. 8. Valencenis 1648.

Paraverat item *de contemptu mundi, ſuique ipſius*; &c. dum mors Authorem intercepit Malbodii, anno 1653.

JOANNES BRAMMART,

Carmelita Aquis-granenſis, Doctor Theologus Pariſienſis, & per Germaniam inferiorem Prior Provincialis, vir undequaque doctiſſimus, moritur Coloniæ in Ubiis anno 1407. ibidem apud ſuos conditus. A Senatu Colonienſi Romam delegatus fuit, ut ab Urbano VI. P. M. Privilegia, doctoſque ad reſtituendam Univerſitatem Viros impetraret. Scripſit, teſtibus Trithemio ac Petro Lucio,

Commentarium in Magiſtrum Sententiarum. Incipit: *Verbum Domini ſuper Joannem.*

Varias item *Quæſtiones, Sermones.* Et alia.

JOANNES BRANDO,

Flander ex pago Hontenefſa territorii Hulſtenſis, Monachus Dunenſis, Ciſtertienſis Ordinis, S. Theol. Doctor Pariſienſis; gradum tamen hunc ei negat *Adr. Budzius* alter ibi Hiſtoricus.

Obiit Brugis anno 1428. die 13. Julii. Scripsit

Chronicon ab origine Mundi, ad annum ferè 1413. Jacobus Meyerus in patriæ Annalibus concinnandis se illo adjutum profitetur. Reperitur adhuc in S. Bertini, Lovanii in Collegio Atrebat. III. Vol. fol. in pergameno Dunis, Gandavi in Blandinio (ut auctor est Joannes Bunderius in Indice) & continuatum fuit ab *Ægidio à Roya* ejusdem locî Dunensis Monacho.

JOANNES BRANTIUS,

J. C. natus est Antverpiæ, pridie Kalendas Octob. 1554. Imbutus utriusque linguæ principiis, ætate maturior Lovanium venit & Philosophiæ operam dedit Porcensi in Gymnasio. Inde ob turbas toto Belgio exortas, & sacra ista bella, in Gallias profectus, Aurelliis *Joannem Robertum* & *Guil. Fornerium*, Biturigis magnum *Cujacium*, Doctores habuit: hujus etiam memoriam recolere eo libentiùs solitus, quòd ab eo Juris-Consulti titulum accepisset.

Deinde Italiam petiit; & lustratis Bononiâ, Patavio, Ticino, ac Româ, quâ visendi quâ discendi studio, in Belgium rediit. Cumque Bruxellis sedem vitæ eligere statuisset, & totum quinquennium in causis agendis consumpsisset, S. P. Q. Antverpiensis, ducta inibi uxore, Bruxellas denuò cogitanti manum injecit, & sibi ab Actis esse voluit, anno 1591. XI. Kal. Februarii.

Quo munere cùm annos amplius triginta cum laude functus esset, sexagenario major, ad eodem Senatu honestâ missione impetratâ, hoc effecit, ut uno omnium ore in patris locum *Henricus* filius succederet; ipseque paulò pòst, nihil tale ambiendo, in Senatorii ordinis viros coöptaretur.

Vir doctrinâ insigni, modestiâ, comitate & candore singulari præditus, & quod hac omnium virtutum sterili tempestate per quàm rarum est, inexplebili quadam juvandi litteras cupiditate flagrans, ut non temerè symboli loco usurpare solitus sit, LIBENTER, ARDENTER, CONSTANTER. Vitâ defungitur anno 1639. Dedit

Notas cum Politicas tum Criticas in C. Julii Cæsaris & A. Hirtii Commentarios. Francof. Marnii typis, 1606. 4. cum Cæsare græco-lat. aliisque X. Interpretibus.

Elogia Ciceroniana, sive *Virorum domi militiaque illustrium Historiam*, è Cicerone selectam. Antver. typis Verdussii, 4. 1613.

Vitam Philippi Rubenii S. P. Q. Antver. à Secretis & affinis sui, typis Plantini, 1615. 4. unâ cum Rubenii Postumis, *Brantii* curâ editis.

Senatorem, sive *de perfecti & veri Senatoris officio* libros II. Ibid. 1633. 4.

Prodiit & *Spicilegium Criticum in Apuleium.* typis Wechel. 1621.

Denique *in sex Terentii Comœdias Commentarius* affectus apud illum visus est. *Breves* item *Notæ ad Arnobium, & Minucii Felicis Octavium:* ut & *Belgio-graphia Ludov. Guicciardini*, ex italica latina facta; quam, quia in edendo ab aliis præventus, premere maluit.

JOANNES BREDEBACHIUS,

Dusseldorpius, è Ducatu Montano ad Rhenum, carmine dedit

Militiam Christianam: quâ docetur, quî contra vitia pugnandum. Dusseldorpii, apud Joan. Orydrium, 1560.

JOANNES BRIARD,

Natus Ballioli, in agro Athensi (unde *Athensis* in Academia audiit) postcaquam in Falconensi Gymnasio Philosophiam docuisset, anno 1491.

Digitized by Google

die 21. Junii, unà cum *Adriano Florentii*, dein P. M. renunciatur S. Th. Doctor, annoque ſequente ad Concilium Univerſitatis aſſumitur, cujus & Pro-Cancellarius fuit. Quin & Margareta Eboracenſis, Caroli Audacis Burgundiæ Ducis vidua, *Briardum* inter Conſiliarios ſuos domeſticos adſcivit.

Vir Eraſmi elogio, omnibus laudatiſſimus & tamen numquam ſatis laudatus; ita enim ſcribit ille Martino Dorpio libro VII. Ep. 7. Et lib. I. Ep. 2. ad Pet. Barbirium Annotationes ſuas in Novum Teſtamentum cenſuræ ejuſdem Dorpii atque Athenſis, ceterorumque Theologorum Lovanienſium ſubjiciens, ut, ſi quid judicarent in iis eſſe mutandum, monerent amanter, addit; *Athenſem ſic omnes præcelluiſſe judicio doctrinâque, quemadmodum præminebat auctoritate*, ut ex hoc uno cæteri potuerint æſtimari.

Obiit 1520. die VIII. Januarii, in ambitu Cartuſianorum ſepultus, ubi hoc legitur Epitaphium.

Scilicet eximiis inhiat mors undique rebus,
Quicquid & excelſum eſt occidit ante diem.
Hoc ſi quando aliàs, nunc heu dolor! experimento
Gymnaſium didicit Lovanienſe gravi.
Unus erat, ſoluſque adeo venerandus Athenſis,
Haud alium poſſes cui reperire parem.
Divinæ legis, Dii! quâ integritate Profeſſor,
Magna Theologicæ primaque fama Scholæ.
Hoc ſine nil quondam ſecretorum arbitrio agebat
MARGARIS, *Anglorum Regibus orta Atavis.*
Ecce autem Clero vice-Cancellarius omni
Dum invigilat, rapiunt invida fata virum.
Anno M. D. XX. die VIII. Januarii.

Inferiùs habetur.

Clauditur hoc etiam tumulo pater illius, annis
Conſpicuus, complens bis quoque luſtra novem.

Quæſtiones Quodlibiticæ V. Auctore *Briardo*, circumferuntur cum Quodlibeticis Hadriani VI. Excuſæ Lovanii & Pariſiis 1527. 8. & Lugduni 1547. in quarum ultima diſputat *de Contractu Sortis* ſive *Loteriæ*, ut vocant, ſuſtinens illum eſſe licitum. Eſt & Quodlibetum aliud *de Cauſa Indulgentiarum*, editum Lipſiæ, 1510.

JOANNES BRISSELOT,

Montenſis-Hanno, ex Ordine Carmelitano S. Th. Doctor in Academia Pariſienſi, *Carolo V.* à ſacris confeſſionibus & conſiliis, ipſo *Deſiderii Eraſmi* teſtimonio *unum è luminaribus Eccleſiæ* appellatur. Ante annum 1506. Abbas Commendatarius Altimontenſis, Ordinis S. Benedicti in Hannonia, tum etiam Prior S. Salvii juxta Valencenas, S. Georgii apud Heſdinium & S. Georgii de Hanzines in Diœc. Leodienſi; dein circa annum 1511. Epiſcopus Berythenſis ſimulque Vicarius in pontificalibus Cameracenſis Epiſcopi; item ad S. Waldetrudem Montibus Canonicus fuit.

Neque hîc ſtetit favor, nam anno 1517. ad Archiepiſcopatum Arborenſem Regnique Sardiniæ Primatiam (*Oriſtagni* vulgo dicunt) evehi meruit. Verùm cum magis neceſſarius Belgio videretur, ad eam Italiæ inſulam nunquam appulit, Vicario Archiepiſcopali uſus Magiſtro *Joanne Fabri*, Preſbytero, ad S. Germanum Montibus Canonico; dein annuentibus Leone X. Pont. ac Carolo V. Cæſ. Archiepiſcopatum hunc (ſolo contentus titulo) ceſſit anno 1520. in favorem *Joannis le Clercq*, Mechlinienſis, tunc in XX.

ætatis anno constituti. Ipse autem, ætate provectus, morteque subitaneâ oppressus, die 20. Septembris ejusdem anni 1520. occubuit in Abbatia Altimontensi, ubi corpus ejus terræ mandatum fuit, cor vero & intestina apud PP. Carmelitas Valencenenses, quorum olim Prior extiterat.

Has ejus elucubrationes citat Val. Andreas, sed hactenus ineditas.

Lectura Sententiarum, libris IV.

De Eucharistia, libris II.

In Psalmos Pœnitentiales.

De Oratione assidua, libro I.

Orationes XI. ad Clerum, & alia plura.

In templo Carmelitarum Valencenensium existit hoc ejus Epitaphium.

D. O. M.
Hic jacet Reverendiss. Dnus.
Joannes Brisselot,
Quondam Parisiensis Doctor,
Cameracens. Diœc. Suffraganeus
Ac Abbas Altimontensis,
Qui sub Carolo V. Cæsare
Archiepiscopatum Arborensem
Regnique Sardiniæ Primatum adeptus,
Consiliarius, Confessorque
Vitam anno M.D.XX. Septembr. xx.
post Carmeli hujus regimen
terminavit.
Ora pro eo.

JOANNES BRISSELIUS,

Lovanienſis, Societatis Jesu, Eloquentiam Antverpiæ annos aliquot docuit: fuitque placidis vir moribus, & amabilis omnibus; attamen disciplinæ severioris rigidus exactor. Potissimam vitæ partem Romæ egit Præposito Generali ab Epistolis, & vivere ibidem desiit anno 1634. ad diem XII. Martii. E flandrico latinas fecit *Caroli Scribani Meditationes sacras*. Antver. 1615. 8. typis Nutii.

JOANNES BRONCHORSTIUS,

Noviomagus, J. C. & Mathematicus, Rector Scholæ Daventrienſis, & Matheseos in Academia Rostochienſi Professor, obiit Coloniæ anno 1570. relicto filio *Everardo*, J. U D. ac Professore Academiæ Leidenſis, de quo supra. Scripsit

Scholia in Dialecticam Georgii Trapezuntii Coloniæ, & Lugduni, apud Gryphium, 1537. 8.

Arithmeticam, sive de Numerorum ratione, libros II. Priori Logisticen & veterum numerandi rationem, posteriori Theoremata numerorum complectitur. Coloniæ & Paris. apud Wechelum, 1539.

De Astrolabii compositione. Coloniæ, 1533. 8.

Urbis Pictavienſis tumultus ejusque restitutionem, carmine Elegiaco. 4. Pictavis 1562.

Præterea Opus *Ven. Bedæ de sex mundi ætatibus*, Scholiis illustravit, atque à Bedæ ætate, sive anno IX. Leonis Isauri Imp. ad annum XXVI. Caroli V. continuavit, Coloniæ. 1537. typis editum.

Vertit & è Græco *Ptolomæi libros VIII. de Geographia*. Et quædam alia in Aristotelem fertur scripsisse.

JOANNES de BRUGIS,

Mathematicus, scripsit *de Veritate Astronomiæ* Tractatum, excusum in 4. absque loci aut typographi nomine.

JOANNES BRUGMANNUS,

Kempenſis (Vener. Thomæ à Kempis conterraneus atque contemporaneus) Ordinis Minorum celeberrimi nominis Ecclesiastes, & in Conventu Audomarenſi S. Theologiæ Lector. Vixit apud Batavos, & nobilium inibi factiones

nes Hami & Aſelli (vulgo Hacx ſive Houckx & Cabelliau) compoſuit, ab ejuſque facundia manſit vulgare dicterium, *al cond ghy praeten als Brugman.* Obiit autem Noviomagi anno 1473. Scripſit

Vitam S. Lidwinæ, ſive *Lidwigis*, Batavis *Lydewydt*, Virginis Schiedamenſis, editam Schiedami, 1498. 4. & XIV. Aprilis apud Surium & apud PP. Hagiographos S. J.

Conſiderationes ejuſdem *de Paſſione Domini* laudat Joannes Mauburnus, auctor Roſeti Exercitiorum ſpiritualium, Tit. XXII.

JOANNES A BRUCK,

Alio, veroque nomine *David Georgius*, Delphis apud Batavos natus eſt, initio fatalis illius ſæculi XVI. quo novaturientes quam-plurimi ſectas novas aut excogitabant, aut eas pro libitu amplectebantur. Ita & fecit David Georgius.

Is cum 40. fere annos egiſſet in patria, Anabaptiſticæ ſectæ princeps, anno 1544. Baſileam cum aliquot comitibus venit, dicens ſe Euangelii cauſâ patriis ſedibus profugum, nuſquam tutum locum invenire. Petiit itaque à Senatu, ut cum uxore, liberis, clientibus & ſervis reliquoque ſat numeroſo comitatu in hanc Urbem admitteretur. Erat homini dignitas quædam apparens, forma elegans, ſermo gravis & ſedatus, inceſſus gravis, ceteraque ad omnem (ut videbatur) probitatem compoſita. Inſuper rei familiaris magnifica quidem ſed compoſita & tranquilla adminiſtratio.

Interim prædicabat inter ſuos, ſe verum illum eſſe *Davidem à Deo miſſum, ut extremis hiſce temporibus Regnum Iſraëlis reſtituat, Jacobique tabernaculum reſtauret*; atque in hanc ſententiam plura alia, ſcripto etiam vulgata; inter quæ erat hujus tituli liber;

Das Wonderbuch, daer innen das, was vonder werlt an verſchloſſen, veroffenbabret iſt. 1551. in fol. & alii quidam, igni dein per Baſilenſes addicti.

Quin & impoſtor ille perniciosiſſimus, tantam gerebat inter domeſticos authoritatem, ut eum revererentur ceu Regem aut Meſſiam; imo nec moriturum ſperarent. Sed qui immortalem ſe fecerat, mortuus eſt Baſileæ anno 1556. VIII. Kal. Septembris, atque ſolito civitatis more, ac pro ea quam tunc gerebat perſona, honorificè in D. Leonardi æde ſepultus.

Cum autem poſtmodum impietatum ejus fama percrebuiſſet, Baſileenſis Senatus anno 1559. totam hujus Impoſtoris familiam & aſſeclas, (uxor enim haud multò ante eum deceſſerat) conjecit in carcerem, habitoque dogmatum illius per Doctores Academicos examine, tandem per ſententiam pronunciatum: „ *Davidis Georgii* cadaver, „ ſive oſſa, & quidquid reliquum in „ ejus ſepulchro fuerit, effodiendum, „ extra portam lapideam, in loco, „ ubi de condemnatis extremum ſup„ plicium ſumitur, unà cum libris & „ ejus effigie in haſta altè ſuſpenſâ, „ currui impoſita à carnifice trahan„ tur, atque omnia ſimul rogo impo„ ſita, in cineres redigantur; bona „ quæcumque & ubicumque ſint pu„ blicanda, atque in ærarium publi„ cum inferenda.

Peracta ſunt hæc Baſileæ anno 1559. pridie Nonas Junii, accurrente ex omnibus regionibus vicinis multitudine tantâ, ut vix templo vel etiam urbe caperetur. Affuerunt etiam non poſtremi Davidis aſſeclæ, viri & mulieres omnes circiter triginta; qui & omnes ejus errores ejurare, Lutheranæ Confeſſionis publicam profeſſionem facere, ac demum de datis ſcandalis

veniam deprecari compulsi sunt.

Extat hujus Historiæ libellus, hoc titulo; *Davidis Georgii Hollandi Hæresiarchæ Vita & doctrina: quamdiu Basileæ fuit: tum quid post ejus mortem cum cadavere, libris, ac reliqua ejus familia actum sit; per Rectorem & Academiam Basileensem, in gratiam amplissimi Senatus ejus Urbis conscripta. Witebergæ, excudebant hæredes Georgii Rhaun.* 1559. Idem prodiit germanicè, 4. Basileæ, anno eodem.

Historiam quoque *Vitæ, doctrinæ ac rerum gestarum Davidis Georgii, hæresiarchæ, conscriptam ab ipsius genero Nicolao Blesdikio*, evulgavit Daventriæ *Jacobus Revius*, Histor. Prof. 1642. in 12.

Legitur & inter *Epistolas clarorum Virorum a Simone Abbes Gabbema collectas*, & anno 1663. Harlingę editas, pag. 140. notabilis Epistola *Joannis Acronii* Frisii, Medicinæ & Mathem. apud Basileenses Professoris anno 1559. de Vita ac morte & XLV. damnatis Propositionibus præfati *Davidis Georgii*.

JOANNES BRUNIUS,

(Vulgò DE BRUYN) Bruxellensis, Carmelita, ibidemque Prior Conventûs anno 1437. scripsit

Commentarios in Epistolas D. Pauli.

In Ecclesiasticum.

In Magistrum Sententiarum. Ex Arn. Bostio.

JOANNES DE BRUYN,

Gorcomiensis Batavus, in Academia Ultrajectina Philosophiæ ac Matheseos per annos 23 Professor, defunctus die 21. Octobris 1675. ætat. 55. Pro funere laudatus à Joh. Georgio Grævio. Dedit

Dissertationes, de Vi Altrice.

De Corporum gravitate & levitate.

De Cognitione Dei naturali.

De natura & proprietate lucis, ad Isaacum Vossium Epitolam. Amstelod. 1663. in 4.

JOANNES DE BRUXELLA,

S. Th. Doctor, Monachus Ordinis Cistercienſis, ac primùm Abbas Cristæ, dein Theoloci, illius Ordinis Cœnobiorum in Diœcesi Lingonensi, tum etiam Abbas Bellævallis in Diœcesi Bizuntina, ac demum Alnensis in Leodiensi, ab anno 1449. Vir magni nominis multæque eruditionis, qui in Capitulo generali anni 1430. nomine totius Ordinis, cum Abbate Cistercii & aliis deputatus est ad proximè celebrandum Concilium Basileense. Scripsit, teste Carolo de Visch in Bibliotheca Cisterc.

Librum Sermonum Moralium, MS. in Alna, & apud Regulares Tungrenses.

Item *Sermonem elegantem habitum in Capitulo generali.*

Sermones aliquot alios, de diversis materiis.

Et *Tractatum de Rota Spiritualis Prælationis, ad materialem comparatæ.* Omnia hæc MSS. Alnæ.

Obiit anno 1452, & forte serius, ultimâ die Martii; in Capitulo Alnensi sepultus, hoc Epitaphio.

Forma gregis factus Doctor fuit iste benignus.

Heu fleat Ordopius, quia nunc flos decidit hujus.

Crista, Theo-que-locus, Bella quoque Vallis & Alna

Hunc plangant, quem sic mortis rapuit brevis hora.

Has bene nam rexit, quibus & bonus extitit Abbas,

Cui Deus in cœlis perfectas det tibi gazas.

JOANNES BRUSTHEMIUS,

Franciscanus, Trudonopolitanus, claruit anno 1545. Scripsit ad Georgium

Digitized by Google

Auſtrium, Epiſcopum Leodienſem,

Res geſtas Epiſcoporum Leodienſium, & Ducum Brabantiæ, à temporibus S. Materni ad annum 1505. Extare MS. ſolebat Leodici, apud Virum CL. Joannem Curtium.

JOANNES BUCHERIUS,

Canonicus Regularis Cœnobii S. Auberti, in urbe Cameracenſi. Scripſit

De Religione & Religioſis Canonicis elegantem & doctum libellum.

JOANNES BUCHLERUS,

Gladbacenſis, (quod Provinciæ Juliacenſis opidum eſt) Grammaticus inſignis, & ad inſtituendam juventutem velut natus, non tantùm vivâ voce, ſed & ſtiloquoque prodeſſe voluit; quo ſpectant ab eo edita

Theſaurus Poëticus, & Inſtitutio Poëtica.

Theſaurus conſcribendarum Epiſtolarum, ex variis optimiſque Authoribus deſumptus. 12. Coloniæ, Antverpiæ & alibi.

Gnomologia, ſive *Phraſes Aldi Manutii* auctæ. Omnia Coloniæ ſæpiùs excuſa.

Vixit ſub DD. Wickradienſibus, & quamvis Catholicæ Religionis ad mortem uſque tenax, ob doctrinam tamen ab iis in honore habitus & poſt multorum annorum ejuſdem Scholæ moderationem, etiam Præfecturâ Dominii honoratus.

JOANNES BUECKELIUS,

Helmondanus, Silvæducis, perceptis litterarum humaniorum fundamentis, inde Lovanium conceſſit, ibidemque Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia abſolvit: vir totus candidus, integer vitæ, pius ac doctus, & Eccleſiaſtes facundus, non ſolùm ore Silvæducis, Aquiſgrani, Bruxellæ, aliiſque in locis, ſed & ſcriptis libris eructavit verba ſalutaria.

Poſtea Bruxellæ ad S. Gaugericum Paſtor, in eo totus fuit, ut reformationem morum in omnibus, & vel potiſſimùm in Clericis promoveret. Obiit 14. Auguſti 1643. ſepultus in choro Eccleſiæ ſuæ parochialis.

Libri ab eo vulgati ſunt hi, linguâ ferè vulgari ſeu vernaculâ.

Schola aurea Pacis. Silvæducis apud Schefferum, 1613. 12.

Diva Virgo Aerlenſis, juxta Helmondam. Ibid. 1614. 8.

Tabernaculum majus Catholicorum. Ibid. 1614. 12.

Tabernaculum minus Precationum. 1619. & 1621. 16.

Theſaurus Salutis, libri III. 1617. in 12.

De Invocatione Sanctorum & cultu imaginum &c.

De Conſolatione divinâ, & *de Intentione.* Antverp. apud Verduſ. 1625. 8.

Latinè *Conſolatio Catholica* edita eſt 1630. 8.

JOANNES DU BUISSON,

Hanno, Romæ vixit, ediditque ibidem anno 1576. 8.

Hiſtoriam & Harmoniam Euangelicam, ſeu *Vitam* JESU *Chriſti*, quatuor Euangeliſtis in unum Caput congeſtis

JOANNES BUNDERIUS,

Gandavenſis, Ordinis Prædicatorum S. Th. Lector (non tamen Doctor) Prædicator generalis, atque à Paulo III. Pont. inſtitutus hæreticæ pravitatis Quæſitor, tertiùm Gandavi Prior, vir gravis & eruditus; deceſſit in ſuo Conventu Gandavenſi 8. Junii 1557, ætatis anno 76. Ordinis ac Sacerdotii Jubilarius.

Varia ſcripſit adverſus ævi hujus ſectarios & ſectas:

Compendium rerum Theologicarum, quę

hodie ab hæreticis in controverſiam vocantur. Pariſiis, 1549. Antver. 1555. & aliàs.

Collationem IV. *SS. Doctorum*, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorii, *ſuper XXX. Articulis ab Hæreticis modernis agitatis.* Pariſ. apud Alardum Julianum, 1574. & 1577. in 16. & alibi; cum dicto rerum Theologicarum Compendio. Obſervat tamen P. de Jonghe in Belgio ſuo Dominicano pag. 73. Collationem hanc, tametſi ex Bunderii operibus collectam, opus eſſe F. *Natalis Taillepied*, Franciſcani Pontiſarenſis.

Scutum Fidei Orthodoxæ, adverſus *Joannem Anaſtaſium Veluanum.* Antverpiæ, 1569. 8. apud Joan. Withagium, Lovanii, Gandavi, & alibi. In Flandricum tranſtulit *Petrus Bacherius*, ejuſdem Ord. S. T. D. Lov. anno 1567.

De Baptiſmo, contra *Mennonem* Anabaptiſtam. Lovanii, 1553, Pariſ. 1574.

Detectionem nugarum Lutheri; & *Confutationem dogmatum Lutheranorum.* Lovanii, 1551. 8. typis Barthol. Gravii.

Collegerat quoque *Indicem Codicum Manuſcriptorum per Belgium, vicinaſque Provincias*; Alphabeti ſerie, ex ſchedis ſcriptiſque *Guilielmi Carnificis*, Gandenſis itidem Dominicani, qui Belgii Bibliothecas ferè omnes, & illuſtriores Germaniæ, Galliæ, Angliæ, ante exortas ſæculi ſuperioris hæreſes, ſedulò excuſſerat.

Viderat Clariſſ. Valerius Andreas Indicem illum MS. apud Lucam Opmerum, Delfium, J. C. ſed dolendum theſaurum illum, neſcio quo fato, periiſſe. Similis Catalogus Manuſcriptorum librorum per Belgium extat MS. Lovanii ad S. Martinum, item alter, *Rolando de Riva* auctore, fuit in Bibliotheca Georgii Colvenerii, Duaci quondam Doctoris Theologi, ſcriptus, ut apparet, à 180. annis ordine alphabetico: ſed deeſt littera V.

JOANNES BURIDANUS,

Bethunienſis, Artheſius, Lutetiæ Pariſiorum, dum viveret, Philoſophorum Princeps audiit, ſanè ingenio quam inſtitutione felicior; notumque etiam hodie in Scholis proverbium, jactari de *Aſino Buridano* ſolitum. Rector fuit Academiæ anno 1320. Et præterea Legatione Romanâ clarus, ut ad Logicam ejus præfando Joannes Dullardus teſtatur. Scripſit enim *Buridanus*

Commentarium in Ariſtotelis Logicam.

Quæſtiones in libros Ethicorum & Politicorum Ariſtotelis. Prodierunt Oxoniæ 1637. (al. 1640.) in 4.

Quæſtiones Metaphyſicales, *ſuper Libros Metaphyſ. Ariſtotelis.* Pariſ. 1518. fol. apud Badium.

JOANNES BUSÆUS,

Noviomagus, Societati Jeſu adſcriptus anno 1563. tum peractis Romæ ſtudiis Doctor Theologus Moguntiæ celebris: quâ in urbe & Academiâ annos ampliùs viginti ſacram Scripturam & Theologiam, quæ viâ ac ratione philoſophatur, cum laude docuit. Multa adverſus hæreticos ſcripſit, multa Veterum ſcripta primus eruit, ediditque; quædam etiam ex italica lingua in latinam duxit. Ac proprio quidem marte hæc ſcripſit:

Diſputationem Theologicam, de Jejunio & delectu Ciborum, adverſus *Chemnitium*, & ceteros Novatores. Moguntiæ, 1581.

De Perſona Chriſti, adverſus Ubiquetarios. Ibid. 1583. 4.

Apologeticum Diſputationis de Perſona Chriſti, adverſus cavillationes *Stephani Gerlachii* Ubiquiſtæ. Ibid. 1588. 4.

Refutationem duplicem Cavillationum, à *Steph. Gerlachio* objectarum. Ibid. 1591. 1594. 1596.

Digitized by Google

Digitized by Google

De Deſcenſu Chriſti ad Inferos, adverſus Decretum libri Concordiæ Lutheranorum. Coloniæ, 1586. 4.

Paradoxa XXX. Gaſparis Swevefeli, Hæreſiarchæ, *de toto Chriſto Deo, & Homine*, in ſtatera Sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Rationis expenſa, & cum Ubiquiſtarum dogmate collata. Moguntiæ, 1595. 4.

Diſputationem Apologeticam pro Kalendario Gregoriano, contra Jacobum Herbrandum, Doctorem Lutheranum Tubingenſem. Ibid. 1585. 4.

Apodoxin Theologicam pro ritu orandi Roſarium B. MARIÆ *Virginis*. Ibid. 1587.

Hyperaſpiſten Roſarii, ſive Depulſionem Cavillationum, quibus Calviniſta quidam Heydelbergenſis Apodoxin ſuam obſcurare conatus eſt. Herbipoli, 1588.

Reſponſionem ad Theſes, de Miſſa Pontificia & Cœnæ Dominicæ profanatione, à Theologis Lutheranis Magdeburgenſibus poſitas. Moguntiæ, 1588.

Diſputationem Theologicam de Baptiſmi neceſſitate.

Et *de Baptiſmo Conſtantini Magni*. Ibid. 1589.

Panarion, hoc eſt *Arcam Medicam, adverſus Animi morbos*, variis divinæ Scripturæ priſcorumque Patrum antidotis inſtructam. Ibid. 1609. 4. apud Joan. Albinum.

Viridarium Chriſtianarum Virtutum ex SS. Scripturæ & Patrum ſententiis conſtructum: opus Eccleſiaſticis utile. Ibid. 1610. 4.

Enchiridion piarum Meditationum in omnes dies Dominicos, Sanctorum feſta &c. Ibid. 1605. 12. apud Balthaſ. Lippium, Duaci, 1619. & 1626. 16. ſæpiuſque alibi recuſum. Has porro *Meditationes* in gallicum tranſtulit P. *Brignon*, ejuſdem Societ. multiplici fructu editas Pariſiis 1698. item Bruxellis apud Franc. Foppens 1707. in 8.

Modum rectè meditandi de rebus Divinis. Ibid. 1606.

De Statibus Hominum, Pontificis, Eccleſiaſticorum, Laïcorum, &c. opus poſtumum. Ibid. 1613. 4.

E tenebris verò primus eruit, evulgavit, aut illuſtravit:

Anaſtaſium S. R. E. Bibliothecarium, *de Vitis Pontificum Romanorum*.

Abbonis Floriacenſis Epitomen, ex Anaſtaſii Hiſtoria.

Luitprandum, Ticinenſem Diaconum (ſive is alius eſt) *de Vitis Romanorum Pontificum*. Omnia Moguntiæ edita, 1602. Hæc tamen editio non evaſit cenſuram *Caſim. Oudini* de Scriptor. Eccleſ. Tomo II. pag. 267. 285. &c.

Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi Epiſtolas aliquot, cum *Notis* brevibus. Extant etiam Tomo IX. Bibliothecæ Patrum.

Vitam S. Wigberti, Confeſſoris. Et *Hiſtoriam S. Auperti*, Bingionum Ducis, auctore *S. Hildegarde*. Ibid. 1602.

Petri Bleſenſis, Bathonienſis in Anglia Archidiaconi, *Opera* correcta, & *Notationibus* illuſtrata. Ibid. 1600. & in Biblioth. Patrum Tomo XII.

Opuſculorum Petri Bleſenſis, Joannis Trithemii, aliorumque Paralipomena. Ibid. 1605. 8.

Joannis Trithemii Opera de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cum *Appendicibus*. Ibid. 1602. & 1606.

Ex Italico denique latinè reddidit *Vincentii Bruni Meditationum*, Tomos IV. Et Tractatum *de Sacramento Pœnitentiæ*. Coloniæ, 1598. 12.

Lucæ Pinelli Meditationes de SS. Euchariſtiæ Sacramento. Ibid. 1600. 12. Et *De Vita Chriſti, & B. Virginis*. Ibid. 1601.

Franciſcum Ariam de Imitatione B. Virginis. Ibid. 1602. 12.

Item *De Profectu ſpirituali*.

De Diffidentia ſui: *De Mortificatione*. Ibid. 1603. 12.

Fulvii Androtii libellum *de frequenti Communione*. Moguntiæ, 1598.

Meditationes ejuſdem de Paſſione Domini. Coloniæ, 1600. Utrumque ſimul recudit Petrus Henningius, 1612. in 12.

Bartholomæi Riccii Inſtitutionem meditandi.

Reſponſionem Roberti Cardinalis Bellarmini ad Doctorem Theologum *de Cenſuris contra Venetos*.

Denique varias *Epiſtolas* annuas *Societatis Jeſu*, de rebus Japonenſium, deque ſtatu Indiæ Orientalis, ab anno 1591. uſque ad ſæcularem 1600. ex idiomate italico latinas fecit, partim Coloniæ anno 1596. partim Moguntię, 1600. editas.

Moritur vir piiſſimus Moguntiæ anno 1611. ætatis LXIV. profeſſionis 48. III. Kalen. Junii.

JOANNES A BUSCO,

Sive Busschius, Canonicus Regularis S. Auguſtini, Capituli & Cœnobii Windeſemenſis, apud Swollam Trans-Iſalanæ ditionis opidum, fuit è primis ſacræ illius Congregationis Patribus, per Gerardum Magnum inchoatæ; perque Patres in Windeſem conſervatæ, uti ipſe loquitur, in libro, quem ſcripſit

De Origine Cœnobii, & Capituli ſeu Congregationis Windeſemenſis, edito P. Heriberti Roſweydi, è Societ. Jeſu operâ, Antver. 1621. 8.

Scripſit præterea *de Viris Illuſtribus Ordinis Canonicorum Regularium Cœnobii Windeſemenſis* libros II. MS. Lovanii ad S. Martinum, & apud Regulares Tungrenſes; eſtque liber ſecundus Chronici Windeſemenſis, ab *Hertberto Roſweydo* S. J. editi.

Epiſtolam prolixam *de modo proficiendi in Religione*, è Teutonico in Latinum ſermonem convertit.

Item *de Reformatione quorumdam Monaſteriorum Congregationis ſuæ in Saxonia, Opuſcula duo*. Extant Tomo II. Scriptorum Brunſwicenſium, auth. Guil. Leibnitſio, Hanov. 1710.

Fuit enim-vero *Buſchius* aliquanto tempore Prior in Sulta Saxoniæ, Hildeſemenſis Diœceſis; vir ſtudioſus in SS. Scripturis, moribus honeſtus, converſatione devotus. Claruit anno 1470, teſte Trithemio de Viris ſui ſæculi illuſtribus, ac paulò poſt mortuus eſt.

JOANNES BUZELINUS,

Cameracenſis, Societatis Jeſu Theologus, ſacrarum Hiſtoriarum atque Annalium callentiſſimus, diligens inveſtigator Antiquitatis. Multa parantem mors occupavit Inſulis XVIII. Kal. Novembris 1629. ætatis 55. Edidit latinè

Triumphum quo SS. Martyres Victor & Socii ab Urbe Roma Inſulas invecti ſunt, & in Templo Societatis collocati. 8. Inſulis 1612. Extat etiam in Januario Bolland. Tom. II. pag. 554.

Annales Gallo-Flandriæ ab annis pluſquam mille trecentis uſque ab 1611. Fol. Duaci. 1624.

Gallo-Flandriam, ſive Gallo-Flandriæ deſcriptionem, ejuſque Antiquitates ſacras & prophanas. folio. Duaci 1625.

JOANNES CÆSARIUS,

Juliacenſis, Philoſophus & Medicus, Pariſiis Jacobum Fabrum Stapulenſem in Philoſophicis Doctorem habuit. Vixit deinde Coloniæ Agrippinæ: verùm cauſâ Religionis urbe ejectus, apud Guilielmum Nuenarium & Meurſenſem Comitem, hoſpitium invenit: quamvis pœnituiſſe poſtea ac recipuiſſe videatur. Obiiſſe enim Coloniæ anno 1551. nonagenarium teſtatur Petrus Merſſæus, & in

Digitized by Google

Collegio Fratrum S. Hieronymi, ad rivum Salicum, prope ſummum altare ſepultum eſſe, addito hoc Epitaphio, lapidi inciſo:

A puero colui Muſas ſtudioſus honeſtas,
Cura quibus vitæ quælibet hujus abit.
Non mihi divitias contraxi turbidus altas,
Contentus modico parcior uſque foco.
Ad ſenium veni cælebs, mea tempora cani
Ornarunt crines, barbaque cana fuit.
Sed breve momentum videor vixiſſe, quid in ſe
Portio temporis hæc quantula, quæſo, capit?
Eſſe Dei Verbum Chriſto Doctore colendum
Duxi, quod ſuperat cetera cuncta potens.
Hoc manet æternum florens dumtaxat, at ille,
Perpetuæ redit huc grande ſalutis opus.

Vide Præfationem Joannis Sturmii, ad Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem, in Tomum II. Orationum Ciceronis, quo loco plura de *Cæſario*. Ejus autem hæc leguntur;

Diomedes Grammaticus, emendatus, Scholiiſque illuſtratus. Coloniæ, 1536. apud Soterum.

Rhetorica, Pariſ. apud Wechelum, & Friburgi 1541.

Dialectica, Coloniæ, 1532. & aliàs, cum Scholiis *Rayani* & *Henr. Glareani*.

Commentaria in Jodoci Clichthovei Introductionem cognitionis Terminorum. Pariſ. apud Wechelum.

Epitome Introductorii Geometrici Caroli Bovilli. Baſileæ, apud Henr. Petri.

C. Plinii ſecundi Opus Hiſtoriæ Naturalis, cum Argumentis ad libros ſingulos, & brevibus ad marginem Scholiis. Coloniæ, 1524.

C. Plinii libri duo de Medicina Piſcium, caſtigati, & Scholiis explanati. Argentorati, 1534. cum aliis ejuſdem argumenti.

Boëtius de Conſolatione Philoſophiæ, recognitus. Coloniæ, 1535. cum Murmellii & Rod. Agricolæ Commentariis.

JOANNES CAILLET,

Duacenſis, Societ. Jeſu, collegit digeſſitque per Tomos VI. *Illuſtria Sanctorum Virorum Exempla & Facta lectiſſima per ſingulos anni dies*, ut habet Bibliotheca Scriptorum S. J.

Obiit Duaci anno ſalutis 1628. die IV. Septembris, annos natus quinquaginta.

JOANNES CALIGATOR,

Lovanienſis, Poëta ſui ævi inſignis, quem Magiſtratus Lovanienſis publico ſumptu aluit; ſcripſit ad Wenceſlaum Ducem circa annum 1358.

De Inſtitutione Principis, teſte Molano libro de Juramento quod à Tyranno exigitur, cap. ult. & Divæo libro IV. Rerum Lovanienſium.

Præterea verſu complexus eſt *Vitam & Paſſionem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli*, libro uno, cujus hoc exordium:

Roma caput mundi, primo Paſtore beata.

Ex his tamen nihil viſum hactenus.

JOANNES A CAMBIA,

Vulgò DE LE CAMBE, dictus GANTOIS, è celebri apud Inſulenſes familia, Ord. Minorum, S. Theologiæ Profeſſor Lugduni in Gallia, edidit

Theſaurum Theologorum.

JOANNES CAMPENSIS,

Vulgò VAN CAMPEN, Tranſ-Iſalanus, Linguæ Sanctæ in Trilingui Gymnaſio Buſlidiano Lovanii Profeſſor, anno 1521. à Leone X. Pont.

Digitized by Google

Max. Romam evocatus, motoriam deinceps egit fabulam, ut ad Conradum Goclenium in Epiſtolis poſtumis ſcribit Eraſmus. Luſtratis enim Germaniâ, Poloniâ, Italiâ, atque in Urbe habitus liberaliter, opimoque auctus Sacerdotio, dum in patriam cogitat, Friburgi Briſgoiæ anno 1538. VII. Idus Septembres peſte corripitur ac moritur. Scripſit

Grammaticam Hebraïcam, ex variis libellis Eliæ Levitæ collectam. Lovanii, typis Theodorici Martini, 1528. 4. & Pariſ. 1535. 8.

Paraphraſin ſive veriùs *Ecphraſin in omnes Pſalmos.*

Item *In Eccleſiaſten*: utramque ex hebraïca veritate, Lugduni, 1534. Antverpiæ 1535. 12. & alibi. Utraque & gallicè ac germanicè reddita legitur.

Commentariolos in Epiſtolas Pauli ad Romanos & Galatas. Venetiis, 1534. 8. niſi fortè hi alterius ſint auctoris, diverſi à ſuperiore.

Alardus Amſtelodamus hoc amico Epitaphium poſuit:

CAMPENSIS *præſtans ſanctæ myſteria linguæ,*
Davidicos Pſalmos fuſius explicuit.
Non ſine laude diu Veneta prælegit in urbe,
Obtinet hinc Romæ multa Sacerdotia.
Lovanii ſtatuit vitam finire docendo;
Friburgum veniens peſte repente perit.
Ne fortaſſe ſenem mutet fortuna ſecunda,
Hinc juvenem campos miſit in eliſios.
In nunc, rara ſtudens hæbræis jungito græca:
Mors etiam doctos opprimit atra viros.

JOANNES CAMPENSIS,

Carmelita apud Friſios claruit anno 1404. ſcripſitque

Super Sententias libros, IV.

Quodlibetorum Opus.

Summulam Artium. Et alia.

Ita Bibliotheca Tigurina, ex Joanne Groſſo, Carmelita Tholoſano, qui Viridarium Inſtitutionis & Progreſſus ejuſdem Ordinis ſcripſiſſe dicitur.

JOANNES CAPETIUS,

Ex Pago de Aſcq in Agro Inſulenſu, Lovanii inter Magiſtros Artium anno 1549. quinto loco promotus, dein Philoſophiæ Profeſſor ibidem in Pædagogio Caſtri, & S. T. Licentiatus, tum vigore Privilegiorum Academicorum Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ D. Petri, in patria: ſcripſit

De vera Chriſti Eccleſia: deque Eccleſiæ & Scripturæ Auctoritate libros III. Duaci, apud Joan. Bogardum, 8. 1584.

De Hæreſi, & modo coërcendi Hæreticos. Antver. apud Keerberg. 1591. 8.

De Origine Canonicorum, & eorum Officio; Item *de perpetua Sacerdotum caſtitate.* Ibid. 1592. 8.

De Indulgentiis. Inſulis, 8. 1597.

Leguntur alia, luce & prælo digna, Inſulis in D. Pauli Collegio,

De Jejunio: De Pœnitente & Pœnitentiæ Miniſtro.

De Pœnitentiis Canonicis & Satisfactione.

De Confeſſione ſecreta.

De ſtatu hominis conditi, lapſi & redempti, libri III.

Expoſitio Symboli Apoſtolorum.

Commentarii in D. Pauli Epiſtolas, & Canonicas.

Orationes II. ad Clerum Inſulenſem.

Obiit Inſulis, anno 1599. die XII. Maii.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Property of
Baker Library
Harvard Business School